6tt

DIVUS THOMAS
SUI INTERPRES
DE DIVINA MOTIONE,
ET
LIBERTATE CREATA.

TOMUS PRIMUS.

ex Libris Rs 4,822 /1

DIVUS THOMAS
SUI INTERPRES
DE DIVINA MOTIONE,
ET
LIBERTATE CREATA.
TOMUS PRIMUS.

In laudem Gloriæ Gratiæ Dei. Ad Ephes. 1. Versic. 6.

AUCTORE

REV. A. PATRE FR. ANTONINO MASSOULIE'
Conventus Tolosani S. Thomæ Aquinatis, Socio Reverendissimi
Patris Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum.

EDITIO SECUNDA.



ROMÆ,
Typis Komarek, propè Turrim de Grillo. MDCCVII.

SUPERIORUM LICENTIA.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE DE TOULOUSE

SANCTISSIMO PATRI,

AC

DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO.

EFficit, *BEATISSIME PATER*, *Argumenti Dignitas, quod de Divina Motione, Divinaque Gratia tractandum suscipio; ac Sanctitatis Vestræ in Divum Thomam Aquinatem, quem loquentem, suique Interpretem exhibeo, singularis amor; ipsaque in primis Sanctitatis Vestræ summa humanitas, quâ ipsos etiam Pauperes blando semper vultu, ac sinu effuso excipit; ut hanc Tractationem,*

Sancti-

Sanctitatis Vestræ nomine inscriptam, ipsius pedibus provolutus offerre non dubitem. Nulli Mortalium, BEATISSIME PATER, plura, ac potiora Divinæ gratiæ debent, quàm Pontifices, in supremo Ecclesiæ vertice constituti, Cælo quàm Terris, accepta potestate propiores; quibus etiam in Cælo, inquit D. Chrysostomus, Sedes locata est, ut de salutis æternæ negotiis pronuncient; primi, penè ad invidiam Cælestium, post Deum, ut inquit Chalcedonense Concilium, Hominum Judices; quodque Cælestis Jerusalem Imagine, Sociaque Ecclesia, quam sibi Christus suo Sanguine Sponsam elegit, quam solus ipse regit, vera Theocratia, quæ nihil nisi Divinum habet, cujus Caput Christus est, Cor Spiritus Sanctus; in ea Ecclesia veritatis Columna, sanctitatis, & sapientiæ Sede, solus Pontifex, Summus Sacerdos, cujus Dignitatis pars ultima est, ut ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, authoritate Moysen referat; etiam & potestate Petrus est, & unctione Christus: ut jam solus ipse, ex omni carne electus, Ecclesiæ visibile Caput Christum Mortalibus repræsentet: & quem in amoris sui erga Fideles argumentum, summumque Fidelium solatium, Christus, quo nihil majus intelligi potest, Vicarium constituit, qui hujus in Terris vices gerat, in quo ipsum penè aspectabilem venerari liceat, & loquentem audire jubeamur. Nulli Mortalium, BEATISSIME PATER, majorem Divinæ gratiæ vim, quàm Pontifices in regenda Ecclesia, & fundendis oraculis, organa Spiritus Sancti effecti, persentiunt. Nulli majora Divinæ gratiæ auxilia publicis, ac solemnibus supplicationibus Mortalibus promerentur, aut pro his ardentiùs efflagitant: cùm probè intelligant, eam esse infirmitatem naturæ, ut nisi Divina ope firmetur, in novos semper lapsus sibi relicta revolvatur, & ut à Divo Prospero dictum est, in vulnera vulnere surgat. Unde nec ea postrema Pontificum cura fuit, ut illibatam in Ecclesia Divinæ gratiæ fidem servarent; quæ si periret, inanes forent, ut olim à Patribus Concilii Carthaginensis dictum est, effusæ à Pontificibus preces. Quæ enim Fidelium spes, & fiducia foret, cùm Pontifex, ut olim Moyses sequester, & medius inter Deum, Populumque, aut ut Aaron extendens manum Populis magna expectatione suspensis benedicit, Deumque precatur, ut Deus det nobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus? Quid efficeret fausta precatio, ac impertita benedictio, si commissa cuique sua sorte, dum spes sibi quisque foret, nulla Divinæ gratiæ virtute Fidelium corda roborarentur? Contradicitur, *inquiunt Patres Cartaginenses*, benedictionibus nostris, *ut quidquid eis à Deo precamur, incassum super Populum dicere videamur. Jubet grati animi sensus perpetuò Divinæ gratiæ meminisse: nec dubito, quin de Divina Gratia Opus Sanctitati vestræ acceptum sit, ex quo ea revocabitur in mentem recordatio, inter Mortales neminem plura quàm Pontifices, Christi gratiæ debere; nec majora quàm à Pontificibus, post Deum, beneficia Mortales sperare posse. Sed quid ipse ex Divi Thomæ commendatione sperare non ausim? Sistit se se Aquinas, BEATISSIME PATER, certus se non repulsam passurum nomine, sanguine, Patriâ non ignotus. Suspexerunt equidem semper Aquinatem Summi Pontifices, & insignia Christianæ Religioni, Fideique ob-*

sequia

uia exhibita, ut aliqua mercede compensarent, largissima manu laudes ma-
ias congesserunt. Nuncuparunt Divinæ voluntatis Interpretem, inter Mortales Angelum, à quo ingenti labore, non sine speciali infusione, ac sine ulla prorsùs errore, adeò omnia conscripta sunt, ut tot edidisse miracula, quot Articulos scripsit, non immeritò dici possit. Sed altera, & singularis Sanctitatis Vestræ ratio est, quâ majori erga D. Thomam propensione feratur; insitus scilicet ex ipsa origine, & Patria haustus in D. Thomam amor, quem, ut à Clemente VIII. dictum est, Neapolitani ut Civem suum, & singularem Patronum & colunt, & amant. Felix Parthenopolis, quæ se tanto jactat Alumno: nec dubium, quin ab iis sæpiùs, quibus ea felicitas contigit, ut erga Civem suum Thomam etiam naturæ propensione ferantur, dum sibi gratulantur, & applaudunt, dictum sit: nec mihi fas fuerit Patriam, etsi tot aliis titulis nobilem, vel ea solùm ratione, quod Aquinatem Civem habuerit, non inprimis suscipere. Terra felix, Terra mihi beata est. Sed demùm, quid mihi summa illa, & quâ nunquam major visa est, humanitas non promittat? cùm ipsos etiam Pauperes non tantùm non dedignetur, sed effuso etiam amore excipiat, totque ingentes titulos, hoc etiam Patris Pauperum titulo se decorare arbitretur. Inter tot graves curas, quibus nihil minus agitur, quàm ut Christianæ Ecclesiæ, ac totius Orbis Paci reddendæ consulatur, constituti dies sunt, & excipiendis Pauperibus destinati; facta est omnibus adeundi licentia; arsque tandem reperta est, quâ paupertati felicitas quædam accedat: adeò tenero affectu eos excipit, ut se solùm Patrem esse, & meminisse, & haberi velle videatur. Hoc unum in Sanctitate Vestra Pontificia Dignitas habuit, ut summa, & jam tot argumentis probata humanitas, in plures se se effundat, splendeatque magis, cùm ex altiori Solio se se magis inclinat. Hoc veræ, solidæque, ac meritis comparatæ, & fultæ magnitudinis argumentum, & quo Sanctitas Vestra Divinitatis ipsius imaginem referat, quæ ex plenitudine bonitatis, inquit Aquinas noster, se se communicat, seseque dimittit, sicut arbor ex multitudine fructuum inclinatur. Nihil majus ad suam felicitatem Orbis sperare potuit: Pontificem habet, in quo Innocentia sedem fixisse videri possit, totum & naturâ, & gratiâ ad humanitatem compositum, quique excelsus, ac Summo Solio evectus, humiles adeò non despicit, ut jam multorum votum esse non immeritò possit, eadem humanitate excipi, quâ Pauperes solent. Quæ Orbis felicitas erit, BEATISSIME PATER, si diuturna sit? hoc unum anxios, trepidosque Fideles, ac Mortales tenere potest, nè Cælum Pontificem tantâ innocentiâ, ea fide, ac ingentibus Virtutibus ornatissimum, in regenda Ecclesia indefessum, pro defendenda ac propaganda ubique Fide summo zelo flagrantem, pro restituenda inter Principes Pace sollicitum, erga Pauperes effusum; nè Cælum, inquam, tam ingentia merita citiùs compensaturum, Pontificem sibi charum Terris eripiat. Hoc unum jam Fidelium omnium maximum, ac frequentiùs repetitum votum, ac in primis Prædicatorii Ordinis, quem tot semper beneficiis Sanctitas Vestra cumulare non desinit; hoc, inquam, omnium votum est, quod in publicis Ecclesiæ Conciliorum acclamationibus votum esse solet: INNOCENTIO XII. PAPÆ, & Domino Nostro,

ſtro, Sanctæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria. Domine Deus Sanctiſſimum Patrem diutiſſimè Eccleſiæ tuæ conſerva per multos annos, ut ea felicitas, quâ ſub Optimo, & Clementiſſimo Pontifice fruitur, longo tempore ſit duratura. Me verò quoad attinet, BEATISSIME PATER, quamquàm Opus materiâ, & argumento non ignobile, & Divi Thomæ nomine commendatum offeram, hæc tamen mihi ſpes maxima eſt, nec majus votum eſſe poteſt, eadem humanitate à Veſtra Sanctitate, quâ Pauperes ſolent, poſt humillima Pedum oſcula, fore excipiendum.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimus, & obſequentiſſimus Filius, & Servus
Fr. Antoninus Maſſoulié Ordin. Prædic.

ERUDITO LECTORI.

ETsi me plurimæ rationes impulerint, ut hanc de Divinis Motionibus graviſſimam Tractationem aggrederer, in qua tot hactenus præclara Ingenia deſudarunt; fateor tamen, me hac præſertim impulſum fuiſſe, quòd ægrè tulerim, hanc nobis injuriam erogari, quòd in Scholam S.Thomæ nova, & tum Magiſtro, Angelico Doctori, tum veteribus hujus Diſcipulis, incognita, Orbique inaudita de Prævia Motione ſententia invecta fuerit; in qua recentiores Thomiſtæ ab avita doctrina degeneres, ac repugnantibus conſtitutis jamdiu principiis,Ducem potiùs Bannem,quàm D. Thomam ſequi maluerint. Affectum me maximè erga S.Doctorem, multiſq; titulis me in illum amore ferri, palàm profiteor: potiſſimùm, verò quòd ad prima Religionis exercitia, ſtudiaque, veluti ad pedes Angelici Doctoris, ut olim D. Paulus ad Gamalielis pedes, inſtitutus fuerim, Toloſæ in ea Religioſa Domo,ubi S. Thomæ Aquinatis corpus, ea qua par eſt, veneratione colitur, & ubi ſuperſtitem adhuc, & ſpirantem in ſacris Reliquiis ſpiritum haurire licet: nec poteſt non imprimi profundiùs cordi amor, dum venerandum perpetuò corpus ob oculos verſatur, & præclariſſimæ vitæ virtutes, ac inſignia ſanctitatis privilegia toties recoluntur, & in mentem revocantur. Hæc enim, ut verum fatear, ſingularis Angelici Doctoris me ſanctitas rapit: & quamvis ſublime ingenium ſupra conditionem mortalitatis, ultra metas, & quò niſi quadam contentione natura pertingere non potuit,evectum admirer; egregiæ tamen virtutes, ſolitaque ſanctitatis conceſſa Aquinati privilegia me magis movent; ſuadentque, majorem eſſe, ac multò ſecuriorem ex eo felici, dulcique commercio cum ſanctitate doctrinam. Et verò, ut puto, non ea parte ſæpiùs Theologi profunditatem ſcientiæ D. Thomæ inſpiciunt, aut metiuntur, qua tamen parte maximè metiendam eſſe exiſtimo; ſcilicet ex eo doctrinæ cum ſanctitate mutuo fœdere: cùm ea Divo Thomæ ſanctitatis privilegia, eo conſilio, eoque fine à Deo collata fuiſſe exiſtimandum ſit, ut ipſum Divinorum Magiſtrum, ac inter homines Angelicum Doctorem efficeret. Neque enim, ſi ita loqui liceat, communis ſanctitas fuit, ſed quæ maximè cum ſublimi rerum Divinarum contemplatione, adeòque ſupra communem uſum conjuncta; ut,quo nihil majus videri poteſt, penè quoties vellet, etiam ſæpiùs cùm nec cogitaret quidem, ſubita,ac ſublimi rerum Divinarum contemplatione evectus, jam conſortio civis Sanctorum, raperetur. Quid in eo ſtatu agnoſceret, quid diſceret Divina patiens, ſolus qui rapiebatur Thomas, ſolus qui Thomam rapiebat Deus agnovit; & nobis ab iis experimentis remotis mirari tantùm ac ſtupere relictum eſt. Nihil majus habet ſupremus conſummatæ ſanctitatis,& ſapientiæ ſtatus, ea ſublimi Divinarum rerum contemplatione,ſeu extaſi, raptuque; cùm mens res creatas ſupergreſſa, ſe ſe in ipſam Divinam lucem immergit. Nihil majus eſt, quod in hac Eremo ſitiens anima ab eo æternæ vitæ fonte,cui Cælites immerguntur, remota,dulciùs perſentire poſſit. Nihil majus, & cæleſti felicitati propinquius, quo merita compenſari poſſint. Hac Adamus felicitate, ut innocentia eo privilegio ſuavior eſſet, fruebatur; cùm *immiſit Dominus ſoporem*,aut,ut Septuaginta legunt, *immiſit extaſim in Adam*, ut primæ veritatis irradiatione, Angelorum inſtar à Deo edoceretur. Hic perpetuus Beatorum ſtatus, cum immutabili luce perfuſi, in unitate, ut inquit S. Dionyſius, *circa unum, & pulchrum choreas agunt*. Hæc unica Divinæ, & æternæ vitæ participatio, cùm nec alia, & majori felicitate frui Deus ipſe poſſit. Quæ enim Deo vita fuit, cùm nondum per ea, ut vocat Apoſtolus, *æterna ſæcula*, ſe ipſo dumtaxat felix, Mundum in lucem eduxiſſet? *ſcilicet ille ſuæ ſplendorem cernere formæ gaudebat*, inquit S.Gregor. Nazianzen. Hęc una Deo vita eſt, fuitq; ſemper æterna, immobilis, indeficiens ſui contemplatio. Ea demùm felicitas eſt, ut nulla virtus, nulla ſanctitas unquam hoc cæleſte munus promereri, aut conceſſum diutiùs ſervare poſſit; in ſolius Dei poteſtate poſitum,cujus magnitudinem ipſa raritate commendat: etſi quando felicem animam ad eum gradum evectam videri contingat, veluti attoniti felicitatem hujus animæ, & Divinæ operationis vim, & magnitudinem, inſtar miraculi demiramur. O felix Thomas,& ſi quid majus ea felicitate intelligi poſ-

ſit,

sit, cùm in ipso sanctitatis culmine, quod insolitum, & per quam rarò sanctissimis Viris concessum est, solitum, frequens, & familiare adeò Thomæ effectum fuerit, ut in potestate ipsius positum, arbitrioque relictum esse videretur. Penè quoties libebat in eam Divinæ lucis immensam caliginem, ut loquitur S. Dionysius, Divina contemplatione assurgebat: ubi supra naturam evectus, infirmarum rerum imaginibus è memoria detersis, totum se se in Deum, Divinaque immergebat. *Erat mirabile*, inquit stupens D. Antoninus, quamvis ipse sanctissimus: *Erat*, inquit, *mirabile videre hominem sensibus utentem, & cum sensibilibus conversantem, subitò rapi, & abstrahi*. Mirum equidem penè æquè facilè extasim, ac somnum à mortali homine posse advocari. Mirum, semper præsto esse singulare beneficium, & donum, quod nullis meritis comparari unquam potest. O rem miram! dixit olim D. Ambrosius Ep. 28. de S. Viro Acholio: *Vidi illum in corpore, ut tamen extra corpus esse putarem: corpore tantùm utebatur pro velamine, non pro officio*. Tegebat dumtaxat corpus purissimam animam, sublime ingenium, excelsam mentem, neque ullos animi motus corpus suo pondere retardabat. Felix Thomas, ac felices ex parte etiam ii, quibus videre contingit, hominem mortalem Angelum, qui *non pro officio corpore, sed pro velamine utebatur*: quem nullum infirmæ naturæ pondus ita deprimebat, quin ad cælestia, æternaque penè cùm vellet evolaret. Si curando cruri malè affecto, ardentis ferri ustio adhibenda est; evolat contemplatione mens, nec violentæ operationis, & ustionis ullum dolorem sentit. Si sumendus in Regia mensa cibus: evolat contemplatione animus; & pro Religionis Catholicæ defensione argumenta volvens, *subitò*, refert D. Antoninus, *veritate sibi divinitùs revelata, concluſum est*, inquit, nec se se hæresis ullâ unquam solertiâ ab eo argumento expediet. An non meritò de D. Thoma dixerim: *Vidi illum in corpore, ut tamen extra corpus esse putarem*? Quin etiam interdum cùm ne cogitaret quidem, & Amanuensi scribenda dictaret, ea sublimi contemplatione evectus, & extra se raptus, nihilominus cæpta prosequebatur, ut penè, quod de Jeremia Propheta dictum est, excipere ipse, & legere, quæ traderet, videretur. O quæ felicitas esset, & Scholarum, & hominum, si pares sæpiùs Magistros audirent, quos in extasim, raptumque evectos, Divino lumine impleri conspicerent? Non dicam, quòd etsi concipi forsitan posset, nullis tamen verbis posset explicari; quibus deliciis Vir sanctus perfunderetur; cùm, ut inquit D. Bernardus Serm. 85. in Cantic. in eo felici à corporeis sensibus secessu, se se animus non sentit, ut Verbum sentiat: *Cùm mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodò se sibi furatur, immò rapitur, atque elabitur à se ipsa, ut Verbo fruatur. Dulce sanè commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum*. Sed hoc plerumque aliis: aliter Thomæ cui frequens experimentum, nec raptim, ac per momenta, sed interdum longo temporis spatio, ut dulcissimum commercium iniret, ac veluti majori otio Divina perdisceret. Enimverò quid in eo cum Divinis commercio non disceret Thomas, undique Divina luce perfusus? Immissus est, inquit D. Augustinus, sopor in Adam, *ut particeps fieret Curiæ Angelicæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret noviſſima*. Inde Adamus didicit, inquit ipse Aquinas 1. par. qu. 94. art. 1. *firma contemplatione intelligibiles effectus, quod ex irradiatione primæ veritatis percipiebat*. Et tunc *fortaſſis*, inquit S. Augustinus, *Deus cum primis hominibus loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate mentes eorum illustrans*, lib. 11. de Genesi ad lit. Inde igitur didicit Adam, & futura, longaque sæcula mente supergressus eventura prospexit, & tanquam *Prophetiæ* lumine *plenus*, inquit iterum D. Augustinus, magnum illud quod Apostolus commendat, Christi, & Ecclesiæ mysterium *eructavit*. Inde Adamus didicit: inde didicit noster Aquinas, ut inter mortales Angelus *fieret particeps Curiæ Angelicæ*, & ut de D. Paulo dictum est, *Discipulus Scholæ Paradisi*: eo se fonte largissimè plenus *tot Miracula, quot Articulos*, non tam edidit, quàm effudit, fassus ipse aliquando, *Quidquid sciret, non tam labore, ac studio, quàm divinitùs traditum accepisse*: (Ex Breviario Ordinis nostri Prædicatorum.) Et miratus ipse Summus Pontifex Joannes XXII. Operum multitudinem, *non sine speciali infusione sua Opera perfeciſſe*, dixit. Inde igitur sublimitas, profunditasque, ac securitas Doctrinæ D. Thomæ metienda est: ex eo scilicet cum sanctitate commercio, aut ex his sanctitatis privilegiis, quæ inter Mortales Angelum, & Angelicum Doctorem effecerunt. Et verò quid insolitum, æternitate,

cedroq;

cedroq; dignum, unquam ex ſola ratione ſperare liceat? *Radiis Lunæ*, dictum eſt olim, *botrus non matureſcit*. Ad manifeſtiſſima etiam naturę ratio caligat: neq; accenſę faces, quę umbras augent, unquam ſatis tenebras diſpellunt. Unde igitur in his Cimmeriis tenebris, quibus circumvolvimur, lux affulgere poſſit? *Et nox*, inquit David, *illuminatio mea in deliciis meis*. Pſal. 138. *In deliciis*, inquit Gilbertus Abbas, *non in ſcientiis*. Quid enim efficiant ſcientię, ſi ſolę ſint? Quidquid hìc ſcimus, per ſpeculum conſpicimus, & in ænigmate, dum in hac nocte verſamur. Sed non ea ſcientiis, ſed in deliciis illuminari nox poteſt. O felix, fauſtumq; & deliciarum, & ſcientiarum mutuum fędus. Quàm ſapidæ ex deliciis ſcientiæ, quàm ſolidæ, & erroris expertes ex ſcientiis deliciæ. Sed ſplendens fuerit ex deliciis illuminatio noctis, an non *ex deliciis*, & *ex ſcientiis* illuminatio major? hęc ſcilicet partiuntur alii, hęc meus Aquinas conjungit. Sint alii prędara Ingenia, & communes naturę limites ſupergreſſa: quid agant ſi ſanctitas deſit? plurima ſunt ad quę non pertingunt ſcientię, ſed amor: ſoli amori nihil impervium, nihil inconceſſum eſt. *Scientia*, inquit Hugo Victorinus, *foris ſtat, ſola charitas intrat*: lucet Divinus ignis, radiiſq; mentem implet: pennata Charitas eſt, ſuper Cherubim volat: ac ſcientię plenitudinem omnem ſupergreſſa, cùm fides Religionis myſteria, & arcana omnia circumvoluta velamine tegit, & dum alii rationis, ingeniique acumine reducere velum, ac penetrare ſacram caliginem tentant; Deus ipſe Deus Thomam Divina contemplatione evehit, & quantùm mortali, & morituro homini concedi poteſt, veluti reducto velo Divina aperit: & ut privilegia Divinę contemplationis & ſapientię dono conceſſa, quę ſcribit ipſe, ad ipſum referam, quæ fuſiùs aliàs ubi de Divina Motione cum Donis Spiritus Sancti cõjuncta proſequenda ſunt: *Prælibatione Divinę manifeſtationis*, in 3. diſt. 34. qu. 1. art. 1. *ſpiritualia quaſi nuda veritate ſupra humanũ modum*. Ibid. diſt. 35. qu. 2. art. 2. Deus Aquinati manifeſtat, ut *quodammodò explicitam cognitionem*, ib. qu. 2. art. 1. ad 1. & *eminentiã cognitionis* ib. q. 2. a. 1. ſine labore, ſolis deliciis, & jure amicitię percipiat. Quid enim amor non obtineat? & *Chriſtus Patris ſecreta ſe Diſcipulis revelaſſe, inquit, quia amici erant*, obſervat idem Aquinas. Hic earum deliciarum ſuaviſſimus fructus: hæc conceſſa ſanctitati, ac Divinæ contemplationi ex Spiritus Sancti donis privilegia. Quid ex his non perſenſit, percepitq; Aquinas toties in extaſim raptus? Et nobis veluti procul à mente conſtitutis, hęc tam inſolita, cùm turba mirari ſolùm relictum eſt: & ſi quis hujus ſtatus felicitatem, & quid in eo dulci commercio mens percipiat, & addiſcat, ſcire velit, neceſſe eſt ab experto D. Thoma perdiſcat, cui conceſſum eſt, ut utraq; dote abundè inſtructus, *ſcientiis* comparatis, perceptiſque toties *deliciis*, quæ *deliciis* perdiſcebat, *ſcientiis* explicare potuerit. Hęc forſitan intempeſtivè hìc ſcripta, condonabit, ut ſpero, Benevolus Lector propenſioni, quâ in D. Thomam feror. Me enim aliò properantem, tantæ felicitatis recordatio penè nolentem revocavit, ut hæc ſaltem aliquando forſitan fuſiùs proſequenda delibarem, & oſtenderem, quid me magis erga D. Thomam accendat; unde hujus Doctrinæ magnitudinem metiendam eſſe arbitrer, & ipſe, ut ſentio, non immeritò metiar, cùm etiam olim exiſtimatum ſit, non alteri potiùs *Superos arcana daturos, dicturoſque magis, quàm ſancto vera Catoni*. Lucan. 9. Magna ſanè Scholæ noſtræ felicitas, habere Magiſtrum, quem ut Sanctum colere, cujus & inſolita ſanctitati conceſſa privilegia etiam ſuſpicere, & ad ea ſtudere liceat: neque ſanè eſt quòd alii mirari debeant, erga ſuum Magiſtrum adeò Diſcipulos affectos eſſe, à quo ſe avelli nulla ratione patiantur. Non defuerunt equidem præclariſſima in noſtra Schola Ingenia, quęq; etiam ſuas Scholas inſtituere potuiſſent: *ſed Divinum*, ut Cajetanus loquitur in 1. par. qu. 13. art. 5. quæſt. 82. art. 3. quamvis & ipſe excellentiſſimo ingenio prædítus, *Divinum* Aquinatis *ingenium*, ſingularemque ſanctitatem adeò ſuſpexerunt, ut ab uno Aquinate penè dixerim humanum genus ingenio ſupergreſſo cęteros Scholarum Magiſtros tanquam ab æthereo Sole Stellas perſtringi faterentur: *Solemque ſuum ſua Sydera norunt*: (Virgil. 6.) à quo & lumen omne ſuum mutuantur.

Igitur, ut ad orbitam, lineaſq; relictas revertar; cùm ea omnium noſtrûm erga Angelicum Prędeptorem propenſio ſit, ac ſingularis amor; non poteſt non eſſe ea accuſatio graviſſima, quam quidem toties in Scholam noſtram conjiciunt, incompertam fuiſſe Divo Thomę eam de Divina Motione ſententiam; eamque primùm à Banne in Orbem, noſtramq; Scholam invectam fuiſſe. Ægrè ferebat olim S. Auguſtinus à D. Ambro-

sio, quem ut Patrem venerabatur, se calumniis Juliani sejungi: cujus cùm patrocinium in defensionem liberatricis Gratiæ, quæ labem genialem eluit, advocasset: hujus authoritatem, quę maxima erat in Ecclesia, veritus vafer Julianus: *Ambrosium*, inquit *à vestra cohorte distinguimus*: apud D. Augustinum lib. 4. contra Julianum c. 119. Operis ultimi. Illatam sibi, & Ecclesiæ injuriam graviter persensit D. Augustinus: *Quid est*, inquit, *quod me ab illo in hac causa separandum putas*? Atque ut eam calumniam depelleret, summã eorum, quę à S. Ambrosio dicta fuerant, & quę sentiebat ipse Augustinus, consensionem demonstrat: ratus non immeritò, obstruendum fore os Hæretico, cùm repugnaret, eadem utrumque loqui, & diversa sentire. Et cùm de originis reatu ageretur: *Naturæ vitium*, inquit, *ambo culpamus: naturæ Authorem ambo veneramur*. Malam esse naturam, *nec Ambrosius dicit, nec ego*: sed tamen primi hominis peccato naturam esse vitiatam, *& Ambrosius dicit, & ego*: cùmq; ea Religionis, Fideiq; principia Julianus negaret, & Augustinus defenderet, quibus insperſam esse ex ipsa origine naturæ maculã ipse Ambrosius probaverat: *Quis tam cæcus*, prosequitur Augustinus, *ut non videat, quòd ea quæ tu reprehendis, ego defendã? &c. Ac per hoc Ambrosii dicta tu reprehẽdis; ego verò illa esse verissima prædico, & à tuis criminationibus defendo. Utrùm ergo ille noster an vester sit, vos videtis*? Ut sanè ægerrimè feram, nobis objici, D. Thomam à nostra causa ubi de Divinis Motionibus & Gratia agitur, sejungi, ipsa quâ erga Angelicum Doctorem feror, propensio efficit, nec patiar unquam me ab illo avelli, & S. Præceptorem post D. Augustinum pressis semper vestigiis euntem, eumque sequutum, etiam sequi mihi religio est. Quare ut eam à Schola nostra calumniam depellerem, D. Augustini artem, aut methodum, ut sequerer mihi in mentem venit: scilicet ut summam, & Discipulorum, & Magistri in hac de Divinis Motionibus consensionem demonstrarem: ut non immeritò eadẽ D. Augustini verba assumere, & quamvis modestè conqueri, liceat: *Quid est, quod me* à D. Thoma *in hac* de Motionibus Divinis, Auxiliisque, *causa separandum* putant? Divina motione libertatem auferri, nec S. Thomas *unquam dixit, nec ego*: effectricem esse prævenientem gratiam, D. Thomas *dicit, & ego*: & cùm principia omnia, quibus Divina motio, effectrixq; præveniens gratia à D. Thoma stabilitur, *ego defendam*, impugnent alii; *quis non videat quòd ea quæ alii reprehendunt, ego defendo, & esse verissima prædico, & ab* eorum accusationibus defendo? *Utrùm ergo ille noster, an eorum sit*; ad ipsos Eruditos Lectores, quos æquos Judices, & à Partium studio alienos fore spero, appello; nec dubito, quin consensuri sint, ipsâ loquelâ nos manifestos fieri, cùm repugnet diversa sentire, & eadem perpetuò cum D. Thoma loqui. Et sanè mirum est hęc unquam ad Bannem Authorem referri potuisse, nobisq; novitatem objici: cùm jamdudum olim antequam Bannes lucem aspiceret, Thomistica Schola instituta esset, nec interrupta unquam serie Theologos habuerit, qui acceptam à D. Thoma de Divina motione sententiam, eaq; principia omnia, quibus stabiliri potest, ac defendi, ad nos detulerint: & qui, ut cum Tertulliano loquar, de Prescript. c. 6. *Nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt, sed acceptam disciplinam fideliter adsignaverunt*. Hactenus ea doctrina, ut sacrũ depositum nostra in Schola servata est: *Hæc mea* ab antiquo *possessio est: olim possideo, prior possideo*: (cap. 37.) in eaq; doctrina nemo nostrûm, nec Bannes ipse *Author est, sed custos; non Institutor, sed Sectator; non ducens, sed sequens*; ut verba Vincentii Lirinensis usurpem. Hæc in nobis doctrinæ unitas viguit semper, semperq; vigebit sub uno, eodemq; Magistro, ac Duce S. Thoma, cui nullum fuit quantumvis excellens in Schola ipsius ingenium, quod faces non submitteret; & si veluti in confessum Discipulos D. Thomæ, quotquot ulla unquam ætas ab hujus Scholæ institutione tulit, advocare liceret, eadem esset omniũm hęc ex Tertull. ibid. c. 38. accepta vox: *Quid contrarium nobis in nostris, quid de proprio intulimus? ut aliquid contrarium ei*, ipsiusq; doctrinæ; *vel detractione, vel adjectione, vel transmutatione remediaremus &c. Ab initio suo ex illis sumus, antequàm nihil aliter fuit, quàm sumus*. Sed quid in antecessum, aut intempestivè suadere velim, quod opus integrum ob oculos ponet: oculis solùm opto Lector credat; & cedo etiam aliter sentiat, nec eandem Magistri, & Discipulorum sententiam esse existimet, si oculi ipsi permittant. Nè verò quis sibi aut fucum fieri, aut quidquam falsò imponi arbitretur; ipsum D. Thomam perpetuò loquentem, ac sui ipsius Interpretem exhibeo, ipsumq; dum taxat audiri peropto, & si auditus fuerit, ea mihi spes est, nullum omninò futurum,

qui

qui non eandem ipſius noſtramque ſententiam eſſe fateatur. Unum quod à me exigere Lector poteſt, quàm religiosè ſervabo, & quod Lirinẽſis olim jubebat: *Non detruncentur, non mutilentur. Accipiant licèt evidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Candido, ingenuoq; animo S. Thomæ ſententiam indagare conatus ſum, non ex anteceptis ex quocumque alio prejudiciis, non ex ſingulari cujuſque interpretatione. Atq; ea ratione, ut major fides ſit, nec quemquam lateat germanus, ac legitimus D. Thomæ ſenſus, longiora interdum loca S. Doctoris refero: quod alioquin neceſſitate compulſus ago, cùm nec apertiùs, nec ſolidiùs, nec paucioribus verbis, quæ D. Thomas refert, explicari à me potuiſſent: cujus quot *penè verba tot ſententiæ ſunt, quot ſenſus tot victoriæ*, ut de Tertulliano Lirinenſis inquit. Ita igitur comparatus, eoq; animo S. Thomam ſui Interpretem exhibeo, eaque mihi ſpes eſt, nec vanam fore arbitror, conſenſuros Theologos, ſuoq; calculo comprobaturos, eandem eſſe S. Thomæ, ejuſq; Diſcipulorum ſententiam, quæ jam in eorum Schola regnat: cùm quidquid de Gratia, Libertate, Diviniſq; Auxiliis unquam in ipſorum Schola dictum eſt, à D. Thoma acceptum; & quidquid ab Adverſariis unquam repoſitum, vel objectum fuerit, ab eodem Angelico Doctore præoccupatum, impugnatum, & profligatum fuiſſe demonſtrem. Atq; eo pacto, & ratione penè Mathematicæ demonſtrationi pari, ex ea in minimis penè conſenſione eandem eſſe, & Magiſtri, & Diſcipulorum ſententiam ob oculos ponam: cùm repugnet eadem ſemper loqui, & diverſa ſentire. Atq; hinc etiam qui minùs in S. Thoma verſati ſunt, ſatis agnoſcent, quod inter hujus Diſcipulos neminem latet, omnia quæ ad veram ſolidamq; & ratione explicatam, ac defenſam in hujus Schola Theologiam attinet, in D. Thoma reperiri: magnoque emolumento redimi tempus poſſe, quod in aliis Authoribus evolvendis impenditur, ſi illud omne in unius S. Thomæ legendis variis Operibus collocetur. Doctiſſimos inter nos Viros eſſe animadverti, quos pœnitebat in aliorum Authorum Operibus diuturnius tempus impendiſſe: quos inter ſapientiſſimus Pater Baronius, Conventus Toloſani, cui ſanè paucos admodùm pares magnitudine ingenii, nullum omninò in ea Provincia ſuperiorem agnovi; cùm animadvertiſſet, omnia pleniùs, ſolidiùſq; in S. Thoma reperiri, integram Theologiam tractandam ſuſceperat, in qua non alium D. Thomæ quàm ipſum D. Thomam Interpretem exhiberet: quod inchoatũ Opus maximo Scholę noſtrę damno non procul ab initio deduxit. Atque eum etiam morem ipſe in tradenda Theologia noſtris in Scholis fermè ſemper ſecutus ſum: illudq; ſemper in votis habui, ut hanc aliquis majoris otii Provinciam ſibi aſſumeret, ut vel Theologicum Curſum, vel in Summam Commentarium ex variis, ſed ſolis D. Thomæ Operibus adornaret. Atq; ex his, quæ hìc de Divina Motione collecta exhibeo, ſatis omnes intelligent, rem fore non admodùm difficilem, & multò plura, & amœniora etiam interdùm quàm tradi in Scholis ſoleant, in S. Thoma reperiri. Ut verò hoc Opus aliàs mente conceptum, ac delineatũ ſucceſſivis horis abſolverem, addidit animum, quòd hìc Romæ maximè florentem D. Thomæ Doctrinam, in hac potiſſimùm, de qua agimus, controverſia de Divina motione, Diviniſq; decretis ſeclusâ ſcientiâ mediâ viderim: ac nunc in Sacro Collegio duę Eccleſię, & Theologiæ clariſſima lumina, Eminentiſs. Card. de Laurea, & Eminentiſs. Card. de Aguirre, quos, ut cum Tertulliano loquar lib. de Pallio *c. 7. In purpura philoſophari*, ſtudiaq; Theologica magno Eccleſię bono colere, & tractare conſpicimus, eam de efficaci per ſe gratia, ſeclusâ ſcientiâ mediâ ſententiam defendant. Illud verò inprimis à me impetrabo, ut quod à Davide dictum eſt, & D. Auguſt. ſæpiùs uſurpat: *Suavis ſit diſputatio mea*; ita enim S. Auguſt. legit Pſ. 103. verſ. 34. ubi vulgata habet: *Jucundum ſit ei eloquium meum*: eaq; verba in Creſconium c. 14. uſurpat. Fateor equidem, plures libros eſſe, qui vix ſine commotione legi poſſint, adeò conviciis ſcatent, alioquin rationibus deſtituti, ac planè elumbes: ſed meminiſſe æquum eſt, eos qui *Scholas diſſentientes habent*, *Templa habere communia*, ut inquit Auguſtinus lib. 1. de vera Religione cap. 1. nec decere Theologum *de Deo, qui pax noſtra eſt, neſcire pacificè loqui*, ut habet D. Gregorius 8. Moral. cap. 2. Hæc verò quæ à me ſcripta ſunt, ex animo Eccleſiæ judicio ſubmitto, quam unicam veritatis immobilem columnam eſſe certò ſcio: certus etiam, eum non habiturum unquam Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.

LICEN-

LICENTIA A SACRA CONGREGATIONE S. OFFICII CONCESSA.

Eminentiſſimi, e Reverendiſſimi Signori.

FRà Antonino Maſſoulié Maeſtro in Teologia, Compagno del P. Generale dell' Ordine de' Predicatori umilmente eſpone all' EE. VV. qualmente avendo compoſto un' Opera intitolata, *D. Thomas Sui Interpres de Motione Divina, & Libertate Creata*, fù dall' EE. loro impoſta la reviſione al P. Maeſtro Pozzobonelli, allora Maeſtro del Sagro Palazzo, il quale diede à rivedere la ſudetta Opera al P. Lodovico Maria de Ameno Minor Oſſervante, il quale l'approvò, e fù rimeſſa al preſente P. Maeſtro del Sagro Palazzo, il quale potrà riferire all' EE. VV. il ſuo ſentimento. Pertanto ſupplica riverentemente la bontà dell' EE. loro à degnarſi, non trovandoſi in detta Opera coſa contraria a' ſentimenti della Chieſa, concederli licenza di darlo alle Stampe à beneficio, e profitto comune: che il tutto &c. *Quam Deus &c.*

Feria 4. die 23. Novembris 1689. In Generali Congregatione Sancti Officii lecto ſupradicto Memoriali, Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales Generales Inquiſitores ſervatis ſervandis licentiam petitam dicto Oratori conceſſerunt.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco * Sigilli.

LICENTIA

REVERENDISSIMI P. MAGISTRI GENERALIS.

Nos F. ANTONINUS CLOCHE Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie noſtrique officii authoritate licentiam facimus Rev. Adm. P. Fr. Antonino Maſſoulié in Academia Toloſana anteà Doctori Regenti, Provinciæ Toloſanæ Exprovinciali, & Socio noſtro, Typis edendi Opus, cui titulus eſt, *D. Thomas Sui Interpres de Divina Motione, & Libertate Creata*; dummodò ſit priùs reviſum, & approbatum à duobus in Theologia Profeſſoribus, aliiſque ſervatis de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. In quorum fidem, his officii noſtri Sigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, Die 15. Martii 1691. Aſſumptionis noſtræ Anno V.

F. ANTONINUS CLOCHE
Magiſter Ordinis.

Loco * Sigilli.

Regiſtrata fol. 57.

F. HENRICUS DE GUZMAN
Provincialis Terræ S. Magiſter, & Socius.

APPRO-

APPROBATIO

REVERENDISSIMI P. MAG. FR. PAULINI DE BERNARDINIS, In Romana Sapientia Profeſſoris, Congreg. Indicis Conſultoris, Romanæ Provinciæ Exprovincialis, Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis Socii,

Ac nunc à SS. Confeſſionibus D. Noſtro

PAPÆ INNOCENTIO XII.

IUſſu Reverendiſs. P. F. ANTONINI CLOCHE Mag. Generalis Ordinis Prædicatorum, ego infraſcriptus maxima attentione, nec minore voluptate perlegi Opus, cui titulus, *D. Thomas Sui Interpres de Divina Motione, & Libertate Creata &c.* compoſitum à Rev. Admodùm P. Magiſtro Fr. Antonino Maſſouliè Toloſano, ejuſdem Reverendiſs. P. Magiſtri Generalis Socio meritiſſimo: de quo Opere hoc judicium ferre non dubito, impleri nimirùm ab Authore, quod titulo pollicetur, cùm ubique Divum Thomam Magiſtrum exhibeat, ac ſimul probet (quæ noſtra maxima laus eſt) nihil à nobis immutatum, nihil de novo in Scholam invectum, ſed ut dicebat olim Vincentius Lirinenſis, depoſitam nobis traditamque doctrinam, hactenus à nobis illibatam ſervatam fuiſſe; & inter nos ea doceri, & audiri quæ nobis tradita ſunt, non quæ inventa, quæ accepta, non quæ excogitata; unde non poteſt non redundare maximum in Scholam noſtram decus, cùm D. Baſilio teſte lib. de Spirit. cap. 26. Veneranda ſint vetuſta dogmata quòd ad antiquitatem ſeu canitiem quandam, habeant quid reverendum. Maximum verò obſequium Scholæ noſtræ Authorem exhibuiſſe cenſeo, cujus Opus non poterit non eſſe pergratum his quibus Doctrina D. Thomæ cordi eſt; quique eandem cupiunt ab immeritis Impugnatorum calumniis vindicari. Nec mirandum, quòd Conventus Toloſanus talem inſtituerit Angelicæ Doctrinæ invictum Defenſorem, cùm illemet, qui eam Cælitus probavit, prophetico ænigmate teſtatus fuerit, quòd ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ. Sanè in Tholoſano Prædicatorum Cœnobio, ubi ſacræ Præceptoris Angelici Exuviæ coluntur, Ingeniorum Aquilæ nec defuerunt, nec modò, utì probatur in Operis Authore, deficiunt, quæ ſcilicet mentis aciem in ſplendidiſſimam Solis Aquinatis Doctrinam inceſſanti ſtudio defigunt, neque veluti Noctuæ cęcutiunt, ſed confortantur, ut magis magiſque videant, ac diſcernant quæ ſenſui D. Thomæ, hoc eſt, veritati maximè congruant, quæque ab eodem longè recedant. Cùm igitur hoc Opus non aliam quàm D. Thomæ ſolidam, & inconcuſſam Doctrinam referat, ideòque nihil contineat, quod Fidei, & bonis moribus adverſetur, cenſeo plurimùm expedire, ut protinùs Typorum beneficio publici juris fiat, cuique Lectori prænuncians, quòd non alibi D. Thomæ Doctrinam de Divina Motione, & Creata Libertate, aut uberius, aut ſolidiùs expoſitam reperire licebit. Romæ 2. Martii, anno 1691.

Ita fateor ego Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd.

Appro-

Approbatio Theologorum Ordinis.

IVſſu Reverendiſſimi P. ANTONINI CLOCHE Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum Opus Theologico-Thomiſticum de concordia Divinæ Motionis cum libertate humana, ab Admodùm Reverendo Patre Antonino Maſſouliè Sacræ Theologiæ Doctore, & Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum Socio pro Provinciis Galliæ, ſtylo novo fabricatum, ea pollet verborum claritate, clara facundia, facunda raritate, rara periodorum emphaſi, & emphatica Angelici Præceptoris Divi Thomæ Aquinatis teſtimoniorum ubertate, ut illud oculorum mentiſque acie legendo, præ dulcedine doctrinæ tam exquiſitæ, non poſſimus non excurrere in ejuſdem laudem, & præconium. Nam ſi radicem doctrinæ perpendamus, ea dimanat ab Aquinate noſtræ Scholæ Angelo, cujus tutiſſima dogmata, ipſa incarnata, & in Cruce electa Sapientia ſemel atque iterum approbavit dicens: *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Si verò Authoris novum ſtylum unà com ſolidiſſima ſua, & doctrinali verborum pompa perluſtremus, reperimus hanc ad inſtar fulgentiſſimi Syderis maximarum difficultatum nebulas diſpellere, illuminare intellectum, rationem expolire, linguæ rorem eloquentiæ imprimere, & animum recreare totum, dum in addiſcendo facilis, in profitendo tuta, & in propugnando irrefragabilis eſſe poteſt diſſipatis feliciter Adverſariorum telis. Quæ cùm ita ſint, digniſſimum reverà præfatum Opus cenſemus, quòd pro maxima utilitate Theologorum, nec non pro gloria doctrinæ Thomiſticæ, publicam lucem Typis mandatum aſpiciat. In quorum fidem his manu propria ſubſcripſimus Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam anno 1691. 12. Martii.

Fr. Raymundus Ortz Ord. Præd. Magiſter, & Socius.
Fr. Franciſcus Blanco Ord. Præd. Magiſter, & Socius.

Approbatio Rev. Admodùm P. F. LUDOVICI MARIÆ DE AMENO Strict. Obſerv. S. P. Franciſci, Sac. Theol. Lectoris Emeriti.

EX commiſſione Reverendiſs. P. Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici, ego infraſcriptus accuratè perlegi egregium Opus, cui titulus, *D. Thomas Sui Interpres*, ſumma ingenii perſpicacitate, ſententiarum claritate, & materiarum ordine elaboratum ab Admodùm Rev. P. Magiſtro Antonino Maſſouliè. Nihil in eo offendi, quod ſanam Fidem offendere poſſit; nil quod ſapiat novitatem, ſed antiquam, nec unquam antiquatam, imò perenniter ab originaria ſcaturigine cæleſtis mentis D. Thomæ per ſuorum Diſcipulorum rivulos uſque ad hæc tempora deductam eruditionem evidentiſſimè comperi. Quapropter digniſſimum cenſeo, ut publici juris fiat, cùm publicam utilitatem in Theologica Republica ſit allaturum. Ita ſalvo &c. Datum in Conventu S. Petri in Monte Aureo de Urbe hac die 2. Februarii 1691.

Ego Fr. Ludovicus Maria de Ameno, Sac. Theol. Lect. Emeritus, Ord. Min. Reformat.

Approbatio Rev. Adm. P. Mag. FRANCISCI DE LATENAY S. Facultatis Pariſienſis Doctoris Theologi, & Aſſiſtentis Generalis pro Galliis Ordinis Carmelitarum.

DE mandato Reverendiſſimi P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Magiſtri Apoſtolici Palatii Opus ſubjectum perlegi, cui, & hoc ſuffragium me debere exiſtimo. Meritò Rev. Admodum P. M. Antoninus Maſſouliè Ordinis Sancti Dominici Aſſiſtens Generalis Operi ſuo titulum indidit: *S. Thomas Sui Interpres*. Cùm enim Sancti Præceptoris indolem penitioremque doctrinam ubique referat, eam non ſibi, ſed origini unde profluit, ſponte reduxit: in ſuis autem Diſſertationibus, ita Divinam in res creatas authoritatem aſtruit, ita Deo ſupremum in illas dominium vendicat, ut earundem libertatem qua ſua Deus gratia nos donavit illibatam tueatur: ita demum dilucidè de Divina Motione ſui Authoris mentem expendit, ita vindicat, ut cavillos omnes, & ſophiſmata, quibus, de rebus ipſis diſſidere, & diſſentire videntur, qui inter ſe conſentiunt, & conſentire qui diſſident, feliciſſimè diſpellat. At non ſola ſui Authoris, aut domeſticorum fide, ſed, & alienæ etiam Scholæ authoritate, Divi Thomæ vindicias illuſtrat. Prodeat ergo volumen hoc in publicam utilitatem: non enim ſolum ab omni errore erroriſque ſuſpicione procul diſtat, ſed & conſonam antiquæ traditioni de Divina Motione doctrinam, quam paſſim in Urbe omnium ferè Ordinum Theologi paucis exceptis tuentur, nullibi non refert. Ita cenſet, & teſtatur Romæ ex Conventu Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ die 5. Junii 1692.

Fr. Franciſcus de Latenay Carmelita, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus.

Approbatio Reverendi Adm. P. F. BERNARDI VAYSSIERE MAILLAC Ordinis Minorum S. Franciſci de Paula, Philoſophiæ, ac Theologiæ profeſſoris, & alias in Aquitaniæ Provinciæ Definitoris, necnon Collegæ Provincialis; nunc verò in Conventu Regio SS. Trinitatis de Urbe in Monte Pincio Correctoris.

DE mandato Reverendiſſimi P. Thomæ Mariæ Ferrari Magiſtri Sacri Apoſtolici Palatii, Ego infraſcriptus vidi Librum cui titulus eſt, *Sanctus Thomas Sui Interpres*, in quo nihil animadverti, quod ſanam doctrinam non ſapiat: imo in eo Divi Thomæ, tam dilucidè, tam perſpicuè mens expenditur, aperitur, & explicatur, ut ipſum Doctorem Angelicum veritatis inconcuſſæ, ſuique ipſius vindicem facilè dixerit, qui æquus Judex haberi velit. Hæc ergo tanti viri ſelecta dogmata, ſacris jampridem Summorum Pontificum labiis ſcientiæ Divinæ Cuſtodibus, laudata toties, ac confirmata, ab omnibus veri amatoribus attentè legi hortor & oro: lecta & probata coli, & amplecti ſpero, & opto: his votis Deus annuat. Romæ 4. Maji 1692.

Fr. Bernardus Vayſſiere Maillac Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Paula.

Approbatio Reverendi Adm. P. D. PAVLI ANDREÆ BORELLI, Clerici Regularis Sancti Pauli, Sacræ Theologiæ, olim Mediolani, Ticini, Bononiæ, nunc verò in Urbe Lectoris, ac Præpositi Collegii Sancti Caroli ad Catinarios.

VOluit Reverendiss. P.Fr.Thomas Maria Ferrari Sacri Apostolici Pal. Magister Theologicas Dissertationes quibus Titulus: *Divus Thomas Sui Interpres*: à Rev.A.P.F. Antonino Mausolià elucubratas de more censuræ subjicere: admirationi objecit. Magis consuluit imprimendorum voluminum consuetudini, quàm Authoris modestiæ. Quem jussa præfecerunt Censorem tam absoluti operis, merita absolvere à Censura. Attente legi, jucundiùs perlegi. Talis fui lector, ut admirator protinùs fierem; talis sum approbator, ut totus necesse fiam de Censore encomiastes. Nihil grande, nihil doctum, sudata hactenus protulit, in schola D. Thomæ, materia de auxiliis, quod ad has Dissertationes, & ornandas, & armandas melius, felicius, efficacius non advocetur. Totum spirant S. Doctoris robur, mentem totam, totam eam Divini sermonis uberem Bibliothecam, theses, asserta, assumpta. Nulla tanti Solis menda, nihil de tanto fonte non limpidum. Sic omnia jucunda ad gratiam, sic robusta ad victoriam, sic exacta ad modestiam; ut nil ultra desiderari possit, ad Archetypam Angelici Magistri ideam. Sine aculeo acumen, sine violentia auctoritas, sine luxu concinnitas. Nec larvam induit, ut fallat veritas, nec fucos quærit, ut placeat; solam armat, ad palmam modestiam; eamque sic mitem, quæ Thomam redoleat Sanctum, eamque sic nervosam, quę Theologorum sapiat coriphęum. Stilus sententiosè facilis plura significat quàm dicit: methodus etiam liberaliter ampla plura quàm ostentet, ostendit: cuncta æquitatis legibus sic discreta, ut quæ prodigum vitant, avarum non accusent. Numquam minùs Theologia renunciavit ingenio, numquam magis subtilitati desponsata ipsis sentibus, quibus dudum inhorruit Palæstra, tam bellè amænatis, ut quantalibet pompa sit, nec inane ver flore jejuno, nec vacuo fructu proditus quæri possit Autumnus; utilis dulcisque miro compendio, comis seriique faustissimo Hymenæo. Tantum tamen non habet ingenii, tantum acuminis, tantum eruditionis, ut plura integro lumine non eluceant Scholastici, Catholici, Orthodoxi; aut opus suum non superet materia pretiosior. Quocumque calamo exarari Sanctus Magister debuisset, non posuisset certè vel majori, vel meliori. Quare opus, quod plurimo prælo dignius mox censebit ùniversa Theologia, duplicem habitura in uno Doctore Doctorem, huic primo cudendum remitti dignissimum, & oro publicæ utilitatis orator, & censeo incorrupti voluminis censor. Dat. Romæ in Collegio S. Caroli die 29. Maji 1692.

D. Paulus Andreas Borellus Cler. Reg. S. Pauli.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM.
DISSERTATIO PRIMA.
De Divina Motione in Ordine Naturali.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm à Theologis qui Præmotiones negant conceſſum fuerit, S. Thomam præviam motionem admiſiſſe? pag. 2.

Articulus I.

Ab his Theologis, à quibus ſtudiorum Societatis ratio inſtituta eſt, motionis prævia ſententia S. Thomæ adſcribitur. 2.

Articulus II.

Ex Molina, Suare, Bellarmino, & aliis, probatur, admiſſam eſſe à S. Thoma motionem prævíam. 3.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm prædeterminationis nomen, & rem eo nomine ſignificatam in D. Thoma reperiri probari poſſit? 8.

Articulus I.

De Nomine, & re Phyſicæ motionis. 8.

Articulus II.

Præmotionis nomen & notio ex Sancto Thoma. 10.

Articulus III.

Prædeterminationis nomen, & res ex S. Thoma. 15.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm expreſsè à S. Thoma Previam motionẽ admiſſam fuiſſe demonſtrari poſſit? 18.

Articulus Septimus.

D. Thomæ quæſtionis tertiæ de potentia. Utrùm Deus operetur in operatione naturæ? 18.

Articulus I.

Explicatio Primæ partis Superioris Articuli S. Thomæ. 24.

Articulus II.

Expenditur triplex modus, quo Deus, juxta S. Thomæ ſententiam, cum cauſis ſecundis concurrit. 25.

Articulus III.

Expẽditur ex eodem Articulo VII. Quartus modus, quo Deus concurrit cum cauſis ſecundis, quas ut inſtrumenta aſſumit. 28.

Articulus IV.

Expenduntur, & magis explicantur S. Thomæ rationes ex eo ſeptimo Articulo deſumptæ. 29.

Articulus V.

Proſequitur S. Thomas: & ex libro de cauſis neceſſitatem Divinæ motionis prævíæ confirmat: locus à Suare interpolatus reſtituitur. 32.

Articulus VI.

Explicatio ultimæ partis Articuli; qua ratione ſcilicet Deus in rebus immediatè operetur: Nova, & Maior Divinæ motionis prævíæ explicatio. 35.

Articulus VII.

Triplicis Difficultatis reſolutio. 38.

Articulus VIII.

Nova & maior Divinæ motionis prævíæ cũ Divina immenſitate, & Dei præſentia in rebus conjunctæ explicatio. 41.

Articulus IX.

Reſolutio plurium difficultatum, quo modo prævia motio eadem ſit actio, qua Deus in rebus præſens conſtituitur. 47.

Articulus X.

Superiora confirmantur, & præcipua controverſiæ capita circa motionem Divinam, exemplo animæ, quæ in ſuas potentias influit, eaſque movet, explicatur. 49.

Articulus XI.

Colligit S. Thomas præcipua contra Divinæ motionis prævíæ ſententiam argumenta, eaque ſolvit. 52.

Articulus XII.

Obiicit ſibi S. Thomas argumenta quibus Divina motio prævia in cauſis liberis impugnari ſolet, eaque ſolvit. 54.

Articulus XIII.

Alia argumenta quæſtòi obiicit, ac ſolvit S. Thomas. Duplicem concurſum diſtinguit. 56.

Index Quæstionum, & Articulorum.

Articulus XIV.

Ex responsione ad septimum argumentum, explicatur, Divinam motionem distinctam esse ab actione causæ secundæ, eamque antecedere. 58.

Articulus XV.

Vera motionis præviæ natura ratione, variisque exemplis ex D. Thoma explicatur. 60.

Articulus XVI.

Altera ratione aliisque exemplis natura Divinæ motionis illustratur: ad quod genus rerum pertineat? 65.

Articulus XVII.

De Divinæ motionis artificio. 66.

Articulus XVIII.

Colligitur ex Superioribus, falsò in Bannem, ut primum Authorem physicæ motionis sententiam revocari. Nova ex Catechismo Romano probatio. 69.

Articulus ultimus.

De novitate vel antiquitate hujus nominis, physicæ prædeterminationis. 71.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm S. Thomas P. Par. Summæ Theologicæ eandem Divinam motionem prævia docuerit? 75.

Articulus I.

Sententiam de motione Divina à S. Thoma P. Par. non fuisse retractatam. 75.

Articulus II.

Vera concursus simultanei ex S. Thoma explicatio. 78.

Articulus III.

Plurium difficultatum resolutio. 80.

Articulus IV.

Præter eum concursum simultaneum etiam prævium à S. Thoma admissum fuisse demonstratur. Utrùm, & qua ratione inter se distinguantur? 82.

Articulus V.

A S. Thoma admissam præviam motionem 1. p. qu. 105. art. 5. demonstratur. 87.

Articulus V.

Primæ partis quæstio. cv. D. Thomæ. Utrũ Deus operetur in omni operante? 87.

Articulus VI.

Causam secundam moveri à causa prima ratione dependentiæ, & subordinationis, probat S. Thomas. 90.

Articulus VII.

Probat S. Thomas hanc rerum subordinationem ex S. Augustino. 98.

Articulus VIII.

Aliæ probationes, admissam à S. Augustino causarum subordinationem, & præviam motionem in ordine naturæ. 101.

Articulus IX.

Altera ratio S. Thomæ ex applicatione causæ secundæ. 108.

Articulus X.

Altera S. Thomæ ratio ex impotentia causæ secundæ ad producendam rationem entis explicatur. 111.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrùm ex Summa contra Gentiles demonstrari possit, admissam fuisse à S. Thoma motionem Divinam? 115.

Articulus I.

Exponitur caput 66. libri tertii contra gentiles: necessariam esse præviam motionem Divinam, ob impotentiam causæ secundæ ad efficiendam rationem entis, explicatur, & defenditur. 116.

Articulus II.

Expenditur cap. 67. lib. 3. contra Gentiles & probatur, Deum esse rebus omnibus causam agendi. 120.

Articulus III.

Explicatio capitis 70. lib. 3. contra gentiles. Concluditur, nunquam à D. Thoma priorem sententiam retractatam fuisse. 125.

QUÆSTIO SEXTA.

De Divina Motione in ordine morali. 128.

Articulus I.

Probat S. Thomas, voluntatem prævie moveri à Deo. 128.

Articulus II.

Probat Sanctus Thomas peculiari ratione; voluntatem debere moveri à Deo ex Aristotele. 131.

Articulus III.

Altera S. Thomæ ratio, voluntatem ob suam indifferentiam moveri debere à Deo: quod Deus in voluntatem imprimit. 134.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Præoccupantur à S. Thoma adversariorum solutiones: eæque impugnantur. 138.

Articulus I.

Prima Adversariorum Responsio, causã secundã non esse primum agendi principiũ, quamvis à Deo priùs non moveatur, quia non est à se, à D. Thoma impugnatur. 138.

Articulus II.

Altera Responsio eorum, qui ad simultaneũ concursum recurrunt, à Sancto Thoma reii-

Index Quæstionum, & Articulorum.

reiicitur. 141.

Articulus III.

Tertia Responsio eorum qui ad motionem moralem confugiunt, à S. Thoma reiicitur. 145.

Articulus IV.

Impugnatur iterum ex S. Thoma ea solutio, quæ motionem moralem loco motionis physicæ supponit. 149.

QUÆSTIO OCTAVA.

Argumenta quibus motio prævia, & physica impugnatur, obiicit sibi Sanctus Thomas, eaque diluit. 154.

Articulus I.

Obiicit sibi S. Thomas, ledendam fore libertatem, si Deus voluntatem moveret: illudque argumentum diluit. 154.

Articulus II.

Alterum argumentum obiicit sibi S. Thomas, Divinam motionem lædere libertatem, quòd ipsi resisti non possit. Divi Thomæ solutio. 156.

Articulus III.

Quòd voluntas necessariò moveretur, obiicit sibi D. Thomas, & solvit: necessitas multiplex, absoluta, & conditionata. 159.

Articulus IV.

Alterum argumentum, voluntatem, cum movetur, non posse aliud agere, à S. Thoma solvitur. De sensu composito, & Diviso, & de Necessitate consequentis, & consequentiæ. 163.

Articulus V.

Observatio ex D. Thoma, & Cajetano: quidquid perfectionis in libertate, & necessitate est, scil. indifferentiam, & immutabilitatem, simul conjungi, & ex Divina motione oriri. 168.

Articulus VI.

Comparatio Divinæ Motionis cum Vinculis, reiicitur: Divina motio voluntatem non impedit. 173.

Articulus VII.

Non posse imputari homini si Divina præcepta non impleat, obiicit sibi Sanctus Thomas, & solvit. 177.

Articulus VIII.

Prima D. Thomæ solutio, teneri hominem ad implenda præcepta Divina, quòd Divinam gratiam ad ea implenda habere possit. 180.

Articulus IX.

Major explicatio ejusdem solutionis S. Thomæ, justè imputari homini, quòd non agat, etsi careat efficaci auxilio necessario ad agendum. 185.

Articulus X.

Æquissimè imputari homini quòd non agat, quia habet auxilium sufficiens quo agere possit. 190.

Articulus XI.

Imputari homini sufficientibus auxiliis adiuto quòd non agat, cùm in culpa ipsius sit quòd auxilio sufficienti non vtatur, & non habeat efficax ad quod sufficiens ordinatur. 195.

Articulus XII.

Altera ex S. Thoma, imputationis causa: si desit efficax auxilium, illud non denegari nisi propter peccatum antecedens, saltem originale. 199.

Articulus XIII.

Altera D. Thomæ solutio, denegari gratiam propter præsens impedimentum. Non ideò voluntatem peccare quia caret gratia. 203.

Articulus XIV.

Prosecutio ejusdem solutionis: denegari efficax auxilium propter impedimentum præsens, etiam in primo peccato. 206.

Articulus XV.

Duplex ex superioribus observatio. Non malè concedi posse, privationem gratiæ in genere causæ materialis culpam antecedere. Exemplis demonstratur, culpã dumtaxat homini esse tribuendam. 210.

Articulus XVI.

Alterum argumentum: Quòd si Deus voluntatem moveret, esset author peccati, obiicit sibi S. Thomas, & solvit. 214.

Articulus XVII.

Referuntur argumenta, quæ sibi obiicit & solvit D. Thomas. 218.

Articulus XVIII.

Solvitur communis obiectio ex S. Thoma desumpta, quòd voluntas in hunc vel alium actum exeat, non esse ab alio determinante. 225.

Articulus XIX.

Altera obiectio ex Cajetano 1. par. qu. 19. art. 8. præviam motionem non esse necessariam, solvitur: & Cajetanus à falsa interpretatione vendicatur. 229.

DISSER-

Index Quæstionum, & Articulorum.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Libertate Creata.

QUÆSTIO PRIMA.

De vera Notione Libertatis. 238.

Articulus I.

Synopsis dicendorum: libertatis natura, perfectio, & cum Divina Motione concordia. 238.

Articulus II.

Libertatis radix, triplex natura intellectualis capacitas. 242.

Articulus III.

De vera notione Libertatis: multiplex hujus definitio. 247.

Articulus IV.

Veræ libertatis notio ex S. Thoma, quòd sit vis electiva mediorum, temperata ordine finis. 251.

Articulus V.

De libertate, ut communis est omnibus statibus: ex adhæsione ad bonum in communi eam ad bona particularia ferri. 258.

QUÆSTIO SECUNDA.

De variis libertatis definitionibus. 261.

Articulus I.

De Libertate à Necessitate, à Peccato, & à Miseria. Libertas à Peccato verè, & propriè libertas est. 261.

Articulus II.

De Libertate arbitrii, consilii, & beneplaciti. 264.

Articulus III.

De Libertate Voluntatis, & libertate arbitrii. 265.

QUÆSTIO TERTIA.

De Libertatis indifferentia. 268.

Articulus I.

Indifferentiam, & à necessitate immunitatem ad libertatẽ pertinere. Ex D. Thoma, hæretica opinio est quæ negat. Liberum esse amorem Beatificum repugnat. 269.

Articulus II.

Solutio duplicis obiectionis ex D. Thoma desumptæ: quòd libertas sita sit in immunitate à coactione: quòd necessitas naturalis non repugnet libertati. 274.

Articulus III.

Diluitur altera obiectio: ex D. Thoma admerendum non requiri immunitatem à necessitate. 277.

Articulus IV.

Soluitur alterum argumentum: ex D. Thoma liberum Christi arbitrium etsi determinatũ ad unum, mereri potuisse. 281.

Articulus V.

Utrùm stante indifferentia judicii possit voluntas necessariò moveri? 285.

Articulus VI.

Variæ Responsiones Refelluntur. 290.

Articulus VII.

Solvuntur obiectiones: D. Thomæ authoritas non rectè explicata. 296.

QUÆSTIO QUARTA.

Quæ indifferentia ad libertatem pertineat? pag. 300.

Articulus I.

Triplex ex S. Thoma indifferentia libertatis: Contrarietatis indifferentia ad verâ libertatis notionem non pertinet. 300.

Articulus II.

Prosecutio ejusdem Argumenti, indifferentiam contrarietatis ad libertatem per se non pertinere. 302.

Articulus III.

Potentiam peccandi non esse à Deo, nec esse in Christo, & Beatis. 306.

QUÆSTIO QUINTA.

De libertatis perfectione. 311.

Articulus I.

Varios esse perfectionis libertatis gradus. pag. 311.

Articulus II.

Libertatem perfectiorẽ in Deo, quàm in Angelo; in Angelo quàm Adamo: Adamo quã hominibus; justis quàm peccatoribus. 314

Articulus III.

Maior explicatio graduum libertatis in Beatis, justis, peccatoribus. 317.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum Motio Divina perficiat libertatem? pagina, 324.

Arti-

Index Quæstionum, & Articulorum.

Articulus I.

Observatio præmittenda, non pertinere ad libertatem, quòd sit primum eligens, & primum determinans. 325.

Articulus II.

Divina motio perficit voluntatem: quia Divina motione agitur voluntas ut agat: & quia motio applicat voluntatem, & aufert indifferentiam passivam. 332.

Articulus III.

Secunda Probatio ex parte libertatis: Divina Motio efficit indifferentiam judicii: Unde, & perficit libertatem. 336.

Articulus IV.

Divina Motio perficit libertatem, quòd ad bonum ac virtutem præmoveat; & quòd à peccato retrahat. 340.

Articulus V.

Altera probatio ex parte ipsius Dei: Divina motione perfici libertatem, quia ipsam efficit: quia imprimit inclinationem consentaneam.. 344.

Articulus VI.

Divina Motione perfici libertatem, quòd ex S. Augustino, & S. Thoma delectationem victricem immittat. 348.

Articulus VII.

Quadruplex observatio. Ex S. Augustini Doctrina falsò deduci. Primò, libertatem in sola spontaneitate: Secundò, gratiam in solis actibus indeliberatis esse repositam: Tertiò, solam Divina gratia suavitatem infundi: Quartò, facilius hæc à D. Thoma explicari. 352.

Non unus in altero titulo error irrepsit quem ex isto rogatur lector corrigere.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De concordia Divinæ Motionis cum libertate. 355.

Articulus I.

Observationes quædam: Philosophorum, & hæreticorum error, certitudinem Divinæ providentiæ cum libertate jungi non posse: Vera conciliationis ratio. 355.

Articulus II.

Ex D. Thoma, Motione Divina actum ad quem movet, infallibiliter effici; remanere tamen integram libertatem. 361.

Articulus III.

Altera concordiæ Divinæ motionis cum libertate conditio, quòd sub ipsa motione possit agere, & non agere: motio Divina non modificatur, sed modificat. 364.

Articulus IV.

Altera probatio, quòd hæc duo jungi possint & debeant, voluntatem ad unum determinari, & indifferentem esse ad plura. 368.

Articulus V.

Ex triplici capite docuit D. Thomas, jungi posse in voluntate cum determinatione ad unum indifferentiam ad multa: ex parte rationis, voluntatis, & objecti. 374.

Articulus VI.

Altera concordiæ Divinæ motionis cum libertate conditio. Quòd cùm voluntas motione Divina ad unum movetur, possit & non agere, & etiam aliud agere. 378.

QUÆSTIO OCTAVA.

De concordia libertatis Christi cum impeccabilitate, & Præcepto à Patre impositio. Pag. 387.

Articulus I.

Triplex observatio. Primò, veram esse D. Thomæ concordiæ rationem. Secundò, nihil adversam sententiam juvare, si negetur præceptum Christo impositum. Tertiò, nullam ad conciliandam libertatem admittendam in Christo imperfectionem possibilem etiam potentia physica.

Articulus II.

Resolutio difficultatis ex D. Thoma: vim Divini præcepti, impeccabilitatem, & libertatem debere simul conjungi. 394.

Articulus III.

Major, & apertior resolutio difficultatis: impositum fuisse Christo de morte subeunda præceptum: fuisse liberum, & potuisse non mori: fuisse tamen impeccabilem. 399

QUÆSTIO NONA.

Utrùm de Divina Motione sententia cùm Sacri Concilii Tridentini Decretis consentiat? 404.

Articulus I.

Quo sensu intelligi debeat, liberum arbitrium motum, & excitatum posse dissentire; si velit; Gravis accusatio Suaris refellitur. 404.

Articulus II.

De Calvini hæresi circa libertatem. 407.

Articulus III.

Probatur D. Thomæ sententiam cum SS. Tridentini Concilii decretis exactissimè convenire. 410.

Arti-

Index Quæstionum, & Articulorum.

Articulus IV.

Quid significet, liberum arbitrium posse dissentire, si velit. 415.

Articulus V.

Probatur ex SS. Concilio Tridentino Physica motio, Divinaque gratia per se efficax. Ex Can. 3. sess. 6. hominem sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione non posse credere. Ex Can. 26. Christum in Fideles, ut caput in membra influere. 424.

Articulus VI.

Altera ex Sacri Concilii Tridentini Canone 6. Probatio pro motione efficaci, & præveniente gratia effectrice: vocationem Sancti Pauli propriè, & per se, esse opus Dei. 429.

Articulus VII.

Altera ex Sacro Tridentino Concilio Probatio. De prævia, & efficaci Divina motione intellexisse Sacrum Concilium, Liberum hominis arbitrium moveri: & negasse consequentiam, scilicet illa motione auferri hominis libertatem. Idem Probatur ex Conciliis Tridentino posterioribus. 441.

Articulus VIII.

Solvitur alterum argumentũ ex Can. 4. SS. Conc. Trid. desumptum: quo sensu possit voluntas resistere motioni Divinæ? 449.

Articulus IX.

Altera ex S. Thoma solutio: quo pacto voluntas creata Divinæ motioni, aut voluntati Divinæ resistere possit? 457.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesg.

Reimprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. S. A. P. Magister.

SANCTUS

SANCTUS THOMAS SUI INTERPRES.

De Divina Motione in Ordine Naturali.

DISSERTATIO PRIMA.

CUM ad discendum necesse sit vel authoritate, vel ratione duci, ut inquit S. Augustinus libro 2. de ordine cap. 9. hoc habitura est singulare hęc Tractatio, ut utrumque & authoritatem, & rationem D. Thomæ conjunctam semper exhibitura sit. Et sanè jungendam esse authoritati rationem rectè idem Sanctus Augustinus observat lib. de vera Relig. c. 23. quòd *authoritas rationi præparet hominem, & ratio ad intellectum, cognitionemque perducat*. Etsi enim dicentis authoritas, ut docet S. Thomas Quodlibeto 4. art. 18. rem ut dicitur esse suadeat, & cùm summa est, omni etiam rationi superior sit, cujusmodi est authoritas Fidei, quę omni argumento validior in sui obsequium intellectum nostrum captivat, eaque nobis manifestat, quæ ut ab Apostolo dictum est, *in cor hominis non ascendunt*, ex rebus scilicèt infra hominem positis, sensibusque obnoxiis, & quæ solùm in cor hominis inspiratione, & revelatione Divina *descendunt*, ut explicat D. Thomas: attamen quid res ipsa sit, & cur ita se habeat, neque demonstrari ullo pacto, neque explicari etiam potest, nisi ratio accedat. Unde cùm eo consilio constitutis Fidei principiis, Magistri in Scholis, inquit idem S. Thomas, plures controversias excitent, ut nedum rem ita esse, sed etiam cur ita sit demonstrent & explicent; necesse est, *inniti rationibus investigantibus radices veritatis*, & facientibus scire quomodò verum sit quod dicitur: *alioquin enim si nudis authoritatibus Magister quæstionem determinet, certior quidem evadet auditor quòd ita est, sed nihil scientiæ vel intellectûs acquiret, sed vacuus abscedet*. At verò hoc habitura est singulare hæc Tractatio, quod perpetuò S. Thomæ authoritatem cum ratione conjungat, ut Angelici Doctoris authoritas rationi præparet Lectorem, quem deinde ratio ad intellectum, ac cognitionem perducat.

Quæ verò sit authoritas D. Thomæ, quove loco inter Theologos habendus sit, agnovit, expressitque ipse etiam Suarez Prologomeno 6. de Divina Gratia cap. 6. num. ult. ubi inquit, quòd *in explicandis Fidei Mysteriis S. Thomas cæteris scholasticis Theologis antefertur, & primis Ecclesiæ Doctoribus comparatur*. Sed quod esse debeat S. Thomæ rationum pondus satis intelliget quisquis animadverterit dictum esse à Summo Pontifice, hujus S. Doctoris dogmata & inconcussa, & firmissima esse, cùm nulla assertionum firmitas esse posset, nisi validissimis argumentis ea dogmata firmarentur.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrumm à Theologis, qui Præmotiones, negant, concessum fuerit S. Thomam prævias motiones admisisse.

CUM primùm ea sententia quę à Divi Thomę temporibus in ejus Schola obtinuerat, magnaque pace fruebatur, à recentioribus Theologis impetita est, qui adversam sententiam tuebantur, non admodùm ægrè admissam à Sancto Thoma eam motionem prævium causis secundis à prima impressam consentiebant, immò etiam ultrò fatebantur; cùm forsitan parùm D. Thomæ authoritate commoti, ejus sententiam argumentorum vi, quæ validissima parasse sibi videbantur, dejici posse non diffiderent.

Verùm cùm posteà à Clemente VIII. & Paulo V. decretum fuisset, quęstionem hanc arduam de Divino Concursu cum causis secundis, ex mente S. Augustini esse resolvendam, neminemque lateret, eandem planè esse Sanctorum Augustini & Thomæ sententiam; tùm certè Adversariis visum est, velutì mutatâ pugnandi arte, non equidem apertè motionem prævium, etsi à D. Thoma admissam, impugnare: sed negare è contra, eam à S. Thoma unquàm admissam fuisse, conquisitis undique tum apud ipsum D. Thomam, tum apud ipsius Discipulos verbis aliquibus dubiis, & in speciem faventibus, quibus negatam fuisse à S. Thoma eam motionem prævium, suaderi posse arbitrabantur.

Quare nemini dubium esse potest, gravissimum fore præjudicium, ut suadeatur reverà admissam ab ipso S. Thoma motionem prævium, si etiam ab iis qui eam pro viribus impugnandam, & dejiciendam susceperant, demonstretur concessum fuisse, eam de pręviis motionibus certam esse, & indubitatam hujus S. Doctoris, ejusque Scholæ Discipulorum sententiam.

ARTICULUS I.

Ab his Theologis à quibus studiorum Societatis ratio institutu est, motionis prævię sententia Sancto Thomæ adscribitur.

QUamvìs magno numero referri plurimi possent ex Societate Theologi, qui admissas à D. Thoma prævias motiones apertè fatentur; Cùm tamen in rebus maximè Theologicis, non numerandi authores sint, sed magis eorum haberi rationem conveniat, qui majorem sibi apud suos famam compararunt; seligendi sunt in primis qui majori doctrina præditi existimantur, quibus propterea major fides habenda est.

Primo quidem loco referrì jure merito possunt Theologi, qui non tam suo, & privato, quàm totius Societatis nomine locuti censendi sunt in eo libello de ratione studiorum Societatis, Romæ olim anno 1586. in ipso Societatis Collegio edito, quo cæteris totius Societatis Theologis recedendi facultas conceditur ab ea D. Thomæ sententia, quæ statuit, causas omnes secundas cùm agunt, & ut agant, à Deo moveri, & applicari; & Deum ita in eas influere, ut sint etiam, ut inquiunt, propriè instrumenta. Liber ille Tholosæ in Conventu D. Thomæ Aquinatis asservatur, quem ipse, qui hæc scribo, sæpius, & legi, & prę manibus habui; exiguæ quidem molis, in pretio tamen satis habitus quod difficile comparari possit. Atque ex eo libro hæc omnia, quæ hìc subjungo, propria ipse manu excripsi. Ita verò habet.

De opinionum delectu in Theologica facultate.

Admodum Reverendus Pater Generalis sex Patribus, quos ad omnem studiorum rationem benè instituendam delegerat, nihil gravius commendavit, nihil se magis optare testatus est, quàm ut eorum opera, opinandi licentia, quæ quotidianis, & periculis, & altercationibus nostros perturbat, cohiberetur; omnisque doctrina Societatis duas inprimis res consequeretur in nostris Constitutionibus frequenter inculcatas, soliditatem quæ omni temeritate vacaret, & consensionem quam tot Professorum contentiones labefactant non parùm. His illi mandatis, cùm studerent obtemperare pro viribus, formulam, quæ sequitur, conscripsere, quâ generatim quædam, quædam particulatim rectè componi posse visa sunt. Est autem hujusmodi &c.

Deinde traduntur Regulæ pro Theologiæ Professoribus. Quarum quinta sic habet. „ *In Theologia Doctrinam S. Thomæ, ut cavetur quarta parte Constitutionum cap. 14. Nostri sequantur, exceptis paucis.*

Deinde paulò post, quæ sint illa pauca, declaratur his verbis.

Nostri itaque non cogantur defendere quæ sequuntur.

I. Theologiam vel esse scientiam univocè cum scientiis naturalibus, vel univocè subalternari scientiæ Beatorum.

II. Operationem ad extra eſſe Deo rationem formalem eſſendi in loco; aut Deum non eſſe in ſpatiis etiam imaginariis extra mundum.

III. Repugnare ſecundùm abſolutam Dei potentiam, ut à Beatis Deus videatur per ſpeciem impreſſam, quamvìs de facto non ſic videatur.

IV. Prævidere Deum futura contingentia in eorum reali coexiſtentia cum ſua æternitate.

V. Ideas propriè ſpecierum eſſe, non individuorum, nec partium ſubſtantiæ compoſitæ, nec accidentium realiter à ſubſtantia diſtinctorum.

II. SECUNDAS CAUSAS ESSE PROPRIE' ET UNIVOCE' INSTRUMENTA DEI: ET CUM OPERANTUR, DEUM IN ILLAS PRIMUM INFLUERE, AUT EAS MOVERE.

VII. Repugnare ut aliquid infinitum actu poſſit creari in quantitate, nec in qualitate.

VIII. Spiritum Sanctum non procedere ex amore etiam creaturarum ſecundùm eſſe poſſibile.

IX. Relationem Divinam non eſſe ſecundùm ſe perfectionem in ſuo genere; aut Patrem non eſſe Filio priorem origine ſecundùm rem.

X. Repugnare ut ſint, vel de facto non eſſe plures Angelos ejuſdem ſpeciei.

XI. Angelis rationem eſſendi in loco eſſe tranſeuntem operationem, vel applicationem virtutis ad agendum, aliaque quæ ad hæc conſequenter ſe habent.

XII. Species univerſaliùm quidditatum fuiſſe Angelis infuſas per ſe, non per accidens, & quæcumque ad hæc conſequenter ſe habent.

XIII. Univerſaliores eſſe ſpecies ſuperiorum quàm inferiorum Angelorum.

XIV. Angelos ex aliqua actuali inconſideratione peccaſſe.

XV. In primo inſtanti ſuæ creationis Angelos peccare non potuiſſe.

XVI. Angelos ſive bonos, ſive malos in termino viæ manſiſſe inflexibiles ex ſua ipſorum natura.

XVII. Locutionem Angelorum fieri eo modo quo tradit S. Thomas.

Hæc ibi, ubi pluribus prætermiſſis quæ, non immeritò obſervari poſſent, quod maximè à nobis inquiritur, inde ſatìs liquet, exiſtimaſſe Societatis Theologos, à quibus juſſu Præpoſiti Generalis ſtudiorum ratio primùm inſtituta eſt, eam ſententiam, quæ præviam motionem & influxum in cauſis ſecundis à Deo impreſſum defendit, in S. Thomam referendam eſſe; atque adeò altiorem eſſe hujus ſententiæ originem quàm ut Banneſio adſcribi debeat: nec fruſtrà à D. Thomæ veris diſcipulis, quibus unicum ſtudium eſt ſui Præceptoris opera perpetuò manibus terere ac evolvere, eam ſententiam in ipſo S. Thoma quæſitam & inventam fuiſſe, cùm ab aliis etiã reperiri potuerit.

Et verò quamvìs ab iis Societatis Theologis explicatum non fuerit, utrùm exiſtimaverint, admiſſùm fuiſſe à D. Thoma eum influxum prævium, nedùm in cauſis neceſſariis, ſed etiam in cauſis liberis: ac præterea quamvis nihil ultimò ab his Patribus in eo libro definitum fuiſſet, ut quidam reſpondent, cùm, ut inquiunt, editus damtaxat hic liber fuerit, ac in Provincias miſſus, ad explorandam cæterorum Societatis Theologorum ſententiam, quâ compertâ alius deinde compoſitus ſit, quò tanquàm certâ regulâ modò Societatis Theologi utuntur: Ita enim eſſe non negaverim; cùm alius etiam liber de ratione ſtudiorum Antuerpiæ editus ſit, ubi ea quæ retulimus deſiderantur. Sed ut ut ſeſe res habeat, negari non poteſt, quin ea fuerit præfatorum Theologorum mens, nimirùm à S. Thoma admiſſam fuiſſe Divinam motionem prævium, ac prævium influxum Dei, in cauſis ſaltem neceſſariis. Quod ſi ſemel conceſſum ſit, nulla ratione negari poterit, quin eandem admiſerit S. Thomas etiam in cauſis liberis; cùm iis locis in quibus eam motionem admiſiſſe exiſtimatum eſt, indiſcriminatim *de omni operante* locutus perpetuò ſit; & æquè voluntatem ac naturam Divinâ motione impelli debere ſemper exiſtimaverit, ut infrà explicabimus.

Denique inde refelli poteſt quod plurimi affirmare non dubitant, S. Thomam ne cogitaſſe quidem de prævìis motionibus, quas repugnantibus Magiſtri principiis quibus antiquiores ipſius Diſcipuli imbuti fuerant, poſteriores aliqui, duce Banne, in ejus Scholam invexerunt, & ut reciperentur à cæteris tandem impetrarunt. Accuſandi enim eſſent primi & graviſſimi Societatis Theologi, tarditatis, & parùm perſpicacis ingenii, qui veram D. Thomæ in hac graviſſima quæſtione mentem aſſequi non potuerint.

ARTICULUS II.

Ex Molina, Suare, Bellarmino, & aliis, probatur admiſſam eſſe à S. Thoma motionem prævìam.

INter Theologos qui fatentur, admiſſam eſſe à S. Thoma Divinam motionem prævìam in cauſis potiſſimùm liberis, primum locum ſibi Molina vendicat, cùm eâ præſertim ratione novam à ſe & quæſitam longo ſtudio, & tandem repertam ſententiam profiteatur, circa modum quo Deus cum cauſis ſecundis dum agunt concurrit; quòd S. Auguſtini & S. Thomæ, qui ubique preſſis veſtigiis S. Auguſtinum ſecutus eſt, de Divina gratia ſententia, quam cum ſententia de prævia motione connexam eſſe non dubitabat, ipſi minimè probaretur.

In primis enim ſe à D. Auguſtini Sententia recedere Molina fatetur, non uno dumtaxat, ſed & pluribus locis: *Sententiam verò Auguſtini*, inquit, *ſecutus fuit S. Thomas, & poſt eum plerique Scholaſticorum*, ut expreſsè inquit in Concord. qu. 23. diſput. 1. membro ult. & ſanè ex his quæ aliquandò referemus, ipſum ſæpiſſimè à D. Thomæ ſententia receſſiſſe, ſatìs conſtare poterit. Conſtituto enim eo principio, S. Thomæ ſententiæ è diametro oppoſito,

posito, scilicet Deum prævie causas secundas non movere, sed Deum & causas secundas esse dumtaxat causas partiales, quæ simul in eundem effectum influunt; plurima deinde infert quæ longissimè à D. Thomæ ejusque Scholæ sententia recedunt, quæque tamen ex ipsius Molinæ principio manifestè consequuntur.

At verò fuisse D. Thomam in ea sententia, à Deo causas omnes moveri motu prævio, refert & agnoscit idem Author in Concord. q.14. art. 13. disput. 26. cui Titulum hunc præfigit, *Concursus Dei generalis an sit influxus in causas, quasi priùs eò motæ agant, an immediatus cum illis in earum naturales actiones & effectus*. Rectè explicari quæstionis statum, dubium non est; agnoscit verò, immediatum influxum, non solùm in effectus causarum secundarum, sed etiam in ipsas causas secundas, fuisse admissum à S. Thoma; eamque sententiam impugnat duplici argumento, quod sibi objecisse & solvisse D. Thomam infrà referemus. *Duo sunt*, inquit, *quæ mihi difficultatem pariunt circa Doctrinam hanc D. Thomæ. Primum est quòd non videam, quidnam sit motus ille & applicatio in causis secundis, quâ Deus illas ad agendum moveat, & applicet: quin potius existimem, ignem sine ulla sui mutatione calorem in aquam sibi admotam inducere*. Hoc argumentum postquàm prosecutus est, dissimulata D. Thomæ solutione, ita concludit; *Quare ingenuè fateor mihi valdè difficilem esse ad intelligendum motionem & applicationem hanc, quam D. Thomas in causis secundis exigit*. Facilem tamen eam esse intellexisset, si hujus argumenti solutionem apud S. Thomam q. 3. de potent. art. 7. ad 7. aut legisset, aut satis expendisset; quam solutionem infra referemus.

Sed alterum deinde argumentum ita proponit Molina: *Secundum* inquit, *quod mihi difficultatem parit, est quia juxtà hanc D. Thomæ Doctrinam, Deus non concurrit immediatè immediatione suppositi ad actiones & effectus causarum secundarum, sed solùm mediatè, mediis scilicet causis secundis*. At hoc idem argumentum solvit S. Thomas ac fusè ibidem explicat, quo pacto intelligi debeat ea Dei immediata operatio, & in actiones & in effectus causarum secundarũ. Sed inde satis liquet, Molinam agnovisse, eam sententiã prævii influxus seu prævie motionis quæ causas secundas applicat, authorem habere S. Thomam.

Sed apertiùs adhuc initio capitis Molina loquitur, ubi sic in terminis habet: *D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. docet, Deum duplici ratione dici operari cum causis secundis. In primis quia virtutem illis tribuit ad operandum, easque actu conservat: deinde quia eas ad agendum movet, ut quodammodo formas & virtutes earum applicet ad agendum*. Prosequitur deinde, eamque sententiam ut impugnet, ait, *Duo sunt autem quæ mihi difficultatẽ pariunt circa doctrinam hanc D. Thom. &c.*

Agnoscit igitur & fatetur Molina, eam de prævia motione sententiam, quam parùm ipse probabat, à D. Thoma 1. p. q. 105. ar. 5. traditam fuisse; ubi tamen Suarez D. Thomam aliud sensisse existimavit, ut statim dicendum est. Unde liquet hujus motionis prævie, judice Molina, primum authorem non fuisse Bannem, cùm eam jam in D. Thoma se reperisse fateatur.

Et sanè admissam fuisse saltem aliquando eam motionem Prævium à S. Thoma, nec Suarez ipse negare potuit, in Metaphysica Disputat. 22. sect. 4. *de modo quo Deus causis secundis concursum præbet*. Ubi inprimis ut explicet quid sit causam secundam agere in virtute primæ, numero 5. ita loquitur. *Agere in virtute nihil aliud est quàm agere per virtutem participatam à superiori virtute, & dependente in sua actione ab actuali influxu ejus; & eodem modo*, inquit, *dicitur Divina virtus, virtus omnium causarum, quia omnes conservat, & omnes actu adiuvat*, simultaneo scilicet concursu, non prævio. *Et hæc duo*, iterum inquit, *sufficiunt, & per se requiruntur ad veritatem similium locutionum*.

Verùm postea alterum etiam præter hæc duo admissum à D. Thoma fatetur Suarez, vim scilicet quandam causis secundis impressam instar vis instrumentariæ, quâ instrumenta ad agendum impelluntur, & in qua positam esse motionem prævium & physicam Discipuli S. Thomæ agnoscunt. Ita igitur inquit Suarez num. 52. *Verum est D. Thomam q. 3. de potentia art. 7. addere tertium, nimirùm virtutem instrumentalem fluentem, quam recipit causa secunda à prima, ut agit tanquam instrumentum ejus, diserte enim hanc numerat tanquàm distinctam ab applicatione & ab efficientia, seu conservatione ipsius causæ secundæ, & virtutis ejus*.

Hæc Suarez; quibus ingenuè fatetur, præter collationem virtutis causæ secundæ, ejusque conservationem, admissum esse tertium à S. Thoma, scilicet virtutem aliquam transeuntem & fluentem, quæ causas secundas applicat, movet ac impellit ad agendum, sicut principalis causa movet instrumentum quo utitur; putà manus serram aut securim movet impellitque ad opus.

Verùm cùm eam D. Thomæ sententiam omninò adversam animadverteret sententiæ quam Societas defendendam susceperat, coactus est Suarez quandam in ipso S. Thoma retractationem tacitam adinvenire aut supponere, modestè tamen, cùm reipsa expressam in S. Thoma retractationem nullibi reperiret. Unde statim posteà inquit ipse Suarez. *Existimo tamen D. Thomam retractasse illam doctrinam 1. p. q. 105. ubi exquisitè tractans omnem modum quo causa prima operatur cum secunda, illam virtutem omisit; quod facere non potuisset in proprio ac præcipuo loco, si existimasset esse per se necessariam ad concursum primæ causæ*. hæc Suarez.

Verùm cùm hic locus quæstionis tertiæ de Potentia præcipuus sit ex quo apertissimè demõstrandum suscepimus traditam esse à D. Thoma motionis prævie sententiam; & tamen quidam asserere non dubitent, etiam hunc articulum septimum ex q. 3. de potentia desumptum citra motionem præ-

prævium explicari poſſe ; referenda ſunt prætereà quæ habet aliis in locis Suarez , ubi poſteaquàm ingenii ſui vires omnes intendiſſet ut eum locum interpretaretur , ne ſententiam Societatis lædere videretur , ipsâ evidentiâ rei coactus , *Ingenuè fatendum* eſſe inquit , D. Thomam eo loci ſententiam motionis prę̃vię docuiſſe .

Igitur lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate cap. 11. iterum fatetur S. Thomam in ea ſententia fuiſſe; ſed deinde *doctiorem factum omiſiſſe ſententiam illam de virtute fluente : nam certe ſi in illa ſeutentia permanſiſſet , eam 1. par. queſt. 105. non prætermiſiſſet , nec diminutam doctrinam, ſed maximè completam & exactam nobis tradidiſſet in proprio loco & præcipuo, in quo rem ex profeſſo diſputabat . Vidit ergo modum illum non eſſe verũ, & ideò meritò illum prætermiſit; nec diſcurſus quo in illa q. de potentia vtitur S. Thomas, eſt efficax &c.*

Verùm ne quid non moveret Suarez ut D. Thomam in Societatis ſententiam pertraheret , deinde l. 3. de auxiliis internis Divinæ gratiæ cap. 38. n. 20. eum locum ex q. 3. de potentia ſic interpretari aggreditur . *Solum* inquit *nobis faceſſit negotium ſolutio ad primam* inſtantiam, *quia in ea videtur diſtinguere S. Thomas duplicem virtutem quam Deus dat cauſæ ſecundæ , unam per modum formæ habentis eſſe ratum & firmum , aliam per modum intentionis & motionis tranſeuntis , prout intellexit Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 70. & ſequuti ſunt alii Thomiſtæ recentiores , quorum expoſitio olim viſa eſt verbis conſentanea .* Deinde D. Thomam ita interpretari conatur : Ut cùm à S. Thoma dictum eſt . *Id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat eſſe ut intentionem ſolam* &c. explicet , *à D. Thoma intelligi de actuali quidem motione , non tamen ita fieri in re naturali , ut fiat in ipſa cauſa vel virtute ejus tanquàm in ſubjecto recepta , niſi quando in illa recipitur propria actio ; ſed ita ut generaliter & per ſe loquendo fiat in re naturali quoad actionem ejus ; quia id per quod immediate Deus juvat cauſam ſecundam ad dandum eſſe ſuo effectui , eſt ipſamet actio Dei proüt fluit à Deo; & ideò dicitur eſſe quaſi motio artis , vel ad modum intentionis .* Hæc Suaris interpretatio quam tandem refert , poſtquàm , ut inquit , attentiùs conſideravit diſcurſum illius articuli .

Sed in primis non eſt illud prætermittendum quòd hìc etiam fateatur Suarez , cùm olim intellexit , D. Thomam eo loco ſententiam prævię motionis docuiſſe , ſe fuiſſe ſequutum Ferrarienſem, *quem etiam ſequuti ſunt alii Thomiſtę Recentiores* . Parùm appoſitè ergo in Bannem ut primum authorem ea de prę̃via motione ſententia refertur ; cùm eam Ferrarienſis Banne multò antiquior agnoviſſet in S. Thoma . Unde cùm una ex parte ſententiæ communi ſcholę D. Thomę officere quantùm poteſt conatur Suarez , dum ab ea ſententia nititur authoritatem D. Thomę divellere ; altera tamen ex parte maximè juvat , cùm eam ſententiam in D. Thoma jam ante Bannem agnoviſſe Ferrarienſem & ſequutum fuiſſe alios recentiores fatetur , quos inter ipſum Bannem eſſe intelligebat .

Quod vero ad eam Suaris interpretationem attinet ; oportuit ſanè ut optaret Suarez quàm maximè D. Thomam in ſuam ſententiam pertrahere , cùm eam interpretationem adeò extortam reclamante textu & præter omnem veri ſimilitudinem S. Thomæ affinxerit. Enim verò.

Objecerat ſibi S. Thomas , *Si Deus in natura operante operatur , oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat, nam agens agendo aliquid actu facit . Aut ergo illud ſufficit ad hoc quod natura poſſit per ſe operari , aut non* : Si ſufficit, inquit , cur etiam virtus naturalis ſufficere non poterit ; ſi verò non ſufficit , erit procedendum in infinitum , quod repugnat .

Quis verò unquam illam interpretationem probet , ut cùm à S. Thoma inquiritur, utrùm illud quod Deus in natura operante operatur ſufficiat reipſa ut ipſa natura operetur , aut vero non ſufficiat ? intelligi unquàm poſſe exiſtimet de ipſa actione quâ natura operatur . Luce enim meridiana clarius eſt , illud de quo dubitari poteſt utrùm ſufficiat vel non ſufficiat ut ipſa natura operetur , ipſius naturę operationem non poſſe non antecedere . Et ſanè quis inficiari poſſit , his verbis quę Suarez retulit , admiſſam fuiſſe à S. Thoma duplicem in natura operante virtutem , permanentem alteram , alteram fluentem , quæ utraque operationem antecedat , & ad operationem efficiendam ordinetur ; ſicut in ſecuri duplex ſcindendi virtus diſtinguenda eſt , altera permanens , ſcilicet acumen ; altera fluens , ſcilicèt motio artificis , quę dicitur virtus artis . Sed nulla unquàm tam offuſis tenebris interpretatio eam lucem obſcurare poterit , ut eas ipſe S. Thomę literę contextus planus ac integer non diſpellat . *Dicendum* inquit *quod virtus naturalis quæ eſt in rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata , ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum , & firmum in natura ; ſed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aere, virtus artis in inſtrumento artificis .*

Quis verò dubitet eam virtutem artis in inſtrumento artificis eſſe ipſam motionem quà artifex inſtrumentum movet verſatque , & ad opus moliendum applicat, & quam centies S. Thomas *virtutem* quandam *intentionalem* nominavit, ut infra nomen , naturam , & artificium hujus motionis explicaturi referemus . Sed ut ſupra animadvertimus , condonanda eſt hęc Suaris interpretatio deſiderio quo tenebatur ut D. Thomam in ſuam ſententiam pertraheret .

Verùm ut erat non mediocri ingenii acumine prędituſ , ſuſpectam ipſemet ſuam interpretationem habuit , perviditque eam æquis judicibus non probandam . Unde tandem his verbis caput concludit quo S. Thomæ mentem explicare aggreſſus fuerat ; *Si autem* inquit *alicui viſum fuerit ; vim aliquam inferri illi literæ , poteſt perſiſtere*

ſtere in priori reſponſione à nobis data. (ſcilicet retractatam fuiſſe à S. Thoma eam ſententiam) *nam ſine dubio ſententia D. Thomæ in aliis locis ſatis perſpicua eſt, & in eis ſi modum loquendi non correxit, quoad ſenſum doctrinæ, ſaltem emendavit clariùs loquendo.*

Verùm cùm adhuc attentiùs, & majori otio S. Thomæ locum Suarez perpendiſſet, animadvertit, diſſimulari non poſſe, quin D. Thomas eam de prævia motione ſententiam in eo loco expreſſerit. Unde *in opere poſthumo de vera intelligentia auxilii efficacis. Cap.* 40. explicans *quid in hac controverſia D. Thomas docuerit aut ſenſerit?* paulò poſt medium ita inquit. *Octavus & celebris locus eſt ex quæſt. 3. de potentia art. 7. ad 7. ubi D. Thomas ait, id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis: per quæ verba planè docet Deum influere cauſæ ſecundæ aliquam virtutem realem, & fluentem, quam intentionalem vocant. Per illam ergo intelligit, determinare cauſam ſecundam, & uti illâ tanquàm inſtrumento ad ejus operationem. DE QUO LOCO INGENUE FATEMUR D. THOMAM IBI ITA SENSISSE. Credimus tamen eum in ea ſententia non permanſiſſe, quia neque in Summa, neque in aliis libris ſententiarum, & Contra Gentiles illum cauſalitatis modum Deo attribuit.*

Hæc omnia fusè ſatis ex Suare referre placuit, nec abs re fore arbitror, cùm inde eruditus Lector intelliget, nulli reverà eum S. Thomę locum germanę, & non extortę interpretationi opportunum eſſe. Si quę enim eſſe poſſet, facit quæ de Suaris eruditione fama eſt, ut exiſtimemus eam doctiſſimum Virum inter recentiores latere non potuiſſe. Nam quam ab ipſo ſemel adhibitam retulimus, ultrò eam parùm germanam ipſemet agnovit: aliiſque in locis, ut quæ vim literę D. Thomę inferret, omninò deſeruit.

Cęterùm ut ut ſe ſe res habeat de ea D. Thomę tacita retractatione, quam certè citatus Molina in eo S. Doctoris loco ex prima parte, quem Suarez citat, non agnovit: & quam ſi cuilibet fingere pro arbitrio liceat, nihil unquàm adeò certum, & exploratum eſſe poteſt in D. Thoma, & SS. Patribus, quod fictâ tacitâ retractatione eludere aut elevare non liceat: Attamen ex ea ſaltem ingenua Suaris confeſſione compertum eſt, primum hujus motionis prævię inventorem non fuiſſe Bannem, nec fruſtrà in D. Thoma à ſuis diſcipulis eam quęri, quam repererat ipſe Suarez; & quam niſi ante Suarem ipſum D. Thomæ diſcipuli reperiſſent, ipſe indigitare potuiſſet.

Suari non immeritò adjungi poteſt Bellarminus, in cujus operibus licèt plura ſępius immutata fuiſſe dubitari non poſſit, cùm Lovanienſis Academia referat, Bellarminum olim Lovanii S. Auguſtini, & S. Thomę ſententiam publicè docuiſſe, Leſſii aliorumque Recentiorum Societatis Theologorum omninò adverſam. Attamen etiam ab his quibus aliqua in Bellarmini operibus immutandi cura commiſſa fuerat, ea adhuc in Bellarmino relicta ſunt, quæ ſatis ſignificant Bellarminum olim de motionibus prævиis ſententiam amplexum fuiſſe, quam D. Thomę adſcribit.

Et verò l. 4. de gratia, & libero arbitrio, integrum caput 16. ubi de concordia libertatis cum cooperatione Dei agit, adeò communi Thomiſtarum ſententiæ favet, ut ne quidem unica linea ſit, quam rigidiſſimus Thomiſta expunctam eſſe optare debeat. Ita vero caput inchoat. *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione Divina, & fortaſſe etiam probabilior, eſt juxta Sententiam D. Thomæ, qui docet cooperationem Divinam ita concurrere cum cauſis ſecundis etiam liberis, ut non ſolùm eis dederit, & conſervet virtutes operatrices, ſed etiam eas moveat & applicet ad opus, ut cognoſci poteſt ex 1. p. q. 105. ar. 5. Contra gent. cap. 70. & q. 3. de potent. quæ ſententia videtur valde conſentanea, tum Scripturæ, quæ dicit, nos in Deo eſſe, vivere, & moveri actor. 17. tum etiam rationi, & ordini quem habet cauſa prima cum ſecundis.*

Hæc ibi Bellarminus, quibus, ut erat accuratiſſimus, ea tria loca ſeligit, ubi reipſa prævіam motionem expreſſiſſimè S. Thomas docet; & quę nos fusè, & referemus, & explicabimus, ut eorum collatione compertum fiat, nunquàm à S. Doctore mutatam eſſe prævię motionis ſententiam. Et ſanè germaniſſimam, quantùm ego intelligo, Angelici Doctoris mentem Bellarminus aſſecutus eſt, dum ita deinde eam motionem explicat. Cùm enim ſibi objeciſſet, non poſſe intelligi, quomodò Deus moveat, & applicet cauſas ſecundas; imprimenda enim eſſet quædam voluntati aut cauſę ſecundę qualitas, cùm tamen nulla neceſſaria eſſe videatur ex parte Dei, qui omnia operatur per imperium ſuę voluntatis: neque ex parte cauſę ſecundę, quę jam virtutem operativam habet, quod ſanè argumentum communi motionis prævię ſententię opponi ſolet: hunc nodum ita ſolvit.

Reſpondeo, inquit, *Deum non movere localiter cauſam ſecundam, neque in illa qualitatem ullam imprimere, ſed tantum illâ vti tanquàm inſtrumento ad opus efficiendum. Quocircà virtus à Deo impreſſa per modum tranſeuntis dum cauſa ſecunda operatur, non diſtinguitur ab ipſa virtute naturali; ſed eſt illa eadem: quatenùs illâ Deus utitur ad illam operationem perficiendam. Eſt autem neceſſaria hæc motio Dei ex parte cauſæ ſecundæ, quę cùm ſit ſecunda, habet neceſſariam dependentiam à prima, in cujus virtute operatur. Vide* ſubdit *quæ dicimus de virtute Dei in Sacramentis impreſſa per motum l. 2. de Sacram. in genere.*

Hactenus Bellarminus; quibus accuratiùs ad explicationem Divinæ motionis dici nihil unquàm potuit. Neque enim intelligendum eſt, motionem Divinam inſtar eſſe alicujus habitûs, ac formæ perfectæ impreſſæ aut voluntati aut alteri cauſæ, ut extra Scholam S. Thomæ plurimi intelligere ſolent aut volunt. Neque enim ea fuit unquàm S. Doctoris, ejuſque Scholæ ſententia.

Eſt

Eſt equidem *virtus à Deo impreſſa per modum tranſeuntis dum cauſa ſecunda operatur*, ut rectè Bellarminus inquit: ſed non ideò completa quædam qualitas eſt, veluti ex æquo aut integro à voluntate, vel à cauſæ ſecundæ operatrice virtute diſtincta: ſed eadem eſt cauſæ ſecundæ vis activa, aut ipſamet voluntas quam Deus ipſi intimè præſens movet, inclinat, flectit, & ad operationem applicat; eoque pacto ipſa voluntate vel operatrice virtute cauſæ ſecundæ utitur ad operationem eliciendam: cùm ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 17. non aliud ſit cujuſque rei uſus quàm ipſa rei ad opus applicatio. Atque hic uſus paſſivus, hæc applicatio, hic motus, (neque enim aliter fieri poteſt, quin voluntas inflexa, & inclinata moveatur:) hic inquam motus voluntati impreſſus, & qui modaliter ſolùm, ut dicunt, ab ipſa voluntate aut virtute operatrice diſtinguitur, ut explicabitur infra, eſt ipſamet propriiſſima motio prævia, & quæ operationem cauſæ ſecundæ antecedit.

Unum deeſſe poterat quo nihil minus in ea Divinæ motionis explicatione Bellarminus dixiſſet, quàm D. Thomæ Diſcipuli dicere ſoleant: nimirùm eam motionem phyſicam, nec ſolùm moralem eſſe. Verùm neque id prætermiſit, cùm eodem prælaudato lib. 4. de Gratia, & Libero Arbitrio, hanc ex D. Thoma ad ſolvenda Hæreticorum argumenta obſervationem referat.

Obſervandum, inquit, *poſſe quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum vel fugiendum, primò efficienter, & PHYSICE, immediatè illam movendo, & determinando ad unum; nam ſi poteſt ipſa ſe determinare, cur non poſſit etiam Deus eam determinare? ſecundò efficaciter quidem, ſed mediante aliqua forma quam imprimit in voluntate; nam infundendo gratiam, & virtutes, per eas inclinat voluntatem ad bonas actiones, & hos modos notavit Divus Thomas quæſt. 22. de Verit. art. 8.* Atque iis etiam modis, motione, & determinatione phyſica nullo planè modo lædi voluntatis libertatem, ut erat ab Hæreticis objectum, poſteà explicat, & defendit. Quin etiam cùm *jam ſenex, & morti proximus*, ut ipſemet de ſe inquit in Recognitione ſuorum operum, cùmque ſua ipſe opera cenſoriâ virgâ notaret in editione Ingolſtadienſi anno 1608. pag. 96. expreſsè inquit, *voluntatem moveri per gratiam etiam efficaciter, & PHYSICE, Deum aſpirare voluntati bonum deſiderium, afflare initium bonæ voluntatis, quæ aſpiratio, ſive afflatio phyſica actio eſt, & propria Dei*. Hæc ex Bellarmino, quæ ſatis ſuperque demonſtrant, nunquàm ipſum receſſiſſe ab ea ſententia, quam olim applaudentibus etiam celeberrimæ Academiæ Doctoribus Lovanii docuerat, SS. Auguſtini, & Thomæ principiis omninò conſentaneam.

Sed ut ſit de Bellarmini mente, & ſententia, in cujus operibus, an aliqua immutata fuerint judicare poterit quiſquis varia ejus loca conferre voluerit; id unum ſaltem, ut puto, nemo negare poterit, agnoviſſe Bellarminum, eam de Divina Præmotione ſententiam verè Sancti Thomæ fuiſſe, ſubindeque immeritò novitatis vitium ipſi affingi.

Sed prætereà admiſſam fuiſſe à S. Thoma eam motionem prævium, eâdem quæſt. 3. de Potent. art. 7. ut conſenſit Suarez, neque ulla ratione retractatam Prima Parte, ut poſteà ipſe ſubjecit: præter Bellarminum, de quo ſatis diximus, etiam quotquot olim in Collegio Conimbricenſi verſabantur, aut, quos Collegii Conimbricenſis nomine intelligi æquum eſt, ultrò aſſenſerunt. Ita enim Collegium Conimbricenſe in ſecundo libro phyſ. cap. 7. quæſt. 13. cui hic titulus præfixus eſt: *Utrùmne Deus aliquâ prævià motione cauſas ſecundas ad agendum excitet?* Statim initio articuli primi ita inquiunt. *Circa modum quo Deus cum cauſis ſecundis ad earum operationes, & effectus concurrit, diſcutienda ſe offert celebris opinio D. Thomæ 1. p. quæſt. 105. & 1. 2. quæſt. 109. art. 1. & quæſt. 3. de Potent. art. 7. ejuſque ſectatorum Capreoli in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. Ferrarienſis 3. contr. Gent. cap. 70. & aliorum exiſtimantium, omnes cauſas ſecundas, antequàm operentur, accipere à Deo influxum quendam, & motum qui ſit quaſi eſſe intentionale virtutis Divinæ, quô ad promendas actiones excitentur; eo modo quo artium inſtrumenta, ut dolabra, & ſecuris præviam motionem à fabro accipiunt, cùm ad opus conficiendum applicantur. Namque eſto dolabra præacuta ſit, & ad expoliendum lignum idonea, haudquaquàm tamen id expoliet, niſi Artificis impulſu motuque cieatur.*

Hæc ibi totidem verbis: in quibus tria potiſſimùm animadverti velim, quæ ad rem de qua nunc agitur, plurimùm faciunt.

Primum eſt, fateri Conimbricenſes, admiſſam fuiſſe à S. Thoma eam motionem prævium, quâ Deus cauſas ſecundas ad agendum movet, & applicat, eo ferè modo quô artifex inſtrumentum ad conficiendum opus movet ac impellit.

Secundum eſt, nunquàm ipſis fuiſſe cognitam eam D. Thomæ retractationem ſuppoſititiam, cùm eam, de motione ſententiam docuiſſe Sanctum Thomam referant; nedum quæſt. 3. de Potent. quod fatetur Suarez, ſed etiam 1. p. q. 105. ubi eam retractationem à D. Thoma factam fuiſſe arbitratur.

Tertium verò obſervatione dignum eſt, iterùm aſſentientibus Societatis Philoſophis, eandem motionem prævium in S. Thoma agnoviſſe Capreolum, Ferrarienſem, & alios D. Thomæ Diſcipulos. Ergo (quod potiſſimùm hôc opuſculô demonſtrandum ſuſcepimus) immeritò dictum eſt, fuiſſe primum motionis prævię inventorem Bannem, cùm jam præeuntem Magiſtrum S. Thomam, & antiquiores Diſcipulos in aſtruenda, & explicanda ea motione prævia Bannes ſequutus fuerit.

Præter eos autem quos jam ſupra ex Societate Authores minimè hac in re ſuſpectos commemoravimus, plures alios referre promptiſſimum eſſet, qui admiſſas fuiſſe à S. Thoma prævias motiones

tiones Divinas, omninò consentiunt: quorum alii nulla Angelici Doctoris sententiæ ratione habita, nec ulla hujus authoritate permoti, eas motiones prævias negant, & pro viribus impugnant.

Alii verò pro sua erga S.Thomam observantia, eas motiones impellendis, & applicandis causis secundis necessarias admittunt: quibus etiam parùm accepta fuit Ludovici Molinæ concordia. In eo numero sunt Azorius, Pererius, Henriques, Mariana, Alamanius,& alii plurimi potissimùm antiquiores Societatis Theologi, qui in D. Thomam propensiores fuisse videntur. Sed ex eorum quos supra retulimus ingenua confessione, quâ à Divo.Thoma admissam præviam motionem consentiunt,etsi tamen ipsi eam pernegent, nemo arbitror dubitabit multò validius desumi argumentum, ut probetur sententiam,quæ motionem præviam docuit, S.Thomam docuisse. Quid enim reponent qui jam eam motionẽ prȩviam nunquàm D. Thomæ in mentem venisse, suadere vellent? Quamvis enim dici forsitan, & aliquam veri speciem habere posset,si quis eorum reponeret, illos qui sententiam de motione prævia prævioque influxu in D. Thomam Authorem referunt,voluisse sibi de S.Doctoris authoritate blandiri: quis tamen unquàm existimet, aut suadere unquàm possit, eos qui motiones prævias omninò pernegant, voluisse eam sententiam, quam parùm rationi consentaneam esse arbitrabantur, D. Thomæ affingere, nisi planè convicti eam fuisse Angelici Doctoris sententiam nulla verosimili ratione negare potuissent, sed ab invitis etiam ipsa rei evidentia eam confessionem extorsisset?

Sed iis omissis, mentem S. Thomæ ex ipso S. Thoma probare aggrediamur.

QUÆSTIO II.

Utrùm Prædeterminationis nomen, & rem eo nomine significatam in D. Thoma reperiri probari possit?

CUM rectus ordo doctrinæ postulet, ut communiora priùs quàm particularia pertractentur; in communi priùs quædam colligenda sunt ex variis S. Thomæ locis, ut solent qui agunt de præviis motionibus Divinis; quibus suaderi possit; admissam esse à S. Thoma eam de prævia motione sententiam, antequàm singularia, & fusiùs explicanda aggrediamur, quibus *homericis* planè *oculis*; ut verbo Tertulliani utar, non alium D. Thomæ inferiorem Authorem eam sententiam habere, omninò demonstremus.

Sed cùm ex Philosopho *quid nominis* quæstio cæteras antecedere debeat, & offendere aliquos soleat physicæ motionis nomen: explicandum priùs est, quid eo nomine intelligi voluerint qui hoc nomen usurparunt: fatemur enim consentanea esse debere nomina rebus significandis; cùm à S. Augustino dictum sit *nomen esse* quasi *notamen*, quòd res notet ac distinguat, & ad discernendum adjuvet. Et ut rectè Tertullianus inquit, lib. de Carne Christi cap. 13. *omnia periclitabuntur aliter accipi quàm sint,& amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum.*

ARTICULUS I.

De Nomine, & Re Physicæ Motionis.

PArùm equidem urget quod plerique objiciunt ad creandam invidiam motionibus prævis, ex novitate vocabuli; novum esse, & hactenus inauditum præmotionis, & prædeterminationis physicę nomen: unde nec minùs esse rem novam, & ultimo seculo à Bannesio repertam, eo motionis prævię nomine significatam. Parùm inquam ista urgent; cùm non minùs objici ista possint iis qui adversam sententiam sequuntur; novum esse scientiæ mediæ nomen, cujus ne vestigium quidem ullum in D. Thoma reperire sit: nec minùs rem ipsam eo nomine significatam S. Thomæ incompertam fuisse. Et sanè quod ad vocabulum ipsum attinet, condonandum esse nemo dubitat, si nova interdum usurpentur, cùm à SS. Patribus, & Theologis plurima usurpata sint nova vocabula ad explicanda Fidei Mysteria; cujusmodi sunt & Incarnationis, & Trinitatis, & Transubstantiationis, & Purgatorii nomina, quæ in Scriptura Sacra minimè reperiuntur: immò nec aliqua forsitan in ullo ex veteribus Patribus primi, aut secundi seculi; quos tamen res ipsa iis nominibus significata non latebat: sed nulla adhuc necessitas disputandi cum Hæreticis coëgerat his nominibus explicari. Atque hoc ipsum argumentum versat D. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 3.

art. 3. cùm ſibi objicit, Perſonæ nomen in nullo Sacræ Scripturæ loco de Deo dictum reperiri.

Videtur, inquit, *quòd nomen Perſonæ non ſit ponendum in Divinis: dicit enim Dionyſius in principio de Divinis Nominibus; Univerſaliter non eſt audendum aliquid dicere, nec cogitare de ſuperſubſtantiali occulta Divinitate, præter ea quæ divinitùs nobis ex ſanctis eloquiis ſunt expreſſa. Sed nomen Perſonæ non exprimitur nobis in Sacra Scriptura Novi & Veteris Teſtamenti: Ergo non eſt utendum nomine Perſonæ in Divinis.*

Reſpondet verò S. Thomas. *Dicendum, quòd licèt nomen Perſonæ in Scriptura Veteris vel Novi Teſtamenti non inveniatur dictum de Deo; tamen id quod nomen ſignificat, multipliciter in Scriptura Sacra invenitur aſſertum de Deo, ſcilicèt quòd eſt maximè per ſe ens, & perfectiſſimè intelligens: ſi autem oporteret de Deo dici ſolùm illa ſecundùm vocem quæ Sacra Scriptura de Deo tradit, ſequeretur quòd nunquàm in alia lingua poſſet aliquis loqui de Deo, niſi in illa in qua primò tradita eſt Scriptura Veteris, vel Novi Teſtamenti. Ad inveniendum autem nova nomina, antiquam fidem de Deo ſignificantia coëgit neceſſitas diſputandi cum Hæreticis. Nec hæc novitas vitanda eſt, cùm non ſit prophana, utpotè à Scripturarum ſenſu non diſcordans. Docet autem Apoſtolus prophanas vocum novitates vitare. Primæ ad Timoth. ultimo.*

Et verò minimè nova eſt hæc accuſatio: nam olim etiam Patres ab Hæreticis tanquàm verborum *adinventores* traducebantur, ut inquit S. Baſilius lib.de Spiritu Sancto. Et nemo neſcit, quantùm olim *homouſii* nomen Arianos tranſverſos egerit. Etiam in Concilio Epheſino Neſtorius objiciebat S. Cyrillo Alexandrino, quòd novam in Eccleſiam Orbemque vocem inveheret, cùm Beatiſſimam Virginem *Theotocon* vocaret; cui eam calumniam depulſurus D. Cyrillus reſpondet, non eſſe rem novam, ſed antiquam; *hanc enim fidem Divini Diſcipuli nobis tradiderunt, quamvis iſtius dictionis non meminerint.* Ubi in margine adnotatum eſſe obſervat Lemos Tom.3. Tract. 4. cap. 2. *Cùm de re certò conſtat, fruſtra de voce certamen ſuſcipitur.* Et ſanè, ut refert etiam citatus Author ex S. Dionyſio, Cap. 4. de Divin. Nominib. *perquàm irrationale atque perverſum eſt, non vim inſpicere ac ſenſum, ſed affigi dictionibus: idque fuerit hominum non planè Divina intelligere cupientium, ſed ſimpliciter captantium ſonos, eoſque aure tenùs ita continentium, ut ad intima nequaquàm penetrare permittant.*

Unde è contrà nunquàm Patres dubitarunt, ad exponendas novas difficultates malis artibus Hæreticorum excitatas, nova nomina uſurpare. Quin etiam, ut notat S. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Epheſios, ibi Septuaginta Interpretes *rebus novis nova nomina effinxere.* Atque ab ipſis etiam Latinæ eloquentiæ velutì proceribus obſervatum eſt, nemini invidendum eſſe, ſi aliquando novis nominibus linguam ornare, vel ditare tentaverit. *Horat. lib. de Art.*

Licuit, ſemperque licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.

Igitur & pari jure cur non licuerit Theologis reſolvendis novis difficultatibus accommodata nomina uſurpare.

Et ſanè cùm à Theologis Societatis antiqua Divi Thomæ ſententia de motione prævia, quâ Deus cauſas omnes tum neceſſarias tum liberas ad agendum impellit, in controverſiam vocata eſt; ad ſignificandam vim hujus motionis effectricis bonæ operationis, exiſtimatum eſt à S. Thomæ Diſcipulis, uſurpandum eſſe præmotionis phyſicæ nomen, quòd veram, realem, nec metaphoricam ſolùm efficientiam deſignaret: nec diffitebantur, ut refert idem Lemos ibid. cap. 1. quin ſi daretur ejuſmodi auxilium commodè prędeterminationis phyſicę nomine ſignificari poſſet. Neq; enim ut animadvertit prælaudatus Author cap. 3. aliud eo nomine phyſicæ motionis intelligendum venit, præter veram, & nedum metaphoricam movendi, & efficiendi vim. Unde & in Concilio Epheſino, in anathematiſmis contra Neſtorium, apud Binium pag. 155. eodem ſenſu ſimile *phyſicæ* unionis nomen uſurpatur. Ita enim definitur: *Si quis in uno Chriſto poſt unionem dividit hypoſtaſim, eaque dumtaxat conjunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem, vel authoritatem, vel poteſtatem; & non ea potiùs quæ eſt ſecundùm naturalem unionem* κατ' ἕνωσιν φυσικὴν. Secundùm unionem phyſicam, *anathema ſit.* Cùm autem Neſtorium hoc naturalis ſeu phyſicæ unionis nomen malè haberet, quod unionem & confuſionem naturarum ſignificare poterat; ſæpiùs explicatum eſt, non aliud ſignificari phyſicæ & naturalis unionis nomine, quàm veram ac realem, nec ſolùm per affectum, vel dignitatem unionem. Atque hæc mirum in modum in phyſicam motionem cadunt: conſultò enim ac jure phyſica ea præmotio nuncupata eſt, nè quis eam ſolùm metaphoricam vel moralem, non autem verè effectricem eſſe intelligeret, aut dignitate ſolùm & independentiâ, non autem operatione & efficientiâ priorem. Atque eo ſenſu Bellarminus lib.4. de Gratia & Lib. Arb. cap. 11. non dubitavit phyſicam motionem nuncupare; & ut nos jam retulimus, eam ſententiam phyſicæ, & effectricis motionis D. Thomæ Authori adſcribit. *Obſervandum*, inquit, *poſſe quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum, vel fugiendum. 1. Efficienter, & phyſicè immediatè illam movendo &c.* Vide ſuperiùs dicta.

Sed ſi quis pergeret adhuc phyſicæ motionis nomen novitatis arguere; cur non & idem novitatis vitium in motionis moralis, & ſcientiæ mediæ nominibus, à Theologis nunquàm anteà uſurpatis, reprehendi poſſet. Atque eo pacto Neſtorio olim objicienti novitatem hujus vocabuli *Theotocon* quo Sanctiſſimam Virginem V. Concilium Epheſinum decorabat, reſpondet S. Cyril-

rillus : *Quoniam verò inter cætera cavillantur, ſacram Synodum vocem Scripturæ inuſitatam deprompſiſſe, dum Sacram Virginem Theotocon nominavit ; interrogentur, & ipſi viciſſim cum ſuis, ubi nam Chriſtotocon, aut Theodochon uſquam ſcriptum repererint.* Vide plura apud ſapientiſſimum Lemos.

Hæc ſanè viciſſim nobis, & recentioribus condonari neceſſe eſt : & meritò dixerim, in rebus magnis arduiſque, & ad enodandas graviſſimas difficultates audendi aliquid ſemper conceſſam eſſe poteſtatem. *Scimus & hanc veniam, petimuſque, damuſque viciſſim.* Horat. de Arte.

Sed demùm, cùm ut jam retulimus, nullum pro nudis dumtaxat vocibus certamen ineundum ſit, & λογομαχίαν cavendæ ſint ſolidiora dicturis : & ut S. Auguſtinus inquit lib. 1. Retractat. cap. 15. in re adeò minimi momenti *non reſiſtendum eſt, nec de verbis, cùm res conſtat, controverſia facienda eſt* : per me licèt, ſeu negent, ſeu ultrò admittant alii phyſicæ motionis nomen ; dum illud majori authoritate munitum, & à S. Auguſtino uſurpatum nomen admittant, *Vocationis*, & grati *effectricis bonæ voluntatis*, lib. ad Simplicianum q. 2. & illud D. Thomæ q. 22. de Verit. art. 9. motionis *per modum cauſæ efficientis* : nihil enim aliud phyſicæ motionis nomine quàm motionem effectricem bonæ voluntatis intelligimus, quæ vim ſuperat alterius motionis moralis, quæ non niſi metaphoricè, & impropriè efficere dici poteſt, & quæ allicit quidem voluntatem ad eliciendam operationem, ſed tamen ipſam operationem voluntatis non efficit ; nec dici unquam poteſt in proprio, & rigoroſo ſenſu facere ut faciamus.

ARTICULUS II.

Prænotionis Nomen & Notio ex S. Thoma.

IGitur ſententia D. Thomæ, ejuſque Scholæ, in eo poſita eſt, quòd cauſæ omnes ſecundæ, quæcumque ſit earum conditio, ſeu ſpirituales ſint, ſeu corporeæ, ſeu neceſſariæ, ſeu liberæ, ſuis etiam facultatibus inſtructæ, ad agendum egeant quòd Deus eas moveat, & applicet, non ſolùm concurſu ſimultaneo, de quo nemo ambigit, & nos explicabimus infra ex D. Thomæ principiis ; ſed etiam prævio influxu, & ex parte cauſæ ; quique ſit ipſe motus cauſæ impreſſus à Deo movente, & applicante, ſeu ipſe uſus paſſivus, & applicatio paſſiva cauſæ : qui motus virtutem quandam intentionalem ſecum affert, & involvit, aut veriùs, ut loquitur ipſe S. Thomas q. 3. de Potent. art. 7. ad 7. quem fusè infra referemus, *eſt ſicut intentio ſola habens quoddam eſſe incompletum per modum quo virtus eſt in inſtrumento artificis.* Ita ut ſicut neceſſe eſt, inſtrumentum ab artifice moveri, & applicari ad opus quod molitur ; ita neceſſe ſit, cauſas omnes ſecundas ad ſuos effectus edendos, & operationes eliciendas à Deo tanquàm ſupremo totius Univerſi, *& omnium artifice*, moveri. Quamvis enim v. g. ſecuris ſuo acumine, ſuoque pondere idonea ſit ad lignum ſecandum, nihil tamen efficeret, niſi motu artificis impelleretur. Ita cauſæ ſecundæ quamvis omnibus ſuis facultatibus alioquin inſtructæ forent, inertes tamen eſſent ac otioſæ, niſi à Deo priuſquàm agerent moverentur. Quare concludit S. Thomas loco ſuperiùs citato his verbis. *Unde ſicut patet quòd inſtrumento artificis conferri non potuit quòd operaretur abſque motu artificis : ita rei naturali conferri non potuit quòd operaretur abſque operatione Divina*, quâ res naturales ad ſuos effectus edendos moveantur, ſicut inſtrumentum ab artifice ad efficiendum artefactum impellitur.

At verò contra ſentiunt plurimi ex recentioribus Theologis, eamque prævium motionem, & prævium influxum rejiciunt, eò quòd in cauſis naturalibus inutilem ; in cauſis verò liberis exitialem eſſe exiſtiment : in cauſa autem naturali ut agat ſufficere putent nativam virtutem agendi, ſubjectumque rectè diſpoſitum, cum concurſu ſimultaneo, quo Deus cum cauſa naturali concurrat, etſi nihil cauſæ imprimat, aut eam propriè ad ſuos effectus edendos applicet.

Verùm cùm nobis conſtitutum ſit demonſtrare, nihil à nobis uſurpatum eſſe quòd à S. Thoma acceptum non ſit, ſeu principia quis ſpectet quibus ea motio ſtabilitur, ſeu varios diſcurſus quibus probatur, ſeu exempla quibus explicatur, ſeu ſolutiones quibus argumenta objecta excipiuntur ; demonſtrandum etiam nobis eſt, ipſa prævias ſeu *prioris motionis, prædeterminationis, & prædeterminandi* nomina, nec ſemel aut iterum, ſed etiam quàm ſæpiſſime à D. Thoma uſurpata fuiſſe. Nec exiſtimandum eſt, futuram hanc quæſtionem de vacuo nomine ; cùm inde etiam validum argumentũ depromatur, quo rem ipſam prædeterminationis nomine ſignificatam Sancto Thomæ compertiſſimam ac maximè probatam fuiſſe oſtenditur. Nec verò hìc omnia colligere animus eſt quæ in hujus rei probationem afferri poſſent, id enim toto opere proſequendum eſt : ſed in anteceſſum aliqua hìc ſolùm ſeligimus, quibus manifeſtiùs ipſa prioritas Divinæ motionis deſignetur.

In primis enim quid aliud ſignificare voluit S. Thomas dum inquit 3. cont. Gent. cap. 149. quòd *motio moventis præcedit motum mobilis ratione, & cauſâ*. Quid enim aliud eſt præcedens motio quàm præmotio ? Atque eo principio probat egregiè S. Doctor, quòd homo ad promerendum à Deo auxilium, ſe ſe ipſum movere non poteſt, niſi Divino auxilio præveniatur : *quia*, inquit, *quælibet res ad id quod ſupra ipſam eſt, materialiter ſe habet : materia autem non movet ſe ipſam ad ſuam perfectionem, ſed oportet quòd*

ab

ab alio moveatur. Igitur ex S. Thoma Deus hominem movet, ipsumque prævenit Divino auxilio, ipsaque *Divina motio præcedit motum mobilis*, scilicèt ipsius voluntatis quæ movetur. Nisi hæc anteceſſionem, & prioritatem causalitatis significent, non video quibus unquàm significari possit.

Sed prætereà quid aliud est, aut fingi etiam potest esse præmovere, quàm causam secundam priùs movere quàm agat, ut ex præmissa notione præmotionis satis liquet. Atqui millies repetit D. Thomas, Deum movere causam secundam priusquàm causa secunda moveatur, & agat; & in eam influere. Etenim ut quædam recenseamus, q. 3. de Potent. art. 7. quem integrum explicabimus infra, sic habet: *Dicitur in libro de Causis, quòd virtus causæ primæ agit priùs in causatum, & vehementiùs in ipsum ingreditur*: & responsione ad quartum argumentum inquit, *quòd tam Deus, quàm natura operantur, licèt ordinentur secundùm prius, & posterius*: & in ipso Commentario libri de Causis egregiè observat, tria præstitisse Proculum hujus Operis Authorem. *Primum, quòd causa prima plus influit in effectum quàm secunda: secundum, quòd impressio causæ tardiùs recedit ab effectu: tertium, quod priùs ei advenit*. Atque hoc ultimum ita explicat. *Tertium*, inquit, *quòd priùs adveniat probat* Proculus *tali ratione: Causa secunda non agit in causatum suum nisi virtute causæ primæ, ergo & causatum non procedit à causa secunda nisi per virtutem causæ primæ: sic ergo virtus causæ primæ dat effectui secundæ, ut attingatur à virtute causæ secundæ; priùs enim attingitur à virtute causæ primæ*. Et in 2. Sententiarum dist.37. qu. 2. art. 2. quem fusius infra referemus, ter saltem priùs voluntatem à Deo moveri repetit, nec posse agere sine auxilio *prioris agentis, & ejus influentia*, & ejus actionem in aliquod *prius* esse reducendam: ac in 3. Dist. 23. q.3. art.1. sic habet: *Actio primi agentis est prior, & posterior. Prior in movendo, quia actiones omnium secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis, quæ cùm sit una, communiter omnes firmat*. Et in lib.2. cont. Gent.Cap.27. ait: *Oportet quòd agens per voluntatem ad agens per necessitatem naturæ comparetur, sicut agens universale ad agens particulare: agens autem particulare se habet ad agens universale, sicut ea quæ posteriùs sunt, & sicut ejus instrumentum*. Demùm q.27. de Verit. art.6. arg.4. ante corpus articuli, principium hoc universale usurpat: *Causa secundaria per prius recipit influentiam causæ primæ, quàm effectus causæ secundariæ*. Ubi utrumq; cõcursum luculentissimè explicat: simultaneum quidem in effectu receptum, dum inquit quòd *effectus causæ secundariæ* influentiam causæ primæ recipit: prævium verò, cùm inquit quòd *causa secundaria per prius recipit influentiam causæ primæ*. Sed demùm quid apertiùs? *Anima humana ordinatur sub Deo sicut particulare agens sub universali; impossibile est ergo, esse aliquem rectum motum in ipsa, quem non præveniat actio Divina. Unde & Joan.15. Dominus dicit: Sine me nihil potestis facere*, 3. contra Gent. cap.149. quid enim aliud est prævenire quàm priùs movere.

Plura hìc non referam: cui enim ista non satis sint, is sanè nec pluribus suaderi posset. Non prætermittam tamen quod inquit sæpissimè, ac millies etiam repetit S. Thomas, scilicet Deum esse causam principalem. 1. 2. qu. 1. art. 2. ita habet: *Tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale, ut supra habitum est*: scilicet in 1. p. qu. 22. & qu. 103. ubi & de Divina Providentia, & de Divina Gubernatione agit: quibus omnibus locis principium hoc statuit, omnem videlicet naturam, omnesque causas quantumvis infimas ad certos fines à Deo determinari, & veluti transmitti: iisque inclinationes consentaneas indidisse Deum, quibus consentaneum ipsis motum imprimit, quò ad destinatum scopum ferantur. Atque eodem sensu inquit posteà qu. 6. art. 1. ad 3. quòd *natura est quoddam instrumentum Dei moventis*: & lib.1. cont. Gent. cap.44. *Omnia moventia quæ sunt in Mundo, comparantur ad primum movens, quod est Deus, sicut ad agens principale*: & lib. 3. contra Gent. cap. 67. ubi probat, *Deum esse causam operandi omnibus operantibus*, quod Caput integrum infra referemus: *In ordine*, inquit, *causarum agentium Deus est prima causa, ut in primo ostensum est: ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius: causa autem actionis magis est id cujus virtute agitur, quàm etiam illius quod agit: sicut principale agens magis agit quàm instrumentum. Deus igitur principaliùs est causa cujuslibet actionis, quàm etiam causæ secundæ*.

Quin etiam nè quis existimet, hæc in hominis voluntate locum non habere, cùm ex prærogativa liberi arbitrii necesse sit, voluntatem seipsam movere, & esse causam suæ operationis etiam principalem: Idem S. Thomas qu. 24. de Verit. art. 1. ubi viginti argumenta sibi objicit, quibus probari posset, hominem non esse liberi arbitrii. Numero quarto ita sibi objicit: *Quantò aliqua causa magis influit in effectum, tantò est principalior: sed causa prima plus influit quàm secunda, ut dicitur in libro de Causis: & ita mens nostra non est causa principalis sui actus, sed Deus*.

Quid autem huic argumento reponit S.Doctor? Num negat, Deum esse causam principalem etiam omnium effectuum causarum secundarum, ipsiusque voluntatis operationis? quinimò respondet, quòd *causa prima dicitur esse causa principalis simpliciter loquendo, propter hoc quod magis influit in effectum: sed causa secunda secundùm quid principalis est, in quantùm effectus ei magis conformatur*. Equidem non est dubium quin causa secunda principalis sit in suo ordine, habeatque voluntas creata solidum, integrumque in seipsam ac suas operationes dominium: sed cùm non agat nisi virtute à Deo accepta; causa autem principalior ea dicenda sit quæ virtutem

confert quâ inferior causa agit: fit inde ut si causa secunda ipsaque voluntas quæ à Deo virtutem accipit, cum ipso Deo virtutem conferente comparetur; tunc principalior causa Deus dicendus sit: quod sanè totius Christianæ pietatis præcipuum fundamentum est, ut infra expendemus, quæ omnia hominum merita in Dei gratiam potiùs quàm in hominum industriam referenda esse nos docet. Vide quæ infra à nobis dicenda sunt Dissertatione 3. ubi ex Concilio Senonensi, & ex Magistro Sententiarum referemus Deum esse principaliorem causam operationum voluntatis quàm sit ipsa voluntas.

Igitur ex S. Thoma Deus hominem movet, ipsumque prævenit Divino auxilio, ipsaque Divina motio principalis est, & præcedit motum mobilis, scilicet ipsius voluntatis, quæ movetur. Atqui hæc omnia antecessionem, & prioritatem causalitatis significant, si quæ unquam significare possint. Ergo &c.

Quid verò ad ista reponi potest? Neque enim ullam verisimilitudinem habet, D. Thomam intellexisse, moveri à Deo causas secundas concursu dumtaxat simultaneo; cùm ipsum simultanei nomen prioritatem excludat. Et nè illud prætermittam quòd hìc observandum occurrit: quamvis S. Doctor dumtaxat dixisset, Deum movere causas secundas, nec addidisset *priùs* movere, nunquam tamen de solo concursu simultaneo hæc motio intelligi poterat. Unde sanè fatendum est ea excogitasse Recentiores, quæ nulli unquam Philosophorum in mentem venissent, & quæ simplicissimas Philosophiæ notiones, aut notissima principia evertunt. Quis enim unquam in dubium revocet, quòd cùm una causa alteram movet, & impellit ut agat, aut eam applicat ad operationem, necesse sit eam causam secundam quæ movetur & impellitur, priùs à prima seu superiori debere moveri, quàm ipsamet moveatur, & agat? Insita enim est hæc menti notio, quam ipsis etiam oculis haurimus, scilicet quòd *motio moventis præcedit motum mobilis, ratione* scilicet *& causâ*. Etenim cùm quis v. g. manu baculum movet, & baculo pomum ex arbore decutit; quis dubitet omninò necesse esse, nec aliter fieri posse, aut etiam intelligi, priùs imprimi baculo motum à manu, antequàm baculus moveatur, ac priùs percuti baculo pomum, antequàm ex arbore decidat? Idem in alterationis motu percipimus: priùs enim necesse est, imprimi calorem ligno, antequàm calefiat: priùs necesse est, immisso calore à Sole plantam foveri, antequàm germen, & florem emittat. Idem quoque agnoscimus in motu intelligibili; nam priùs necesse est, immitti speciem ab objecto, & priùs ea specie intellectum informari, antequàm objectum intelligat. Priùs enim necesse est, honestatem virtutis voluntati demonstrari, & priùs ab intellectu voluntati præcipi, ut propositam virtutem amplectatur, antequàm jubenti intellectui, & rationi voluntas pareat, virtutemque amet. Idem etiam contingit in artefactis: cùm enim ab artifice v.g. à pictore instrumentum movetur, priùs necesse est, penicillo imprimi motum à pictore, antequàm à penicillo linea aliqua duci, & imprimi tabellæ possit. Idem denique in causis, & motibus moralibus accidit: priùs enim necesse est, à Domino præceptum servo intimari, antequàm servus jussa Domini exequatur. Ergo in omni omninò genere motûs, seu localis, seu alterationis, seu intelligibilis, seu moralis, priùs necesse est, causam secundam à prima seu superiori moveri, antequàm ipsa causa secũda moveatur, & agat.

Et sanè, ut jam diximus, fatendum est, simplicissimas naturæ, & luminis naturalis notiones, ac principia omnia Philosophiæ everti, si negetur causam secundam priùs debere moveri à Deo quàm ipsa moveatur, & agat. Nec certè Philosophum unquam fuisse existimo, qui ita naturam motûs intellexerit, ut cùm dictum est causam primam, & principalem movere inferiorem, & instrumentum; non existimaverit moveri à principali causa priusquàm instrumentum agat; quique vulgatissimum, ac æternæ veritatis principium illud ultrò non admiserit, quòd scilicet *motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causâ*.

Sed prætereà cui unquam venisset in mentem, quòd cùm duę causę concurrunt, v.g. cùm duo equi nervos omnes intendunt, ac viribus omnibus quibus valent simul currum trahunt, unus moveat alterum, aut vires ad trahendum alteri tribuat? Uterque equidem currum trahit, & movet; sed non magis unus alterum movet quàm trahat, siquidem non aliter quàm trahendo movet. Ac demùm quod saltem nemo negare possit, ut ut ista intelligantur, manifestissimum est, nunquam dici posse in concursu simultaneo propriè ac in rigore, unam causam movere alteram. Propriissimè quidem unus cum altero equus trahit currum: at impropriissimè dici potest, unum movere alterum, aut eum impellere, aut eum trahere: adjuvat quidem unus alterum, non quòd alteri virtutem addat; sed quòd partem effectûs agat cui unus omninò, & totaliter efficiendo impar esset.

Atqui millies repetit S. Thomas, Deum causas movere, causas impellere, causis virtutem conferre, easque collata, & impressa virtute ad operationem applicare, & cum ea causam conjungere; neque ullum unquàm verbum adjecit S. Thomas quo significari possit, eum impropriè locutum esse: nec sine aliqua ipsius Angelici Doctoris injuria dici potest, in re dogmatica, maximique momenti semper motionis nomine abusum fuisse, ac voluisse Lectoribus suis illudere: ergo cùm toties S. Thomas repetat, Deum movere causas secundas, eas applicare, ipsis vim influere, imprimere, conferre: impossibile est ea de solo concursu simultaneo intelligi; sed necesse est, de sola ac propriissima prævia motione explicari, quæ antecedit efficitque motum mobilis, quod impellit, & cui virtutem imprimit.

Sed prætereà ita intellexisse S. Thomam, convinci facillimè potest argumento desumpto à simili nomine determinationis. Impossibile enim

est,

est, causam secundam, aut voluntatem determinari, nisi etiam priùs determinari intelligatur. Atque ita intellexisse S.Thomam liquet, quòd pro eodem, *& determinationis, & prædeterminationis* nomen usurpaverit; quòd scilicet exploratum sit, determinationis nomine aliquam prioritatem significari, & in omni ordine rerum quod determinatur posterius esse eo quod ipsum determinat. Undè S. Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 90. cùm illud S. Damasceni retulisset, *quòd Deus ea quæ sunt in nobis prænoscit, sed non prædeterminat*: eo sensu explicat, *quòd ea quæ sunt in nobis, Divinæ determinationi non sunt subiecta, quasi ab ea necessitatem accipientia*. Ubi manifestum est, eodem planè sensu à S. Thoma, & determinationem, & prædeterminationem usurpari: quòd, ut mox dictum est, ipso determinationis nomine aliqua prioritas, & anteceſſio non possit non significari: ergo quamvis nulla supperent loca in quibus S. Doctor expresse dixisset, Deum priùs movere causas secundas quàm agant, ipso motionis, & movendi nomine illa prioritas, & anteceſſio satis expressa fuisset.

Sed demùm nulla ratione ea solutio probari potest, quæ ad concursum simultaneum confugit: cùm (ut superiorem ex notione motûs rationem prosequamur) ea solutio quæ concursum simultaneum loco prævii supponit, si stare ac defendi posset; inconcussa hactenus veræ Philosophiæ fundamenta convellerentur; aut, quod iterum nemo negare possit, Philosophiæ principia à D.Thoma constituta omninò everterentur. Expresse enim S. Doctor, 1. 2. q. 113. art. 8. hanc in rebus physicis regulam statuit, quòd in quolibet motu naturali primùm est motio ipsius moventis: atque indè explicat, quòd cùm plura sint, quæ peccatoris hominis integram justificationem efficiunt, potissimùm verò infusio Divinę gratię, & motus liberi arbitrii in Deum: *Inter ea*, inquit, *naturali ordine primum est gratiæ infusio; secundum, motus liberi arbitrii in Deum. Cujus ratio est, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis*. Vide quis sit naturæ ordo, quæ lex rebus omnibus quæ movent, & moventur constituta: prior est motio ipsius moventis quàm motus mobilis. Et sanè res ipsa sensibus patet; cùm manifestum sit, movere antecedere ipsum moveri, sicut calefacere priùs est ratione, & causalitate quàm calefieri. Undè nec longo discursu opus esset, si antiquæ, & veræ Philosophiæ principia huic controversiæ dirimendæ advocarentur, ubi de sententia D. Thomæ ejusque mente agitur. Ita enim, & facilè uno verbo concludi posset, ipsam à S. Doctore admissam præmotionem fuisse: nam Deus movet causas secundas; Ergo & eas præmovet. Consequentia, ut diximus, nisi totius physicæ ac entis mobilis œconomia omnis evertatur, negari non potest: quia quocumque tandem modo intelligatur aut explicetur, nunquàm hic ordo rerum evertetur, nec unquàm fieri poterit quin moventis motio antecedat motum mobilis, & prius sit movere quàm moveri, & agere quàm pati.

Sed neque eo discursu, quamvis brevissimo, ac facillimo, opus est, cùm etiam expeditior res sit. Expresse enim inquit S. Thomas locis superiùs citatis, Deum movere causas secundas priùs quàm ipsæ causæ secundæ agant. Quid verò aliud est prius movere, quàm præmovere? nullus igitur hìc, ut diximus, concursui simultaneo locus esse potest; & necesse est, potiùs ista ex operibus D. Thomæ deleri, quàm negetur, admissam ab ipso S. Doctore fuisse motionem prę̣viam seu prę̣motionem.

Sed præterea alterum argumentum supereſt, cui nulla ratione occurri potest, ubi saltem de mente D. Thomæ agitur; cùm expresse utrumq; concursum, & prævium & simultaneum S. Doctor distinguat, & admittat. Admittit enim, causam primam influere, & in causam secundam, & in effectum causæ secundæ: & quidem *priùs* influere in causam secundam, quàm in effectum causæ secundæ. *Causa secundaria*, inquit, *per priùs recipit influentiam causæ primæ, quàm effectus causę secundariæ*, q. 27. *de verit.* art. 6. Atqui, ut supra advertimus ea influentia quam causa secunda recipit priùs quàm eam recipiat ipse effectus causæ secundæ, non potest non esse concursus prævius; ea verò influentia quam recipit effectus causę secundę non potest non esse concursus simultaneus. Ergo frustrà ad concursum simultaneum confugiunt, qui negant concursum prævium à S. Thoma admissum fuisse: cùm etiamsi cætera S. Doctoris loca innumera jam supra relata aut infra referenda deessent, utrumquè tamen concursum, simultaneum, & prævium Angelicus Doctor loco jam supra laudato manifestè admiserit.

Nec verò solùm eo loco utrumque concursum admittit, & distinguit S. Thomas, verùm etiam q. 3. de Potent. art. 7. ubi sanè nihil eorum prætermisisse videtur, quæ hanc de prævia motione Divina sententiam, vel explicare, vel roborare possunt. Responsione enim ad tertium argumentum apertissimè Divinam motionem in causa secunda impressam, ab ipsa operatione Divina S. Thomas distinguit, seu à Divino concursu, quo Deus effectum simul cum causa secunda efficit. *In operatione*, inquit, *qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis Divinæ; sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis*. Ubi vides utrumque concursum expressissimè distinctum, *in operatione qua Deus operatur, non operatur natura*: En expressissimè motionem prævìam, cùm scilicèt causa nihil adhùc operatur, sed solùm movetur à Deo; si enim à Deo moveatur, motionem à Deo recipit. Et verò ita fieri necesse est, quòd scilicèt causa secunda moveatur priusquàm ipsa se moveat, cùm non se moveat nisi quia movetur. In ea igitur operatione quâ Deus operatur, movendo naturam, & cùm naturæ motum imprimit, nondum operatur natura, sed impressum à causa prima dumtaxat

xat motum recipit. At verò cùm subdit S. Thomas quod postquàm mota, & excitata est, & applicata natura, & agit, tunc *ipsa operatio naturæ est etiam operatio virtutis Divinæ*; En etiam apertissimè concursum simultaneum: agit enim natura suam operationem, agit & eandem indivisam operationem Deus; *nec impeditur* subjungit S. Doctor, *quin natura & Deus idem operentur, propter ordinem qui est inter Deum & naturam*: eodem planè modo quo in instrumentis artis oculis etiam ipsis conspicimus, priùs manu præhendi à pictore penicillum, & eo motu quo præhenditur penicillus, ipse penicillus nihil adhuc efficit, sed motum à pictoris manu dumtaxat recipit. At cùm posteà pictor penicillo imaginem, vel delineat, vel efformat; eadem actio est & pictoris, & penicilli; istius ut causæ instrumentalis, alteriùs autem ut causæ principalis: neque impeditur quin eadem sit operatio utriusque, propter ordinem scilicèt quem servant inter se. Ergo immeritò, loco concursus Divini prævii simultaneus supponitur, cùm uterque à D. Thoma apertissimè expressus sit.

Confirmari demùm potest, quia ipsis etiam consentientibus Adversariis, in eo totius difficultatis cardo versatur, utrùm concursus Dei cum causis secundis, Divinaque operatio in ipsa causa secunda aliquid efficiat, quo ipsam immutet, aut hujus vim agendi compleat, ac veluti consummet. Negant enim qui prævias motiones respuunt; quos inter Suarez l. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 4. nu. 6. ita inquit. *Atquè ex his omnibus quoddam principium colligendum est, ad quod stabiliendum hæc omnia diximus; nimirùm hunc generalem concursum Dei ad actionem voluntatis seu causæ secundæ, quòd ad hunc proprium, & immediatum influxum in ipsum effectum, non esse aliquid distinctum vel prævium ad actionem causæ secundæ, nec circa causam ipsam versari, ei aliquid conferendo, quo ad agendum vel inclinetur amplius, vel confortetur, aut in vi agendi confirmetur.*

Hìc igitur totius difficultatis cardo versatur; Ergo si demonstrari possit Divinam operationem, aut influxum divinum circà ipsam causam secundam versari, ipsam causam secundam immutare, ipsius vim agendi perficere, complere, & veluti consummare, res omninò confecta erit, neque ulla ratione de mente S. Thomæ dubitari poterit. Atqui ex D. Thoma operatio Divina circa ipsam causam secundam versatur, Divinus influxus in causa secunda recipitur, ipsius vis agendi, & perficitur, & completur: Ergo nullus supererit dubitandi locus quin S. Thomas Dei motionem prævium admiserit.

Minorem toto opere demonstrabimus; sed ut aliqua in antecessum colligamus; In primis quid significat id quod inquit D. Thomas qu. 3. de potent. art. 7. *Deum in natura, & voluntate operantibus operari*: 1. p. q. 105. art. 5. *Deum operari in omni operante*? Quæ omnia fusè infrà referenda sunt; Ergo ex S. Thoma Divina operatio circa ipsam naturam, seu causam secundam, & voluntatem operantem operatur, & non solùm circà effectum. Sed quid significat, aut possit intelligi, cùm dicit, causam secundã non moveri, nisi in se se immutetur? nam moveri, est rem aliter se habere quàm priùs esset; & repugnat etiam intelligi, rem moveri, nisi motum ipsum recipiat: Quis enim dubitet, motum recipi in eo quod movetur: Neque enim de hoc dubitavit Aristoteles, à quo dictum est 7. Metaphys. lect. 9. *quòd totaliter motus est in eo quòd movetur*. Nec dubitavit S. Thomas, à quo etiam dictum est 1. 2. qu. 51. art. 2. *quod agens, in quantùm est agens, non recipit aliquid; sed in quantùm agit motum ab alio, sic recipit aliquid à movente*. Neque id aliundè, quàm experientiâ probandum est, hoc enim & sensus ipsi percipiunt. Atqui millies à D. Thoma dictum est, non ipsos effectus productos, sed ipsas causas secundas à prima moveri. Sed iterùm quem aliùm sensum habere possint hæc verba quę jam retulimus. *Causa secundaria priùs recipit influentiam causæ primæ, quàm effectus causæ secundariæ*? Sed demùm apertè docet S. Thomas, virtutem causæ secundę per influxum causę primę compleri lib. 3. contra gent. cap. 66. *quòd nihil dat esse, nisi in quantum agit virtute Divina*. Vbi num 4. ita habet. *Vltimum in bonitate & perfectione, inter ea quæ potest agens secundum, est illud in quod potest ex virtute agentis primi: nam complementum agentis secundi est ex virtute agentis primi: quod autem est in omnibus agentibus perfectissimum, est esse; quælibet enim natura vel forma perficitur per hoc quod est actu, & comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actum ipsum: igitur esse est quod agentia secunda agunt in virtute primi agentis.*

Hæc ibi D. Thomas. Quibus apertissimè liquet ex ipso S. Doctore, causam secundam compleri ex superaddita virtute causæ primæ. Unde credibile est, quòd cùm à Suare dictum est lib. 2. de concursu Dei cum voluntate cap. 6. nu. 14. quòd ejusmodi *complementum virtutis causæ secundæ* admitti non debeat, cùm *sine ratione, sine authoritate, & absque ullo indicio* asseratur. Credibile inquam est, cùm ista Suarez scripsit, nondùm in D. Thoma caput illud legisse: cùm alioqui tanti faciat S. Thomæ authoritatem, ut eum Augustino supparem dixerit, quemque ut *Ducem & Magistrum* sequi, *ejusque doctrinam pro viribus intelligere & defendere* velle profiteatur lib. 1. de gratia cap. 6. Undè non negasset quod adeò expressè assertum est à D. Thoma, *complementum agentis secundi esse ex virtute primi*, neque dixisset, ejusmodi complementum, *sine ratione, & sine authoritate admitti*.

Idem sensus est, cùm toties S. Thomas inquit, à Deo causis secundis ipsiqne voluntati virtutem aliquam imprimi: eaque præclarissima ratione explicat subordinationem, & dependentiam inferiorum causarum à superioribus. *Patet*, inquit, *quòd in corpus humanum, & virtutes corpores imprimere possunt corpora cælestia, sicut, & in alia*

in alia corpora, non autem in intellectum; ſed hoc poteſt creatura intellectualis; in voluntatem autem ſolus Deus imprimere poteſt. Opuſc. 2. cap. 129. Plura alibi referentur.

ARTICULUS III.

Prædeterminationis nomen, & res ex S. Thoma.

SEd ne quid nobis deſit, quo de mente D. Thomæ certò conſtet, probatam ipſi fuiſſe præmotionem, & prædeterminationem, quod hìc potiſſimùm probandum ſuſcipimus; etiam ipſum prædeterminationis nomen à S. Thoma uſurpatum, non autem à Banne primò inventum fuiſſe, demonſtrandum eſt. Quare afferenda hìc ſunt inſigniora quædam loca in quibus D. Thomas, & prædeterminationis, & prædeterminandi nomen uſurpavit.

Primus igitur locus eſt 1. p. qu. 23. art. 1. ubi cùm de Prædeſtinatione ageret, authoritatem S. Ioannis Damaſceni tanquàm ſuæ ſententiæ adverſam ita ſibi objicit. *Dicit enim Damaſcenus in 2. lib. Oportet cognoſcere quòd omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem prædeterminat: præcognoſcit enim ea quæ in nobis ſunt, non autem prædeterminat ea: ſed merita & demerita humana ſunt in nobis, in quantùm ſumus noſtrorum actuum Domini per liberum arbitrium. Ea ergò quæ pertinent ad meritum vel demeritum non prædeſtinantur à Deo, & ſic hominum prædeſtinatio tollitur.* Reſpondet autem S. Thomas: *Dicendum quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus quæ ſunt prædeterminatæ ad unum: quod patet ex eò quòd ſubdit; non enim vult malitiam, neque compellit virtutem: Undè prædeſtinatio non excluditur.* Hęc D. Thomas.

Ubi inprimis ultrò admittit S. Thomas eam prædeterminationem, quâ hominum voluntatem Deus moveat ac determinet, quæ tamen non imponat neceſſitatem. Etenìm cùm juxtà regulam vulgatiſſimam juris, exceptio communem regulam non evertat, ſed firmet potiùs in cæteris de quibus exceptio nulla fit; cùm D. Thomas eam prædeterminationem excipiat, & à voluntate creata removeat, quæ neceſſitatem imponat; manifeſtum eſt S. Doctorem aliam prædeterminationem admittere, quæ integram libertatem voluntati relinquit.

Quod confirmari etiam poteſt ex his quæ habet idem S. Thomas l. 3. cont. gent. c. 90. ubi cùm multis ſtatuiſſet, quòd electiones, & voluntates humanæ ſubduntur Divinæ providentiæ, & ea præcipuè ratione, quia quæ Deus agit in ordine providentiæ ſuæ agit: Atqui ipſa Dei providentia eſt cauſa electionis, & voluntatis noſtræ: Ergo electiones & voluntates noſtræ ſubduntur providentię Divinę.

Poſteà verò quædam explicat S. Thomas ex D. Damaſceno deſumpta, quibus ſignificari videbatur, humanas voluntates providentiæ Divinæ non ſubjici. *Similiter*, inquit, *quod Gregorius Nyſſenus dicit in libro quem de homine fecit; providentia eſt eorum quæ non ſunt in nobis: non autem eorum quę ſunt in nobis: & Damaſcenus eum ſequens dicit in 2. lib. quòd ea quæ ſunt in nobis Deus prænoſcit, ſed non prędeterminat; exponenda ſunt, ut intelligantur ea quę ſunt in nobis Divinę Determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* Itaque ex S. Thoma, ea quę ſunt in nobis, ſcilicèt electiones motuſque voluntatis noſtræ, non ſubjiciuntur determinationi Divinæ, *quaſi ab ea* determinatione *neceſſitatem accipiant*: Subjiciuntur ergo determinationi Divinæ alio modo, ſcilicet ita ut nulla neceſſitas ex ea determinatione in voluntatem derivetur. Cur enim prædeterminationem in totum non negat S. Thomas, ſed ſolùm determinationem cum neceſſitate conjunctam? niſi ut alteram cum libertate hominis voluntati relicta conjunctam à ſe ultrò admitti ſignificet: alioquì enim in totum prædeterminationem omnem negare debuiſſet.

Sed quamvìs rem determinationis nomine ſignificatam, à D. Thoma admiſſam fuiſſe, ex hoc utroque loco erui non poſſe quiſquam vellet, etſi nullâ veriſimili ratione illud contenderet; non negabit tamen, uſurpatum fuiſſe ab ipſo S. Thoma prædeterminationis nomen, quod tanquàm inauditum à Diſcipulis ipſius uſurpatum fuiſſe eis vitio vertitur.

Alterum locum in quo S. Thomas ex propria, & non ex D. Damaſceni ſententia, nomen prædeterminandi uſurpat, reperire eſt 1. p. q. 19. art. 4. ubi inquit: *Neceſſe eſt, ut agenti per naturam prædeterminetur finis, & media neceſſaria ad finem ab aliquo ſuperiori intellectu. Sicut ſagittę prędeterminatur finis, & certus modus à ſagittante.* Atque indè ut infrà expendemus validum deſumitur argumentum, quo probetur neceſſitas motionis pręviæ impreſſę cauſis ſecundis. Cùm enim neceſſe ſit, cauſas omnes agere propter finem quem plures ne quidem cognoſcunt: indè neceſſe eſt, cauſas ſecundas à Deo dirigi, ordinari, impelli, & prædeterminari ad ultimum finem, ſicut à jaculante ſagitta dirigitur impelliturquè ad ſcopum. Vndè S. Thomas q. 5. de verit. art. 2. obſervat contra veteres Philoſophos, qui caſu fortuito omnia fieri, & accidere exiſtimabant; ipſam rerum convenientiam, tot in rebus reperta commoda, conſtantem, ac perpetuum inter ipſas ordinem, ac totius vniverſi viciſſitudines demonſtrare, non temerè, ſed ob finem aliquem, & ex certa altioris intellectus dirigentis, & ordinantis ſcientia omnia proficiſci. *Undè*, inquit S. Thomas, *eſſe non poteſt quòd caſu iſta accidant, & ità oportet quòd procedant ex intentione finis. Sed id quod intellectu vel cognitione caret, non poteſt directè in finem tendere, niſi per aliquam cognitionem præſtituatur ei finis, & dirigatur*

gatur in ipsum. Ergò oportet quòd cùm res naturales cognitione careant, quòd præexistat aliquis intellectus qui res naturales in finem ordinet, ad modum quo sagittator dat sagittæ certum motum ut tendat ad determinatum finem. Undè sicut percussio quæ fit per sagittam non tantùm dicitur opus sagittæ, sed projicientis: ita etiam omne opus naturæ dicitur à Philosophis opus intelligentiæ: & sic oportet quòd per providentiam illius intellectus qui prædictum ordinem naturæ indidit, mundus gubernetur. Sed de his plura infrà dicenda sunt. Interim verò constat, repertum in S. Thoma, & prædeterminationis, & prędeterminandi nomen, nec à Banne primò fuisse inventum, sed à Banne aliisque D. Thomę discipulis ex ipso S. Doctore desumptum.

Tertius locus aliis non dissimilis ex Quodlibeti 12. art. 5. desumitur, ubi cùm de Fato ageret S. Thomas, rem ipsam quàm Fati nomine veteres intelligebant, causarum scilicèt connexionem per immobilem rebus ordinem inhærentem, ita ad Divinam Providentiam refert. *Alii*, inquit, *reducunt omnia hæc in causam supra cælestem, scilicèt in providentiam Dei, à qua omnia sunt prædeterminata, & ordinata: & secundùm istos Fatum erit quidam effectus Providentiæ: quia providentia nihil aliud est quàm ratio ordinis rerum proùt est in mente Divina: Fatum verò est explicatio illius ordinis proùt est in rebus.*

Hæc S. Thomas: quibus inprimis videre est prędeterminationem ab ipso S. Doctore fuisse admissam, nedùm in mente Divina omnia prędefiniente, prędordinante, prędeterminante, sed etiam in ipsis rebus prędordinatis. Etenìm ut ex aliis locis quæ supra attulimus, prædeterminationem Dei à S. Thoma fuisse admissam quę ab ipsius Discipulis defenditur, paucis demonstremus.

Observandum est, duplicem esse præordinationem, ac prædeterminationem, alteram scilicèt æternam, & alteram temporalem, quæ executioni mandet quod æterna prædefinit. Undè solent qui prędmotiones negant in rebus, etiam prædefinitiones in Divina mente negare, absolutas saltem, & quæ consensum omnem voluntatis creatæ antecedant; invicem enim, & Divinæ prædefinitiones æternæ, & temporariæ prædeterminationes connectuntur, & paris conditionis sunt. Quod enim in tempore geritur, necesse est ex his quę ab æterno, & prędefinita & prędeterminata sunt, derivari. Quare cùm alteram S. Thomas admittat, illam scilicèt æternam prædeterminationem, quâ omnia sunt & prędefinita, & prædeterminata; non potuit non admittere alteram quæ sit prioris prædeterminationis, æternę scilicèt executio; maximè cùm antiquorum Fatum ad Providentiam Divinam referat: eoque sensu S. Augustinum, & Boëtium secutus admittat illam causarum connexionem indissolubilem, & immobilem ordinem rebus inhęrentem. Atqui Fatum nihil aliud est quàm in ipsis rebus explicatio, & impressio illius ordinis, qui in mente Divina prędordinatio est, & prędeterminatio, qua de rebus omnibus ab ęterno Deus prędefinivit. Igitur necesse est, admissam fuisse à S. Thoma in ipsis rebus alteram prędeterminationem, & rebus inhęrentem ordinem, qui alterum in Divina mente existentę repręsentet, & executioni mădet.

Atque id observat ipsemet D. Thomas, 1. p. q. 106. art. 2. ubi ita inquit. *Divina Providentia per causas medias suos effectus exequitur. Potest ergo ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari; uno modo secundùm quòd est in ipso Deo, & sic ipsa ordinatio effectuum vocatur Providentia: secundùm verò quòd prædicta ordinatio consideratur in mędiis causis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem Fati.*

Sed hoc paulò fusiùs explicat idem S. Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 93. ubi sic habet. *Quidam verò in dispositionę Divinæ Providentiæ omnia reducere voluerunt quæcumque in his inferioribus casu contingere videntur: Undè omnia Fato agi dixerunt, ordinationem quæ est in rebus ex Divina Providentia, Fatum nominantes. Undè Boëtius dicit, quòd Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quàm Providentia suis quæque nectit ordinibus: in qua Fati descriptione, dispositio pro ordinatione ponitur; rebus autem inhęrens ponitur, ut distinguatur Fatum à Providentia; nam ipsa ordinatio secundùm quòd in mente Divina est nondùm rebus impressa, Providentia est; secundùm verò quòd jam est explicata in rebus, Fatum nominatur, mobilibus autem dicit, ut ostendat quòd ordo Providentiæ à rebus contingentiam, & mobilitatem non aufert, ut quidam posuerunt. Secundùm hanc ergo acceptionem, negare Fatum, est Providentiam Divinam negare.*

Sed demùm hoc unum saltem quòd maximè probare volumus, apertius est quàm ut negari possit, scilicèt præmotionis, prędeterminationis, & prędeterminandi nomen à S. Thoma usurpatum fuisse.

Quartum etiam locum observare libet, cęteris forsitan ea ratione anteponendum, quòd nedum à S. Thoma, sed etiam à D. Dionysio usurpatum fuisse prędeterminandi nomen demonstret. Ita igitur S. Dionysius cap. 5. de Divinis nominibus. *Exemplaria esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologi prædefinitiones vocant, & bonas voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas, secundùm quas substantialis essentia omnia prædefinivit, & produxit.*

Hęc D. Dionysius, quibus similia habet D. Thomas in commentario, quo ea D. Dionisii verba ita illustrat. *Hujusmodi*, inquit, *rationes sacra Scriptura vocat prædefinitiones, & bonas voluntates quæ sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum: quia per hujusmodi rationes super substantialis Dei essentia prædeterminavit omnia, & produxit.*

Eadem S. Dionisij verba refert idem S. Thomas q. 3. de Verit. art. 1. ubi inprimis inquit, admittendas Ideas non esse in iis quorum natura ad unum determinata est; *Quia ea quę ex necessitate naturæ agunt non prædeterminant sibi finem.*

nem. Quæ verò cum libertate agunt, cùm ſibi prædeterminent finem ac media eligant, quibus prædefinitum finem aſſequantur, neceſſe eſt quòd agendorum omnium rationes habeant, quæ rationes ipſæ ideæ ſunt. Deinde verò inquit: *Et hanc rationem ponendi ideas, ſcilicèt prædefinitionem operum agendorum innuit D. Dionyſius in 5.cap. de Divinis Nominibus dicens: Exemplaria dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologi prædefinitiones vocant, & Divinas, & bonas voluntates exiſtentium prædeterminativas, & effectivas, ſecundùm quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit & produxit.*

Quid his reſponderi poſſit, ſeu ipſam rem prædeterminationis nomine ſignificatam, ſeu ipſum nomen quis attendat? Admittit S. Dionyſius bonas voluntates in Deo exiſtentium rerum prædeterminativas, & effectivas, & quibus Deus omnia prædeterminat, omniaque producit: Atquì eâ prædeterminatione nihil aliud intelligi poteſt præter eam motionem præviam quâ Deus cauſas ſecundas applicat, & impellit ad producendos effectus. Neque enim S. Dionyſius hæc ad Divinas dumtaxàt rerum ideas refert, & exemplaria Divina, ſed etiam *ad bonas voluntates rerum prædeterminativas*, ut nihil prætermittere videatur eorum quæ ad opificem pertinent. Cùm enim neceſſe ſit, artificem operis quod molitur primò exemplar mente concipere; ſecundò velle manum operi admovere; tertiò reipsà opus mente conceptum producere, hæc tria expreſsè S. Dionyſius, & S. Thomas explicant, & in Deo ſupremo totius Univerſi opifice diſtinguunt: in primis *rerum exemplaria*, deinde voluntatem agendi ac producendi res mente conceptas, ſcilicèt *bonas voluntates*, ac tandem ipſam prædeterminationem, quâ ut omnes producit cauſas, omnes etiam ad agendum applicat, & impellit, mundumque adminiſtrat. Non pûto ullum eorum qui prævias motiones admittunt quidquam expreſſius aut optare, aut excogitare unquàm potuiſſe, his quæ ex SS. Dionyſio, & Thoma retulimus, *eſſe in Deo exemplaria, & bonas voluntates quibus omnia prædeterminat, & producit*. Hæc enim in quamcumque partem verſentur, negari non poteſt quin communi ſententiæ Scholæ Thomiſticæ maximè conſentiant: neque nos aliud intelligi volumus, quàm quod ejuſmodi verba in ſimpliciſſimo ſenſu intellecta ſignificant.

Sed nè alia prætermittam quæ annotari ſolent' etſi non omnia collecta fuerint: In primo ad Annibald. diſt.37.qu.unica, art. 4. inquit S. Thomas *à voluntate Divina modum rerum producendarum eſſe prædeterminatum*. Et opuſc.primo quod juſſu Urbani IV. edidit S. Doctor, cap. 16. ex S. Athanaſio refert, *ſecundùm prædeterminationem Divinæ rationis Deum humanam formam aſſumpſiſſe*: quæ verba explicans S. Thomas inquit; *Ideò dixit* (S. Athanaſius) *ſecundùm prædeterminationem Divinam, quia poſſibile erat Deo alio modo quàm per Chriſti Incarnationem perfectionem gratiæ humano generi conferre*.

Nec verò in operibus ſolùm Theologicis, & ad explicandas Theologiæ graves difficultates eo nomine uſus eſt S. Thomas: ſed ad explicandam etiam Scripturæ Sacræ vim verborum, illud idem nomen uſurpavit; ut Iſaiæ cap. 37. ad ea verba: *Nunquid non audiſti quæ etiam fecerim eis?* ait S. Doctor, *ut explicet malum pœnæ, quod per ipſum inferre prævidi, & prædeterminavi*. Quibus utrumque conjungit, & Divinam præſcientiam, & Divinam Providentiam, ac Omnipotentiam rerum omnium quæ geruntur effectricem, & Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. lect. 1. ut explicet ea verba: *cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*, inquit, *Temporibus* ſcilicèt *quibus prædeterminatum erat fieri*.

Non addam hìc plura, cùm hæc ſatìs ſuperque ſufficiant ad duplicem illam prædeterminationem explicandam, ſcilicèt æternam, & temporalem; æternam quidem quâ Deus omnia prædefinivit, præordinavit, ac prædeterminavit, etiam & ipſum voluntatis humanæ conſenſum, quem Divinæ etiam Providentiæ, & Divinæ determinationi ſubjici neceſſe eſt: ac deinde alteram temporariam Prædeterminationem, Divinæ ſcilicèt Prædefinitionis executricem, quâ Deus omnia, ac humanas etiam liberaſque hominum voluntates, & actiones prævenit, præmovet, & prædeterminat.

Hinc liquet, non poſſe hujus nominis *Prædeterminationis* novitatem objici, cum totiès à nobis repertum ſit nomen illud in SS. Patribus Dionyſio, Damaſceno, & Athanaſio, quos ſecutus eſt S. Thomas.

Unde non immeritò dixerim quod Tertullianus olim: *Quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio eſt, & virtus illi ſua aſſiſtit, nihil ſuſpicari licebit &c. Dictis non ſtetis ſi oculi veſtri permiſerint*. Apologet. cap. 23.

QUÆSTIO III.

Utrùm expressè à S. Thoma Prævia motionem admissam fuisse demonstrari possit?

SED manifestiora adhuc, & validiora aggredimur, quæ nemo planè nisi oculos sibi eruat, negare unquàm possit; & quibus ut retulimus supra, Suarez licèt plurimùm reluctans, cùm vellet D. Thomam in suam sententiam pertrahere, compulsus tamen est ingenuè fateri, hoc Articulo quem subjungimus, ab ipso S. Thoma physicam motionem prævium eodem sensu quo ipsius Discipuli interpretantur, admissam fuisse. Igitur explicandus est celebris ille Articulus septimus qu. 3. de potent. & ne quis collectis solùm quibusdam laciniis fucum sibi fieri existimet, ac ut omnem seriem, ordinem, connexionem, principia, exempla, argumenta, objecta, ac demùm omnia ad amussim expendat; integrum S. Thomæ Articulum ne resecto quidem apice referendum censuimus; nec dubitabimus seu subtilissimos, seu morosissimos hìc provocare, ac spontè palmam, aut, ut aiunt, herbam porrigere his, qui alium in hoc Articulo sensum, aliamvè sententiam repererint, præter eam de prævia motione physica, ac eodem sensu intellectam, quo à S. Thomæ Discipulis solet intelligi.

Ita verò habet S. Doctor,

ARTICULUS SEPTIMUS

D. THOMÆ QUÆSTIONIS TERTIÆ DE POTENTIA.

Utrùm Deus operetur in operatione naturæ.

SEPTIMO Queritur, utrùm Deus operetur in operatione naturæ. Et videtur quòd non 1. Natura enim neque deficit in necessariis neque abundat in superfluis. Sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis. Ergo non requiritur virtus Divina in rebus operans.

2. Sed dices, quòd virtus activa naturæ dependet in sua operatione ab operatione Divina. Sed contra; sicut operatio naturæ creatæ dependet ab operatione Divina, ita operatio corporis elementaris dependet ab operatione corporis cælestis; nam corpus cæleste comparatur ad corpus elementare sicut causa prima ad secundam. Non autem dicitur quòd corpus cæleste operetur in quolibet corpore elementari agente: Ergo non est dicendum, quòd Deus operetur in qualibet operatione naturæ.

3. Pretereà: Si Deus operatur in qualibet operatione naturæ, aut unâ, & eâdem operatione operantur Deus, & natura, aut diversis: Sed non unâ & eâdem; unitas enìm operationis attestatur unitati naturæ: Unde quia in Christo sunt duæ naturæ, sunt etiam ibi duæ operationes; Creaturæ autem, & Dei constat non esse unam naturam. Similiter nec est possibile quòd sint operationes diversæ. Nam diversæ operationes non videntur ad idē factum terminari, cùm motus, & operationes penès terminos distinguantur: Ergo nullo modo est possibile quòd Deus in natura operetur.

4. Sed dices, quòd duæ operationes possunt terminari ad idem, quæ se habent secundùm prius, & posterius. Sed contra: ea quæ immediatè se habent ad aliquid unum, non habent ad invicem ordinem: Sed tam Deus quàm natura immediatè operantur effectum naturalem: Ergo operatio Dei, & operatio naturæ non se habent secundùm prius, & posterius.

5. Prætereà: Quandocumque Deus aliquam naturam instituit, ex hoc ipso dat ei omnia illa quæ sunt de ratione illius naturæ, sicut ex hoc ipso quòd facit hominem, dat ei animam rationalem: Sed de ratione virtutis est quòd sit principium agendi, cùm virtus sit ultimum potentiæ, quæ est principium agendi in alio secundùm quòd est

aliud,

aliud,ut dicitur in 5.Metaphysic.Ergo ex hoc ipso quòd virtutes naturales rebus indidit,dedit eis quòd operationes naturales perficerent. Non ergo oportet quòd ulteriùs in rebus naturalibus operetur.

6. Sed dices, quòd virtutes naturales non possunt durare, sicut nec alia entia, nisi virtute Divina continerentur. Sed contra: non est idem operari ad rem, & operari in re: sed operatio Dei quâ virtutem naturalem vel facit, vel in esse conservat,est operatio ad illam virtutem constituendam, vel conservandam: non ergo propter hoc potest dici quòd Deus in virtute naturali operante operetur.

7. Prętereà: Si Deus in natura operante operatur,oportet quòd operando,aliquid rei naturali tribuat: nam agens agendo, aliquid actu facit: aut ergo illud sufficit ad hoc quòd natura possit per se operari,aut non. Si sufficit,cùm etiam virtutem naturalem Deus naturę tribuerit,eâdem ratione potest dici,quòd & virtus naturalis sufficiebat ad agendum, nec oportebit quòd Deus postquàm virtutem naturæ contulit, ulteriùs ad ejus operationem aliquid operetur: si autem non sufficit, oportet quòd ibi aliquid aliud iterùm faciat; & si illud non sufficit,iterùm aliud, & sic in infinitum, quod est impossibile. Nam unus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis, quia cùm infinita non sit pertransire,nunquàm compleretur. Ergo standum est in primo, dicendo quòd virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem, sine hoc quòd Deus in ea ulteriùs operetur.

8. Prętereà: Positâ causâ ex necessitate naturę agente, sequitur ejus actio,nisi per accidens impediatur; eò quòd natura est determinata ad unum: si ergo calor ignis agit ex necessitate naturę: ergo posito calore, sequitur calefactio, nec requiritur aliqua virtus superior agens in ipso.

9. Prętereà: Ea quę sunt omninò disparata,possunt ab invicem separari;sed actio Dei,& actio naturę,sunt omninò disparatę,cùm Deus agat per voluntatem,natura verò per necessitatē;ergo actio Dei potest separari ab actione naturæ;& ita nō oportet quòd Deus in natura agente operetur.

10. Prætereà: Creatura in se considerata Dei similitudinē habet, in quantùm actu est, & actu agit, & secundùm hoc est Divinæ bonitatis particeps. Hoc autem non esset si virtus sua ad agendum non sufficeret: sufficit ergo creatura ad agendum, sine hoc quòd Deus in ea operetur.

11. Prętereà: Duo Angeli in uno loco esse non possunt, ut à quibusdam dicitur, nè operationum confusio sequatur, quia Angelus ubi est ibi operatur: plus autem distat Deus à natura quàm unus Angelus ab alio: ergo Deus non potest simul in eodem cum natura operari.

12. Prætereà: Eccl. 15. dicitur quòd *Deus fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui*: non autem reliquisset si semper in voluntate operaretur: ergo non operatur in voluntate operante.

13. Prætereà: Voluntas est domina sui actus: hoc autem non esset si agere non posset, nisi Deo in ipso operante,cùm voluntas nostra non sit domina Divinæ operationis: ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.

14. Prætereà: Liberum est quod causa sui est,ut dicitur in principio Metaphysic. quod ergo non potest agere nisi causâ in ipso agente, non est liberum in agendo. Sed voluntas nostra est libera in agendo. Ergo potest agere nullâ aliâ causâ in ipsa operante. Et sic idem quod prius.

15. Prætereà: Causa prima plus est influens in causatum quàm causa secunda: si ergo Deus operetur in voluntate, & natura, sicut causa prima in secunda, sequeretur quòd defectus qui accidunt in operatione voluntatis & naturæ, magis Deo quàm naturæ, vel voluntati attribuerentur, quod est inconveniens.

16. Prætereà: Positâ causâ sufficienter operante, superfluum est alterius causæ operationem ponere: sed constat si Deus operetur in natura, & voluntate, quòd sufficienter operatur, Dei enim perfecta sunt opera: ergo superflueret omnis operatio naturæ,& voluntatis. Cùm ergo in natura nihil sit superfluum; nec natura, nec voluntas aliquid operaretur,sed solus Deus. Hoc autem est inconveniens: ergo & primum, scilicet quòd Deus in natura, & voluntate operetur.

1. Sed contra est quod dicitur Isa.26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*.

2. Prętereà: Sicut ars pręsupponit naturam, ita natura præsupponit Deum: sed in operatione artis operatur natura, non enim sine operatione naturæ, artis operatio efficitur, sicut igne emollitur ferrum, ut percussione fabri extendatur; ergo & Deus in operatione naturæ operatur.

3. Prætereà: Secundùm Philosophum in 2. phys. *Homo generat hominem, & sol, textu* 26. Sed sicut operatio hominis in generatione dependet ab actione Solis, ita & multò ampliùs actio naturæ dependet ab actione Dei. Ergo quidquid operatur natura, etiam Deus operatur.

4. Prætereà: Nihil potest operari nisi ens. Sed natura non potest esse nisi Deo operante, in nihilum enim decideret, nisi Divinæ potentiæ actione conservaretur in esse, ut patet per Augustinum super Genesim ad literam: ergo natura non potest agere nisi Deo agente.

5. Prætereà: Virtus Dei est in quolibet naturali, quia Deus in omnibus rebus esse dicitur per essentiam, & potentiam, & præsentiam; sed non est dicendum, quòd virtus Divina secūdùm quod est in rebus sit otiosa: ergo secundùm quod est in natura operatur. Nec potest dici quòd aliud quàm ipsa natura operetur, cùm non appareat ibi nisi una operatio: ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur.

CONCLUSIO.

REspondeo dicendum, quòd simpliciter concedendum est, Deum operari in natura, & voluntate operantibus. Sed quidam hoc non intelligentes in errorem inciderunt, attribuentes Deo hoc modo omnem naturæ operationem, quòd res penitus naturalis nihil ageret per virtutem propriam. Et ad hoc quidem ponendum sunt diversis rationibus moti.

Quidam enim loquentes in lege Maurorum, ut Rabi Moyses narrat, dixerunt omnes hujusmodi naturales formas accidentia esse. Et cùm accidens in aliud subjectum transire non possit, impossibile reputabant, quòd res naturalis per formam suam aliquo modo induceret similem formam in alio subjecto: unde dicebāt quòd ignis non calefacit, sed Deus creat calorem in re calefacta. Sed si objiceretur contra eos, quòd ex applicatione ignis ad calefactibile, semper sequebatur calefactio, nisi per accidēs esset aliquod impedimentum igni, quod ostendit ignem esse causam caloris per se; dicebant quòd Deus ita statuit, ut iste cursus servaretur in rebus, quòd nunquàm ipse calorem causaret, nisi apposito igne; non quòd ignis appositus aliquid ad calefactionem faceret.

Hæc autem positio est manifestè repugnans sensui. Nam cùm sensus non sentiat, nisi per hoc quod à sensibili patitur, (quod etsi in visu sit dubium propter eos qui visum extra mittendo fieri dicunt; in tactu, & in aliis sensibus est manifestum;) sequitur quòd homo non sentiat calorem ignis, si per ignem agentem non sit similitudo caloris ignis in organo sentiendi. Si enim illa species caloris in organo ab alio agente fieret, tactus etsi sentiret calorem, non tamen sentiret calorem ignis, nec sentiret ignem esse calidum; cùm tamen hoc judicet sensus, cuius judicium in proprio sensibili non errat. Repugnat etiam rationi, per quam ostenditur in rebus naturalibus nihil esse frustrà. Nisi autem res naturales aliquid agerent, frustrà essent eis formæ, & virtutes naturales collatę; sicut si cultellus non incideret, frustrà haberet acumen. Frustrà etiam requireretur appositio ignis ad ligna, si Deus absque igne ligna combureret. Repugnat etiam Divinæ bonitati, quæ sui communicativa est, ex quo factū est quòd res Deo similes fierent non solùm in esse, sed etiam in agere.

Ratio verò quam pro se inducunt, est omninò frivola; nam cùm dicitur accidēs de subjecto in subjectum aliud non transire; intelligitur de accidente eodem secundùm numerum; non quin simile accidens secundùm speciem possit induci in aliud subjectum, virtute accidentis quod alicui subjecto naturali inest. Et hoc est necesse in omni actione naturali contingere. Falsum etiam est quod supponunt, omnes formas esse accidentia; quia sic nullum esset in rebus naturalibus esse substantiale, cujus principium forma accidentalis esse non potest, sed substantialis tantùm. Periret etiam generatio, & corruptio, & multa alia inconvenientia sequerentur.

Avicebron etiam in lib. Fontis Vitę dicit, quòd nulla substantia corporalis agit, sed vis spiritualis penetrans per omnia corpora agit in eis, & tantò corpus aliquod

quòd eſt magis activum, quātò eſt purius, & ſubtilius, & per conſequens à virtute ſpirituali penetrabilius. Et ad hoc inducit tres rationes. Quarum prima eſt, quòd omne agēs poſt Deum requirit ſubjectam materiam in quam agat, corporali autem ſubſtantiæ non ſubjicitur aliqua materia. Et ſic videtur, quòd agere non poſſit. Secunda eſt, quia quantitas impedit actionem, & motum: cujus ſignum ponit, quia multitudo quantitatis retardat motum, & addit corpori gravitatem: & ita ſubſtantia corporalis quæ eſt implicita quantitati, agere non poteſt. Tertia ratio eſt, quòd ſubſtantia corporalis eſt remotiſſima à primo agente, quod eſt agens tantùm, & non patiens: ſubſtantiæ autem mediæ ſunt agentes, & patientes: unde oportet ſubſtantiam corporalem quæ eſt ultima, eſſe patientem tantùm; & non agentem.

Sed in hoc eſt manifeſta deceptio, ex hoc quòd accipitur tota ſubſtantia corporalis quaſi una, & eadem numero ſubſtantia, ac ſi non eſſet ſecundùm eſſe ſubſtantiale diſtincta, ſed ſolo accidente. Si enim diverſę ſubſtantię corporales ſubſtātialiter diſtinctę accipiantur; tūc non quelibet ſubſtantia corporalis erit ultima entium, & remotiſſima à primo agente, ſed una erit aliâ ſuperior, & primo agenti propinquior, & ſic una in aliā agere poterit. Item in prædictis conſideratur ſubſtantia corporalis tantùm ſecundùm rationē materię, & non ratione ſuę formę; cùm tamē ex utroq; ſit cōpoſita. Subſtantię enim corporali competit eſſe ultimum entium, & non habere inferius ſubjectū ratione materię, non autem ratione formæ: quia ratione formæ eſt inferius ſubjectum omnis ſubſtātia in cujus materia eſt in potentia forma illa, quam hæc res deſignata habet in actu. Et indè ſequitur quòd eſt mutua actio in ſubſtantiis corporalibus, cùm in materia unius ſit in potentia forma alterius, & è cōverſo. Si autem ipſa forma non eſt ſufficiens ad agēdum, eâdem ratione, nec vis ſubſtantiæ ſpiritualis, quā corporalis ſubſtātia per modum ſuum neceſſe eſt quòd recipiat. Quantitas etiam non tollit motū, & actionē, cùm nihil moveatur niſi quantum, ut in 6. phyſ. probatur. Nec eſt verū quòd quantitas ſit cauſa gravitatis: hoc enim reprobatur in 4. Cęli & Mundi. Unde & quantitas addit in velocitatem motus naturalis. Nam corpus grave quantò eſt majus, tantùm velociùs deorſum fertur, & ſimiliter leve ſurſùm. Licèt enim quātitas ſecundùm ſe non ſit actionis principium, non tamen poteſt aſſignari ratio quare actionem impediat; cùm magis ſit quoddā inſtrumentum qualitatis activæ; niſi quatenùs formæ activæ in materia ſubjecta quantitati receptæ, eſſe quoddam limitatū recipiunt, & individuatum ad materiam illam, ut ſic per actionem in aliam materiā non ſe extendant. Sed quamvis eſſe individuatum in materia conſequantur; rationem tamen ſpeciei non amittunt, ex qua ſimile ſibi in ſpecie producere poſsūt, licèt ipſęmet in alio ſubjecto eſſe non poſſint.

Non ergo ſic eſt intelligendum quòd Deus in omni re naturali operetur, quaſi res naturalis nihil operetur, ſed quia in ipſa natura, vel voluntate operante, Deus operatur. Quod quidem qualiter intelligi poſſit oſtendendum eſt.

Sciendum namque eſt quòd actionis alicujus rei res alia poteſt dici cauſa multipliciter. Uno modo quia tribuit ei virtutem operādi, ſicut dicitur in 8. phyſ. quòd generans movet grave, & leve, in quantùm dat virtutem per quam conſequitur talis motus: & hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt: Non ſolùm ſicut generans virtutem tribuit gravi, & levi, & eam ulteriùs nō conſervat, ſed ſicut continuè tenens virtutem in eſſe; quia eſt cauſa virtutis collatę, non ſolùm quantùm ad fieri, ſicut generās, ſed etiam quantùm ad eſſe: ut ſic poſſit dici Deus cauſa actionis, in quātùm cauſat, & cōſervat virtutem naturalem in eſſe. Nam etiā alio modo conſervans virtutem dicitur facere actionē, ſicut dicitur quòd medicinæ conſervantes viſum, faciūt videre. Sed quia nulla res per ſeipſam movet vel agit, niſi ſit movens, non motum: tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, in quantùm movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activę, ſed applicatio virtutis ad actionem, ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsū. Et quia natura inferior agens

non

non agit nisi mota, eo quòd hujusmodi corpora inferiora sunt alterãtia alterata, cælum autem est alterans non alteratum, & tamen non est movens nisi motum, & hoc non cessat quousque perveniatur ad Deũ: sequitur de necessitate quòd Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens, & applicans virtutem ad agendũ.

Sed ulterius invenimus secundùm ordinem causarum esse ordinem effectuum: quod necesse est propter similitudinem effectus, & causæ. Nec causa secunda potest in effectum causę primę per virtutem propriã, quamvis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodò effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantùm participat aliquid de virtute principalis causæ per motum ejus, sicut dolabra non est causa rei artificiatæ per formam, vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis à quo movetur, & eam quodammodò participat.

Unde quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti. Et hoc modo etiam oportet dicere quòd Deus est causa omnis actionis rei naturalis: quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior, & efficacior; & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum; & de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus, quòd est ens, & quòd est res naturalis, & quòd est talis, vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus: secundum omnibus rebus naturalibus; tertium in una specie: & quartum si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi proüt est instrumentum illius causæ quæ respicit totam speciem, & ulteriùs totum esse naturę inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis cęlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus & intimior omnibus aliis effectibus. Et ideò soli Deo competit secundùm virtutem propriam talis effectus. Unde etiam ut dicitur in lib. de Causis, *intelligentia non dat esse, nisi proüt est in ea virtus Divina*. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, proüt quodlibet agens est instrumentum Divinæ virtutis operantis.

Sic ergo si cõsideremus suppositа agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum: si autem consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causę erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris. Nam virtus inferior non conjũgitur effectui nisi per virtutem superioris, ut dicitur in lib. de Causis, *quòd virtus causæ primæ priùs agit in causatũ, & vehemẽtiùs ingreditur in ipsum*.

Sic ergo oportet virtutẽ Divinam adesse cuilibet rei agẽti, sicut virtutem corporis cęlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt, quia ubicunq; est virtus Divina, est essentia Divina, non autem essentia corporis cęlestis est ubicunq; est sua virtus. Et iterũ Deus est sua virtus, non autem corpus cęleste. Et ideò potest dici, quòd Deus in qualibet re operatur, in quantùm ejus virtute quęlibet res indiget ad agendum, non autem potest propriè dici, quòd Cælum semper agat in corpore elementari, licèt ejus virtute corpus elementare agat.

Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantùm dat virtutem agendi, & in quantùm conservat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantùm ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cùm conjunxerimus his, quòd Deus sit sua virtus, & quòd sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentię, sed sicut tenens rem in esse; sequitur quòd ipse in quolibet operante immediatè operetur, non excluſa operatione voluntatis & naturæ.

1. Ad Primum ergo dicendum, quòd virtus activa, & passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo. Requiritur tamẽ virtus Divina ratione jam dicta.

2. Ad Secundum dicendum, quòd operatio virtutis naturalis ad Deum, & corporis elementaris ad corpus cęleste, sunt quantùm ad aliquid similes, non autem quantùm ad omnia.

3. Ad Tertium dicendum, quòd in operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa naturę operatio est etiã operatio virtutis

Divi-

Divinæ : ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis. Nèc impeditur quin natura, & Deus ad idem operentur, propter ordinem qui eſt inter Deum, & naturam.

4. Ad Quartum dicendum, quòd tàm Deus quàm natura immediatè operantur, licèt ordinentur ſecundùm prius, & poſterius, ut ex dictis patet.

5. Ad Quintum dicendum, quòd de ratione virtutis inferioris eſt, quòd ſit aliquomodò operationis principium in ſuo ordine, ideſt ut agat, ut inſtrumentum ſuperioris virtutis. Unde exclusâ ſuperiori virtute, inferior virtus operationem non habet.

6. Ad ſextum dicendum, quòd Deus non ſolùm eſt cauſa operationis naturæ, ut conſervans virtutem naturalem in eſſe, ſed aliis modis, ut dictum eſt.

7. Ad Septimum dicendum, quòd virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quędam forma habens eſſe ratum, & firmũ in natura. Sed id quòd à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incõpletũ, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumẽto artificis. Sicut ergo ſecuri per artẽ dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens, non autẽ dari ei potuit quòd vis artis eſſet in ea quaſi quędã forma permanẽs, niſi haberet intellectũ: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipſa permanens; non autẽ vis quâ agit ad eſſe, ut inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei quòd eſſet univerſale eſſendi principiũ. Nec iterũ virtuti naturali conferri potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe. Unde ſicut patet, quòd inſtrumẽto artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione Divina.

8. Ad Octavum dicendũ, quòd neceſſitas naturæ per quã calor agit, cõſtituitur ex ordine omniũ cauſarũ præcedẽtiũ. Unde non excluditur virtus cauſę primę.

9. Ad Nonũ dicendũ, quòd licèt natura, & volũtas ſint ſecundũ eſſe diſparatæ, tamen in agendo habent aliquem ordinẽ. Nàm ſicut actio naturę precedit actionem volũtatis noſtrę, ratione cujus in operibus artis quæ à voluntate ſunt, naturæ operatione indigetur: ita volũtas Dei quę eſt origo omnis naturalis motus, precedit operationẽ naturę. Unde & ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur.

10. Ad Decimum dicendum, quòd creatura habet aliquam Dei ſimilitudinẽ participãdo bonitatem ipſius in quantum eſt, & agit; non tamẽ ita quòd per ſimilitudinis perfectionẽ ad æqualitatem perveniat; & ideò ſicut imperfectum indiget perfecto, ita virtus naturę in agẽdo indiget operatione Divina.

11. Ad Undecimũ dicendũ, quòd duo Angeli minùs diſtant ſecundùm gradum naturæ, quàm Deus, & natura creata. Tamen in ordine cauſæ, & effectûs, Deus, & natura conveniunt, non autem duo Angeli. Unde Deus in natura operatur, non autem unus Angelus in alio.

12. Ad Duodecimũ dicendum, quòd Deus non dicitur hominẽ dereliquiſſe in manu conſilii ſui, quin in voluntate operetur; ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, ut non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis: quòd quidem dominium naturæ non dedit, cũ per ſuam formã ſit determinata ad unũ.

13. Ad Decimumtertium dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſę primę, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unũ determinet, ſicut determinat naturam; Et ideò determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis.

14. Ad Decimumquartum dicendum, quòd non quælibet cauſa excludit libertatem, ſed ſolùm cauſa cogens, ſic autem Deus non eſt cauſa operationis noſtræ.

15. Ad decimumquintum dicendum, quòd quia cauſa prima magis influit in effectum quàm ſecunda, ideò quidquid perfectionis eſt in effectu, principaliter reducitur ad primam cauſam; quod autem eſt de defectu, reducendum eſt in cauſam ſecundam, quæ non ita efficaciter operatur ſicut cauſa prima.

16. Ad decimumſextum dicẽdũ, quòd Deus perfectè operatur, ut cauſa prima; requiritur tamẽ operatio naturæ, vt cauſę ſecundæ: poſſet tamen Deus effectũ naturæ

turæ etiam sine natura facere; vult tamen facere mediante natura, ut servetur ordo in rebus.

Hactenùs S. Thomas. Aureus planè dicendus Articulus, & veriùs quàm decantata illa carmina aurea: quo uno complexus est Sanctus Doctor quidquid solidius unquàm dictum est, seu principiorum ratio habeatur quibus stabilitur, seu argumenta expendantur quibus impetitur, seu responsiones attendantur quibus defenditur.

ARTICULUS I.

Explicatio Primæ Partis Superioris Articuli S. Thomæ.

Duplicem partem habet hic S. Thomę Articulus. Prima enim parte errorem quorundam veterum Philosophorum refert ac rejicit, quibus adeò certum, & exploratum visum est, Deum in causis omnibus secundis operari, easque movere, & applicare, ut etiam ultra quàm par esset progressi, existimaverint, causas omnes inertes, & otiosas esse; & Deum aut substantiam aliquam spiritualem quam fingebant corporibus, & causis præsentem, effectus omnes producere ad præsentiam causarum: & ut repetit etiam S. Thomas 3. contr. gent. cap. 69. *quòd ignis non calefacit, sed Deus causat calorem præsente igne, & similiter in aliis effectibus naturalibus.*

Errorem hunc quidam Philosophi nostra ætate revocare videntur: adeò nulla sententia est etiam à communi hominum sensu remota quæ patronum non reperiat; & quorundam aures aptę sunt, vt inquit Tertullianus lib. de pallio, *grandioribus fabulis*. Sed non est nostri instituti in hujus erroris impugnatione immorari, quem sæpiùs aliàs refellit S. Thomas: ut 1. p. q. 115. ar. 1. ubi etiam alios quorundam primę ætatis Philosophorum, & cùm adhuc in cunabulis Philosophia esset, errores refellit: utì errorem *Democriti, qui ponebat actionem esse per effluxionem atomorum à corpore agente, & passionem esse per receptionem eorundem in poris corporis patientis: quam opinionem*, inquit, *improbat Aristoteles in primo de generatione, Textu 57. usque ad 76.* quos etiam in hac veluti ultima ætate quosdam Philosophos revocare videmus, ut penè repuerascere dicendi sint.

Hoc enim in Philosophia contigisse videtur, quod in ætatibus hominum experimur. Post enim transactas variarum ætatum vicissitudines; post virilis ætatis maturitatem ac robur: post frigidioris, & languentis senectutis tarditatem, tandem repuerascunt homines, & ad primùm infantiæ statum redire videntur: ea lege rebus omnibus constituta, ut in eodem statu diu non permaneant, & cùm ultrà progredi non possint, ad infimum penè gradum decidant. Hanc si quis fuisse Philosophię sortem dixerit, is non procul à verò aberrabit: cùm audit infantium penè Philosophorum Epicuri, Democriti, & aliorum opiniones his temporibus revocari de atomis, & corpusculis, quorum varia configuratione composita omnia, ut existimabant, constarent: & quorum vario concursu secundùm locum, ac situm, quæ generationes, & corruptiones vocantur, motus omnes fiebant: negata omnibus corporibus aut forma substantiali quæ sensibus percipi non potest, aut etiam vi omni agendi; unde quidam causarum omnium actiones in Deum Authorem referebant. Ut enim observat S. Thomas 1. p. q. 44. ar. 2. *Antiqui Philosophi paulatìm, & quasi pedetentim intraverunt in agnitionem veritatis: à principio enim quasi grossiores existentes non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia, quorum qui ponebant in eis motum, non considerabant motum nisi secundùm aliqua accidentia, ut putà secundùm raritatem, & densitatem per congregationem, & segregationem*, & varias configurationes corpusculorũ, quę cùm secundùm locum, ac situm variè movebantur, & invicem impingebant, motus omnes alterationis, corruptionis, ac generationis fieri arbitrabantur. Hæc cùm hac ętate revocari videmus, quid aliud dici potest, nisi quòd repuerascunt Philosophi. Sed de his aliàs forsitan plura. Videndus de Epicuro Lactantius.

Sed causis omnibus non deesse facultates agendi, & principia quibus suas actiones producant, probat S. Thomas præter ea quæ hoc Articulo Septimo prosequitur, eâdem q. 115. ar. 1. ubi observat ex Dionysio cap. 15. Cęlest. Hierarch. *inter cęteras proprietates corporei ignis* dici, *quòd ad susceptas materias manifestat sui ipsius magnitudini activus, & potens*. Quæ verba faciliùs alia versio explicat, quæ sic habet; *in materiis quæ ipsius capaces sunt, magnitudinem suam declarat, vim habet efficiendi, potens est*. Et verò idem S. Dionysius inter ignis proprietates, maximè vim ipsius agendi commendat; ideoque inter Angelorum imagines, & symbola primo loco ignem reponit.

Prętèr verò alias rationes quas in Articulo 1. Partis refert S. Thomas; alteram egregiam habet 3. cont. gentes cap. 69. ubi eandem quæstionem pertractat: nimirùm quòd *si rebus subtrahantur actiones, subtrahitur ordo rerum ad invicem. Rerum enim quæ sunt diversæ secundùm naturas suas, non est colligatio in ordinis unitatem, nisi per hoc quòd quædam agunt, & quædam patiuntur. Inconveniens est igitur dicere quod res non habent proprias actiones*. Sed demùm corpora agere evidenter probat illud Genes. 1. *Germinet terra herbã virentem*: & alterum, *Producant aquę reptile &c.* Quibus verbis, & terrę, & aquis productio tribuitur. Sunt enim his primoribus causis à Deo inditę (vt vocat S. Augustinus l. 3. de Trinit. c. 8.) seminales rationes, & *occulta seminum semina*, quæ, ut explicat D. Thomas juxta veterem Aristotelis Philosophiam, 1. p. q. 115. ar. 2. non aliud sunt quàm virtutes activæ, quę sunt actionum principia.

pia. Ex quibus conſtat, multò dubio procul conformiorem eſſe Religionis, Fideique Catholicæ principiis, & Sacræ Scripturæ verbis, Philoſophiam Peripateticam; & veriſſimè, ut obſervat Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, *Philoſophiam Peripateticam ex lege Moſaica dependere*, ex eaque deſumptam eſſe.

Poſtquàm verò errorem hunc evertit S. Thomas, propoſitam quæſtionem ita pertractare aggreditur. *Non ergo*, inquit, *ſic intelligendum eſt quòd Deus in omni natura operetur, quaſi res naturalis nihil operetur, ſed quia in ipſa natura vel voluntate operante Deus operatur, quod quidem qualiter intelligi poſſit oſtendendum eſt.* In quibus verbis, ſicut & in ipſo articuli titulo obſervandum ſtatim occurrit; dubitari non poſſe, quin hîc quæſtio illa à S. Thoma pertractetur, de qua inter Recentiores, & D. Thomæ Diſcipulos agitur, quâ ratione ſcilicèt, Deus non cum natura aut cum voluntate dum agunt, operetur, quòd concurſum ſimultaneum dumtaxàt ſignificaret; ſed quâ ratione in ipſa natura & cauſis naturalibus, & neceſſariis, ac in ipſa creata voluntate, & cauſis liberis cùm agunt, & ut agant, Deus operetur; quod ſanè non poteſt non ſignificare diverſum omninò à ſimultaneo concurſum; id eſt etiam concurſum prævium.

In eo enim difficultas omnis verſatur, utrùm ſcilicèt Dei concurſus in ipſa cauſa ſecunda agente recipiatur, & neceſſe ſit, cauſam ſecundam ut impotentem aut indeterminatam compleri, & determinari, impreſſa ipſi virtute ſuperaddita? An verò concurſus Divinus recipiatur ſolùm in ipſo effectu producto à cauſa ſecunda? Negant enim qui adverſantur motionibus Divinis; cùm exiſtiment cauſam ſecundam quamlibet completam eſſe ex vi ſibi ingenita, neque aliud requiri, ſi cætera non deſint, & ſubjectum v. g. in quod agat, diſpoſitum ſit: unde negant, in cauſa ſecunda ullam virtutem ſuperadditam debere imprimi.

Atquì è contra S. Thomas inquit, Deum *in ipſa natura operante operari*; & velutì præſaga mente modos omnes qui fingi poſſunt, Divinæ operationis, & quos quiſque forſitan ſatìs eſſe exiſtimare potuiſſet, ut Deus diceretur in natura vel voluntate operari, eos inquam omnes modos conjungit: primum quatenùs vim agendi cauſis confert: ſecundum verò, quatenùs virtutem conſervat: tertium, quatenùs cauſas ſecundas quarum alioquin vis omnis agendi otioſa eſſet, ad agendum applicat, & impellit. Et quamvìs hic movendi modus applicatione ac impulſu cauſæ ad agendum, ſatìs ſignificare poſſet, Deum in natura operari, cùm neceſſe ſit eam applicationem paſſivam, & impulſum recipi in cauſa ſecunda, ejuſque actionem antecedere: nè quis tamen cavillari poſſet, aut non ſatìs eam operationem Divinam in cauſa ſecunda intelligeret; quartum modum addit, quatenùs ſcilicèt cauſa omnis ſecunda virtutem ſuperadditam ſibi impreſſam accipit ad efficiendam univerſalem, & communem rationem entis, quæ cujuslibet peculiaris cauſæ ſecundæ propriam, & determinatam virtutem ſuperat.

Et verò cùm S. Thomas eos quatuor modos explicet, quò pactò intelligi poſſit, quantùm quiſque ingenium torqueat, quis ſit ille quartus, & ultimus concurrendi modus quò Deus, ut prima, & principalis cauſa omnes cauſas ſecundas tanquàm inſtrumenta movet, & impellit; quæ ſit vis illa ſuperaddita, & cauſis ſecundis impreſſa quâ applicantur, & moventur, niſi ſit illa prævia motio de qua agimus? Sed id jam ex ipſis S. Thomæ verbis omninò evincendum eſt.

ARTICULUS II.

Expenditur triplex modus quò Deus juxtà S. Thomæ ſententiam cum cauſis ſecundis concurrit.

ITa igitur proſequitur S.Thom. *Sciendũ namq; eſt, quòd actionis alicujus rei res aliqua poteſt dici cauſa multipliciter. Uno modo, quia tribuit ei virtutẽ operandi, ſicut dicitur in 8. phyſ. quòd generans movet grave, & leve, in quãtùm dat virtutem per quã conſequitur talis motus: & hoc modo agit Deus omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt; non ſolùm ſicut generans virtutem tribuit gravi, & levi, & eam ulteriùs non conſervat, ſed ſicut continuè, tenens virtutem in eſſe; quia eſt cauſa virtutis collatæ, non ſolùm quantùm ad fieri ſicut generans, ſed etiam quantùm ad eſſe*; ſicut Sol eſt cauſa luminis per aërem diffuſi, non ſolùm quantùm ad fieri, ſed etiam quantùm ad eſſe, id eſt, non ſolùm ut primò ſit, ſed etiam ut conſervetur in aëre, & permaneat: unde abſcedente Sole, omninò diffuſũ lumen evaneſcit. Ita verò Deus, & utroq; modo in natura agit, *ut ſic poſſit dici Deus cauſa actionis in quantùm cauſat, & conſervat virtutem naturalem in eſſe: nam & alio modo conſervans virtutem dicitur facere actionem, ſicut dicitur, quòd medicina conſervantes viſum faciunt videre.*

Hæc quantùm ad duplicem primum modum quò Deus agit in natura cauſiſque ſecundis: quæ velle ex Patribus confirmare planè ſupervacaneum foret; cùm neque Philoſophos latuerit, & ut advertit Seneca lib. 4. de Benef. cap. 7. Jovem Statorem nominarunt, *non ut Hiſtorici*, inquit, *tradiderunt, ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit; ſed quòd ſtant beneficio ejus omnia, ſtator, ſtabilitorque eſt*, de quo videndus S. Auguſtinus lib. 3. de Civitate Dei cap. 13. & nos infrà ex eo principio, quòd Deus ſit cauſa rerum in eſſe & fieri, concurſum ſimultaneum demonſtrabimus.

Sed prætereà tertium modum addit S.Thomas, quò Deus cauſas ſecundas movet, applicat, & impellit,

pellit, in quo positam esse prævium motionem (si detur) ii quos supra retulimus consentiunt, & res ipsa clamat; cùm necesse sit motionem, applicationem, impulsumque antecedere ipsum effectum qui ex ea motione, & impressione altioris causæ consequitur.

Hunc igitur tertium modum ita explicat statìm S. Thomas. *Sed quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit movens immotum; tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantùm movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum.*

Meritò sanè in ea applicatione virtutis causæ secundæ ad actionem, nedùm S. Thomę Discipuli, sed ii etiam quos suprà retulimus, admissam fuisse à D. Thoma motionem prævium assenserunt. Quid enim apertiùs dici unquàm potuit, his quæ habet S. Doctor, Deum esse causam actionis cujuslibet causæ secundæ, *in quantùm movet ad agendum, in qua motione non collatio virtutis* in prima naturę institutione indita, *non ipsius conservatio intelligenda est, sed applicatio virtutis ad actionem*: sicut cùm instrumentum ad agendum, & ad moliendum opus ab artifice impellitur, & cietur. Hęc sanè nisi antecessionem, & prioritatem, & naturę, & causalitatis significent, non video quibus significari unquàm possint. Et sanè non poterant hęc alio sensu à S. Thomę Discipulis accipi, nisi quis S. Doctorem, quò nemo unquàm exactiùs eam loquendi propriissimam rationem, quæ Theologos decet, & res ipsę Theologicę postulant, usurpavit; impropriissima locutione in re dogmatica, & maximi momenti perpetuò usum fuisse existimaret.

Et verò ea ratione propriissimè Deum esse causam operationis, & effectus cujusque causę creatę, indè probari potest, quòd impossibile sit alio sensu intelligere causam unam efficere ut altera agat, nisi quatenùs eam movet, & ad agendum impellit, & si moraliter impellat, & moveat, etiam moraliter causa est cur agat, & causa moralis est sui effectus: si verò eam moveat physicè, etiam physicè causa est cur agat.

Etenim, ut inquit S. Thomas 1.2.q.80.a.1. *Non contingit quòd aliquis sit directè causa alicujus actus, nisi per hoc quòd proprium principium illius actus movet ad agendum.* Atque ea ratione negat Dęmonem esse causam directè actus voluntatis, quia deberet voluntatem quæ est principium actus, movere ad agendum physicè scilicèt; moraliter enim suggestione, suasione, & propositione objecti moveri voluntatem hominis à Dęmone dubitari non potest, ut ibid. toto Art. 2. prosequitur S. Thomas: Sed physicè id repugnat, inquit S. Doctor, quia *non potest interiùs inclinare*, seu movere *voluntatem ad volendum, nisi vel ipsa voluntas, vel Deus*, ut fusiùs etiam infrà prosequemur, ubi ea responsio impugnanda est eorum qui moralem Dei motionem loco physicæ motionis supponunt. Ergo propriissimè à S. Thoma dictum est, quòd *una res est causa actionis alterius, in quantùm movet eam ad agendum*. Cùm non alio pacto intelligi *possit, quòd aliquis sit directè causa alicujus actus, nisi quatenùs proprium ipsius principium movet ad agendum*. Quod etiam instrumenti comparatione manifestum est: quo pacto enim intelligi potest, pictorem v. g. causam esse imaginis depictæ, nisi quia penicillum movet, & applicat ad eam effingendam.

Atque ea ratione Deum esse causam omnium motuum, & actionum creaturarum, quatenùs eas movet, eas applicat, iisq; velutì instrumentis utitur, sępiùs docuit S. Augustinus potissimùm in ps. 34. vers. 1. conc. 1. ubi inquit: *Frameam* David *dixit animam suam, & Apprehendit* Deus *animam, & debellat inimicos. Quid est anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa: nam quælibet optimè facta framea nisi habeat bellatorem jacet... Ergo quidquid vult facit de anima nostra, cùm in manu ejus est, utatur de ea quemadmodùm vult.* En apertè quòd Deus apprehendit, applicat animam, eâque ut libet utitur.

Idem significant quæ habet S. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. ubi de Divina voluntate, Divinaque operatione loquens inquit, quòd *se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis, sive corporeis, sive rationalibus sive irrationalibus spiritibus, sive per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem.* Ac deinde mirabilem illum ordinem naturę explicans, quò inferiora semper per superiora reguntur, ita prosequitur. *Sed quemadmodùm corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ rationalis desertor atq; peccator per spiritum vitę rationalem pium, & justum, & ille per ipsum Deum; & ita ac si universa creatura per creatorem suum ex quo, & per quem & in quo etiam condita, & instituta est: ac per hoc voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum.*

Quæ ultima S. Augustini verba tanti ponderis esse existimavit D. Prosper, ut inter sententias ex S. Augustino collectas reponenda esse censuerit, sententiâ 58. atq; eadem sępiùs citat D. Thomas, ut probet Deum causas omnes secũdas movere, quia est prima omnium causa, quę causarum omnium creatarum effectuum magis causa est quàm sint ipsę causę secundę & creatę, cùm causas omnes secundas moveat, & sit ipsis causa agendi. Quodque de voluntatibus etiam hominum expressè dixit Augustinus (licèt difficilius id videretur ob humanam libertatem, quam necesse est servari illæsam) scilicèt quòd magìs ipse Deus in sua potestate voluntates hominum habeat, quàm ipsi suas.

Eandem applicationem expressit S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi cùm de vocatione Divina *effectrice bonæ voluntatis* loqueretur,

tur ; quæ dubio procul , & antecedit & efficit actum voluntatis ; ut explicaret nullam esse cordis , & voluntatis obdurationem quæ à Deo vinci non posset,inquit : *Quis audeat dicere , defuisse Deo modum vocandi , quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret , voluntatemque conjungeret , in qua Jacob justificatus est* . Quo in loco observari potest quàm parùm ad S. Augustini mentem consentaneè Suarez in opere posthumo *de vera intelligentia auxilii efficacis* , cap.37. hęc verba explicaverit . Ita enim explicat , non eo sensu , *quòd vocatio talis esset , ut determinaret Esau ; sed ut illa posita Esau ipse seipse applicaret , & determinaret , quamvis non sine cooperatione gratiæ* . Atquì & apertissimè detorta est ac violenta ea explicatio ; loquitur enim S. Augustinus de ea vocatione Divina *effectrice bonæ voluntatis*, quâ ut dixerat paulò ante , ipsam obtemperandi voluntatem & obedientiam facit , & de ea dicit , *non defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret , voluntatemque conjungeret, in qua Iacob justificatus est* . Si enim eam applicationem ab ipso Esau factam intellexisset , necessariò addere debuisset S. Augustinus non defuisse Deo modum vocandi,quo etiam Esau ad eam fidem *mentem* suam *applicaret*,*volũtatemque* suam *conjungeret* ; quod tamen minimè dixit D. Augustinus , quòd nimirùm de ipsa vocatione loqueretur , quâ Deus poterat ipsius Esau mentem applicare , ejusque voluntatem cum actu conjungere .

Atque huic simile est quod inquit idem S. Doctor lib. de bono perseverant. cap. 6. *Potens ergo est , & à malo in bonum flectere voluntates , & in lapsum pronas convertere ac dirigère in sibi placitum gressum* . Quod *flectendi* verbum sepissimè in S. Augustino occurrit , ut & *inclinandi* : quòd *si verborum controversias auferamus* , ut eodem cap. loquitur , quid aliud præter eandem applicationem significat , de qua loquitur S. Thomas locis supra citatis ?

Sed eandem prætereà S. Bernardus clariùs expressit lib. de gratia , & lib. arbitr. ubi inquit , quòd gratia voluntatem *applicat operi , & opus explicat voluntati* . Atque ad eandem applicationem non immeritò revocari potest quod Scriptura sacra creaturam similem instrumento esse dicat, quæ in Dei manu est : quòd scilicèt ad opus quod voluerit, eam applicet. Unde Isaiæ 10. v.5. Assirium Regem vocat *Virgam furoris* sui , ac deinde v.15.ut ejus gloriationem omninò retundat, inquit; *nunquid gloriabitur securis in eo qui secat in ea* ? quia nimirùm sicut artifex securi aut alio instrumento pro libito utitur, illud versat,illudque applicat : ita Deus universam creaturam,nec prętermissa voluntate creata , applicet, eâque veluti instrumento utatur . Unde & S. Thomas 3. contra gent. cap.47.*sub Deo* , inquit , *qui est primum intelligens , & movens ordinantur omnes hominum voluntates , sicut instrumenta sub agente* . Idemque ait sequenti cap. 48. Quæ omnia nõ alio germano sensu explicari possunt , quàm ut explicentur eo principio quod à S. Thoma constitutum est , quòd scilicèt una *res dicitur esse causa actionis alteriùs, in quantùm movet eam ad agendum ; sicut homo est causa incisionis cultelli ad incidendum movendo ipsum* .

Verùm pergit D. Thomas , Deumque esse causam actionis cujuslibet causę secundę,iterum probat ex ea mirabili rerum omnium , & causarum secundarum connexione , quâ inferiores causę superioribus subjiciuntur , ab iisque dependent , & vim quandam superadditam veluti in argumentum suæ dependentiæ recipiunt ; & quâ etiam participatione superioris virtutis perficiuntur ; ac demùm quâ causarum omnium connexione,& veluti harmonia , & concentu , ut post S. Dionysium , & Aristotelem inquit sepiùs D. Thomas , universum est unum unitate ordinis . Ex ea verò connexione , & causarum omnium subordinatione consequitur , inferiora omnia corpora,quę infra Lunę Cęlum posita sunt,quæque variis alterationibus, motibusque generationis, & corruptionibus obnoxia sunt, à cęlesti corpore dependere,& moveri, quod necesse est incorruptibile, & inalterabile esse. Oportet enim , ut egregiè sępiùs docet S. Thomas , illud quod universale est principium totius alicujus speciei vel generis , eo genere , vel specie non comprehẽdi; quia alias posset esse causa sui ipsius , si intra illam speciem contineretur cujus causa est . Unde ex his S. Thomę principiis ejus Commentator Cajetanus infert , ut hęc Philosophię principia ad præcipua fidei mysteria explicanda evehat , Christum Dominum , cùm sit universalis causa totius gratiæ filiationis , quę in universum Ecclesiæ corpus diffunditur ; non potuisse eo ordine filiationis adoptivę comprehendi ; sed debuisse in altiori ordine collocari , & esse non adoptivum filium sed naturalem. Ut enim necesse est multitudinem omnem ab unitate proficisci, inquit S.Thomas 1.p.q.115. ita necesse est, motum omnem à principio immobili fieri,& oriri : quod enim immobile est , uno modo se habet , & ad unitatem reducitur , eamque repręsentat : quod verò movetur se habet multiformiter,& veluti in multitudinem diffunditur . Unde necesse est , motum omnem effici à principio immobili : immobili inquam in ea specie aut genere motus , quo cętera quæ ipsi suppositа sunt , movet , ut diximus . Unde necesse fuit , Cælum quod est causa omnium motuum alterationis , & corruptionis , & tot vicissitudines suo accessu , & recessu , & veluti varias facies in orbem inducit , omninò esse incorruptibile , & inalterabile .

Sed prætereà , cùm Cœlum ipsum non sit primum movens , nec moveat nisi motum ; deveniendum est tandem ad alterum , & primum movens immotum,quod cætera omnia equidem moveat, nulli tamen generi motuum obnoxium sit , scilicèt Deum ipsum . Quo principio usus est S. Thomas 1. p. qu. 2. post Philosophum , ad existentiam Numinis demonstrandam : ut animadverti facile possit, idem esse principium, quo prę via Dei motio , & prævius influxus ad causas se-

cundas applicandas, & impellendas ad suos effectus producendos stabilitur, & quo Numinis existentia demonstratur. Unde non immeritò olim ab Universitate Duacensi in Thesibus publicè defensis anno 1609. dictum est, *quòd qui causam primam prædeterminantem tollunt, Deum de medio tollunt*, eo sensu, quòd eorum rationem quâ Dei existentia à Philosophis demonstrata est negent, ut refert eximius Lemos tom. 3.l.3. cap.2.

Hæc quæ paulò fusiùs expendimus, & faciliùs etiam minùs eruditi, minùsque in S.Thomę principiis versati ea intelligere possent, ita paucis collegit ipsemet S.Thomas. *Et quia*, inquit, *natura inferior agens non agit nisi mota, eò quòd hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata: Cælum autem est alterans non alteratum, & tamen non est movens nisi motũ; & hoc non cessat, nisi quousque perveniatur ad Deũ, sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens, & applicans virtutem ad agendum.*

ARTICULUS III.

Expenditur ex eodem Articulo VII. Quartus modus quo Deus concurrit cum causis secundis quas ut instrumenta assumit.

EXplicatis verò jam Tribus modis, quibus Deus cum causis secundis concurrit, in quorum tertio expressam agnitamque etiam tum à domesticis, tum ab extraneis motionem prævìam jam supra animadvertimus: Quartum nunc modum explicare S. Thomas aggreditur profundissimo discursu, quo rationes omnes, aut certè præcipuas, quibus demonstrari solet motionis prævìæ necessitas paucis ut solet, ingenii magnitudine complectitur; & quas nos ut faciliùs intelligi possint paulò fusiùs expendemus.

Ait igitur, hunc esse constitutum rebus omnibus ordinem, ut effectus proprii, propriis causis respondeant, & quælibet causa suum peculiarem effectum veluti fœtum à se genitum habeat & agnoscat, & ut loquitur S. Thomas, *secundùm* varium *ordinem causarum* varius *sit ordo effectuum*. Atque ita exigit ea similitudo quam inter causam, & effectum reperiri necesse est. Efficit enim causa effectum sibi similem, nisi monstrum pariat. Atque inde fit, quòd cùm causa quælibet suum dumtaxat peculiarem effectum habeat, nativæ virtuti agendi, & activitati parem; nulla vnquàm causa secunda ad effectum causæ primæ efficiendum possit assurgere propria sua virtute, quam inferiorem esse, & intra determinatum genus ac speciem contineri, ac comprehendi necesse est.

Quod præterea explicat S. Thomas, & probat comparatione instrumenti cum causa principali. Efficit equidem instrumentum effectum causæ principalis, sed tamen virtute dumtaxàt superaddita, sibique impressa à causa principali; sicut dolabra efficit artefactum, non quidem sola virtute propriâ, suâque ipsâ formâ aut acumine, sed ut movetur, versatur, impelliturque ab artifice. At verò inquit S. Thomas, commune est omnibus causis secundis, ut virtutis Divinæ, & causæ primæ tanquàm principalis sint instrumenta dum agunt: siquidem dum suos effectus producunt, efficiunt rationem aliquam, quæ propriam, & determinatam cujuslibet causę particularis virtutem longè superat, scilicèt rationem entis; quę cum universalissima, & communissima sit; omniaque transcendat; necesse est ad universalissimam causam tanquàm proprium ejus effectum reduci. Atque inde consequitur, non posse eam rationem entis attingi, & effici à causa particulari, & intra certum entis genus determinata, nisi à causa prima vim superadditam, sibique impressam recipiat; quâ eam entis rationem efficiat, quam sua peculiari, & solitaria virtute efficere nunquàm posset.

Ex quo demùm fit (quòd potissimùm est, & quod maximè in præsenti quæritur) quoties causę secundę agunt, toties Deum causam primam, vim quandam superadditam ipsis imprimere quâ agant, & quâ ad causam primam ut ad causam prę cipuam, & principem veluti instrumenta comparantur. Hinc faciliùs intelligi poterit profundissimus S. Thomæ discursus quem ita explicat.

Sed ulteriùs, inquit, *invenimus secundùm ordinem causarum esse ordinem effectuum; quod necesse est propter similitudinem effectus, & causæ; nec causa secunda potest in effectum causæ primæ, per virtutem propriam, quamvis sit instrumentum causæ primæ, respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam; sed in quantũ participat aliquid de virtute principalis causæ per motum ejus: sicut dolabra non est causa rei artificiatæ, per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis à quo movetur, & eam quoquo modo participat: Unde Quarto modo unũ est causa actionis alteriùs, sicut principale agens est causa actionis instrumenti. Et hoc modo etiam oportet dicere, quòd Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior, & efficacior; & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus quòd est ens, & quòd est res naturalis, & quòd est talis vel talis naturæ: quorum Primum est commune omnibus entibus, Secundum omnibus rebus naturalibus, Tertiũ in una specie, & Quartum si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi proùt est instrumentum illius causæ, quę respicit totam speciem.*

cient, & ulteriùs totum eſſe naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad ſpeciem in iſtis inferioribus, niſi per virtutem corporis cæleſtis, nec aliquid agit ad eſſe, niſi per virtutem Dei. Ipſum enim eſſe eſt communiſſimus effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus, & ideò ſoli Deo competit ſecundùm virtutem propriam talis effectus.

Hæc S. Thomas, quibus dubito an ſolidiora unquàm, & profundiora principia eſſe poſſint: & certè citrà cujuſquam invidiam dixerim, plurimùm ab ea ſoliditate, & profunditate ea principia abeſſe, quibus adverſa motioni prævіæ ſententia ſtabilitur. Atque ea omnia D. Auguſtinus lib. 5. de Civit. cap. 9. compendio dixerat: ubi tanquàm indubitatum verę Philoſophiæ principium, quod à Cicerone ac Stoïcis dictum olim fuerat, ultrò admittit, ſcilicèt: *quòd ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt etiam ordo cauſarum: non enim aliquìd fieri poteſt quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit*: cauſa nimirùm effectus illius propria: neque enim ſapientiſſimè totius naturæ ordo diſpoſitus patitur omnia confundi, & cauſam unam alterius ſibi effectum vendicare; ſed res omnes, ut alicubì Boëtius inquit, ſuam ſtationem ſervant. Atque indè omnia ad Deum revocanda eſſe S. Auguſtinus contendit: quia in eo ordine cauſarum *voluntas Dei plurimùm poteſt*. Ipſas enim *naturales cauſas nequaquàm ab illius voluntate ſejungimus, qui eſt author omnis conditorque naturæ*. Atque inde Stoïcorum errorem refellit, qui exiſtimabant fato omnia ſubjici, ac neceſſariò evenire. Nullum enim aliud fatum præter Divinam voluntatem agnoſcendum eſt: nam *in ejus voluntate ſumma poteſtas eſt, qui creatorum ſpirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat*, & ut poſteà ſubdit, *cui etiam voluntates omnes ſubjiciuntur, quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit*. De quo poſteà erit dicendum.

ARTICULUS IV.

Expenduntur, & magìs explicantur S. Thomæ rationes ex eo ſeptimo Articulo deſumptæ.

SEd ut intelligi facilè poſſit, unde D. Thomæ Diſcipuli ſua argumenta deprompſerint, quibus probant, cauſas omnes à Deo prævіè moveri, non longiùs eundum eſt. Ex hoc enim unico Articulo ſeptimo præcipua omnia argumenta deſumpta ſunt: ut indè manifeſtum ſit non aliam de Divina prævia motione S. Thomæ ejuſque Diſcipulorum ſententiam eſſe; cùm ipſis omnia communia ſint: eandem aſſertionem ſtatuant, eademque principia quibus probetur, eundem explicandi modum, eadem exempla, ac eadem argumenta uſurpent.

Sed ut hæc profundiſſima D. Thomæ principia nullo labore, aut ſaltem leviori ſtudio etiam à minùs exercitatis intelligi poſſint; longior hic S. Doctoris diſcurſus quò probat Deum motione prævia cauſas ſecundas ad agendum movere, & impellere, in communem Logicæ formam ita redigendus eſt.

Prima igitur ratio ſic formari poteſt. Quotiès neceſſe eſt, cauſam aliquam dum agit, rationem quandam in effectu efficere; quæ ejus virtutem propriam, & nativam ſuperat; totiès neceſſe eſt à ſuperiori cauſa, quæ parem virtutem habeat, huic rationi efficiendæ, virtutem ſuperadditam recipiat: atquì quotiès cauſa ſecunda agit, totiès in effectu à ſe producto rationem aliquam efficit, quæ particularem, & nativam ejus virtutem ſuperat: ergo neceſſe eſt, quòd virtutem aliquam, & vim agendi recipiat à cauſa ſuperiori, quæ alia eſſe non poteſt præter primam; & quæ virtutem parem habet ad efficiendam eam omnem rationem, quæ virtutem particularem, & determinatam cauſæ ſecundæ ſuperat.

Majorem licèt ſatis compertam probat S. Thomas ea ratione, quia cauſa quælibet ſuâ propriâ, & particulari virtute non poteſt niſi proprium, & virtuti ſuæ adęquatum, non verò altioris cauſæ effectum efficere: *nam ſecundùm ordinem cauſarum neceſſe eſt eſſe ordinem effectuum*; & niſi ea nativa cauſæ ſecundæ impotentia omninò ipſi intrinſeca ſuppleatur virtute quadam ſuperaddita, erit perpetuò ad effectum producendum intrinſecè impotens.

Minorem verò probat S. Doctor: quia quotiès cauſa ſecunda agit, efficit rationem entis, quæ & intimior, & profundior, ac etiam communior, & univerſalior eſt: atquì ea ratio entis ſuperat virtutem cujuslibet cauſæ ſecundæ particularis, cùm ea propriiſſimus ſit effectus, quem cauſa prima per ſe efficit: ſiquidem cauſæ univerſaliſſimæ neceſſe eſt correſpondere, & tribui effectum univerſaliſſimum; *ſecundùm enim ordinem cauſarum neceſſe eſt eſſe ordinem effectuum*, ut dictum eſt. Ergo cùm cauſa ſecunda dum actu agit, reipsà attingat, & efficiat rationem entis, quæ non poteſt in ſuo effectu non reperiri; neque poſſit eam entis rationem ſuâ vi nativâ agendi efficere; neceſſe eſt quòd virtutem aliquam ſuperadditam à cauſa prima recipiat, quæ rationem illam entis tanquàm effectum ſuæ virtuti parem, & adęquatum reſpicit. Hanc eandem rationem uſurpat ſępiùs Sanctus Thomas quotiès explicat, qua ratione Deus cum cauſis ſecundis concurrit, ut infrà magìs referemus.

Secunda autem ratio quæ ex præcedenti conſequitur, aut veriùs eadem omninò eſt cum ſuperiori, & major dumtaxàt ipſius explicatio, ſic habet. Neceſſe eſt quòd omne inſtrumentum dum agit, virtutem à cauſa principali ſuperadditam, ſibique impreſſam recipiat: *Quia inſtrumentum non agit per virtutem propriam, ſed in quātùm participat aliquid de virtute principalis*

agen-

agentis per motum ejus, ſicut dolabra &c. Atqui quælibet cauſa ſecunda eſt inſtrumentum cauſæ primæ, quatenùs aſſumitur ad effectum ipſi proprium efficiendum, & qui ſuperat virtutem cujuſque cauſæ particularis, ut dictum eſt ſuprà: ergo quælibet cauſa ſecunda recipit virtutem ſuperadditam à cauſa prima ut cauſa principali. Atque eam etiam rationem repetit ſæpiùs Divus Thomas, ut & idem artificis, & inſtrumenti exemplum.

Tertiò demùm utramque ſuperiorem rationem, ſi tamen ea diverſa ſit, ita S. Thomas explicat. Tria in qualibet re, & hoc ordine reperire eſt, quibus integra rei natura à primo ad ultimum gradum conſtituitur. Primum eſt ratio communis entis tanquàm fundum, ut alicubi ex S. Auguſtino vocat D. Thomas, & velutì primum ſubſtratum, cui cætera deinde ſuperadduntur; cùm cætera omnia ſint determinationes entis. Secundum eſt, quòd res ſit naturalis, ſeu corporea, ſeu ſpiritualis, ut hìc etiam voluntatis operationes locum habeant. Tertium verò quòd ſit talis vel talis naturæ in ea ſpecie conſtitutæ. Primum eſt commune rebus omnibus quæ participant rationem entis. Secundum eſt commune rebus naturalibus, ſeu corporeis ſeu ſpiritualibus. Tertium verò eſt commune ſpeciei in qua effectus ponitur. Quartum denique addi poteſt, ſi nimirùm addantur accidentia, ex quibus individuatio oritur. V. g. dum ignis ignem producit, vel homo hominem generat: in igne vel homine genito, quatuor hoc ordine diſtinguenda ſunt. Primum eſt univerſaliſſima, & analoga ratio entis. Secunda eſt ratio communis, & generica corporis. Tertium ratio magìs determinata, & ſpecifica, vel ignis, vel hominis. Quartum denique eſt ratio atoma, & ultima hujus in individuo ignis, vel hominis.

His igitur ita conſtitutis, cùm ſecundùm ordinem effectuum neceſſe ſit eſſe ordinem cauſarum; his etiam tribus (nam quantùm ad rationem atomam, & individualem, certum eſt quòd ea cuilibet cauſæ particulari ſumma adæquatione tanquàm proprius ejus effectus correſpondet:) his inquam tribus neceſſe eſt totidem cauſas correſpondere, quibus hæ rationes ſuperiores, & univerſaliores correſpondeant, & quæ ſua virtute perfectionem effectus adæquent, & efficiant. Quarè cùm in effectu producto, igne ſcilicèt vel homine genito, ejuſmodi rationes ſint, quas ignis, vel homo generans non poſſint propria virtute efficere, ſcilicèt ratio analoga, generica, ſpecifica; entis, corporis, hominis; neceſſe eſt, ut ejuſmodi cauſæ inferiores virtutem ſuperadditam recipiant à cauſis ſuperioribus, quæ eas rationes communes ut ſibi proprias, & adæquatas reſpiciunt.

Etenim non poteſt in primis homo alterum hominem ut homo eſt, ſeu ſecundùm rationem ſpecificam hominis producere. Ut enim inquit S. Thomas 3. contra Gent. cap. 65. *Nullum particulare agens univocum poteſt ſimpliciter eſſe cauſa ſpeciei: ſicut hic homo non poteſt eſſe cauſa ſpeciei humanæ; eſſet enim cauſa hominis, & per conſequens ſui ipſius, quod eſt impoſſibile. Eſt autem cauſa hic* in ſingulari & in individuo *homo, hujus* etiam in individuo & ſingulari *hominis per ſe loquendo.* Oportet enim, ut repetendum eſt ſæpiùs, ſecundùm ordinem cauſarum eſſe ordinem effectuum, & à cauſa ſingulari effectum ſingularem prodire, & effici; univerſalem verò ab univerſali. *Hic autem* in ſingulari, & in individuo *homo eſt per hoc quòd natura humana eſt in hac materia, quæ eſt individuationis principium. Hic igitur homo non eſt cauſa hominis, niſi in quantùm eſt cauſa, quòd forma humana fiat in hac materia: hoc autem eſt eſſe principium generationis hujus hominis. Patet ergo quòd nec hic homo, nec aliquod aliud agens univocum in natura eſt cauſa niſi generationis vel hujus vel illius rei: oportet autem ipſius ſpeciei humanæ eſſe aliquam per ſe cauſam agentem &c. & eadem ratio eſt de omnibus aliis ſpeciebus rerum naturalium. Hæc autem cauſa eſt Deus, vel mediatè, vel immediatè &c.*

Igitur ex his tribus quæ in effectibus productis enumeravimus, ſcilicèt ratione analoga entis, ratione generica corporis, & ſpecifica ignis, vel hominis, manifeſtum eſt, hominem generantem non poſſe eſſe cauſam hominis ut homo eſt, ſeu ſecundùm rationem ſpecificam hominis, ob rationem ſuperiùs explicatam: quia poſſet eſſe cauſa ſui ipſius, ſi eſſet cauſa ſpeciei in qua ipſe homo generans continetur. Atquì eâdem ratione non poteſt eſſe cauſa per ſe rationis genericę corporis, aut rationis entis, quæ communior eſt, & latiùs patet. Ergo neceſſe eſt, quòd dum homo generat hominem vel ignis ignem, virtutem impreſſam, & influxum à cauſa ſuperiori recipiat: à Deo ſcilicèt ad attingendam rationem communem entis: deinde à corpore cæleſti, & ingenerabili, ad attingendam rationem corporis generabilis: Tertiò ad attingendam rationem ſpecificam hominis, ab altera quadam ſuperiori cauſa, quæcumque tandem illa ſit, quæ totam ſpeciem hominis reſpicit: *quam quidem cauſam,* inquit S. Thomas opuſc. 15. c. 10. *Platonici poſuerunt ſpeciem ſeparatam à materia ad modum quo omnium artificialium principium eſt forma artis, non in materia exiſtens: ſecundùm Ariſtotelem autem hanc univerſalem cauſam oportet ponere in aliquo cæleſtium corporum.* Atque ab iis omnibus cauſis proximum agens homo, v.g. dum hominem generat, & dependet, & virtutem influxumque recipit. Ut enim inquit D. Thomas 3. contra Gent. cap. 70. *Oportet quòd actio inferioris agentis non ſolùm ſit ab eo per virtutem propriam, ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium: agit enim in virtute omnium.*

Tandem verò ultima, & atoma ratio ſingularis, & in individuo hominis geniti efficitur ab hoc ſingulari, & individuo homine generante. Atque eo pacto effectus proprii ſuis cauſis correſpondent, & adæquantur; nec una unquàm cauſa effectum alterius reſpicit, & attingit; niſi re-

cepta

cepta velutì hujus vicaria virtute, quâ ipsius instrumentum constituatur.

Hæc igitur argumenta præcipua sunt quibus, & explicari, & stabiliri solet prævia motio, ac prævius influxus, seu impressio quædam superiorum causarum, potissimùm primæ causæ, Dei scilicèt, facta in causis secundis. Atque ex eo fonte, à S. Thomæ discipulis, ipsoque Banne argumenta omnia deprompta sunt; quæ ex ea connexione causarum, quibus vniversi ordo constat, & eâ dependentiâ ac subordinatione causæ secundæ ad causam primam usurpant. Et sanè quis post hæc dubitare unquàm possit, D. Thomam eo loco præviam motionem prævumque influxum in causis secundis à prima, Deo scilicèt, derivatum non admisisse. Quò enim aliò tendere posset hæc causarum velutì concatenatio, ac inter se omnium subordinatio; hæc comparatio instrumenti, & artificis; hæc tam exacta triplicis in quolibet effectu producto, analogicæ, genericæ, & specificæ rationis distinctio; hæc demùm tam multis probata, & explicata causæ secundæ essentialis impotentia, ad attingendum sua virtute hanc triplicem universalem rationem, ad quam velutì supra se positam, nulla causa particularis suis viribus assurgere potest; quo inquam ista tenderent nisi ut inde S. Doctor demonstraret, necesse esse, quod dum causa secunda agit, virtutem superadditam, seù influxum à prima causa, Deo scilicèt, recipiat?

Et sanè quamvìs hæc principia firmissima sint, neque hæc causarum subordinatio, nisi quando cœlum, & terra transibunt, unquàm evertenda sit; cùm eâ totius orbis, & universi fixus ac immobilis ordo constet ac perseveret, ut ex S. Dionysio sæpius advertit D. Thomas: neque is fuerit S. Thomas qui debilia argumenta adhibere solitus sit, & sua tela languida manu intorquere; attamen ne quis unam alterius loco quæstionem supponat; esto de his principiis dubitare quisquàm possit, nec satìs firma alicui forsitan videantur: attamen hoc unum saltem concedi certè necesse est, reipsà scilicet S. Thomam his principiis, his exemplis, hoc tam longo discursu motionem prævium, seu causas secundas à prima causa, impressa ipsis virtute ad agendum, moveri, & applicari probare voluisse.

Et id quidem fateri Suarez coactus est, lib. 1. *de concursu Dei cum voluntate* cap. 11. ubi cùm de S. Thomæ mente ac sententia ageret, postquàm ultrò agnovisset, admissam fuisse à D. Thoma motionem prævium, hâc quæst. 3. de potent. art. 7. cui jam explicando incumbimus: quamvìs existimaverit, etiam S. Thomam deinde doctiorem factum, ut inquit, eam sententiam retractasse: posteà tamen hæc habet, quæ maximè observari necesse est. *Nec discursus* inquit, *quo in illa quæstione de potentia utitur D. Thomas est efficax; sic enim colligit, causa secunda non potest esse causa principalis existentiæ*: (De ratione entis locutus est S. Thomas eò loci, utriusque tamen eadem ratio est:) *nec potest illam propria virtute conferre, quia ipsum esse est universalissimus effectus, & est intimius, & actualius in omnibus rebus: & ideò à sola causa prima, & universalissima fieri potest, ut à causa propria, & principali. Causa ergo secunda solùm ut instrumentum primæ potest dare esse, & ideò requirit virtutem instrumentalem prævium per quam efficiat.* Hæc expressè Suarez: Posteà verò eam D. Thomæ rationem impugnat; ita tamen parùm efficacitèr, ut in eo impugnando morari necesse non sit. Fatetur itaque Suarez D. Thomam eam de prævia motione sententiam in q. 3. de potentia docuisse; & eo etiam discursu prælaudato, nimirùm ex subordinatione causæ secundæ sub prima, & essentiali causæ secundæ impotentia ad efficiendam rationem entis, D. Thomam necessitatem motionis prævìæ, & virtutis superadditę eo loco desumpsisse.

Quòd autem S. Thomæ discursus Suari non satìs acúcax visus fuerit, parùm nos movet; forsitan nec satìs ipse intellexit. Sed quòd ultrò agnoverit Suarez (quod sanè alioquin negare non potuit) D. Thomam præfato discursu usum fuisse ad probandam Divinæ motionis prævię necessitatem, omninò observandum est: hinc enim facilè dijudicari poterit, & planè convinci, nunquàm eam sententiam à S. Doctore fuisse retractatam. Qua enim ratione intelligi possit, ab ipso eam sententiam fuisse retractatam, si aliis etiam in locis, perpetuò iisdem principiis, eodemque discursu usus fuerit, scilicet causam secundam moveri & applicari à prima, agere in virtute ipsius causæ primæ, eo quòd causa secunda rationem entis, & ipsum esse, nisi accepta virtute à prima causa efficere non possit? Atquì perpetuò aliàs, etiam in locis in quibus sententiam mutasse à Recentioribus fingitur, eodem discursu utitur D. Thomas, ut probet Deum in natura operari. Ergo &c. Sed hęc deinde de comparatione eorum quæ docet S. Thomas, tùm 1. p. tùm lib. 3. cont. gent. facilè poterunt demonstrari.

Nec prętermittam hic in fine, quin respondeam instantię Suaris, quâ existimavit discursum S. Thomæ esse inefficacem. Cùm enim dixisset S. Doctor, addendam esse virtutem aliquam transeuntem, ut causa secunda produceret eam rationem entis, quæ nativam ejus virtutem superat: Id impugnat Suarez, quia inquit, hęc virtus intentionalis, & transiens, non est perfectior virtute permanente: Ergo si virtus permanens non potest eam rationem entis producere, neque id etiam poterit virtus impressa transiens.

Debilissimum sanè argumentum. quodque etiam vim rationis D. Thomæ invictam esse demonstrat. Et verò simillimum est argumentum, ac si quis diceret: Constat, virtutem cujuslibet instrumenti, v. g. penicilli, non satìs esse ad effingendam imaginem; sed adhibendam esse ipsius artificis, & pictoris manum, & motionem ab ipso impressam, quâ penicillum ducat: Atquì illa mo-

la motio ab artifice impressa intentionalis, & transiens, non est perfectior altera permanente. Ergo sicut penicillo solo non potest efformari imago, ita neque cùm manu pictoris ducitur penicillus.

Sed mirum est hoc idem argumentum non advertisse Suarem in D. Thoma. Hoc enim idem argumentum objecerat sibi S. Thomas in eodem articulo 7. cujus explicationi incumbimus num. 7. *Si* inquit, *Deus in natura operante operatur, oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat: aut ergo illud sufficit ad hoc quod natura possit operari, aut non sufficit: si sufficit, cùm etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione dici potest, quòd virtus naturalis sufficiebat: si non sufficit, oportebit quòd aliud iterum faciat* &c. Hæc D. Thomas, quę sanè idem argumentum à Suare objectum continent.

Quid verò Respondet S. Doctor? Respondet eâdem comparatione instrumenti quam supra retulimus: Scilicèt, quòd sicut instrumento datur virtus quædam transiens, quæ virtus licèt in ratione entis sit imperfectior ipsa virtute permanente, attamen in ratione virtutis, est multò perfectior; quia est intentio, & virtus artis, & totam artem velutì in se se continet, & ad effectum defert, & applicat: Ita similiter quod efficitur in causa secunda cùm agit, & ut agat, seu ipsa Divina motio, est quidem imperfectior in esse entis ipsa virtute activa causæ secundæ; cùm ea motio sit virtus solùm transiens, & motus impressus causę secundę; at verò in ratione virtutis est multò perfectior, quia est virtus causæ primæ, & infinitæ, Dei scilicèt, ipsamque ejus virtutem velutì involuit, & secum defert; sicut semen in se se virtute totam arborem complectitur; & ipsa virtus impressa instrumento continet artefactum. Hæc ipsa est S. Thomæ Responsio, quę impugnari debuerat; si reipsà impugnari potuisset.

ARTICULUS V.

Prosequitur S. Thomas: & ex libro de causis necessitatem Divinæ motionis prævię confirmat: locus à Suare interpolatus restituitur.

ETsi sæpiùs D. Thomas eandem præmotionis Divinæ, Deique, causæ primæ, virtutis impressæ causis secundis necessitatem probaverit duplici potissimùm propositione desumpta ex *libro de causis*, cujus authorem esse S. Thomas existimavit Proculum præstantissimum olìm Philosophum: quæ utraque propositio semper à veteribus, ut duplex certissimum principium usurpata est: Nullibi tamen expressiùs S. Doctor quàm in hoc Articulo 7. hujus quæstionis de potentia utramque propositionem usurpavit, ac utriusque, & germanum sensum, & vim omnem ostendit. Ita igitur habet, & ita superiora omnia confirmat.

Unde inquit, *ut dicitur in lib. de causis, intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus Divina. Sic igitur Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Divinæ virtutis operantis. Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum: si autem consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem causæ superioris. Unde dicitur in lib. de causis, quod virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum.*

Hæc S. Thomas: in quibus duo observari velim: primum est, quo sensu S. Doctor intellexerit, causam divinam intimiùs, & immediatiùs agere in effectum, quàm agat ipsa causa secunda: illud enim pravo sensu plurimi explicant. At verò D. Thomas ita germano sensu intelligit; scilicèt virtutem causæ primæ intimiùs, & profundiùs, ut alibi loquitur, in effectum causæ secundæ, quàm ipsius causæ secundæ virtutem in eundem effectum, pervadere, penetrare, & ingredi; quatenùs causa prima per se rationem entis respicit, quæ, ut supra diximus, intimior est, & velutì rerum omnium fundum: nec causa secunda eam entis rationem efficit, nisi virtute à causa prima, Deo scilicèt, derivata, sibique impressa. Intelligit verò S. Doctor, causam primam etiam immediatiùs agere quàm agat causa secunda, eo sensu, quòd virtus inferioris causæ non conjungitur suo effectui, nisi per virtutem causæ superioris, & ipsa superioris causæ virtus tanquàm altior, efficacior, & prior, conjungit causam secundam cum effectu, quatenùs ipsam movet, applicat, & in ipsum actum reducit. Quis autem unquàm intelligat, causam primam sua virtute inferioris causæ virtutem cum effectu conjungere, præsertim verò causam immanentem, (ad præcludendum hoc quamvìs leve effugium de causa agente actione transeunte, de qua infra explicando Cajetani mentem dicemus:) conjungere, inquam, causam immanentem, v.g. voluntatem, cum suo actu, de hac enim loquitur hìc etiam S. Thomas; nisi simul intelligat, illam superioris causę virtutem quę voluntatem creatã conjungit cum actu, reipsa utriusque, voluntatis scilicèt, & actûs unionẽ, & conjunctionẽ antecedere.

Observandum hìc etiam, quòd quamvìs alio forsitan sensu, hæc verba D. Thomæ intelligi posse, quisquam licèt præter omnem veri speciem contenderet: nullus tamen alius, nisi impropriissimus sẽsus esse potest, quantumvìs hęc verba in omnem partem versentur: quem improprium sensum, si quis Sancto Thomæ affingeret, is sanè injuriam faceret Doctorum omnium accuratissimo,

mo, quiquè nunquàm niſi propriiſſimam locutionem uſurpat.

Verùm, quæ in toto decurſu hujus quæſtionis D. Thomæ, jam explicatæ, antecedunt principia, exempla, diſcurſus, ut etiam argumenta, quæ ſibi objicit, & quæ deinde expendemus, omninò demonſtrant, hæc S. Doctoris verba non alio ſenſu ab ipſomet intellecta fuiſſe, quàm eo ſenſu quem ſupra explicuimus. Et eſt quæſtio hìc facti: nec enim quæritur, quo ſenſu ea quæ retulimus explicari poſſint, quis enim diſceptationum finis unquàm eſſet? Sed hoc unum in præſenti controverſia poſitum eſt quo ſenſu ea à D. Thoma fuerint intellecta.

Sed alterum prætereà obſervari velim, quod diſſimulare non licuit, ſcilicèt quàm parùm ſincera fide egerit aliquis in Suare (authorem enim ipſum accuſare nolim virum pium, & doctum:) in re ſanè graviſſimi momenti, vbi S. Thomam doctiorem factum, & ſententiam quam eâ qu. 3. de Potent. tenuerat retractaſſe lib. 3. cont. gent. ſuadere contendit. Ut enim eam retractationem probet, apertiſſimè D. Thomę textum, reſectis quatuor aut quinque lineis, corrupit ac temeravit. Ita ſanè facili negotio cujuslibet ſententiæ, & cujuſlibet Authoris retractatio probari poterit. *Libro* itaque *primo*; ſuperius citato, *de concurſu Dei cum voluntate*, cap. 11. mihi pag. 68. num. 9. refertur in Suare hæc duplex præfata propoſitio ex libro de cauſis, quam vtramque adhibuiſſe S. Thomam jam ſuprà vidimus: & ut nihil hac duplici propoſitione effici poſſe faciliùs oſtendatur, alioque etiam ſenſu aliis in locis à D. Thoma explicatam fuiſſe, quàm hîc explicuerit: expreſſus S. Doctoris locus refertur, & veluti acu demonſtratur, in quo diverſam afferat D. Thomas explicationem, & quæ alterius explicationis quædam retractatio ſit. Igitur ex lib. 3. cont. gent. cap. 70. ita habetur in Suare.

Ad tertium, præter propoſitionẽ ibi allatam, ſunt aliæ ſimiles in eo libro, quas D. Thomas ex parte refert, dicta queſt. de potentia art. 7. Prima eſt: Virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum. Nona eſt: Intelligentia nõ dat eſſe, niſi proüt eſt in ea virtus Divina: ſed hæc Nona, & decima-ſexta, quæ in objectione citantur, optimè exponuntur verbis D. Thomæ 3. cont. gent. cap. 70. vbi ſic ſcribit. Virtus inferioris agentis pendet ex virtute ſuperioris agentis, in quantùm ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti, per quam agit, vel conſervat eam. Unde inferiùs ſic colligit: oportet igitur, quòd actio inferioris agentis non ſolùm ſit ab eo per virtutem propriam, ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium, agit enim in virtute omnium. Hactenus ibi.

Quis verò non exiſtimaret, dum legit hæc dumtaxàt S. Thomæ verba, ſcilicèt, quòd *virtus inferioris agentis pendet ex virtute ſuperioris agentis, in quantùm ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti per quam agit, vel conſervat eam*: quis inquam nõ exiſtimaret ex S. Thomę ſententia, & expreſſa explicatione, eam propoſitionem, *Intelligentia non dat eſſe, niſi quatenùs eſt in ea virtus Divina*, eo ſenſu dumtaxat eſſe intelligendam, quatenùs ſcilicet Deus cauſa prima confert cauſæ ſecundæ agendi facultatem, quæ virtus Divina participata dici poſſit, & quatenùs eam facultatem agendi conſervat: Hæc enim duo dumtaxàt admiſiſſe S. Thomam contendit Suarez; collationem ſcilicet virtutis activæ, & hujus conſervationem.

Sed qua fide hæc duo dumtaxàt ex D. Thoma referri poſſunt, cùm manifeſtiſſimè tertium S. Doctor addiderit, ſcilicèt Deum applicare cauſam ſecundam, non ſecùs ac artifex inſtrumentum applicat ad opus quod molitur.

Et ne quis de Textu S. Thomæ corrupto dubitet, referendus eſt integer S. Doctoris locus, & expendendus, ut faciliùs poſſit intelligi. Itaque D. Thomas *cap. 70. lib. tertii cont. gent.* inquirit, & hunc titulum capiti præfigit. *Quomodo idem effectus ſit à Deo, & à naturali agente?* Et probat, totum, & integrum effectum à Deo, & totum etiam ab agente naturali effici, ſicut eadem actio eſt ab agente v.g. igne, & ab ejus virtute ſcilicèt calore; & ſicut effectus integer eſt à cauſa principali, & integer ab inſtrumento quod à cauſa principali aſſumitur. Unde caput ita concludit, & quæſtionem reſolvit. *Patet autem, quòd non ſic idem effectus cauſę naturali, & Divinę virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat; ſed ab utroque, ſecundùm alium modum; ſicut idem effectus attribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.* Quæ ſanè verba nemo negabit, parùm cum eorum ſententia conciliari poſſe, qui Divinam motionem prævium, aut motum cauſis ſecundis à Deo impreſſum negant, quique exiſtimant, Deum, & cauſam ſecundam, velutì partiales cauſas, ut ſunt duo trahentes navim, vel idem pondus ferentes, concurrere.

Cur autem integer effectus à Deo, integer etiam à cauſa naturali eſſe poſſit, aut debeat, eandem rationem reddit S. Thomas quam reddere ubique ſolet; nimirùm cauſam ſecundam eſſe inſtar inſtrumenti, cui cauſa principalis motum imprimit, dum ipſum juxta regulas artis verſat, & ad opus quod efficit, applicat: Unde ſic habet S. Doctor, ne mutato quidem apice, *Virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis, in quantùm ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti, per quam agit, & conſervat eam.* En modo verba quæ reſecta ſunt: ſcilicèt, *AUT ETIAM APPLICAT EAM AD AGENDUM, SICUT ARTIFEX APPLICAT INSTRUMENTUM AD PROPRIUM EFFECTUM, CUI TAMEN FORMAM NON DAT, PER QUAM AGIT INSTRUMENTUM, NEC CONSERVAT, SED DAT EI SOLUM MOTUM.* Hæc prætermiſſa ſunt: quæ autem ſequuntur, referuntur eo loco, ſcilicèt: *Oportet igitur quòd actio inferioris agentis non ſolùm ſit ab eo per virtutem propriam, ſed per virtutem omniũ ſuperiorum agentium; agit enim in virtute omnium.*

Hæc D. Thomas, in quibus dubitari non potest ea fuisse resecta, quæ applicationem significant, in qua tamen reposita est prævia motio Divina; quæquè superioribus maximè consentanea sunt, neque ullam vel minimam retractationis umbram indicant.

Unde hìc sanè non immeritò reponi potest quod alicubi S. Augustin. lib. 3. Operis imperfecti contra Julian. cap. 108. Juliano mala fide verba ipsius referenti reposuit; *Redde verba mea, & nihil valebunt tua*: nisi etiam ejusdem sapientissimi Ecclesiæ Doctoris malim modestiam imitari, qui ut similem interpolationem à Juliano factam excusaret, maluit Juliani errorem in mendosum codicem rejicere. Cùm enim dixisset S. Augustinus: *neminem esse liberum ad agendum bonum sine adjutorio Dei*, hæc tria ultima verba resecabat Julianus, ut conquerendi causam arriperet: benignè ipsum Julianum D. Augustinus corripit ibid. c. 105. reponit quæ prætermissa fuerant, additque, *sed cur ibi non legerim, sine adjutorio Dei*, quæ scilicèt resecta fuerant, *quamdiù possum, mendoso potius codici tribuo quàm tibi*. Igitur in mendosum codicem malim eam Suaris interpolationem quàm in ipsum Authorem rejicere: non enim aliud occurrit quo ipsius error excusetur, nisi vel mendosus codex fuerit, vel nimiùm fidisse Suarem existimetur alteri à quo deceptus fuerit. Nam alioquin æquissima esset expostulandi ratio, nedum S. Thomæ Discipulis, sed & Literatis omnibus quibus palàm imponitur; quique in apertissimum errandi discrimen conjiciuntur, quòd ad D. Thomæ sententiam probè intelligendam pertinet. Sanè his artibus, nec retractationem solùm, sed & crassissimos etiam errores, & quidquid gravius esse potest, facillimum erit ipsis etiam SS. Patribus affingere.

Sed ut palàm sit, existimatum semper fuisse, nedum à Domesticis, verùm etiam ab extraneis minimè suspectæ fidei, eodem planè sensu locutum fuisse S. Thomam *libri tertii cont. gent. cap.* 70. & eandem vim causis secundis à prima impressam admisisse, quam admiserat q. 3. de Potent. hunc eundem locum *libri tertii contra gent.* Ferrariensis in commentario ex altero quæstionis tertię de potentia explicat, & illustrat; & Conimbricenses quos supra retulimus, dum agnoscunt, D. Thomam, Divinam motionem prævìam docuisse; Ferrariensem referunt ex eodem loco *libri tertii contra gent. cap.* 70. tanquàm veram, & legitimam S. Thomæ mentem, & sententiam assecutum.

Sic igitur habet Ferrariensis: *Circa illam propositionem (Superius agens dat inferiori agenti virtutem per quam agit, vel conservat eam, vel applicat ad agendum) Advertendum ex doctrina S. Thomæ, de poten. q. 3. art. 7. ad septimum, quòd duplex vis ad agendum rebus creatis inest, dum agunt; una est forma habens esse firmum, & ratum in natura, per quam agunt tanquàm propria, & naturali virtute: alia est vis, quæ est intentio sola virtutis Divinæ, habens esse incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento. Et ista vis non convenit rebus nisi quando actualiter operantur, & agunt tanquàm Divinæ virtutis instrumenta; sicut & virtus artis non remanet in instrumento, nisi quando ipso utitur ad operationem artis. Deus ergo dat rebus naturalibus utramque virtutem; sed secundam tantùm illis communicat, dum eas ad operationem applicat. Ideò dixit S. Thomas, quòd superius agens dat inferiori agenti virtutem per quam agit, vel conservat eam, quod pertinet ad primam virtutem; vel applicat ad agendum, quòd per secundam virtutem efficitur.* Hæc Ferrariensis, in quibus eodem planè sensu intelligit, quæ habet S. Thomas, *lib. 3. cont. gent.* quo intelligit ea quę habet idem S. Doctor *quæst. 3. de potent.* & ex uno in alterum locum plurimùm lucis refundi arbitratur.

Sed præterea in prefatis Ferrariensis verbis alterum etiam observari velim, quo manifestissimum sit, nullum superesse excusationis locum iis qui ad creandam D. Thomæ Discipulis invidiam, Divinæ motionis pręvię sententiam in Bannem quasi in primum ejus authorem referunt. Quæro etenim, num reipsa Ferrariensis loco jam supra citato eandem planè motionem pręviam, eundem influxum, eandem virtutem à Deo causa prima collatam, & impressam causis secundis agnoverit, quam nunc S. Thomæ Discipuli asserunt, & tuentur? Nam de pręmotionis, sicut & de concursus simultanei, aut scientiæ medię nominibus, quæ non ita pridem in Scholas invecta sunt, rixari indecorum esset Theologo, dum de re ipsa constat. Neque enim est quod nos verbi *controversia torqueat*, ut ait S. Augustinus lib. 1. contra Cresc. cap. 13. *Cum enim res ipsa intelligitur, minùs laborandum est quid hominibus eam vocare placuerit.* Atquì admissam à Ferrariensi Divinam motionem prævìam, & qualem cæteri ejusdem scholę Discipuli nunc tuentur, & eodem planè sensu, ipsimet Conimbricenses assenserunt, & Suarez etiam loco superiùs citato, *lib. de concursu Dei cum voluntate*, ultrò agnovit. Qua igitur fide dici potest, incompertam omninò nedum Sancto Thomę, sed etiam ātiquioribus ipsius Discipulis motionem pręviam à causa prima causis secundis impressam, eamque à Banne primùm fuisse inventam? cùm Ferrariensis Cajetano Coævus, Banne multò antiquior, ita motionem prævìam expresserit, ut nullus unquàm dubitationi locus relictus esse possit.

ARTICULUS VI.

Explicatio vltimæ Partis Articuli: Quâ ratione ſcilicèt Deus in rebus immediatè operetur : Nova, & major Divinæ Motionis prævia explicatio.

EXplicatis jam modis quatuor quibus Deus in natura operatur, ſupererat, ut quod interdùm minùs provectis non mediocre negotium faceſcit, S. Thomas explicaret, quâ ſcilicet ratione Deus immediatè operetur in rebus; quod difficilius videtur, admiſſa motione prævia inter cauſam, & effectum media, & quâ Deus tanquâm virtute media operatur. Id autem in calce Articuli D. Thomas mirum in modum, & ſumma tum eruditione, tum ingenii ſolertia præſtat. Ita verò habet.

Sic ergo ſi conſideremus ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum effectum: Si autem conſideremus virtutem qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui quàm virtus inferioris. Nam virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in libro de Cauſis, quòd virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehemētiùs ingreditur in ipſum. Sic ergo oportet virtutem Divinam adeſſe cuilibet rei agenti, ſicut virtutem corporis cęleſtis oportet adeſſe cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt, quia ubicumq; eſt virtus Divina eſt eſſentia Divina; non autem eſſentia corporis cęleſtis eſt ubicūque eſt ſua virtus. Et iterum Deus eſt ſua virtus, non autem corpus cęleſte: Et ideò poteſt dici quòd Deus in qualibet re operatur in quantùm ejus virtute quælibet res indiget ad agendum: Non autem poteſt propriè dici, quòd cęlum ſemper agat in corpore elementari, licèt ejus virtute corpus elementare agat. Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cuislibet, in quantùm dat virtutem agendi, & in quantùm conſervat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantùm ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cùm conjunxevimus his, quòd Deus ſit ſua virtus; & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe, ſequitur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſa operatione volūtatis, & naturę. Hactenùs D. Thomas.

Sed ut enucleatiùs hæc explicentur, eaquè Dei immediata in rebus operatio probetur, animadvertendum eſt ex eodem D. Thoma, duplicem diſtinguendam eſſe Dei in rebus immediatam operationem. Dupliciter enim Deus in natura operatur, ut in reſponſione ad tertium argumentum apertiùs diſtinguit. Primò enim in natura operatur, *& in ea operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura.* Quibus verbis ut magìs infra expendemus, apertè divina motio prævia exprimitur, quæ cùm imprimitur naturæ, natura ipſa nihil agit, ſed ſolùm motionem recipit, quâ deinde agat: deinde verò cùm jam natura mota eſt, & applicata, agit Deus cum ipſa ſimul, & indiviſim operatur, & ad eandem naturæ actionem concurrit, eundemque effectum producit, non ſecùs ac principale agens cùm inſtrumentum movet verſatque, indiviſim cum inſtrumento eandem actionem producit, idemque opus molitur virtute aut motione impreſſa inſtrumento.

At verò jam demonſtrandum eſt, Deum immediatè operari cùm utroque illo modo operatur, & cùm movet naturam, naturâ ipsâ nihil agente, ſed ſolùm motionem recipiente; & deinde cùm efficit, quòd ipſa natura virtute jam recepta, & impreſſa operetur, & ſimul cum ipſamet natura effectum eundem producit.

Quod ad primum attinet, probatio facilis eſt: Primò quia cùm Deus in natura operatur, ipſique motum ſeu motionem imprimit, ipſa natura non operatur, ſed ſolùm motionem recipit: nullum ergo aliud agens intervenit, nulla alia virtus mediat, ſed Deus ſe ſolo eam motionem imprimit: Ergo Deus immediatè agit, & immediatione ſuppoſiti, & immediatione virtutis. Unde tunc ſimul cùm in natura operatur, ipſi illabitur, & tribuit eſſe, eam conſervat, & virtutem agendi confert, eamquè movet, ſeu motionem ei imprimit. Secundò, quia cùm in natura Deus operatur, non poteſt non operari per ſuam virtutem, nihil enim niſi per ſuam virtutē agit; Unde neceſſe eſt Divinam virtutem intimè præſentem adeſſe naturę in qua operatur: Atquì Deus eſt ſua ipſamet virtus, inquit S. Thomas; Unde diſcrimen intercedere animadvertit inter Deum qui in rebus operatur, & corpus cęleſte quod agit in inferiora. Nam *oportet* quidem, inquit S. Doctor, *virtutem Divinam adeſſe cuilibet rei agenti, ſicut virtutem corporis cælestis oportet adeſſe cuilibet corpori elementari agenti*. Verùm, latiſſimum diſcrimen eſt; *In hoc* enim inquit, *Deus differt, quia ubicumque eſt virtus Divina, eſt eſſentia Divina; non autem eſſentia corporis cęleſtis eſt ubicumque eſt ſua virtus*: Quia ſcilicèt cælum agit per virtutem à ſe diffuſam, quę cælū ipſum cum effectu, aut ſubjecto in quod agit, non conjungit. At verò Deus non alia virtute agit niſi ſibi intrinſeca, quæ Deum ipſum effectui præſentem ſiſtit. Unde iterum inquit D. Thomas, quòd *Deus eſt ſua virtus, non autem corpus cęleſte*: Et ideò dici poteſt, & debet, quòd Deus in qualibet re operatur, ipſique præſens adeſt; quæ tamen præſentia rebus inferioribus intima corpori cæleſti adſcribi non poteſt. Etſi enim in inferiora corpora cælum agat, ipſiſque virtutem agendi conferat; non tamen eis præſens ineſt, cùm ea virtus quâ agit, longè alia ſit à corpore cæleſti: Ergo cùm Deus in natura operatur, ipſamque movet, neceſſe eſt quòd ei præſens ſit, ac in ea immediatè operetur omni immediatione, & virtutis, & ſuppoſiti.

Sed objicere forsitan quisquam possit quod statim menti occurrit, nimirùm, quòd cùm *Deus in natura operatur, movendo ipsam*, ut loquitur S. Thomas, tunc etiam ipsi virtutem aliquam confert, & motionem imprimit; Ergo non nisi mediatè eam movet, mediâ scilicèt illa motione. Verùm hanc difficultatem abundè resolvemus, posteà quàm alteram partem probaverimus, quam majoris operæ pretium erit resolvere.

Quoad secundum igitur spectat, scilicèt immediatè Deum in natura operari, non solùm cùm naturam movet, in qua operatione, aut motione, natura ipsa nihil operatur; sed etiam cùm ipse Deus efficit quòd natura jam mota, & applicata eâ virtute impressâ operatur, & simul ac indivisim cum ipsa natura eundem effectum producit: Itaque probatur, Deum immediatè in natura operari utrâque immediatione suppositi, & virtutis; quod etsi quisquam sibi forsitan difficiliùs suadeat, certissima tamen ratione convinci potest.

Atque id expressè explicat S. Thomas, cùm inquit, *quòd si consideremus suppositа agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum: Si autem consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui quàm virtus inferioris: Nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris, ut dicitur in libro de causis, quòd virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum.*. Igitur cùm natura, seu causa secunda quælibet effectum suum producit, immediatè equidem ipsum attingit, & quidem immediatè immediatione suppositi ac virtutis; nullum enim aliud suppositum, nullaque alia virtus, mediat, ut apertum est; alioquin nullum agens creatum immediatè unquàm agere posset: Quamvis enim non nisi sua actione suaque virtute effectum producat; ea tamen actio aut virtus immediationem non impediunt, cum actio sit causæ ipsiusmet causalitas, & fieri aut inchoatio ipsius effectus. Atquì etiam eâdem ratione Deus eundem effectum causæ secundę immediatè producit, immediatione, & suppositi, & virtutis; immediatione quidem suppositi; quia cùm sit causa supereminens, superior, & altior, & quæ intimè naturæ, & causę agenti illabitur, non impeditur à natura, & causa secunda, quin immediatè adsit effectui, ipsumque attingat, eique conjungatur. Sed agit prætereà Deus immediatè etiam immediatione virtutis, eâdem ratione, quia cùm ejus virtus superior sit, & altior, omniaque transcendat, pervadat, ac penetret, etiam immediatè conjungitur effectui causæ secundæ, ipsumque producit. Imò ut egregiè notat Sanctus Thomas, *virtus superioris causæ est immediatior effectui quàm virtus inferioris*. Cujus rationem hanc reddit S. Doctor, quæ summè observari debet, cùm nihil apertiùs ad necessitatem motionis previę adstruendam dici possit, quæ causam secundam ab actu primo ad actum secundum revocat, & reducit. Nam *virtus*, inquit, *inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris*: quodque ex lib. de Causis refert, ubi quod à veteribus Philosophis instar Oraculi acceptum fuerat, dicitur *quòd virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum*. Igitur sicut actio inferioris causæ non impedit actionem Dei superioris agentis, ita nèc immediatio aut virtutis, aut suppositi, agentis inferioris, omnimodam Dei agentis superioris & universalis immediationem impediet.

Atque hæc omnia etiam confirmat S. Thomas, ac pluribus illustrat lib. 3. cont. gent. cap. 70. ubi inquit: *quòd in quolibet agente est duo considerare, scilicèt rem ipsam quæ agit, & virtutem quâ agit sicut ignis calefacit per calorem*: *virtus autem* inquit, *inferioris agentis dependet à virtute superioris agentis in quantùm superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti per quam agit vel conservat eam, aut etiam applicat eam ad agendum, sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum; cui tamen interdùm formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat ei solùm motum. Oportet igitur quòd actio inferioris agentis non solùm sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium, agit enim in virtute omnium. Et sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum: nam virtus infimi agentis non habet quòd producat hunc ex se, sed ex virtute superioris proximi, & virtus illius ex virtute superioris:* (Sive quod idem est, virtus inferioris agentis non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris agentis:) *Et sic virtus supremi agentis reperitur ex se productiva effectûs, quasi causa immediata; sicut patet in principiis demonstrationū, quorum primum est immediatum. Sicut igitur non est inconveniens, quòd aliqua actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute; ita non est inconveniens quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab utroque immediatè, licèt alio, & alio modo*. Hactenùs S. Thomas.

Igitur particulare quidem, & inferius agens immediatè agit suâ virtute, quâ ipsum agens cum effectu conjungit; neque impedit ea virtus quâ agit, quin immediatè agat utrâque immediatione suppositi, & virtutis; alioquin nunquàm immediatè ageret, cùm non nisi sua virtute agere possit. Atquì Deus etiam immediatiùs agit, siquidem *virtus inferioris agentis non conjungitur cum suo effectu*, neque ad actum reducitur, *nisi per virtutem agentis superioris*. Ideoque dictum est, quòd ea virtus superior *priùs agit in causatum*, quia virtutem agentis inferioris conjungit cum suo effectu. Ergo Deus etiam immediatè agit utrâque illa immediatione, & suppositi, & virtutis.

Atque id probatur etiam exemplo demonstrationum. Sed ut hujus probationis apertior vis sit, referenda sunt prætereà quæ habet S. Thomas in 1. lib. Sentent. & quæ Parisiis, cùm esset junior scribebat; unde intelligi possit in eadem sem-

ſemper ſententia fuiſſe, & quibus etiam demonſtratione Mathematica graviſſimam Theologiæ difficultatem reſolvit. Ita verò habet Diſtinct. 37.q.1. ar.1. ad 4. ubi cùm ſibi quartum hoc Argumentum objeciſſet: *Impoſſibile eſt quòd duo agentia immediatè operentur eandem rem, ita quòd utrumque illorum perfectè operetur: Quia ad unū operatum terminatur una operatio quæ erit ab uno operante &c. Ergo videtur quòd Deus non immediatè ſit operans quidquid in rebus efficitur.* Ita autem huic Argumento Reſpondet S.Doctor.

Dicendum, quòd reſpectu ejuſdem operationis non poteſt eſſe duplex cauſa proxima eodem modo, ſed diverſimodè poteſt: quòd ſic patet, Operatio enim reducitur ſicut in principiū in duo; in ipſum agentem: & in virtutem agentis, quâ mediante exit operatio ab agente. Quantò autem agens eſt magis proximum, & immediatum, tantò virtus ejus eſt mediata, & primi agentis virtus eſt immediatiſſima. Quod ſic patet in terminis. Sint A. B. C. tres cauſæ ordinatæ (prima, media, & ultima;) *Ita quòd C. ſit ultima quæ exercet operationem per virtutem ſuam & quòd per virtutem ſuam hoc poſſit, hoc eſt per virtutem B.* (quę media cauſa eſt) *& ulteriùs per virtutē A.* (quę eſt prima cauſa.) *Unde ſi quæratur quare C.* (ultima cauſa) *operatur? Reſpondetur per virtutē ſuam; & quare per virtutem ſuam? propter virtutem B.* (quæ eſt cauſa media:) *& ſic quouſque reducatur in virtutem cauſæ primæ, in quam docet Philoſophus quæſtiones reſolvere in lib. Poſterior. & in 2. phiſic. Et ita patet quòd cùm Deus ſit prima cauſa omnium, ſua virtus eſt immediatiſſima omnibus. Sed quia ipſamet eſt ſua virtus, ideò non tantùm eſt immediatum principium operationis in omnibus, ſed eſt immediatè in omnibus operans; quod in aliis cauſis non contingit, quamvìs ſingulæ res proprias operationes habeant, quibus producunt ſuos effectus.*

Hęc S. Thomas, quibus ob oculos ponit quod ſanè mirùm videri poterat, ſi ſuperficie tenùs, nec eà quâ par eſt attentione legeretur: ſcilicèt *quantò magis agens proximum, & immediatum eſt, tantò virtutem ejus eſſe mediatam*, & agentis ſuperioris virtutem immediatiorē eſſe: quo tamen nihil veriùs, nihil diviniùs dici unquàm potuit: nimirùm eâ ratione quam ſæpiùs ſupra retulimus; ſcilicèt quia *virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris*, ut inquit noſtro Art. 7. ſeu *quia virtus infimi agentis non habet quòd producat effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris*, ut dixit ſupra lib.3.cont.gent. Ideſt, quia virtus inferioris agentis non reducitur in actum niſi per virtutē ſuperioris. Inde enim manifeſtè cōſequitur; *quòd ſi cōſideremus virtutē qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæerit immediatior effectui.*

Atque inde facilè colligi poteſt vis probationis ex ſerie, & ordine demonſtrationum deſumptę: Dum enim plura principia inter ſe connexa ſūt, quibus velutì per gradus ab ultimo quod concluſioni propinquius eſt, ad primum uſque aſcenſus fit; neceſſe eſt quòd ad concluſionem eliciendam vis primi principij proximior, & immediatior ſit. Unde enim propinquius principium vim habet inferendi concluſionem, niſi ex dependentia, & connexione cum ſuperiori principio, à quo vim omnem, & efficaciam trahit: quæ ſi connexio interciperetur, nulla eſſet demonſtrationis vis; imò nulla eſſet omninò demonſtratio; quam neceſſe eſt ex primis, veris, & immediatis principiis conſtare, ut Philoſophus definivit. Atque id etiam in qualibet ſingulari demonſtratione videre eſt. Cùm enim duplici principio conſtet; altero ſuperiori quod in majori propoſitione poſitum eſt; inferiori altero, & propinquiori in minori poſito; nullam vim habet inferius, niſi quatenùs ſuperius virtute continet, aut veriùs virtutem ſuperioris. Unde ſuperioris virtus concluſioni inferendæ immediatior eſt. Quamvìs enim quodlibet principium ſuam peculiarem vim, & virtutem habeat; attamen *ea virtus inferior non conjungitur effectui*, aut concluſioni, *niſi per virtutem ſuperioris*. Unde enim v. g. rectè concludi poteſt, caſtitatem eſſe colendam; niſi quia temperantia colenda eſt, quæ virtus ſuperior eſt; & iterùm, quod eſt univerſalius principium, quia omnis virtus eſt colenda? Igitur eo exemplo demonſtrationum omninò convincitur, quod à S. Thoma dictum fuerat, & minùs cautos fallere, aut non ſatìs eruditos morari potuiſſet: *Quantò magis agens proximum, & immediatum eſt, tantò virtutem ejus magis eſſe mediatam, & ſuperioris ac primi agentis virtutem eſſe immediatiſſimam.*

Sed id altero prętereâ, nec minùs luculento exemplo demonſtratur, cauſæ ſcilicèt principalis, & inſtrumentalis; quo etiam apertiùs explicatur, Deum pręſentem eſſe cuicumque effectui etiam à cauſa ſecunda producto, utrâque præſentiâ immediatâ, & intimâ, tùm ſubſtantiæ aut ſuppoſiti, tùm etiam virtutis; & quidem intimiùs ac immediatiùs præſentem adeſſe, aut veriùs ineſſe, quàm adſit ipſamèt cauſa ſecunda.

Et quidem liquet ex ſupra dictis, quòd virtus principalis agentis immediatior eſt effectui producto, quàm ſit virtus ipſa inſtrumenti; cùm non conjungatur virtus inſtrumenti cum effectu, niſi per virtutem principalis agentis. At verò quod attinet ad ipſum agens principale; planum eſt non impediri quin immediatè agat immediatione ſuppoſiti, & præſens ſit effectui ab inſtrumento producto, niſi propter diſtenſam molem corpoream, & quantitatem, quâ ſimul cùm inſtrumento effectui immediatè præſens adeſſe non poſſet. Quòd ſi utrumquè agens, & principale, & inſtrumentale ex ſumma, & intima penetratione eandem omninò præſentiam haberet, non minùs immediatum eſſet agens principale quàm inſtrumentum; neque enim impediret moles corporea, quin Angelus v. g. intra corpus aliquod exiſtens immediatè ageret ſi vellet. Atquì multò intimior eſt Dei præſentia in rebus, ipſaque etiam voluntate humana, ipſiſque Angelis, quàm ſit præſentia Angeli in rebus corporeis; cùm Deus in rebus omnibus per illapſum pręſens ſit, nèc intra terminos ſolùm quantitatis, ut Ange-

lus,

lus, sed etiam intra terminos essentiæ, quæ præsentia per illapsum longè superat eam præsentiam, quâ unus Angelus alteri præsens adesse potest: & ut inquit S. Bernardus lib. 5. de considerat. *Angelus* quidem, *cum anima est, sed Deus in anima*. De quo etiam serm. 5. in Cantica: Ergo etiam dùm Deus agit simul cum natura, & causa particulari ac inferiori, nulla ratione prohiberi potest, quìn etiam immediatè agat; & multò minùs quàm impediri possit Angelus, ne immediatè agat propter molem corpoream, & quantitatem. Verùm aliqua sunt quæ morari quemquàm forsitan possent, & quæ proindè resolvenda sunt.

ARTICULUS VII.

Triplicis Difficultatis Resolutio.

OBjici itaque potest, quòd cùm Deus in natura operante operatur, eamque movet, etiam motionem quandam imprimat, seu impulsum quendam, quem virtutem Artis S. Thomas nuncupavit, & quem necesse est esse aliquod ens productum quocumque nomine nuncupetur, seu motus, seu impressio, seu qualitas, seu virtus impressa causæ, seu virtutis Divinæ quædam participatio, quâ Deus effectum causæ secundæ producit: Ergo jam dici non poterit, Deum immediatè operari, & efficere effectum causę secundæ, cùm non nisi mediatè eum efficiat, media scilicèt ea motione sua prævia impressa causæ secundæ.

Confirmatur hęc objectio; quia licèt dici possit, quòd cùm causa secunda, effectum producit, immediatè agat, & operetur, etsi non agat nisi solùm media actione, eo quòd non censendum sit actionem esse medium quod immediationem impediat; quia nimirùm actio est causalitas causę, & fieri ipsius effectus, undè, ut loquuntur, non ponit in numero: alioquin nunquàm causa secunda immediatè agere posset, cùm non nisi per actionem unquàm agat: Atquì de Deo id dici non potest; cum ea motio impressa causæ secundæ, ipsiùs Dei causalitas dici non possit; neque enim extra Deum Divina causalitas quærenda est: unde ea motio impressa est effectus ab ipso productus, & non ipsius causalitas. Ergo dici etiam non potest, Deum immediatè producere effectum causæ secundę, sed mediatè dumtaxat, mediante scilicèt alio effectu à se producto, nimirùm media motione prævia superaddita causę secundę.

Et demùm augetur etiam hujus Argumenti vis, ex eo quòd inde colligit S. Thomas, immediatè in rebus Deum operari, quòd non operetur nisi per suam virtutem, quæ est sua ipsius essentia: Atquì de ea motione, & virtute impressa causæ secundæ, dici non potest, quòd sit ipsa Dei essentia: Ergo cùm Deus operetur effectum causę secundę media illa motione pręvia, dici non poterit, quòd immediatè operetur.

Majorem probat D. Thomas: quia quotiès Deus agit, effectumque producit, totiès attingit rationem entis, quæ *proprius ipsius effectus est: sicut ignire est proprius effectus ignis*. 1. p. quę 6. art. 1. Atquì ea ratio entis cùm infinita, & illimitata sit, effici non potest nisi virtute infinita, quęque est ipsa Dei substantia: Ergo quoties Deus immediatè operatur, agit per suam virtutem, quæ est sua ipsius essentia, nec immediatè operari unquàm potest alia virtute quæ sit effectus aliquis productus, qualis est ea motio prævia impressa causis secundis.

Verùm non admodùm difficilis est hujus triplicis Argumenti solutio, si ea quę jam antè premisimus, & quæ nos edocuit S. Thomas, hùc etiam revocentur. Lege quę jam diximus sup. pag. 7. qu. 1. ar. 2. & difficultas omnis evanescet: cùm ea motio non aliud sit quàm ipsamet causa secunda, ut à Deo applicata; repugnat enim intelligi quòd immediatè applicetur, & moveatur, nisi motum recipiat: Ergo motus ille non impedit quominùs immediatè à Deo applicetur. Id omninò apertum est. Sed prætereà, etsi quis ultrò admitteret, quòd cùm Deus media sua motione effectum causę secundę producit, tunc ipsum non efficit immediatè: sed mediatè solùm, quid mali esset: si ea motio superaddita naturæ, & causæ secundę, ad Deum comparetur, ut effectus ab ipso productus, & ut reipsa ens aliquod verè realiter, & physicè productum, creatum, & distinctum. Nihil enim mirum videri debet, si cùm mediante eo effectu à se immediatè producto Deus effectum causæ secundę producit, tunc non immediatè, sed mediatè dumtaxàt operari dicatur. Dubitari enim non potest, quìn etiam Deus mediatè operetur, dum mediis causis utitur ad effectus producendos, tanquàm mediis instrumentis. Ut enim centies S. Thomas ex SS. Dionysio, & Augustino docuit, hoc Divinę Providentię munus pręcipuũ est, ad eamquè maximè pertinet, ut res corporeas, & inferiores per superiores administret, infimasque ad se, ut ultimum finem, & primam causam per medias reducat. Aut ut ex D. Dionysio l. 5. cęlest. Hierarch. sępiùs refert S. Thomas: *Lex Divinitatis est, ultima per media ad Deum reducere*. Et ut ipse inquit 1. p. qu. 22. art. 3: *Ad Providentiam duo pertinent, scilicèt ratio ordinis rerum provisarum in finem, & executio ejus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantùm igitur ad primum horum, Deus immediatè omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium &c. Quantùm autem ad secundum, sunt aliqua media Divinę Providentię, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suę virtutis, sed propter abundantiam suę bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet*. Igitur nihil adversum cõmunibus Theologię principiis, aut Divinę Providẽtiæ legibus concedere videretur, quisquis admitte-

ret,

ret, Deum mediatè dumtaxàt operari, cùm effectus cauſarum ſecundarum producit, ſi Divina motio ens aliquod omninò diſtinctum eſſe conciperetur.

Neque tamen obſtaret hæc ſolutio immediatę operationi Dei agentis in rebus: cùm certum ſit ex alio capite, ſemper immediatè Deum in rebus operari. Etſi enim is ſit ordo rerum à Divina Providentia in natura inſtitutus, ut longa ſerie cauſarum, quæ inter ſe ſe connexæ ſunt, effectus producantur, & Deus tanquàm omnium prima cauſa cæteras omnes, quarum aliæ propinquiores, aliæ remotiores ſunt, ad eos effectus producendos adhibeat: attamen certum omninò eſt, & indubitatum, eam omnium cauſarum ſeriem, quæ inter Deum, & effectus productos intercedũt, non impedire quominùs Deus immediatè, etiam in ipſis effectibus productis operetur, ſicut & rebus omnibus immediatè, & intimè prę ſens adeſt, cùm neceſſe ſit, res omnes creatas immediatè à Deo primo ente, & prima cauſa fieri, ac perpetuò dependere, in qua dependentia reponi ſolet concurſus Dei ſimultaneus, ut explicabimus infrà.

Cæterùm alia eſt D. Thomæ ſententia, & ea quæ ſupra ex eodem S. Doctore retulimus, planè convincunt, Deum etiam tunc immediatè effectus cauſarum ſecundarum producere, cùm eos mediâ motione producit, eò quòd ea motio non ſit ex earum rerum genere, quæ immediationem impediant. Quare,

Ad primum, concedendum eſt, eam Divinam motionem, ſeu virtutem cauſis ſecundis à Deo impreſſam, eſſe ens aliquod productum, & novum aliquod accidens naturæ ſuperadditum, quo ipſa natura immutatur, ſed modaliter ſolùm diſtinctum; unde nego, indè poſſe colligi, Deum non operari immediatè, dum effectum media ea motione producit: quia ejuſmodi motio, & ut vocat S.Thomas, *ea intentio habens eſſe incompletum*, eſt ipſa vis agendi, & producendi effectum, nec, ut dicunt, ponit in numero; alioquì enim nunquàm Deus poſſet immediatè movere cauſam ſecundam, cùm movere non poſſit niſi impreſſo motu, aut velutì impulſu qui dicitur virtus artis, motio, complementum cauſæ, & aliis hujuſmodi nominibus nuncupatur. Igitur ſicut cauſa quælibet non impeditur ſua actione aut virtute agendi, quin immediatè operetur; quia & virtus agendi, & ipſa operatio non ſunt eæ res quæ augeant operantium numerum, ſed unum, & idem operans conſtituunt: ita etiam Divina hæc motio, aut virtus cauſis ſecundis à Deo impreſſa, non impediet, quominùs earum effectus Deus immediatè operetur; quia per hujuſmodi motionem, eo modo quo ſtatìm explicabimus, Deus conſtituitur extrà operans, & ſimul cum cauſis ſecundis effectus earum producit.

Unde cùm objicitur: non poteſt Deus immediatè operari, dum unum effectum medio alio effectu operatur: diſtinguendum eſt; ſi medio effectu operetur, qui ſit etiam vis ipſa agendi, ens incompletum, virtus intentionalis; negandum eſt: ſecùs autem concedendum. Quare ſicut *quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum effectum*, ut inquit S. Thomas, quamvìs media actione operetur; ita pari etiam modo reſpectu ejuſdem effectus Deus dicitur immediatum agens, quamvìs non agat niſi media ea motione; immò etiam erit immediatius agens, quia virtus inferior particularis agentis non conjungitur effectui niſi per virtutem, & motionem ſuperioris agentis.

Sed apertiùs forſitan ea immediatio Dei agentis motione prævia, poterit iterùm ex D. Thoma explicari. Unde reſpondeo 2. Et ut ſolutio ſit apertior, duo diſtinguenda ſunt. Eſt enim ipſa motio à Deo impreſſa cauſæ ſecundæ, & eſt ipſa cauſa ſecunda: & utrique Deus immediatè præſens eſt, & in utraque immediatè agit: inprimis ipſi motioni Deus prę ſens eſt: eamque immediatè efficit, ut & alios effectus; quia hæc motio à Deo impreſſa cauſæ ſecundæ, proùt eſt aliquid ab ipſa utcunque diſtinctum (omnis enim motus ab ipſa re quæ movetur, aliquo ſaltem pacto diſtinguitur,) eſt etiam ens aliquod, & effectus immediatè à Deo productus. Quamvìs enim ea Divina motio ſi comparetur cum cauſa ſecunda quam ad effectum producendum applicat, & quam cum ipſo effectu conjungit, dici poſſit, & reipsà ſit virtus Divina, ſive participatio Divinæ virtutis, & totam virtutem, ac potentiam Divinam per modum intentionis, ut loquitur S.Thomas, involvat & deferat; ſicut & motus inſtrumento ab artifice impreſſus dicitur ab eodem D. Thoma, *virtus artis in inſtrumento artificis*, in hoc artic. 7. ad 7. quia totam artem artificis ad inſtrumentum defert, & ad producendum effectum applicat: quo ſenſu etiam dicitur, Eccl. 10. Sapientia Divina in res omnes effuſa; quia & hic ordo adeò elegans, & concinnus rebus omnibus inditus, ars & ſapientia naturarum quæ ratione præditæ ſunt, eſt quædam impreſſio, & participatio Divinę Sapientię, ut explicat idem S. Doctor 1. p. qu. 41. art. 3. ad 4. Quamvìs, inquam, eo ſenſu motio à Deo rebus impreſſa dici poſſit virtus Divina; attamen ut eſt quoddam *ens incompletum*, ut loquitur S. Thomas, neceſſe eſt quòd ſit aliquid creatum, & effectus ad extrà productus, inſtar aliorum entium, quę Deus immediatè producit: atque ita eſt effectus à Deo productus, ut non aliam Dei actionem ſupponat quàm æternam. Sicut enim, ut inquit S. Thomas quæſt. 3. de Potent. artic. 3. creatio paſſivè ſumpta nihil aliud eſt quàm ipſa res producta *cum novitate eſſendi*, & relatione ſuperaddita, quâ ad actionem Dei æternam refertur, à qua immediatè producitur: eodem planè modo ea motio, aut impreſſio, & impulſio paſſivè accepta, nihil aliud eſt quàm motus ipſe aut accidens illud incompletum, quod naturæ à Deo imprimitur *cum novitate eſſendi*, & ut connotat æternam Dei actionem à qua producitur. Ergo etiam huic motioni, ut eſt effectus à Deo extra productus, Deus

im-

immediatè præsens est, ut cæteris entibus creatis immediatione, & *suppositi*, & *virtutis*: virtutis, inquam, quæ est ipsa ejus essentia, quæ immediatè suum effectum producit omni immediatione, ipsique præsens adest, & immensitate, & operatione, sicut aliis omnibus effectibus præsens est: unde utraque immediatio hoc pacto inseparabilis est.

Atque indè apertissimè colligitur, & meo quidem sensu, facilè & solidè explicatur, Deum immediatè operari effectum causæ secundę, quem impressâ causæ motione producit; & quidem multò immediatiùs operari quàm quodlibet particulare agens. Hoc enim, quodcumque illud sit, seu spirituale, seu corporeum, ea ratione solùm immediatè agit, quia inter ipsum, & effectum, nullum aliud agens mediat, atque ipsius actio totam involvit, & applicat agentis virtutem: & pari etiam modo agens principale immediatè attingit effectum, quem cum instrumento efficit, quia motio quam imprimit instrumento, totam defert, & applicat artificis artem; sicut semen totam includit virtutem arboris: sed tamen non attingit eum effectum immediatè immediatione *suppositi*, quia illa motio impressa instrumento *ipsummet agens non involvit*: atquì ut mox diximus, ea motio à Deo impressa causis secundis Deum ipsum, si ita loqui liceat, involvit, & secum defert, præsentemque exhibet: ergo & Deus per eam motionem immediatè agit, & multò immediatiùs, quàm quodlibet agens singulare, & quælibet causa secunda.

Atque id expresè docuit S. Thomas in 1. Sentent. dist. 37. qu. 1. art. 1. ad 4. quem locum suprà integrum retulimus, ubi inquit, *quòd quantò agens est magis proximum, & immediatum, tantò virtus ejus est mediata*: quia nimirùm necesse est, ut per virtutem superioris agentis ad actum reducatur. Unde & vice versa quantò agens est universalius, & superius, tantò ejus virtus est immediatior. Unde infert S. Doctor: *Et ita patet, quòd cùm Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus. Sed quia* (subdit) *ipsemet est sua virtus, ideò non tantùm est immediatum principium operationis in omnibus* (immediatione virtutis) *Sed est immediatè in omnibus operans* (immediatione *suppositi*) *Quòd in aliis*, inquit, *causis non contingit, quamvis singulæ proprias operationes habeant quibus producunt suos effectus*.

En igitur duplicem solutionem, quâ superius argumentum excipi potest. Prima est, quod licèt Deus non attingat effectum causæ secundæ nisi media motione prævia, ea tamen non impedit quominùs immediatè operetur; quia ea motio est solùm vis agendi, neque unquàm vis agendi impedit quominùs causa immediatè agat. *In quolibet enim agente est duo considerare, scilicèt rem ipsam quę agit, & virtutem quâ agit: sicut ignis calefacit per calorem*: & cùm utrumque unum agens constituat, non impedit immediationem agentis.

Secunda autem solutio est, quòd cùm ea motio Divina quâ effectus causæ secundæ producitur, sit etiam ens aliquod productum, Deus ipsi etiam intimè præsens est. Unde fit, Deum per ejusmodi motionem multò immediatiùs effectum attingere, ipsique præsentem adesse, quàm attingat ipsa etiam causa secunda. Quis enim dubitet, quòd si ipsa virtus agendi causæ secundæ, aut ipsius actio ipsam causam secundam involveret, & ad effectum deferret & applicaret, ipsa causa secunda multò immediatiùs ageret? Ergo cùm ipsa motio quâ Deus agit sit ens aliquod creatum & productum, cui Deus est præsens, aut quod, ut ita dixerim, Deum involvit, & ad effectum defert, aut veriùs quo Deus se se ad effectum applicat; etiam Deus immediatiùs operatur quacumque immediatione suæ virtutis seu *suppositi*, quàm quælibet causa secunda. Vide tamen quæ infrà de concursu simultaneo dicenda supersunt, ubi intimiorem adhuc Dei præsentiam in ipso effectu, ac immediatam magis operationem explicabimus.

Indè ad confirmationem facilis solutio est: inprimìs enim si quisquam concederet, quòd Divina hæc motio prævia dici possit causalitas, & ratio agendi Dei extrà agentis, seclusis imperfectionibus, & servata proportione, sicut actio est causalitas agentis, nollem de verbo litem movere: cùm etiam actio quæ est agentis causalitas, sit extrà ipsum agens, suaquè actione agens subjectum in quo agit perficiat; quod non absurdè, seclusis tamen, ut dixi, imperfectionibus, ad Deum transferri potest. Sed quocumque nomine nuncupetur prævia motio, est virtus Dei extrà agentis, *& virtus Divinæ artis*, quâ effectum causæ secundæ Deus producit: at verò dictum est sæpiùs, & res ipsa clamat, nunquàm virtutem agendi immediationem agentis impedire.

Ad alteram verò confirmationem ut respondeamus, repetendum est iterùm ex his quæ fusè satìs ex D. Thoma suprà retulimus, scilicèt Deum dupliciter causæ secundæ effectum immediatè attingere. Primò quia per motionem previam impressam causæ secundæ, effectum ipsius producit; quæ motio cùm sit vis agendi, & instar virtutis Divinæ artis, aut Divinæ artis, & virtutis vicaria, non impedit immediationem, quinimò, quod sanè repeti nunquàm satis potest, per eam motionem Deus immediatiùs operatur. *Quia virtus superioris causæ est immediatior effectui quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris: & virtus superior priùs agit in causatum, & vehementiùs ac intimiùs ingreditur in ipsum*. Secundò, Deus immediatè effectum causæ secundæ attingit, alia ratione, nempè, quia cùm ea motio sit etiam effectus aliquis creatus, & productus, Deus immediatè eum effectum producit; non alia tamen actione quàm æterna, nec alia virtute quàm Divina, quæ sua ipsius essentia est, ut explicuimus suprà. Unde cùm Deus in ea motione tanquàm effectu à se producto præsens sit,

per

per eam motionem immediatiùs adeſt effectui cauſæ ſecundæ quàm ipſa cauſa ſecunda, cujus actio cauſam ipſam non includit, ut eam ad effectum deferat, quod ſuprà ſatìs ſuperque probatum eſt.

Sed præterea, ut infrà referemus, Deus etiam alio modo immediatè effectum cauſæ ſecundæ producit, ipſique intimiùs adeſt concurſu ſimultaneo ut eſt ex parte effectus producti. Duplicem enim concurſum ſimultaneum admittendum eſſe infrà explicabimus: alterum ſcilicèt ex parte cauſæ, alterum ex parte effectus: atque hoc concurſu ſimultaneo Deus immediatè ſeipſo, ſuaque virtute quæ ſua ipſius eſſentia eſt, effectum producit; ita ut ea productio nihil aliud ſit quàm Dei ipſamet actio æterna, & effectus ipſe in tempore productus *cum novitate eſſendi*, & relatione quâ ad Deum refertur, ut de ipſa motione quatenùs eſt ens aliquod productum ſuprà diximus, & infrà explicabimus iterùm cùm erit de concurſu ſimultaneo agendum.

Igitur ut jam ad ultimam confirmationem reſpondeamus: cùm ex triplici capite Deum immediatè effectum cauſæ ſecundæ producere probatum ſit; non ex eo ſolùm capite colligit S. Thomas, Deum immediatè effectum cauſæ ſecundæ operari, quòd non operetur niſi per ſuam virtutem, quæ ſit ſua ipſius eſſentia; cùm etiam per motionem quæ eſt *ut intentio ſola, habens eſſe incompletum per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis*, Deus immediatè effectum cauſæ ſecundæ operetur. Unde major propoſitio abſolutè ſumpta neganda eſt: ad hujus verò probationem reſpondeo, quòd quotiès Deus agit effectumque producit, totiès attingit rationem entis, diverſimodè tamen. Quotiès immediatè agit ea virtute, quæ ſua ipſius eſſentia eſt, totiès rationem entis directè, & per ſe attingit; & quidem rationem entis ſecundùm ſe, & in tota latitudine, quâ ratione eſt effectus proprius Dei, cùm ſit univerſaliſſimus, ſicut ignire eſt proprius effectus ignis, nec poteſt ab ulla cauſa ſecunda ſub ea ratione attingi: at verò cùm effectum producit Deus motione impreſſa cauſæ ſecundæ, tunc non attingit rationem entis in tota ſua latitudine, & primò & per ſe, ſed ſolùm ut determinatam in tali effectu, & ut effectus quidam particularis eſt. Equidem ſi attendatur Divina actio quâ Deus cum cauſa ſecunda concurrit, & ut eſt ex parte ipſius Dei, tunc ſanè dubium non eſt, quin ea actio attingat ens ut ens, & totam amplitudinem entis, nihil enim ſupponit: unde omnis actio Dei eſt creatio propter ſummam eminentiam, & vim quam habet, quâ omnia pervadit, nihilque omninò ſupponit, ſed omnia efficit. Sed ſi conſideretur ipſa Dei motio, actioque cauſæ ſecundæ proût ſub ea motione effectum ſuum producit, tunc non attingit ens ſub ratione illimitata entis, ſed ſolùm producit ens quoddam ſingulare, & determinatum: eſt enim ea actio productio quædam ſingularis, v. g. generatio formæ in determinata materia variis motibus alterationis diſpoſita. Sed de his videnda omninò ſunt quæ infrà de concurſu ſimultaneo ex S. Thoma referemus.

it

ARTICULUS VIII.

Nova & major Divinæ motionis præviæ cum Divina immenſitate, & Dei præſentia in rebus conjunctæ explicatio.

ETſi quæ hactenùs ex S. Thoma retulimus, adeò Divinæ motionis præviæ neceſſitatem ſtabiliant, ac muniant, ut nulla in Philoſophia aut Theologia quâ latè patet quæſtio ſolidioribus principiis munita eſſe videatur: novam tamen addit S. Doctor probationem, aut majorem explicationem, adeò, meâ quidem ſententiâ, & apertam, & ſolidam, ut auſim aſſerere, neminem fore, qui ſi eam, ut par eſt, & pro meritis expenderit, haſtam non projiciat, ſeque victum non fateatur: cùm iis principiis ea probatio innitatur, quæ exiſtentiam Numinis, & ejus Providentiam quâ res omnes adminiſtrat ac regit, demonſtrant. Et ſanè mihi ſæpiùs mirum viſum eſt, potuiſſe à viris alioquin eruditis, & in SS. Patrum ſcriptis, ac potiſſimùm S. Auguſtini, non mediocriter verſatis, hanc Dei prævium motionem in rebus, ipſaque natura, negari; cùm nihil apud SS. Patres, ac in primis D. Auguſtinum, frequentiùs occurrat, quàm Deum rebus omnibus creatis præſentem eſſe, ac intùs in natura, intùs in ipſa voluntate creata operari; in qua operatione poſitam eſſe Divinam motionem exiſtimant, quicumque hujus neceſſitatem nedùm in ordine gratiæ, ſed & in ordine naturæ adſtruunt.

Ita verò habet S. Thomas in fine articuli cujus interpretationi incumbimus. *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cujuslibet rei, in quantùm dat virtutem agendi, & in quantùm conſervat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantùm ejus virtute omnis alia virtus agit: & cùm conjunxerimus his, quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intrà rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe, ſequitur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſa operatione voluntatis, & naturæ.* Hactenùs S. Thomas.

Ut verò eam rationem quam paucis eo loco contraxit S. Doctor, paulò fuſiùs explicemus; certum eſt, Deum ſua immenſitate rebus omnibus præſentem eſſe, ac in rebus omnibus operari; & ſummam eſſe utriuſque, & præſentiæ, & operationis in rebus connexionem: ſive operatio ſit prima ratio conſtituendæ præſentiæ, quod apud D. Thomam, & SS. Eccleſiæ Patres omninò compertum, & exploratum eſt; ſive

operatio ex ipsa immensitate, & præsentia consequatur, eamque supponat; quæ est quorundam Theologorum sententia. Ut ut se res habeat, satis est stabiliendæ, & explicandæ Divinæ motioni præviæ, connexam esse præsentiam Dei in rebus cum ipsius operatione. Certum itaque est, Deum esse rebus omnibus præsentem, & ita rebus adesse ut perpetuò ipsis esse, motum, vitam, ac inspirationem influat: adeò ut si vel momento ab hujusmodi influxu Deus cessaret, res omnes in nihilum statim deciderent. Ut enim inquit S. Thomas q. 5. de Potent. art. 1. ex Augustino lib. 10. super Genesim ad literam. *Non enim sicut structuram cùm fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante, & abscedente stat opus ejus: ita Mundus vel in ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit.* Quod totiès repetiit S. Augustinus, eodemque artificis exemplo usus est tract. 2. in Joan. *In Mundo erat. Sed quomodò erat? Quomodò artifex regens quòd fecit: non enim sic fecit, quomodò facit faber arcam. Forinsecùs est arca quàm facit &c. Deus autem Mundo infusus fabricat, præsentiâ Majestatis facit quòd facit: præsentiâ suâ gubernat quod fecit: sic ergo erat in Mundo, per quem factus est Mundus.*

Quibus plura addit S. Thomas, quem nihil eorum latebat, quibus robur aliquod rebus Fidei ac Religionis accedere potest. *Præterea*, inquit in Argumento, *sed contra: S. Augustinus dicit 4. super Genesim ad lit. Creatoris potentia, & Omnipotentis virtus causa subsistendi est omnis creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret; simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Et infra: Mundus nec in ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Præterea: D. Gregorius dicit, quòd omnia in nihilum deciderent; nisi ea manus Omnipotentis contineret. Præterea: In lib. de Causis dicitur, omnis Intelligentiæ fixio, id est permanentia, & essentia est per bonitatem quæ est causa prima.* Hactenùs S. Thomas quæst. citata de Potent. Quibus præclarum illud addi potest D. Augustini lib. 12. de Civit. cap. 25. Dei *Occulta potentia cuncta penetrans incommutabili præsentiâ facit esse quidquid aliquomodò est.* Ubi & Divinam operationem, & Divinam præsentiam conjungit.

Sed non minùs eandem Divinam operationem cum immensitate, seu Dei in rebus omnibus inexistentia conjunctam explicat S. Bernardus lib. de Gratia, & Lib. Arbitr. post medium, ubi illud ex Sap. 8. advocat. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: attingit*, inquit, *à fine ad finem; hoc est à summo Cælo usque ad inferiores partes Terræ, à maximo Angelo usque ad minimum vermiculum; attingit* verò *fortiter; non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantùm officiali administratione; sed substantiali quadam, & ubique præsenti fortitudine, quâ utique universa potentissimè movet, ordinat, administrat.* Nihil apertiùs ac verissimæ notioni Divinæ motionis explicandæ opportunius; *Substantiali, & præsenti fortitudine omnia movet*: en verissimam Divinæ motionis notionem, quæ cum immensitate Dei, ipsiusque in rebus omnibus inexistentia conjuncta est.

Sed Sãctos Patres D. Paulus docuerat, à quo Divinam in rebus omnibus intimisque rerum recessibus quantumlibet reconditis inexistentiam, & operationem tum Sancti Patres, tum deinde Scholastici Theologi cum S. Thoma didicerant. Actorum enim cap. 17. D. Paulus coram Areopago suę doctrinæ rationem redditurus, tria explicat, quæ Deus in rebus creatis efficit, & quibus omnia quæ in rerum natura intelligi unquàm possunt comprehendit, scilicèt esse, motum, & vitam: *Non longè*, inquit, Deus *est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*: quia nimirùm, ut explicat D. Thomas, 1. p. q. 18. art. 4. *nostrum vivere, & nostrum esse, & nostrum moveri causantur à Deo.* Etenim primum quòd in rebus intelligi unquàm possit, est ipsum esse cæterorum fundamentum, & fulcrum: atquì ipsum esse perpetuò ac indesinenter *in unoquoque nostrûm* Deus influit ac subministrat, quia *in ipso sumus*. Sed deinde *esse*, ut loquuntur Philosophi, *sequitur operatio* ac motus, cujus natura principium est: atquì eam omnem operationem ac motum *in unquoque nostrûm* continuò Deus efficit, quia *in ipso movemur*. Deniquè, quod peculiariter explicari debuit, cùm difficiliùs in Deum authorem, & principium revocari posse videretur propter intimam cum principio creato dependentiam, & vitalitatem; etiam *in unoquoque nostrûm* Deus vitam perpetuò influit, efficitque omnes vitales motus, quibus etiam liberi voluntatis actus comprehenduntur; quia *in ipso vivimus*, nostrumquè vivere ab eo causatur, & ut ibidem Beatus Paulus inquit, Deus *ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.*

Et sanè hęc inexistentis Numinis operatio continua, atque efficientia, ac perpetuus influxus, nec ipsos etiam veteres Philosophos latuit, quibus velutì inter nebulas hæc lux effulsit. Unus omnium loco sit Aristoteles: libro enim 7. Moralium ad Eudemium cap. 14. sic Divini Numinis in rebus præsentiam ac ejus operationem conjungit. *Quemadmodùm*, inquit, *in Universo Deus est, & vicissim cuncta in illo: moventur enim omnia ab inexistente in nobis Numine.* Atque hinc probat Aristoteles, rationem mentemque hominis à Divino Numine moveri, quòd necesse sit præstantius esse id quod movet, eò quod movetur: nihil autem præstantius mente, & ratione esse potest præter Divinum Numen quod humanæ rationi infusum est, & præsens inexistit. *Rationis autem*, inquit, *non ratio, sed præstantius quidpiam est principium: quid verò scientiâ, aut mente, & ratione præstantius est, nisi Deus?* Quem Philosophi locum sæpiùs S. Thomas, ut infrà referemus, usurpat, ut probet voluntatem primò moveri à Deo. Vide in eam

rem

rem pulchram Senecæ Epiſtolam 41.

Neque unus eſt Ariſtoteles qui hanc præſentiam Dei, ejuſque in rebus omnibus operationem agnoverit: celebrat enim D. Thomas quęſt. unica de ſcientia Dei art. 3. illud Trimegiſti, quod alii Empedocli tribuunt; *Deum Sphæram eſſe intelligibilem, & incomprehenſibilem, cujus centrum ubique ſit, & circumferentia nullibi.* Neque nobiliori quàm ſpheræ ſymbolo veterum Ægiptiorum Theologia Divinum Numen adumbrabat; quòd ſicut cæteras omnes quotquot fingi poſſunt figuras, ſphæra, & circulus in ſe ſe includit ac continet: ita Deus res omnes complectatur, & comprehendat. Unde & Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromat. Deum vocat *circulum omnium poteſtatum, quæ in unum circumvoluuntur*. Atque ut addit lib. 5. ejuſdem operis, *hinc quidam Deum profundum vocaverunt, ut qui omnia comprehendat, & velutì ſinu complectatur*.

Et quidem ut non indigna de Deo cogitatio habeatur, ita exiſtimandum eſt, Deum cùm res omnes integra æternitate antecedat, & ſummam immenſitatem habeat; non rebus de novo productis advenire, & præſentem ſiſti; ſed res è nihilo productas ad ſe ſe adducere, ſibique præſentes ſiſtere, ſuaque immenſitate eas recipere ac complecti. Unde & S. Thomas 1. p. q. 8. art. 1. refert illud D. Auguſtini lib. 83. qq. q. 20. *quòd in ipſo* Deo *potiùs ſunt omnia, quàm ipſe alicubi*. Quo ſenſu dictum eſt ab Apoſtolo ad Hebr. 1. 3. Deum *portare omnia verbo virtutis ſuæ*: quia ut ibidem explicat D. Thomas, *ad ſubtractionem virtutis Divinæ ceſſat eſſe, & fieri, & ſubſiſtere omnis creaturæ. Portat ergo omnia quantùm ad ſuum eſſe; portat etiam omnia quantùm ad operari; quia ſubtractâ influentiâ ejus, ceſſat omnis motio cauſarum ſecundarum, cùm ipſa ſit cauſa prima, & cauſa prima plùs influit quàm ſecunda*.

Atquè eodem iterum ſenſu interdum Scriptura Sacra, loci nomine Deum intelligit, & Deum hebræi veteres מקום *Makom* nuncupabant, ut apud Pagninum videre eſt, in Theſauro Linguæ Sanctæ; quòd omnia in ſe ſe velutì recipiat, & ſua immenſitate complectatur: quo ſenſu illud Iobi 7. cap. verſ. 10. *neque cognoſcet eum ampliùs locus eius* ולא יכירנו עוד מקומו *S.* Gregorius intelligit, probatque loci nomine Deum ſignificari, lib. 8. cap. 15. Ubi obſervat *quod non ait neque cognoſcet ampliùs locum ſuum: ſed ait, neque cognoſcet eum ampliùs locus ejus. Dum enim cognitio non homini, ſed loco tribuitur, patenter ipſe conditor loci nomine deſignatur*. Eodem ſenſu jam à S. Auguſtino dictum fuerat lib. de quantitate animæ cap. 1. *propriam quandam habitationem animæ ac Patriam Deum ipſum credo eſſe, à quo creata eſt*. Ex quo deſumpſit S. Bernardus quod inquit lib. 5. de Conſiderat. initio. *Repatriaſſe, hoc eſt exiiſſe de patria corporum in regionem ſpirituum; ipſa eſt Deus noſter maximus ſpiritus, maxima manſio ſpirituum Beatorum*. Atque ante utrumque Prudentius Hymn. 10. Deum vocaverat *igneum fontem animarum*. Demum, hanc utramquè Numinis proprietatem, immenſitatem ſcilicèt, & in rebus operationem egregiè Arnobius expreſſit, lib. 1. adverſus gentil. ubi Deum alloquens, ita inquit. *Prima enim tu cauſa es, locus rerum, ac ſpatium & fundamentum cunctorū quæcumque ſunt*. Cuius rationem hanc ex primis principiis repetitam affert S. Thomas 1. p. q. 8. art. 1. ad 2. quòd ſuperiora inferioribus conjungi nec poſſint, nec debeant, niſi virtute, & operatione, quâ ea perficiant, ac velutì manuteneant, & fulciant. *Licèt* inquit, *corporalia dicantur eſſe in aliquo, ſicut in continente; tamen ſpiritualia cōtinent ea in quibus ſunt, ſicut anima continet corpus. Unde & Deus eſt in rebus, ſicut continens res: tamen per quandā ſimilitudinem corporaliū omnia dicuntur eſſe in Deo, in quantum continentur ab ipſo*. Quod illuſtrat exemplo animę, quâ corpus continetur, lib. 1. ad Annibald. diſtinct. 37. q. 1. art. 1. *Dicendum* inquit, *quod diverſimodè corporale, & ſpirituale in aliquo eſſe dicitur: nam corporale dicitur eſſe in aliquo ut contentum in ipſo, ſicut locatum in loco: ſpirituale autem dicitur eſſe in aliquo, ut continens ipſum, ſicut anima in corpore. Deus autem eſt continens quamlibet rem in eſſe, & immediatè, quia ipſe eſt creator & corporalium, & ſpiritualium: nèc poteſt eſſe quòd rem in eſſe contineat, niſi ille qui influit rebus eſse, qui eſt rerum creator: ſicut lumen in aëre non continet, & conſervat, niſi quod lumen communicat*.

Sed de his plura à nobis in prima parte dicta ſunt. Ex quibus tamen unicum referri neceſſe eſt, quod infra dicendis maximam afferet lucem; & illud explicabit quod totiès à SS. Auguſtino, & Thoma dictum eſt, Deum ſcilicèt intùs in voluntate operari: nimirùm quòd ea exiſtentis Dei præſentia fiat per illapſum, quæ præſentia Deo ita eximia ſit, ut nec Angelo, quantumvìs ſuæ naturæ ſubtilitate corpora omnia pervadat, iisque ſeſe præſentem ſiſtat, convenire poſſit. *In ipſam enim ſubſtantiam*, ait S. Thomas in 2. diſt. 8. q. 1. art. 5. *non intrat, niſi ille qui dat eſſe. ſcilicèt Deus creator, qui habet intrinſecam eſſentię operationē, aliæ enim operationes ſunt ſuperadditæ ad eſſentiam*. Atquè id ſcripſerat anteà Magiſter ſententiarum eâ Diſtinctione octava vbi de hac quæſtione diſputans, inquit, *de hoc Gennadius in definitionibus Eccleſiaſticorū dogmatū ait: Dæmones per energicā operationem non credimus ſubſtantialitèr illabi animæ, &c. illabi enim illi ſoli poſſibile eſt qui creavit*. Ac deindè eandem fuiſſe inquit V. Bedæ ſententiam in illud Actorum 5. *cur tentavit, vel implevit Sathanas cor tuum*: ita enim reipſa Gręcum habet, διατί ἐπλεώσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σου: *implet* enim inquit Beda *Satanas cor alicujus, non quidem introiens aditum cordis; ſiquidem poteſtas hæc ſolùm Dei eſt, ſed callida, & fraudulenta deceptione animam in affectum malitiæ trahens*. Quo ſenſu etiam SS. Patres

intelligunt illud Luc. 22. *Intravit Satanas in Iudam*. De quo videndus etiam S. Thomas 1. 2. q. 80. ubi plura ex SS. Patribus refert, & explicat. Sed paucis eô quo solet D. Bernardus ingenii acumine lib. 5. de considerat. ita explicat: *Adest quidem Angelus, sed Deus ineſt; Angelus cum anima, Deus in anima: ille ut contubernalis animæ, Deus ut vita.*

Unde quamvis Angelus sese præsentem mentibus humanis constituere possit, non tamen illis illabitur; alioquin cogitationes liberas cognoscere posset: & quantumvis corpora penetret, *sitque intra terminos quãtitatis*, ut ibidem inquit D. Thomas in 2. eoque sensu illabi corporibus dici possit, nõ tamen est intra terminos essentiæ; & ut ait idem S. Doctor, q. 16. de malo art. 12. in fine: *Dæmon quidem dicitur ingredi posse mentem hominis, non tamen secundùm substantiam, sed secundùm affectum: inquantùm scilicèt instigat hominẽ ad aliquid cogitandum.* Quo sensu explicat illud S. Greg. in Moralibus, *quòd Dæmon in mentem Sanctorum ingredi potest, sed manere ibi non potest.* Atquè hujus ratio est, quòd illapsus efficiat ipsam primam rationem entis, nihilquè omninò supponat, remque ipsam educat è nihilo, ipsamque in esse constituat, & conservet, quod solius est Divinæ operationis, & omnipotentiæ Divinæ.

Igitur dubitari non potest, Deum in rebus omnibus præsentem inesse, etiam cùm actu operantur, in iisque perpetuò operari, earumquè motus omnes efficere: quod adeò apud veteres constans, & exploratum fuit, ut indè putaverint, Deum esse animam mundi, ex eodem S. Thoma, 1. cont. gentes, cap. 27. & 28. quodque potissimùm Varroni tribuit 1. p. q. 97. art. 1. ex D. Augustino lib. 7. de Civ. cap. 6. quò Virgilius etiam respexit 6. Æneid. *Spiritus intùs alit totamque infusa per artus, mens agitat molem. Et Jovis omnia plena Eclog.* 3.

His igitur ita constitutis, quæ nemo negare possit, nisi & existentiam Numinis, & providentiam, quâ omnia administrat, negaverit; facilè intelligitur, & explicatur, quæ sit vera motionis, & physicæ, & præviæ notio. Nihil enim aliud unquàm à D. Thomæ Discipulis intellectum est motionis præviæ, & physicæ nomine, quàm ipsa Dei in rebus operatio, quâ omnia efficit, omnia movet, omnia vegetat, juxtà variam rerum conditionem. Unde, & in eo Articulo quo in confesso est apud omnes, S. Thomam physicam, & præviam motionem docuisse, perpetuò repetit, & inculcat, Deum in rebus, in natura, ac ipsa voluntate operantibus operari.

Et sanè non tam facilè probari potest, quàm ipsa probatio penè incurrit in oculos, nulla ratione intelligi aut explicari posse intimam hanc Dei in rebus omnibus præsentiam, intimum hunc illapsum, primordialem hanc operationem, primum contactum quo Deus res contingit, ut sint, & vivant; nisi simul intelligatur hæc motio prævia, & physica, quâ res omnes, ut operentur, ad suas operationes movet. Etenim, ut inquit S. Thomas hoc Articulo 7. in *Sed contra*, **certum est**, *quòd virtus Dei est in quolibet naturali, quia Deus in omnibus rebus esse dicitur per essentiam, & potentiam, & præsentiam: Sed non est dicendum quòd virtus Divina secundùm quòd est in rebus, sit otiosa. Ergo secundùm quòd est in rebus operatur.* Unde sic potest proponi argumentum. Cùm causa secunda quælibet operatur, seu naturalis seu libera, & in suos actus prorumpit; certum est ex superioribus, Deum illi præsentem adesse, eâque præsentiâ intimâ per illapsum, quæ nihil supponit, omniaque efficit, ac ipsum esse quod est primum cæterarum omnium perfectionum fundamentum, ipsamq; essentiam, naturam, facultates, operationes, & , uno verbo, omnia quę participant rationem entis, cùm nihil esse possit in rebus nisi ex participatione primi entis, & primi agentis influxu: Atquì hæc præsentia, & hic illapsus intimus ac influxus intelligi non possunt sine ipsa Dei motione prævia, & physica; aut ipsa motio Dei prævia, & physica est ipsemet primordialis ille influxus, qui & naturam producit, & ad operationem velutì extenditur: quia *non est dicendum, quòd virtus Divina secundùm quòd est in rebus sit otiosa*: Ergo & sine Physica ac prævia motione Dei, nec ea ipsius Dei in rebus omnibus præsentia per illapsum, nec universalis, & intima Dei in rebus operatio intelligi potest.

Minor sic ostenditur: efficit enim hæc intima Dei in rebus præsentia, hic illapsus, hic influxus, ut causa secunda, cui Deus illabitur, & cui est intimè præsens; operetur, & agat: Siquidem causam secundam reipsa agere, non potest non esse aliqua perfectio, imò, & maxima est ultimaque, cujus ipsa causa prima capax esse possit: Ergo necesse est quòd primus ille Dei influxus, & hæc Divina operatio sit hujus perfectionis causa, ideò sit causa nedum operationis causæ secundę, sed etiam sit causa cur ipsa causa secunda operetur; omnia enim prorsus efficit, nihilquè supponit: Atquì motionis prævię, & physicæ nomine nihil aliud planè intelligendum venit, quàm quòd Deus efficiat ut causæ secundæ primò agant, & operentur: Ergo nec admitti nec intelligi potest hæc intima Dei in rebus præsentia, & hic illapsus, nisi simul, & physica prævia què Dei in rebus omnibus motio intelligatur.

Confirmatur, & explicatur magis hæc ratio. Cùm causa secunda agit, necesse est in primis ut ipsa ad agendum determinetur, & applicetur, & quidem activè, & effectivè ad actionem, cum ea conjungatur: quia actio quæ est determinatio formalis non potest non oriri à causa secunda, priùs natura quàm agat determinata, & constituta etiam in actu secundo effectivo. Deindè necesse etiam est eam causę determinationem activam, & ad actum reductionem, quæ actionem antecedit, effici à Deo ratione jam superiùs dicta, cùm ea reductio ad actum, ea causæ determinatio, & applicatio activa sit maxima ultimaquè

per-

perfectio cauſæ, quæ non poteſt non eſſe à Deo, cùm Deus in rebus exiſtens cauſa ſit omnium omninò perfectionum, quæ eſſe unquàm poſſint, & quæ ſunt quædam participationes entis, quòd Deus efficit tanquàm propriiſſimum effectum: atquì veriſſima Divinæ motionis phyſicæ, ac præviæ ratio in eo poſita eſt, quòd cauſam ſecundam determinet, & applicet ad actionem, ſeu ipſam cauſæ ſecundæ determinationem, & applicationem efficiat: ergo eâ ipsâ ratione, quâ Deus rebus præſens conſtituitur, etiam ipſa motio prę-via, & phyſica ſtabilitur.

Confirmatur iterùm, & illuſtratur eadem ratio. Dubitari non poteſt, quin Deus in rebus exiſtens, omnium rerum perfectiones tanquàm prima cauſa efficiat, cùm ab Apoſtolo dictum ſit, quòd *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, ad Roman. 11. atque adeò neceſſe eſt quòd Deus cauſa ſit cur res omnes operentur: & ut probat S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 77. *Deus eſt cauſa operandi omnibus operantibus*: quod quidem non unicâ, ſed efficaciſſimis ſex rationibus etiam demonſtrat: atquì Deus non poteſt eſſe cauſa cur res operentur, niſi res ipſas prævièmoveat, & phyſicè ad operationem applicet priùs natura quàm agant, in quo poſita eſt vera Divinæ motionis præviæ, & phyſicæ notio: ergo nec intelligi, nec explicari poteſt hæc intima Dei in rebus præſentia cum operatione conjuncta niſi phyſica præmotio admittatur. Minor probatur ex Divo Thoma: quia ut expreſsè inquit 1.2. q.80. art.1. aliquem eſſe directè cauſam alicujus actûs, *non contingit, niſi per hoc quòd proprium principium illius actûs movet ad agendum*; quod, inquit, de homine loquens, duobus modis ſolùm contingere poteſt. *Voluntas enim à duobus moveri poteſt, uno modo ab objecto; ſicut dicitur quòd appetibile apprehenſum movet appetitum: alio modo ab eo quod interiùs inclinat voluntatem ad volendum: hoc autem non eſt, niſi vel ipſa voluntas, vel Deus*: atquì apertum eſt, principium alicujus actus moveri non poſſe ad agendum priùs naturâ quàm agat, niſi prævia, & phyſica Dei motio admittatur: ergo, quòd ſæpiùs repetendum eſt, nec intelligi nec explicari poteſt, Deum intimè rebus præſentem, eſſe cauſam cur operentur, niſi prævia, & phyſica motio Divina admittatur.

Atquè eam rationem, quæ dubio procul potiſſima eſt, repetit quàm ſæpiſſimè S. Doctor, etſi terminis paululùm diverſis, q.3. de Potent. art.7. *Virtus*, inquit, *cauſæ inferioris non conjungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris agentis*, & 3. contra Gent. cap. 70. *Deus eſt cauſa operandi omnibus operantibus*, ut mox retulimus, & infrà. *Virtus infimi agentis non habet quod producat ſuũ effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris.* Totum illud caput infrà referemus. Item opuſc. 15. cap. 14. *Primum movens immobile quod eſt Deus, omnium motionum principium eſt, ſicut & primum ens eſt omnis eſſe principium: in cauſis autem per ſe ordinatis tantò aliquid magis eſt cauſa, quantò in ordine cauſarum prior eſt, cùm ipſa aliis conferat quòd cauſæ ſint*: non ſolùm in actu primo collatâ virtute activâ, ſed etiam cauſæ ſint in actu ſecundo, applicando, & conjungendo cauſam cum effectu, & à potentia in actum reducendo. Unde concludit S. Thomas: *Deus igitur ſecundùm hoc omnium motionum vehementiùs cauſa eſt, quàm etiam ſingulares cauſæ moventes.*

Atquè ex his refelli, quàm facillimè poſſunt, quæ habet Molina in Concordia qu.23. art.4. diſput. 1. membro 6. Ubi cùm defendat, Deum cauſamque ſecundam eſſe ſolùm cauſas partiales, quarum quælibet ita influit in effectum, ut totus effectus ſit equidem à qualibet cauſa; ſed tamen ſub ea ratione, & formalitate, quâ ab una cauſa dependet, non dependeat ab altera; cùm una cauſa non influat in alteram, neque cauſa ſit quòd agat; quod exemplo duorum trahentium navim perſpicuum eſt: eâdem ratione contendit, quòd cùm voluntas ad Deum convertitur, illa converſio, ſeu actus, & influxus voluntatis ſub ea formalitate quâ à voluntate procedit, non procedat à Deo, neque ab eo dependeat, niſi ut eſt author voluntatis.

Cùm enim ſibi objectum fuiſſe referat, quòd ſi Divina auxilia ab ipſa voluntate, & voluntatis determinatione efficacia fierent, ſequeretur aliquid in converſione, & juſtificatione eſſe à nobis, quòd non ſit à Deo, hujuſmodi ſcilicèt liberum voluntatis influxum, quò Divina auxilia efficacia redderentur.

Reſpondet, liberum hunc voluntatis influxum non aliud eſſe præter ipſam voluntatis actionem: eam verò abſolutè quidem à Deo dependere, ab eoque fieri, ſed tamen à Deo non fieri ſub ea præciſè formalitate quâ eſt à voluntate: cùm ea ſit cauſarum partialium conditio, ut una in alteram non influat, neque altera cauſa ſit alteri cur agat: atque adeò effectus ſub ea ratione quâ ab una cauſa dependet, ab altera non dependeat. Unde ſic habet p.428. edit. Ulyſſipon. an. 1588. *Quo fit, ut non ſolùm nulla res ſit in illis actionibus, ſed neq; ulla ratio formalis, quæ non ſit efficienter tum ab arbitrio noſtro, tum etiam à Deo ſupernaturaliter in eaſdem influente. Quemadmodùm quando duo trahunt navim, nihil eſt in tractione, & motu, quod ſit ab uno trahentium, & non ſit ſimul ab alio: cùm tamen totus ipſe motus, totaque actio, quatenùs ſpectatur, ut præciſè emanat ab uno, dicatur influxus illius, & quatenùs ſpectatur ut præciſè proficiſcitur ab alio, dicatur influxus alterius. Si verò in conſequente ſit ſermo de aliquo, hoc eſt de realitate aut formalitate aliqua, non quidem quæ ſpectetur ſimpliciter, ſed præciſè ut emanat ab una parte integræ ſuæ cauſæ, quo pacto actiones noſtræ ſupernaturales, quæ ſimul à Deo, & à nobis fiunt, quatenùs præciſè à noſtro arbitrio procedunt, dicuntur influxus noſtri arbitrii; concedendum eſt, dari aliquid quod ſit à noſtro arbitrio, & non aliter, eâ præciſè conſideratione à Deo, niſi tanquàm à naturæ ipſiuſque liberi arbitrii authore, qui eam facultatem nobis contulit.*

Hæc ibi, quæ deinde etiam ſæpiùs repetit, &

verò

verò hæc equidem ex principio posito, & conditione causarum partialium spontè consequuntur: si enim Deus, & voluntas causæ partiales sint, neque una in alteram influat, ipsamque determinet; consequens est ut quælibet causa in eo quòd agat, ab altera minimè dependeat. Effectus quidem dependet, sed causa ut agat non dependet; neque ipse effectus, sub ea ratione quâ egreditur ab una causa, dependet ab altera, ex ea ut diximus conditione causarum partialium.

Atquì ex superioribus hæc apertissimè refelluntur: cùm planè incredibile sit, immò neque intelligi unquàm possit, ullam esse realitatem, ullam formalitatem, sub quacumque ratione, quæ ad perfectionem pertineat, quæ ad Deum non solùm mediatè, ut causam causæ, sed etiam immediatè, ut veram causam non referatur: quatenùs Deus, ut loquitur D. Thomas, reipsà causis *confert quòd causæ sint*. Unde sicut cùm Deus rem in esse constituit, nedùm producit ipsam naturam, sed etiam ipsæ proprietates, sub ea omni ratione, realitate aut formalitate, quæcunque possit intelligi, quâ emanant à natura, sunt etiam à Deo, non ut con-causa simul agente, sed etiam ut à causa priùs agente, eo sensu quòd Deus causa est quòd natura suas proprietates emittat; quomodocumque ea emissio seu proprietatum emanatio intelligatur; sive ipsa actio Divina, quæ terminatur ad naturam, etiam ad ipsas proprietates extendatur: sive alio modo explicetur: ita planè, cùm Deus causam secundam movet, eadem motio quâ causam immutat, etiam ad operationem causæ extenditur. Applicat enim causam ut agat: unde ipsa operatio seu transiens, seu immanens, sub ea quacunque ratione quâ est à causa secunda, etiam à Deo est: neque aliter intelligi potest, cùm necesse sit quidquid perfectionis in causa est, ad Deum ut causam primam referri; atquè adeò Deum causam esse, cur causa quælibet agat: ideòque effectum aut operationem causæ secundæ sub ea quacunque ratione, quâ à causa secunda dependet, etiam à Deo dependere. Ergo etiam cùm voluntas agit, necesse est quòd ipsa voluntatis actio etiam sub ea formalitate quâ dependet à voluntate, sit etiam à Deo; quia necesse est quòd Deus causa sit voluntati ut agat. Neque ullum hìc discrimen esse potest inter voluntatem, & causas cæteras; cùm hęc dependentia in ipsa ratione entis fundata sit, quæ non minùs in voluntate quàm cæteris causis reperitur; & impossibile sit, quamcumquè realitatẽ aut formalitatem intelligi, quę participet quomodocunquè rationem entis, quæquè à Deo ut prima causa non oriatur.

Sed de his aliàs plura dicenda sunt. Inde enim consequi videtur, voluntatem ipsam quæ Divinam gratiam determinat, primum esse suæ salutis principium. Quantumvìs enim ipsa determinatio seu actio voluntatis integra à Deo per concursum simultaneum dependeat; impossibile tamen est quòd dependeat sub ea ratione, & formalitate, quâ emanat à voluntate, & libero arbitrio, nisi Deus voluntatem ipsam determinet; quia repugnat sub ea ratione dependere à Deo, nisi quatenùs Deus voluntati tribuit, ut causa sit & agat in eodem ordine, id est physico, in quo voluntas agit. Atquè id, ut vidimus, ipsemet Molina spontè fatetur, neque ulla ratione negari potest. Unde immeritò nobis à quibusdam vitio vertitur, quòd hæc non satìs intelligamus, nequè advertamus discrimen quod inter hæc duo intercedit, causam scilicèt secundam determinari à prima, & determinationem causæ secundæ esse à prima. Primum, inquiunt, falsum est, quia significat concursum prævium, quo Deus determinaret causam secundam; sed secundum verissimum est; quia tota illa determinatio, quæ non alia est quàm volunatis actio, est à Deo per concursum simultaneum. Hæc nos satìs intelligimus: sed iis Philosophiæ omnis principia everti contendimus; quia impossibile est, hæc duo invicem non esse connexa, Deum scilicèt determinare voluntatem, seu voluntatis determinationem efficere, & ipsam determinationem voluntatis, sub ea ratione quâ est à voluntate, aliter fieri à Deo, nisi quatenùs voluntatem determinat: quo enim alio pacto posset fieri?

Atque superiori exemplo, quod adversarii usurpant, omninò convincitur. Cùm enim duo trahunt navim, evidens est quòd ipsa quidem tractio tota à quolibet trahente oritur, & dependet; sed non minùs evidens est quòd tractio sub ea formalitate, quâ ab uno trahente oritur, non oritur ab altero, neque oriri posset, nisi unus alteri causa esset trahendi, ipsique vires trahendi in eo ordine quo trahit, conferret, ipsumque ad trahendum moveret. Intelligi quidem potest, quòd unus alterum ad trahendum vehementer hortetur; sed impossibile est, quòd sit alteri vera causa trahendi: quia impossibile est, quòd eum ad trahendum applicet; jam enim influxus prævius unius in alterum admittendus foret, quem non admittunt adversarii. Atque id, ut vidimus, spontè Molina confessus est, nec aliter se ab argumento quod objectum fuerat, expedire potuit.

Sed prætereà, res apertior fiet exemplo quod S. Thomas semper usurpat, instrumenti scilicèt, quod causa principalis movet: nam illud partialium causarum exemplum expressissimè, & in terminis habere hìc locum negavit, ut alibì referemus. Cùm enim artifex instrumentum operi perficiendo adhibet, certum est, nedùm ipsum artefactum integrum esse ab instrumento, & integrum ab artifice; sed insuper ipsum artefactum sub ea omni formalitate quâ oritur ab instrumento, etiam oriri ab artifice: quia non aliter agit instrumentum, nisi ut ab artifice movetur, & applicatur, & quia causa principalis causa est instrumento, ut agat. Ergo cùm, judice S. Thoma, Deus instar causæ principalis, etiam voluntatem moveat, impossibile est, actionem seu determinationem voluntatis, sub ea ratione, quâ est à voluntate, fieri à Deo, nisi quatenùs Deus voluntatem movet, & determinat.

Hæc omnia nos satìs intelligimus, nosque

vera

vera Philoſophiæ principia docent. Et ſi quis paulò attentiùs advertat, etiam intelliget, adversâ ſententiâ communis Philoſophiæ leges, & quantùm ad rationem motûs, & quantùm ad cauſarum notionem everti. Quo pacto enim intelligi poteſt, cauſam unam alteram movere, niſi eam priùs moveat, cùm neceſſe ſit, quòd *motio moventis præcedat motum mobilis ratione, & causâ*, 3. contra gent. cap. 149.? Quo pacto intelligi poteſt, cauſam aliquam moveri, niſi motum recipiat, neceſsè enim eſt quòd *quidquid agit motum, ab alio accipiat aliquid à movente* 1.2. q. 51. art. 2. ad 1.? Demùm, quo pacto intelligi poteſt, cauſam aliquam ab alia determinari, niſi ab alia determinationem recipiat; vel à cauſa determinationem recipere, niſi ab ea determinetur. Et verò quamvis ipſa determinatio voluntatis ſit etiam voluntatis actio; attamèn non eſt voluntatis actio quomodocumque, ſed eſt voluntatis actio quatenùs dependet à voluntate: Atquì ſub ea ratione, actio ut à voluntate dependet, non poteſt eſſe à Deo, niſi quatenùs Deus voluntatem determinat: & ſi quidem determinat, ergo, & prædeterminat, cùm ut jam ſupra advertimus, & determinatio, & motio prioritatem aliquam ſignificent.

Et quidem ſi Deus ſe ſolo, ut veteres quidam arbitrabantur, actionem voluntatis efficeret in ipſa voluntate, quæ ſeſe paſſivè ſolùm haberet, & actionem quidem reciperet, non efficeret tamen, evidens eſt, quòd ea voluntatis actio tota integraque à Deo penderet; ſed non penderet à Deo ſub ea ratione quâ à voluntate fieret, cùm ſupponatur non fieri à voluntate quæ ſeſe paſſivè ſolùm haberet. Igitur è contra cùm certum ſit, non ita ſe rem habere, ſed ipſam etiam voluntatem agere, ſuaſque operationes efficere, & Deum *facere ut faciamus*, neceſſe eſt alio modo actionem à Deo dependere, ſcilicèt etiam ſub ea formalitate quâ à voluntate dependet. Atquì impoſſibile eſt, fieri actionem à Deo ſub ea formalitate quâ à voluntate dependet, niſi quatenùs Deus voluntatem ad agendum movet, & applicat, & quatenùs voluntati cauſa eſt, ut agat, & voluntatem cum actione conjungit. Ergo. Sed de his alibi: hæc enim ſolùm ex rerum connexione à nobis in anteceſſum dicta ſunt.

ARTICULUS IX.

Reſolutio plurium difficultatum, ac inprimis quomodò prævia motio eadem ſit actio, quâ Deus in rebus præſens conſtituitur.

SEd dices, fieri non poſſe, quod ea operatio quâ Deus conſtituitur preſens in rebus, eaque præſentia intima quâ rebus omnibus illabitur, non ſit omninò diverſa ab ipſa Dei motione prævia, & phyſica. Etenìm in primis ea operatio Divina, quæ eſt ratio conſtitutiva Divinæ in rebus præſentiæ, & Divinæ immenſitatis, eſt ipſa rei creatio, cùm ea actio attingat rationem entis. Unde hæc primordialis operatio Dei, atque hic ipſius in res omnes illapſus eſt intra terminos eſſentiæ, quam educit è nihilo, ideoquè nihil omninò ſupponit, ſed omnia efficit: Atquì de Divina motione aliud omninò ſentiendum eſt, cùm hæc motio quâ v. g. Deus facultates naturales, aut ipſam voluntatem movet, applicat, & cum actu conjungit, non ſit ipſa animæ creatio, ut vel ipſum motionis nomen ſatis indicat: ſed nec fieri poteſt, quin motio voluntatem primò productam ſupponat quam movet, & ad actum reducit: Ergo nulla neceſſaria connexio eſt Divinæ immenſitatis cum motione Dei phyſica, & prævia.

Sed facilis eſt reſponſio, quâ etiam hęc de Divina motione controverſia plurimùm illuſtratur. Ac in primis reſpondeo, apertiſſimum eſſe, S. Thomam cujus potiſſimùm mentem hìc inquirimus, ita exiſtimaſſe verbis ſuperiùs relatis, tùm argumento in *ſed contra*, tùm iis quibus articulum, & totius quæſtionis reſolutionem complectitur. *Si ergo* Deus *eſt cauſa actionis cujuslibet cauſæ in quantùm dat ei virtutem agendi, & in quantùm conſervat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantùm ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cùm conjunxerimus his, quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe; ſequitur quòd in quolibet immediatè operetur, non ſecluſa operatione voluntatis, & naturæ.*

Hæc igitur omnia ex D. Thomæ ſententia conjungenda ſunt, non autem ut contendit objectio, dividenda. Etenìm, ut eo ordine quo fiunt, non tempore, ſed naturâ, & operatione, ea explicemus: Primò, Deus primordiali illa operatione, rem conſtituit ipſique illabitur, & *intra rem* præſens eſt, ſicut *tenens rem in eſſe*. Secundò, *Rei dat virtutem agendi*: Tertiò, *eam conſervat*: Quartò, *eam applicat actioni*: Quintò, ipſa applicatione, & motione novam velutì ex arte confert virtutem agendi, & illâ *ejus virtute alia virtus* cauſæ ſecundæ agit, & cum effectu ſuo conjungitur. Atque ea omnia ex parte ipſius Dei unica ipſius actione aguntur, quæ virtute multiplex eſt, & varios terminos inadæquatos habet. Ergo ex S. Thoma eadem eſt Divina operatio, quæ Dei immenſitatem, & præſentiam conſtituit, & cauſam ſecundam ad ſuam operationem, ſeu ad effectum producendum movet.

Sed prætereà, etſi concederetur, motionem Divinam ſive operationem, quâ Deus cauſam movet diverſam eſſe ab ea operatione quâ ſe ſe cauſæ ſecundæ præſentem Deus conſtituit, ipſique illabitur; parùm ad eam de qua nunc agitur difficultatem pertineret. Satìs enim eſt explicandę

candæ difficultati, Deum rebus omnibus inexistentem eas perpetuò ad actiones ipsi naturæ congruas movere, & applicare: nec difficiliùs intelligitur, Deum res movere, quàm Deum rebus motum, vitam, & inspirationem infundere.

Explicatur magìs, motionem prævìam, & physicam; ex parte principii, scilicèt ipsius Dei, & ut est Divina actio, eandem planè esse cum ea actione quâ Deus infundit esse, quâ illabitur voluntati, quâ est intra ipsius essentiæ terminos, & intùs in re operatur. Est enim unica, & eadem actio Divina, æterna, ipsaque Divina virtus, & Divina essentia, quæ ut varios connotat terminos, varia habet nomina: Unde ex parte solùm termini, scilicèt ipsius creatæ voluntatis quæ movetur à Deo, hæc Divina motio est quid distinctum à Divina operatione, quâ voluntas ipsa producitur. Uno verbo, Deus voluntati per illapsum inexistens, eam perpetuò, & continuò producit, eam conservat, eam movet, seu ei motum imprimit, intùs in ea operatur, eamque ad actum reducit, & quidquid in ea perfectionis est perpetuò influit ac servat. Est enim Deus in rebus, ut dictum est supra, instar centri à quo rerum perfectiones omnes veluti lineæ productæ oriuntur. Ita enim Synesius hymno secundo Deum centrum mundi vocat. *Salve*, inquit, *radix mundi, salve centrum rerum*. Eâquè centri comparatione utitur aliquando S. Thomas, ut emanationem rerum tanquàm linearum à Deo, tanquàm centro, & simpliciſſimo, & infinito explicet. quæst. unica de scient. art. 3. opusc. 61. art. 3. &c. Est igitur Deus in rebus instar centri, aut instar solis, vnde quidquid in rebus omnibus perfectionis est, veluti radii diffusi dimanant.

Et potest hæc solutio in Angelis faciliùs intelligi. Certum enim est fuisse Angelum in ultima perfectione viæ à Deo conditum, præditum gratiâ, & simul in Beatitudine naturali constitutum, & cognitione, & amore supernaturali ad Deum fuisse conversum, ut expresè docet S. Thomas 1. p. q. 58. art. 3. nec dissentiunt in hoc alii Theologi. *Angeli* enim, ut inquit S. Doctor, *illum gradum tenent in substantiis spiritualibus, quem corpora cælestia in substantiis corporeis, nam & cælestes mentes à D. Dionysio dicuntur: corpora verò cælestia statim ex ipsa sua natura suam ultimam perfectionem habent*. Sol enim ipso etiam primo instanti quo productus est, lucem emisit. Igitur cùm certum sit, Deum sua immensitate adesse Angelo quem producit, intùsque in eo operari, & quidquid in eo perfectionis est efficere; statim, etiam primo instanti, eâdemquè actione ex parte Dei æterna, cum novitate essendi, ut loquitur D. Thomas. Primò, Deus Angelo infundit esse, naturam, & facultates quæ naturam consequuntur. Secundò, eodem instanti gratiam ei infundit, educitque è subiecto tanquàm accidens supernaturale. Tertiò, Potentias, intellectum, & voluntatem ad suos actus, scilicèt cognitionem, & amorem movet, & applicat. Quartò, ac deindè continuato influxu, seu infundente naturam, seu educente gratiam, seu movente, & applicante potentias, ea omnia conservat. Omnia igitur operatur unus, & idem Spiritus, seu una eademque Divina, & æterna operatio Dei, ejusque Divina essentia, aut Deus ipse præsens, & sua operatione inexistens Angelo.

At verò, sicut termini hujus simpliciſſimæ operationis Divinæ varii sunt, varia etiam sunt nomina, & ex parte terminorum multiplex est hujus actionis ratio. Prima itaque est creatio quæ infundit esse, & naturam, & potentias, quæ tanquàm appendices naturæ concreantur. Secunda est eductio gratiæ, quæ naturam Angeli priùs naturâ, non tempore, productam supponit. Tertia est ipsa physica Dei motio, quę non potest non esse prævia, cùm omnem operationem præveniat, & Angelum primò in actu effectivo constituat. Quarta demùm etiam virtualiter multiplex est: ut productio continuata, seu ut continuatus influxus, quo esse infunditur, est conservatio, quę non est actio à creatione distincta, sed est ipsamèt creatio, ut continuata, ut docet S. Thomas 1. p. qu. 104. art. 1. Ipsa verò gratiæ eductio ut continuata non habet aliud nomen. Sed ipsa motio seu influxus, & concursus prævius ut permanens, & continuatus; est concursus simultaneus. Non enim existimandum est, concursum simultaneum, ut est ex parte causę, à prævio concursu diversum esse. V.G. cum Deus solem ad illuminandum, & effundendam in aërem lucem, movet; eadem continuata motio, quâ perpetuò Sol ad effundendam lucem veluti Dei manu tenetur tanquàm *vas admirabile*, ut vocat Sapiens, quo *spargitur lux, & dividitur æstus super terram* ut inquit Iob, est ipse concursus simultaneus. Unde maximam cognationem habet, & similitudinem concursus simultaneus cùm conservatione, sicut & concursus, aut influxus Dei prævius cum ipsa creatione Divina.

Quæ autem de Angelo dicta sunt, etiam in cęteris locum habent, cùm æquè cætera omnia sua immensitate Deus repleat, in iisque operetur. Unde etiam quid de Divina motione prævia sentiendum sit in ordine supernaturali gratiæ, facilè ex dictis explicari potest; cùm in eo ordine novum, & specialem præsentię, & operationis modum Deus in anima habeat. Sedet enim Deus ut in templo suo in anima justi, ipsi gratiam infundit, eam virtutibus adornat, & facultates omnes ad operationes, habitibus quibus instructa est, similes & consentaneas movet; ac demùm cętera quę supra memoravimus, efficit: cùm nullius perfectionis seu gratię, seu naturæ homo capax esse possit, cujus author non sit.

ARTI-

ARTICULUS X.

Superiora confirmantur, & præcipua controverſiæ capita circa motionem Divinam exemplo animæ, quæ in ſuas potentias influit, eaſquè movet, explicantur.

CONfirmari inſuper poſſunt quæ hactenùs diximus, exemplo animæ, quod ſæpiùs Eccleſiæ Doctores, ac in primis S. Thomas adhibent, ut immenſitatem, & operationem Dei in rebus explicent, ac penè ob oculos ponant. Et ſanè quamvìs omninò à vero alienum ſit, quod ex veteribus plures exiſtimabant, Deum eſſe animam mundi, ut ſupra retulimus, frequentiſſimum tamèn eſt apud SS. Patres quod aſſerant, Deum regere, adminiſtrare, ac movere mundũ, non ſecùs ac anima ipſum corpus replet, vegetat, regit, ac movet. Cùm enim Varro apud D. Auguſtinum l. 4. de Civit. cap. 31. dixiſſet. Deum eſſe animã mundi, *motu ac ratione mundum gubernantem*, non eum reprehendit S. Doctor, quòd Deum præſentiſſimum ac velutì infuſum rebus, & inſtar animę Varro dixerit; ſed è contra inquit S. Auguſtinus, *quis non videat, quantùm appropinquaverit veritati*. Sepoſita enim *animæ mutabilitate*, aliiſquèimperfectionibus, quæ informationem animæ comitantur; dubium non eſt, Deum intimè rebus non tàm adeſſe quàm ineſſe, ac movendo naturam, mundum gubernare. Apertiùs Sanctus Bernardus loco ſupra citato l. 5. de conſid. eam comparationem adhibet, & proſequitur. Cùm enim Angelum adeſſe, Deum autem ineſſe dixiſſet, ita ſubdit: *Itaquè ſicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus guſtat, tangit in toto reliquo corpore; ſic Deus diverſa in diverſis ſpiritibus operatur: v. g. in aliis amantem ſe exhibens, in aliis agnoſcentem, in aliis alia facientem: ſicut vnicuiquè datur manifeſtatio ſpiritûs*, & alia quæ deinde proſequitur. Sic alibi, inquit, quòd Seraphini *ardent igne Dei*, vel potiùs *igne Deo*. Sicut enim anima juxtà cujuſque partis organi diſpoſitionẽ varios influxus immittit; ita & ſine cõparatione multò opportuniùs, Deus juxtà cujuſque naturę captum, & diſpoſitionem eas movet. Eſt enim Deus ipſe ſapientiæ Spiritus de quo inquit Sapiens, quòd *eſt unicus, & multiplex*. Sapient. 8. quòd in ſe ſimpliciſſimus, virtute infinitus ſit, omniaquè pro cujuſque genio moveat, regat, & adminiſtret. Ita enim Divina motio, & Divinę gratiæ operatio, una licèt in ſe, ſi virtus ipſius ſpectetur, non unius modi, aut unius generis eſt; quòd mirum eſt à Viro quodam erudito objici potuiſſe S. Thomæ Diſcipulis. Aut ſi unius generis dicenda ſit motio, eſt inſtar Spiritus Divinæ Sapientiæ, qui loco jam ſupra citato v. 22. μονογενὴς quaſi *unius generis* dicitur: ſed tamèn etiam, πολυμερὲς, eſt velutì *multarum partium*, & qui capiat *omnes ſpiritus*, diverſaquè pro cujuſque hominis diſpoſitione operetur, aut *dividat ſingulis proüt vult*, quò nihil dici poteſt opportuniùs ad explicandam vim motionis Divinæ.

Atquè hôc eodem exemplo utitur S. Thomas, opuſc. 70. in Boëtium de Trinit. q. 1. art. 1. ut probet, humanam mentem, dùm naturalia cognoſcit, non egere nova luce ſuperaddita infuſa, ſed ſola Divina motione. *Quamvìs* enim inquit, *non requiratur novi luminis additio ad cognitionem eorum ad quæ naturalis ratio ſe extendit; requiritur tamèn Divinæ operatio: præter operationem enim quâ Deus rerum naturas inſtituit, ſingulis formas, & virtutes proprias tribuens, quibus poſſint ſuas operationes exercere; operatur etiam in rebus opera Providentiæ, omnium rerum virtutes ad actus proprios dirigendo, & movẽdo. Ita enim univerſa creatura Divinę gubernationi ſubjicitur, ſicut inſtrumenta ſubdũtur gubernationi artificis, & qualitates naturales virtuti animę nutritivę, ut dicitur in 2. de anima. Unde ſicut ex calore naturali ſequitur opus digeſtivæ ſecundùm regulã quam imponit calori ipſa vis digeſtiva; & omnes virtutes inferiorum corporũ operantur ſecundùm quòd diriguntur, & movẽtur ex virtutibus corporum cęleſtium: ità omnes virtutes activę creatę operantur ſecundùm quòd diriguntur, & moventur à creatore*. Hactenus D. Thomas.

Igitur ex S. Thoma, *ſicut qualitates naturales virtuti animæ nutritivæ, & vegetativę ſubjiciũtur, ita univerſa creatura Divinæ gubernationi ſubjicitur*. Et ideò potiùs exemplum animæ vegetativæ, & nutritivæ S. Doctor uſurpaſſe videtur, ut Dei moventis vim, & efficaciam demonſtraret: quòd, ut Philoſophus inquit in 2. de anima apùd D. Thomam lect. 7. *Nutritiva anima ceteris ineſt, & prima, & maximè communis vis, & potentia, quâ cuncta viventia vivunt*. Et, ut addit S. Thomas, quaſi *fundamentum aliorum*. Ita enim Dei operatio ac præſentia in rebus, prima omnium eſt, & communis vis, quâ omnia ſunt, vivunt, & moventur, ac omnium operationum naturę primum, & ſtabile fundamentum, cæteraſquè operationes *Divina operatio firmat*. Alioquì enim erit apertius exemplum in ſentiente, & rationis participe anima, ad ea omnia explicanda, quæ ſupra memoravimus, & ſtatim infra expendemus.

Ad idem exemplum referri poteſt alterum, quô frequenter utitur S. Thomas, naturæ, quæ in rebus omnibus eſt omnium operationum, quæ eliciuntur, primum principium: Ut enim ſæpius inquit S. Doctor, ſicut opus artis opus naturæ præſupponit, tanquàm omnium motuum omniumquè operationum primam cauſam, & originem; non abſimili modo cujuſcumquè cauſæ ſecundæ operatio Divinam operationem Divinamquè motionem præſupponit. *Sicut actio*, in-

quit, *naturæ præcedit actionem voluntatis noſtræ, ratione cujus in operibus artis quæ à voluntate ſunt, naturæ operatione indigetur: Ita voluntas Dei, quæ eſt origo omnis naturalis motûs, præcedit operationem naturæ. Unde & ejus operatio in omni operatione requiritur*, q. 3. de malo art. 7. ad 9.

Atquì, hoc exemplo ſeu naturæ, ſeu animę, quæ corpus replet, ipſique ſuo modo illabitur, ipſum regit ac movet, tanquàm omnium ejus motuum primum principium: facilè, & abſque ullo negotio præcipua hujus controverſiæ capita reſolvuntur. Ea enim omnia ad quatuor revoco, nec diſſentient, qui adverſam ſententiam tuentur, in his quatuor totius controverſiæ ſummam poſitam eſſe. Primò: eam Divinam motionem pręviam eſſe, & operationem cauſæ ſecundæ, ſeu naturalem, ſeu liberam cauſalitate, & efficientiâ antecedere. Secundò: non unius modi eſſe eam motionem; quod, ut diximus, mirum eſt, à Viro erudito potuiſſe S. Thomæ Diſcipulis objici, & tanquàm rem in eorum ſententia certam potuiſſe totiès repeti; cùm tamen nihil frequentiùs apud D. Thomam ejuſque Diſcipulos reperire ſit, quàm quòd ea divina motio juxtà cujuſque rei genium, & variam conditionem, etiam virtute multiplex, & varia ſit; in aliis contingentiam, in alijs libertatem, in aliis verò neceſſitatem efficiat, proüt varia cujuſque rei natura exigit, quòd centiès repetit S. Doctor. Tertiò: tantùm abeſſe quòd ea motio libertati voluntatis humanæ officiat, ut è contra ipſam libertatem in voluntate efficiat, foveatquè. Quartò demùm: Divinam hanc motionem efficere quidquid in actibus hominum rectitudinis, & perfectionis eſt, intactâ eorum actuum malitiâ.

Atquì, ut mox diximus, hæc omnia comparatione animæ quàm facillimè explicantur. Enim verò cui in primis venire in mentem poſſet, animam, dum corpus ejuſque potentias movet, ad earum operationes, ſeu naturales, ſeu liberas, non eas tamèn concurſu prævio, ſed ſimultaneo ſolùm movere. Eam quidem concurrere ſimultaneè nemini dubium eſſe poteſt: Cùm enim oculus v. g. objecta videt, ac percipit, quis ambigat, animam perpetuò vitales ſpiritus, vimquè objecta percipiendi ſubminiſtrare, ac ſimul cum oculo ad eam objectorum perceptionem per modum principii effectivi, ac radicalis concurrere? Verùm eam motionem dumtaxat ſimultaneam eſſe, non autem prævíam, neſcio quis ſibi unquàm ſuadere poſſet; cùm compertiſſimum ſit, oculum v. g. clauſum nunquàm aperiendum fore, nec manum inertem ad pingendum, & ducenda in tabella lineamenta fore unquàm extendendam, niſi animà prævio influxu eos oculi, & manûs motus anteverteret, & efficeret.

2. Sed deindè, quis penè ſenſibus oculiſque non hauriat, ita animæ, quæ corpus informat, influxum à natura temperari, vt juxtà varias partium, & organorum, quibus tanquàm inſtrumentis conjunctis utitur, varium vitæ gradum communicet? aliis enim partibus quæ craſſiores ſunt, & ſenſûs expertes, ultimum dumtaxàt vitę gradum tribuit, eaſquè efficit augmenti ſolùm, & accretionis capaces; alias partes, ut principium ſentiendi informat, iiſquè vim etiam ſentiendi tribuit: aliis demùm facultatibus, quę nobiliores ſunt, ſibiquè intimiùs conjunctæ, intellectu ſcilicèt ac voluntate, utitur ad operationes ſuæ naturæ magìs conſentaneas exercendas, cognitionem ſcilicèt, & amorem.

3. Nec verò minùs liquet, ſubſtantiam animę, quæ juxtà omnium ſententiam in ſuas potentias influit, aut immediatè, & formaliter, ut plures ex Recentioribus ſentiunt; aut virtualitèr ſolùm, & radicaliter, quæ eſt S. Thomæ ſententia; qui influendi modus multò perfectior eſt, ac Divino ſimilior, à quo res omnes, & in fieri, & in eſſe perpetuò dependent, quatenùs potentias ipſas perpetuò veluti è ſuo ſinu educit, & effundit; quæ potentiarum emanatio dicitur, non inquàm minùs liquet, ſubſtantiam animæ ſuo influxu in voluntatem, non ſolùm libertati voluntatis non officere, ſed eam etiam efficere, cùm non poſſit, vel minima in potentiis animæ eſſe perfectio, niſi ex influxu animæ derivetur, ſicut repugnat quemcumquè ſuccum in fructus, folia, ramoſquè arborum derivari, niſi à radice receptum.

4. Sed demùm, cùm ſæpiùs organa, quibus anima utitur, & ut inſtrumenta movet, vitio non careant; tibia curva ſit, lippi oculi, ſurdæ aures; ita eas omnes partes, eaquè omnia organa movet, ut quidquid in earum partium operationibus perfectionis eſt, tibiarum pedumque motus, oculorum perceptio, auditio aurium, ex ſola anima ut principio efficiente, & movente oriatur; quidquid autem vitii adhæret, ut claudicatio tibiæ, oculorum lippitudo, auriumquè ſurditas, in earum partium vitia refundatur.

Ergo cùm fide, & ratione compertiſſimum ſit, & apud Sanctos Eccleſiæ Patres, ac Doctores Theologos, & apud melioris notæ veteres omnes Philoſophos omninò receptum, Deum rebus omnibus adeſſe, omnia replere, in omnibus operari, non ſecùs ac anima ſuum corpus replet, regit, ac movet; conſequenter neceſſe eſt, eam operationem Dei in rebus, eamquè motionem in primis eſſe prævíam, omniumque cauſarum quibus ineſt operationes antecedere; &, ut inquit, S. Thomas: *ſicut actio naturæ*, ipſiuſque animę, quæ dignitate ſaltem prima eſt natura, & primum principium motûs etiam cauſalitate corporis organici, & vitam habentis, *præcedit actionem voluntatis noſtræ*, etiam liberam; *ita voluntas Dei, quæ eſt origo omnis naturalis*, & liberi *motus, præcedit operationem naturæ*, ipſiuſque voluntatis. Quibus certè verbis, niſi S. Thomas prę-viam, & phyſicam motionem Divinam intelexiſſet, non video quibus aliis verbis eam explicare unquàm potuiſſet. Quid enim aliud eſt, voluntatem Dei ejuſque motionem Divinam præcedere operationem naturæ, & voluntatis creatæ, quàm Divinam motionem prævíam eſſe, ipſiuſ-

ipſiuſque voluntatis creatæ operationem prævio influxu antevertere ?

2. Deinde, cur ea Divina motio juxtà cujuſquè cauſæ particularis varium genium, & diverſam conditionem varia efficere non poſſit, cùm etiam anima partibus, quas informat, juxtà varias earum partium diſpoſitiones, varias perfectiones, & dotes tribuat ? Unde ſæpiùs S. Thomas illud D.Dionyſii cap.4.de Divin.Nomin.celebrat. *Ad Divinam providentiam non pertinet naturam rerũ corrumpere, ſed ſervare; unde omnia movet ſecundùm eorum conditionem; ita quòd ex cauſis neceſſariis per motionem Divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate, ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes*, 1.2.q.10.art.4. Operatur enim in unoquoq; ſecundùm ejus proprietatem. Atq; ut egregiè addit S.Thomas, q.unic.de Scientia,a.3. Cùm Deus res ordinet, dirigatq; in finem, & conſentaneas inclinationes indiderit; neceſſe eſt quòd in ipſa rerum omnium adminiſtratione, & finis ad quem dirigit, & inclinationis ad quam impellit, velutì rationem habeat, *& hanc probationem*, ait D.Thomas, *innuit Pſalmus, cùm dixit: Qui fiuxit oculum, non conſiderat: & Rabbi Moyſes dicit, quòd idem eſt ac ſi diceretur : Qui oculũ fecit ſic proportionatũ ad ſuum finem qui eſt ejus actus, ſcilicèt viſio, nonnè conſiderat oculi naturam*, nimirùm, ut proüt ipſius natura exigit, ipſum Deus ad viſionem moveat. Et apud D. Auguſtinum in Pſalmum 49. v.1. Deus hominum corda velut *organa* movet, *tangendo, modificando, inſpirando*, de qua modificatione plura infrà dicenda ſunt.

3. Atque indè colligitur, ſi influxus animę in ipſam voluntatem, quamvìs phyſicus, quamvìs neceſſarius, ac omninò naturalis, libertati tamen voluntatis non officiat, ſed eam potiùs efficiat foveatque, cùm ſit influxus cauſæ, & radicis à qua neceſſe eſt derivari quidquid perfectionis voluntati ineſt : quantò potiori ratione ea motio Divina, eaquè operatio primæ omnium cauſæ, cujus tenuiſſima participatione, ipſa hominis anima influxum, & temperatum, & libertati voluntatis conſentaneum habet, ipſam voluntatis creatæ libertatem non impediet, ſed potiùs expediet efficietque; cùm etiam influxus ſit primę radicis libertatis, à qua neceſſe eſt, libertatem omnem, motumquè omnem, & perfectionem libertatis ut à prima origine oriri ?

Unde S. Thomas, cùm ſibi objeciſſet, Divina motione videri prejudicium creari libertati, ipſique vim inferri 1.p.q.83.art.1. *Liberum* enim, inquit, *eſt quod ſui cauſa eſt, ut dicitur in 1. metaphyſ. quod ergo movetur ab alio, non eſt liberum. Sed Deus movet voluntatem, dicitur enim Proverb. 24. Cor Regis in manu Domini, quocumquè voluerit vertet illud.* Quæ ſanè objectio de motione aut morali ſolùm, aut ſolùm concomitante, nullam vim haberet, ut aliàs expendemus.

Reſpondet autem ipſemet S. Doctor. *Quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitriũ ſe ipſum movet ad agendum : non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt, ſicut nec ad hoc quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis, movẽdo eas non aufert quin actus earum ſint naturales; ita movendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earũ ſint voluntariæ: ſed potiùs HOC IN EIS FACIT. Operatur enim in unoquoq; ſecundùm ejus proprietatem.* Igitur quòd actiones voluntariæ ſint ac liberę, *hoc Deus in voluntate facit*, ſuęq; Divinæ gratię motione, quâ voluntatem ipſam hominis movet, ejuſq; libertatem tanquàm prima ipſius cauſa, & radix efficit : non ſecùs ac ipſa ſubſtantia animæ ſuo perpetuo influxu prima eſt, in ſuo ſcilicèt ordine, & radicalis cauſa, & voluntatis, & omnium illius perfectionum, quas inter libertas eminet.

Et ſanè ita neceſſe eſt, libertatem, ac libertatis motum ex Divina motione oriri, altera ratione quàm refert S. Thomas ex reſponſione laudata, & quæ eâdem comparatione animæ facilè poteſt explicari. *Non eſt*, inquit, *de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt.* Enimverò nemo negat, quin ipſa hominis voluntas ſit immediatiſſima, & propinquiſſima cauſa libertatis, neq; tamen neceſſe eſt, quòd voluntas ſit prima libertatis cauſa, immò nec fieri poteſt; neceſſe enim eſt quòd à ſubſtantia animæ ipſa voluntas oriatur, à qua ut à ſua radice dependet, & cui eſſentialiter ſubordinatur. Atquì, multò intimior eſt dependentia, multòque major ſubordinatio, & libertatis, & voluntatis, ipſiuſquè animæ ad Deum, quàm libertatis, aut voluntatis ad ſubſtantiam animæ; cùm, ut S.Thomas inquit ex D. Auguſtino, Deus *intimior ſit intimo noſtro*, quòd ipſum eſſe, ipſamque rationem entis perpetuò influat, quâ nihil intimius, nihilque profundius rebus ineſſe poteſt : ergo neque de neceſſitate eſt, quòd voluntas ſit prima libertatis cauſa, immò nec fieri poteſt; ſed neceſſe eſt quòd ad ipſummet Deum, ut ſuperiorem, & primam omnium cauſam, & originem, ac radicem reducatur. Ut enim inquit S. Thomas quem articulo ſuperiori retulimus, *quantò magis agens proximum, & immediatum eſt, tantò virtus ejus eſt mediata*, & agentis ſuperioris virtus eſt immediatior, & primi agentis eſt *immediatiſſima* : ita enim neceſſe eſt dependentiam effectus à ſua cauſa, & ſubordinationem eò majorem eſſe, quò cauſa altior eſt, & ſuperior.

Atque id etiam alia ratione neceſſe eſt, ex eo quòd ipſe uſus libertatis, in quo ſumma ejus perfectio poſita eſt, ipſaq; prima determinatio voluntatis, non poſſit eſſe primò à ſeipſa, ſed debeat in cauſam priorem reduci : ea ratione quam alibì explicabimus infrà ex S.Thoma in 2.diſt.37.ar.2. Quòd omninò repugnet, ut illud *quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt.* Unde concludit S.Doctor: *cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus, & operatio ab alio ſit.* Alioquin, ut ſtatìm ſubjicit, *quamvìs evitaretur, quòd voluntas non eſſet*

primum ſimpliciter ens, non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agens; ſi ejus actio in aliquod primùm agens non reduceretur, ſicut in cauſam.

Vide quæ infra à nobis referenda ſunt, ubi eorum reſponſio erit refellenda, qui, cùm exiſtiment, Deum non movere priùs cauſam ſecundam quàm agat; ut Deo prærogativam primæ cauſæ intactam integramquè ſervent, Deoquè adſcribant, inquiunt, ipſum Deum eſſe primam cauſam dignitate, etſi non cauſalitate; nec hominis voluntatem dici poſſe primum principium, nec primum agens, licèt ſeipſam primò moveat, eo quòd ratio primi principii exigeret, voluntatem eſſe à ſe, quod cum conditione creatæ naturæ è diametro pugnat.

4. Sed demùm: ſi quidquid perfectionis ineſt facultatum animæ operationibus, in vim motricem ipſius animæ, tanquàm in radicale principium refundatur, quidquid verò vitii iis accidit, ſimilibus partium, & facultatum vitiis aſcribatur; quidni etiam liberarum actionum hominis quidquid perfectionis eſt, ex Divina motione ut prima cauſa efficiente oriri poſſit, malitia verò non aliam cauſam habeat præter ipſam voluntatem deficientem ex vitio ſuæ originis quod ipſi inhæret, nec ſejungi unquàm poteſt, ut ex nihilo eſt? Atque id explicat D. Thomas eodem exemplo animæ, quô nos uſi ſumus, quodquè ex ipſo didicimus, q. 3. de malo art. 2. Ubi etiam iterùm addit, quod ſupra ex ipſo retulimus, non unius, & ejuſdem modi ſemper motionem eſſe, quod nobis parùm conſultò objectum fuiſſe obſervavimus.

Animadvertendum eſt, inquit, *quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in unoquoquè ſecundùm modum proprium. Alio enim modo cauſatur à motu Cæli motus corporum inanimatorum, quæ non movent ſeipſa, & alio modo motus animalium quæ movent ſeipſa &c. Et cùm aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendum diſpoſitionem primi moventis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionē primi moventis: ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id quod eſt ibi actionis reducitur in primum movens ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de defectu non reducitur in primum movens ſicut in cauſam; quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc quòd agēs deficit ab ordine primi moventis, ut dictum eſt: ſicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute motiva animalis; ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt à virtute motiva, ſed à tibia ſecundùm quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiva.* Hęc omnia S. Thomas: quę deinde in Deum refert moventem cauſas ſecundas, quæquè nos etiam iterùm referemus, ubi explicandum nobis occurret, Deum intactâ humanorum actuum malitiâ, quidquid in eis entitatis, & perfectionis realis eſt, efficere.

Igitur, quiſquis volet facili, & opportuno exemplo, Divinę motionis prævię, ac phyſicæ notionem omnem explicare, quove pacto Deus naturam omnem, reſque omnes, cauſaſque ſingulas ad omnes ſuos actus excitet, applicet, moveatque; intelligat, Deum ſecluſis imperfectionibus partis, informationis, dependentię, aliiſquè ejuſmodi, rebus omnibus adeſſe, eaſquè movere, & inſpirationem, vitam, motum omnem ac ipſum eſſe in his perpetuo influxu efficere; non ſecùs ac anima, aut veriùs multò nobiliùs, multòque intimiùs, quàm anima adſit ſuo corpori quod informat, quod perficit, cuique pariter (ſed ignobiliori modo, informatione ſcilicèt quæ à ratione partis, & dependentię ſejungi non poteſt) eſſe, motum omnem, ac vitam influit. Hinc enim facilè difficultates omnes, quę in hac percelebri de Divina motione quæſtione occurrere ſolent, expediet, nodoſque omnes, quibus à multis implicatur, nullo negotio ſolvet. Idem exemplum uſurpat D. Aug. 3. de Trinit. cap. 4. quod retulimus ſupra, de quo etiam alibi.

Addi poſſet, hôc eôdem exemplô demonſtrari poſſe neceſſitatem Divinæ motionis ad efficiendam rationem entis, vel exiſtentiæ, ac potiſſimùm ad efficiendos actus ſupernaturales: ſiquidem non ineſt calori nativo vis ad generandas carnes, niſi vt eſt inſtrumentum animæ: ſed de his infra ubi divinę motionis vim, & artificium explicabimus.

ARTICULUS XI.

Colligit S. Thomas præcipua contra Divinæ motionis prævię ſententiam argumenta, eaquè ſolvit.

EXplicatis iis quæ hujus Articuli ſeptimi corpore complexus eſt D. Thomas, & quibus prędipua tum principia, tum argumenta, tum exempla fusè proſecutus eſt, quibus ſtabiliri, & defendi poteſt, & ſolet à ſuę ſcholę diſcipulis motio Divina; ſupereſt ut ea argumenta referam quę ſibi objicit S. Doctor, & quę eruditus Lector etiam me tacente animadvertet, eadem eſſe quę ſententiæ adverſæ patroni contra Divinas motiones prævias objicere ſolent; ut non immeritò nobis uſurpare liceat quod olim Gelaſius Papa epiſtola 3. ad Honorium. *O ſi ſtuderent Majorum noſtrorum libros, reſponſaque cognoſcere; illic modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſus quod non & ab iſtis fuerit ventilatum, & ab iſtis magnifica veritate contritum.*

Et verò hoc in me recipere nec immeritò poſſe exiſtimo; ut nihil ab adverſariis objectum fuiſſe demonſtrem, quin ea S. Thomas contriverit; neque aliud ab adverſariis fieri, quàm *ut exciſa dogmata* & quę *antiquitùs à noſtris Majoribus cognita, diſcuſſa, refutata ſunt, reſtaurare nitantur.*

Plura deindè ex variis S. Thomæ locis colligam;

gam : sed hìc ut hujus Articuli septimi explicationem absolvam , necesse est referri , tum argumenta quæ sibi objicit S. Doctor , tum solutiones quibus ea argumenta solvit . Atquè hoc unum semper ab erudito Lectore præ oculis haberi exopto; advertat scilicèt , nùm ea argumenta, quæ sibi objicit D. Thomas , eadem sint quæ nunc Adversarii nobis objiciunt : ac nùm solutiones, quibus ea solvit S.Doctor, eædem sint, quibus ea solent ipsius Discipuli solvere : hâc enim utrâque comparatione certissimè agnoscet , quinam è parte S. Thomæ stare reverà dicendi sint , quiquè ipsius sententiam , & doctrinã sequantur.

Objici itaquè in primis solet , procul amandandam esse motionem prævìam à causis secundis , utpotè planè inutilem , potissimùm in necessariis , in quibus, nisi apertissima ratio , & necessitas cogat , & exigat , nihil est superaddendum : neque enim , ut dicunt, multiplicanda sunt entia sine necessitate : Atquì, nulla necessitas est , in igne v. g. admittendi eam motionem prȩviam ad comburendum , quid enim aliud requiri potest in igne præter vim ejus activam, calorem scilicèt, & subjectum dispositum ?

Sed vide nùm hoc ipsum argumentum S. Thomas jam præoccupaverit eo Articulo 7. num. 1. *Natura* inquit , *nequè deficit in necessariis, nequè abundat in superfluis : sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis; ergo non requiritur virtus Divina in rebus operans* . Deinde confirmat hanc rationem S. Doctor num. 5. his verbis: *Quandocumque Deus aliquam naturam instituit , ex hoc ipso dat ei omnia illa, quæ sunt de ratione illius naturæ; sicut ex hoc ipso quòd facit hominem , dat ei animam rationalem: sed de ratione virtutis est quòd sit principium agendi, cùm virtus sit ultimum potentiæ, quæ est principium agendi in alio , secundùm quòd est aliud, ut dicitur in 5. metaphys. Ergo ex hoc ipso quòd Deus virtutes naturales rebus indidit, dedit eis quòd operationes naturales perficerent. Non igitur oportet quòd ulteriùs in rebus naturalibus operetur.* Idque iterùm confirmat num. 8. ubi sic habet : *Posita causa ex necessitate naturæ agente ; sequitur ejus actio , nisi per accidens impediatur , eo quòd natura est determinata ad unum : Ergo si calor ignis agit ex necessitate naturæ , posito calore sequitur calefactio , nec requiritur aliqua virtus superior agens in ipso* .

En igitur argumenta , quibus solet Divina motio prævia impugnari , majori vi & eruditionis copiâ ab ipso S. Thoma sibimèt objecta , quàm objici soleant ab iis , qui adversam partem defendunt . Sed in his moneo unum esse observatione dignissimum , scilicèt , semper concludere D. Thomam , non oportere quòd causa prima operetur *in rebus naturalibus* , & in natura operante , ideſt in causis secundis : quod planè demonstrat , iis argumentis dumtaxàt impugnari motionem prævìam ipsis causis secundis impressam , in iisquè receptam , non autem concomitantem motionem Divinam , seu concursum simultaneum , qui in effectibus solùm productis recipitur , & est ipse causæ secundæ effectus ut à prima causa in fieri dependet .

Sed quid ad ea argumenta respondet S.Doctor? Quod hujus discipuli solent, ab eoque didicerunt . Ad primum *dicendum , quòd virtus activa , & passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo : requiritur tamen virtus Divina, ratione jam dicta* : quòd nimirùm causa quælibet , v.g. ignis virtutem equidem habeat ad producendum alterum ignem , secundùm rationem atomam : virtutem tamèn non habeat ad alterum ignem producendum secundùm rationem specificam vel genericam , nisi virtute à causa superiori sibi impressa , ut dictum est à S. Thoma in corpore hujus Articuli septimi . Et præterea : quantumvìs completam in suo ordine virtutem habeat; exigit tamen causę secundę conditio, quòd à causa prima cui subordinatur , moveatur , & applicetur : sicut instrumentum applicatur ab artifice, ut etiam dictum est supra .

Ad primam confirmationem respondet D. Thomas . *Ad quintum dicendum, quòd de ratione virtutis inferioris est , quòd sit aliquo modo operationis principium in suo ordine , ideſt , ut agat ut instrumentum superioris virtutis . Unde exclusâ superiori virtute , inferior virtus operationem non habet* . Eadem est solutio cum superiori, quam jam supra explicuimus .

Ad secundam verò confirmationem respondet, *quòd necessitas naturæ per quam calor agit, constituitur ex ordine omnium causarum præcedentiũ . Unde non excluditur virtus causæ primę.* Profundissima solutio , & cujus vis in eo sita est ; quòd necessitas naturæ posita sit in ea omnium causarum à prima ad ultimam connexione, quâ ordinẽ totius universi constare supra diximus . Igitur tantùm abest , quòd quia causa secunda necessaria est , & necessariò agit , ideò excludi debeat operatio causæ primæ , ut potiùs ipsa necessitas naturæ postulet , à superioribus causis , & potissimùm à causa prima in ipsa operatione , & ut operetur , dependere . Sed

Objici præterea solet alterum Argumentum , quo expressiùs ea motio prævia , ut planè inutilis recta fronte impetitur . Aut enim , inquiunt, ea virtus superaddita , & causæ impressa , satìs est ut causa secunda eâ virtute instructa , & roborata effectum producat , aut reipsà non sufficit : Si satìs est , cur non etiam virtus naturalis sufficiat, cùm sit ipsa facultas, & virtus agendi , & proportionem habeat, & quandam adæquationem, quantam esse inter causam producentem , & effectum , necesse est , & reperiri potest : si verò non sufficit ; Ergo etiam admissa motione prævia , altera motio erit concedenda , de qua iterum eadem quæstio erit : Ergo &c. Sed nullis meliùs quàm S. Thomæ verbis explicari potest hæc objectio .

Obiicit itaquè sibi S. Thomas , num. 7. *Si Deus in natura operante operetur , oportet quòd operando aliquid rei naturali tribuat ; nam agens*

agen-

agendo, aliquid actu facit: aut ergo illud sufficit ad hoc ut naturu possit per se operari, aut non: si sufficit, cùm etiam virtutem naturalem Deus tribuerit, eâdem ratione potest dici, quòd virtus naturalis sufficiebat ad agendum, nec oportebit quòd Deus postquàm virtutem naturæ contulit, ulteriùs ad ejus operationem aliquid operetur. Si autem non sufficit, oportet quòd sibi aliquid aliud iterùm faciat: & si illud non sufficit, iterùm aliud, & sic in infinitum, quod est impossibile: nam unus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis; quia cùm infinita non sit pertransire, nunquàm cõpleretur: Ergo standum est in primo, dicendo quòd virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem, sine hoc quòd Deus ulteriùs operetur.

Respondet autem huic argumento S. Thomas, sufficere quidem motionem, non tamen sufficere virtutem propriam, & naturalem: idquè duplici ratione; primò, quia virtus propria ac nativa causæ secundæ, V. G. calor, potest quidem esse forma permanens in igne, ipsumque ut principium activum constituere; verùm non potest calor esse ea vis, quæ attingat seipsâ rationem entis in effectu producto; sed necesse est, eam vim superadditam esse à causa prima, cujus dumtaxàt ut instrumentum, eam entis rationem efficere potest. Sicut securi conferri quidem potuit acumen, quô veluti formâ aut figurâ permanente apta esset ad scindendum: ei tamen conferri non potuit ea vis artis, quâ artificiosè moveret, & cùm artifice effectum produceret, nisi ipsam artem haberet, & intellectum artis sedem, cujus tamen non est capax.

Altera verò ratio est, cur requiratur virtus causæ primę superaddita causę secundę, nec ea virtus in naturę institutione ipsi causæ secundę à Deo naturæ authore collata satis sit, quia scilicèt nulli unquàm virtuti naturali conferri potuit, quòd seipsam primò moveret, non magis quàm quòd seipsam conservaret; sicuti nec instrumento conferri potuit, ut sine motu artis, & artificis quidquàm efficeret. Sed referenda sunt ipsiusmet S. Thomæ verba, quæ non immeritò decretoria dici possint; adeò ut, nedum Suarez, Conimbricenses, aliique convicti fuerint, eo loco admissam esse à D. Thoma Divinam motionem prævíam; sed nemo etiam dubitare unquàm meritò potuerit S. Thomam in ea sententia fuisse.

Ita igitur respondet S. Doctor Num. 7. *Ad septimum dicendum, quòd virtus naturalis quę est in rebus naturalibus in sua institutione collata, ineſt eis ut quędā forma habens esse ratum, & firmū in natura: sed id quòd à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intētio sola habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis. Sicut igitur securi per artem dari potuit acumen ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quòd vis artis esset in ea, quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis quæ agit ad esse, ut instrumentum primæ causę, nisi daretur ei quòd esset universale essendi principiū. Nec iterùm virtuti naturali conferri potuit, ut moveret seipsam, nèc ut conservaret se in esse. Unde sicut patet quòd instrumento artificis conferri non potuit, quòd operetur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur absque operatione Divina.* Hæc S. Thomas in quibus sanè quisquis Divinam motionem expressam non viderit, is sponte cęcus sit necesse est. Sed hæc fusiùs infra explicanda sunt; ubi ex eo loco veram Divinæ motionis notionem exponemus.

ARTICULUS XII.

Objicit sibi S. Thomas argumenta, quibus Divina motio prævia in causis liberis impugnari solet, eaquè solvit.

SOlutis jam argumentis quibus motionem prævíam Dei in causis secundis, ut planè inutilem, aut impossibilem impugnant qui contrariam sententiam sequuntur; & maximè in causis necessariis, in quibus nihil aliud præter virtutem agendi expeditam, & subjectum dispositum requiri arbitrantur: ad alia argumenta progrediendum est, quæ gravioris momenti censenda sunt, in causis liberis, creata scilicèt voluntate, quæ capax est, & meriti, & demeriti; cuique non inutilem solùm, sed & maximè noxiam esse prędviam motionem existimant, utpotè libertatis omnis interemptricem. Sed hæc omnia prędsaga mente perviderat D. Thomas.

Objicit itaque sibi S. Thomas argumentum, in quo magnam vim positam esse, putant adversarii, & quod Divinam motionem prędviam omnino arietare ac prosternere arbitrantur. Ita igitur habet num. 12. *Eccle. 15. dicitur, quòd Deus fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: non autē reliquisset, si semper in voluntate operaretur. Ergo non operatur in voluntate operante.*

Addit prætereà S. Doctor eam rationem quam millies repetunt qui adversam sententiã tuentur; *Voluntas est Domina sui actus: hoc autem non esset, si agere non posset, nisi Deo in ipsa operante, cùm voluntas non sit Domina Divinæ operationis: ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.*

Confirmat etiam D. Thomas hoc argumentum, altero simili: nam inquit, *Liberum est quod causa sui est, ut dicitur in principio Metaphisicæ; quod igitur nō potest agere nisi causâ in ipso agente, non est liberum in agendo: sed voluntas nostra est libera in agendo: Ergo potest agere nullâ aliâ causâ in ipsa operante, & sic idem quòd priùs.*

Nemo dubitabit, ut arbitror, qui ista leget, quin eadem omninò argumenta sint, quæ sibi objicit S. Thomas, & quæ ipsius Discipulis ab

aliis

aliis extrà ejus Scholam Theologis objiciuntur. Quid autem respondet S. Doctor ? An fortè quod adversarii respondere solent? Cùm enim hæc impetant communia Fidei principia, solvi necesse est ab omnibus Theologis cujuscumquè Scholæ sint. An verò hùc revocat S. Doctor motionem aliquam moralem ex volũtate suspensam, aut Divinam præscientiam futuri consensus voluntatis exploratricem; hoc unum respondet Divus Thomas quod respondent ab eo edocti Discipuli.

Respondet igitur S. Doctor: *Ad 12. dicendum, quòd Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis: quod quidem dominium naturæ non dedit, cùm per suam formam sit determinata ad unum.*

Conveniunt itaque, & par est utriusque, naturæ scilicèt, & voluntatis conditio, quòd utraquè à Deo moveatur, & Divina etiam motione, ut operetur, egeat. Sed discrimen est, quòd cùm natura per formam materiæ immersam, & quæ principium est individuationis, ad unum determinata sit; ita etiam à Deo moveatur, ut ad unam contradictionis partem determinetur. At verò cùm hominis voluntas materiæ immersa non sit, sed ipsi emineat, infinita quadam capacitate, & amplitudine prædita; ita à Deo movetur, ut ad unam partem *non sit obligata*, sed ad alteram partem omninò libera ferri possit, & eo sensu dicitur homo relictus *in manu consilii sui*.

Ad rationem autem quæ opponitur, respondet S. Thomas: *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ; sed quia causa prima non agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: & ideò determinatio actûs relinquitur in potestate rationis & voluntatis.* Determinat equidem Deus sua motione, & applicatione voluntatem, & voluntas ea motione determinatur, & quidem prævièe, & physicè, de eaenim solùm toto articulo egit S. Doctor: non tamen ex necessitate voluntatem determinat, sed juxtà genium, & naturam voluntatis; ita ut sub ipsius motionis ductu, & efficacia voluntas se se determinet, servatâ suæ libertatis indifferentiâ, ob eam amplitudinem, & capacitatem, quæ, ut dicemus infrà, nullo nisi infinito bono impleri unquàm potest. Sed ea solutio quæ est maximi momenti, aliàs magis explicabitur.

Ad confirmationem deniquè respondet Divus Thomas num. 14. *Dicendum, quòd non quælibet causa excludit libertatem, sed solùm causa cogens. Sic autem Deus non est causa operationis nostræ.* Ita S. Thomas, ac Veteres sub coactionis nomine necessitatem comprehendebant: alioquì enim nedùm coactionem, sed & necessitatem centiès excludit S. Doctor à voluntate, ut q. 6. de Malo art. 7. quò agit de electione humana; ubi cùm errorem quorundam rejeciset, qui voluntatem à corpore cælesti moveri existimabant, ut Aristoteles refert, *& talem esse hominum voluntatem, qualem inducit pater virorum Deorumque, scilicet Sol*: Ita habet D. Thomas. *Relinquitur ergo, sicut concludit Aristoteles in cap. de Bona Fortuna, quòd id quod primò movet voluntatem, & intellectum, sit aliquid supra intellectum & voluntatem, scilicèt Deus, qui cùm omnia moveat secundùm rationem mobilium, ut levia sursùm, & gravia deorsùm; etiam voluntatem movet secundùm ejus conditionem, non ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa.* Sed de his fusiùs alibì: hìc enim ea solùm referimus quæ habet eo articulo 7. S. Thomas, & quæ posteà ex aliis ipsiusmet S. Doctoris operibus erunt iterùm referenda, ut ficta retractatio à Suare adinventa refellatur.

Objicit sibi tandem D. Thomas num. 15. ultimum argumentum ex hoc gravissimo incommodo desumptum, quòd si Deus voluntatem moveret, in ipsum Deum moventem, & impellentem refundendum esset hominis peccatum. *Causa* enim, inquit, *prima plus est influens in causatum, quàm causa secunda: si igitur Deus operaretur in voluntate, & natura, sicut causa prima in secunda; sequeretur quòd defectus qui accidit in operatione voluntatis, & naturę, magis Deo quàm naturę vel volũtati attribueretur, quod est incõveniens.*

Respondet autem huic argumento S. Doctor: *Ad decimumquintum dicendum, quòd quia causa prima magis influit in effectum quàm secunda; ideò quidquid perfectionis est in effectu, principaliter reducitur in primam causam: quod autem est de defectu, reducendum est in causam secundam, quę non efficaciter operatur ut causa prima.* Hæc S. Thomas, in quibus mirari subit solertiam Angelici ingenii. Suprà enim animadvertimus, intulisse D. Thomam, tantùm abesse, quòd causæ naturales, & necessariæ, suisque omnibus facultatibus instructæ, Divina motione non egeant, eò q uòd ad unum naturâ suâ determinatæ sint: ut hinc potiùs dixerit, eas maximè Divina motione egere, quòd naturales, & necessariæ sint: quia tota *natura ex causarum omnium connexione, & subordinatione constat*; ut diximus suprà. Hìc verò etiam infert S. Doctor, tantùm abesse quòd Deo tribuenda sit hominis culpa, & malitia, quia à Deo, & quidem efficaciter voluntas hominis movetur; ut hinc potiùs inferat, ideò non posse tribui Deo hominis culpam, quia Deus efficaciter hujus voluntatem movet. Peccat enim homo, quia à rectitudine Divinæ motionis deficit ac deflectit: peccatum siquidem defectus est, cujus nonnisi deficiens causa esse potest, scilicèt ipse homo. Igitur quidquid perfectionis esse potest in actu hominis, in Deum refunditur, ut in primam, & efficientem causam: at verò quidquid defectûs est, non aliam habet, nec habere potest causam præter infirmam, & deficientis hominis liberam voluntatem.

In his autem argumentis quæ ex S. Thoma retulimus, quæque sibi & objicit & solvit, unum

ani-

animadverti velim, quò luce clariùs comprobari poteſt, ipſum S. Doctorem in ea ſententia fuiſſe, quæ motionem prævium eſſe, ac antecedere voluntatis actum ſtatuit. Cui enim unquàm in mentem venire poſſet, motionem aut moralem, aut præſcientiæ ſolùm innixam, aut ſolùm concomitantem, (ſi tamen motio unquàm concomitans dici poſſit, cùm ex D. Thoma, ipſaque evidenti ratione, *moventis motio naturâ, & cauſalitate motum mobilis*, & velutì paſſivam motionem antecedere debeat:) ſed ut ut ſit, quis, inquàm, exiſtimare unquàm poſſet, motionem moralem, aut concomitantem, & concurſum ſimultaneum perimere ipſam humanæ voluntatis libertatem; cùm nihil voluntati imprimat, nihil in ea efficiat, nè moveat quidem, aut eam applicet; ſed dumtaxàt cauſa prima per motionem ſimultaneam cum voluntate à ſe ipſa applicata, & determinata ſine alterius ope antecedente, non tanquàm prior cauſa, ſed ſolùm ut concauſa; nec cauſalitate, ſed ſolùm dignitate ſuperior concurrat: & aliundè concurſus ſimultaneus nihil aliud ſit præter ipſum effectum, ut à Deo in fieri dependet: ergo cùm D. Thomas hæc duo expreſsè admittat, inprimis motionem, applicationem, & virtutem Dei ut cauſæ primæ impreſſam ipſi cauſæ ſecundæ, quæque in eadem cauſa ſecunda operante, ut operetur, recipiatur; ac præterea eam motionem eſſe de qua dubitari meritò poſſet, nùm perimat, deſtruatque ipſam hominis libertatem: manifeſtum eſt, eam non poſſe non eſſe Dei motionem, & prę̣viam, & antecedentem ipſam humanæ voluntatis determinationem. Adde his ſemper exemplum animæ &c.

ARTICULUS XIII.

Alia Argumenta, quæ ſibi objicit, ac ſolvit S. Thomas. Duplicem concurſum diſtinguit.

PLura alia argumenta ſibi objicit D. Thomas in eo articulo, quæ vel ſuperiora ſolùm confirmant, vel quorum ſolutio adeò aperta, & facilis eſt, ut nulla alia explicatione egeat. Alterum tamen eſt quod prætermitti non debet, cùm in hujus ſolutione apertiſſimè Divinam motionem prævium à ſimultaneo concurſu diſtinguat. Atquè eo etiam argumento Durandus poſteà neceſſitatem concurſus ſimultanei negavit, quòd tamen S. Thomas hìc præoccupaverat; cùm neceſſitas cujuſcumquè concurſus, etiam prævii, eo argumento impugnari poſſit.

Objicit itaque ſibi D. Thomas præfato articulo 7. num. 3. *Si Deus operatur in qualibet operatione naturæ, aut unâ & eâdem operatione operantur Deus, & natura, aut diverſis: ſed non unâ, & eâdem, virtus enim operationis atteſtatur unitati naturæ. Unde quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, ſunt etiam duæ operationes; creaturæ autem, & Dei conſtat non eſſe unam naturam. Similiter etiam non eſt poſſibile quòd ſint operationes diverſæ: nam diverſæ operationes non videntur ad idem factum terminari, cùm motus, & operationes penès terminos diſtinguantur. Ergo nullo modo eſt poſſibile, quòd Deus in natura operetur.*

Reſpondet S. Thomas, & ſolutio ſumma obſervatione digna eſt, *Dicendum*, inquit, *quòd in operatione, quâ Deus operatur, movendo naturam, non operatur natura: ſed naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis Divinæ: ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis, nec impeditur quin natura, & Deus ad idem operentur propter ordinem qui eſt inter Deum & naturam.* Hæc ibi S. Thomas.

Diſtinguit itaque S. Doctor: ſi ſumatur ea operatio quâ Deus movet naturam, & in ipſa natura operatur; ea, inquit, operatio omninò diſtinguitur ab operatione naturæ; *quia in ea operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*, ſed Deus ſolùm operatur, dum movet naturam, eamque applicat impreſſa ea motione, & virtute, quam ſuprà, & motionem, & virtutem Divinæ artis nuncupavit. At verò ſi ſumatur operatio, quâ natura jam à Deo mota, & applicata operatur, ea operatio dici poteſt, & reipsà eſt etiam Divina operatio, ſeu Divinus concurſus; ſiquidem *ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis Divinæ.* Neque enim cùm Deus cauſam ſecundam movet, & applicat, deinde manum retrahit, ut eam ſolam operari ſinat: ſed contra, cauſam ſecundam ea virtute impreſſa ſemper applicatam, & motam tenet, & cum ea ſimul operatur: ſicut etiam operatio inſtrumenti eſt etiam operatio cauſæ principalis, quatenùs *operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis.* Cùm enim artifex inſtrumentum ad agendum aſſumit, ipſumque virtute ſeu motione impreſſa applicat; tandiù ipſum manu movet ac verſat, quandiù inſtrumentum ſub ea motione artificis intentum opus molitur ac perficit.

Duplex igitur Divina operatio diſtinguenda eſt, non quidem in ſe ſe, cùm ſimpliciſſima ſit, ſed penès terminos diverſos: & utramquè diſtinxit S. Thomas. Prima eſt, quâ Deus ſolus operatur movendo, & applicando naturam, & quæ ſiſtit in ipſo ſubjecto quod movetur, nec alium terminum habet, niſi ipſum motum eſſe ſubjecti. Secunda verò ea eſt quâ ipſe Deus cauſa prima cum natura ſeu cauſa ſecunda jam applicata, & mota concurrit, & tranſit ad effectum producendum, quatenùs facit, ut cauſa ſecunda operetur. Prima Dei operatio in ipſa natura diverſa eſt ab operatione ipſius naturæ ſeu cauſæ ſecundæ; quia in ea prima operatione natura non operatur, ſed ſolùm motionem recipit, & movetur, & immutatur: ſecunda autem Dei operatio, eadem eſt cum operatione naturæ, eodem planè modo quo actio cauſæ principalis eſt eadem cum actione cauſæ inſtrumentalis.

Unde

Unde in illa solutione S. Thomæ, duo observanda sunt. Primò quidem, apertissimè S. Thomam duplicem motionem, seu duplicem concursum explicuisse; alterum prævium, ut præcisè prævius est; alterum verò prævium, ac etiam simultaneum ex parte agentis: (nam alterum concursum simultaneum ex parte effectûs distinguendum esse infra explicabimus.) Quid enim aliud possit intelligi *eâ operatione, quâ Deus operatur* solus *movendo naturam*, & in qua *non operatur natura*; præter motionem illam præviam Dei, seu ejus influxum prævium, qui operationem naturæ antecedit, quem ut natura, seu causa secunda recipiat, nihil operatur? quia motionem illam natura solùm recipit, eamquè solùm recipiendo movetur, & immutatur, quamvis eo fine detur, & naturæ imprimatur, ut natura deinde operetur; eo planè modo, quo de gratia Dei operante à S. Augustino dictum est, eam esse in nobis sine nobis, scilicèt operantibus.

Quid verò etiam aliud intelligi potest præter influxum, & concursum ex parte Dei, & prævium ac etiam simultaneum; cùm à S. Thoma additur, *quòd ipsa operatio naturæ*, cùm jam natura à Deo mota, & applicata agit, *est etiam operatio virtutis Divinæ, sicut operatio instrumenti, est per virtutem agentis principalis*. Sanè etsi cætera omnia deessent, his manifestissimè convincitur, utrumquè concursum, & prævium, & simultaneum à S. Thoma admissum fuisse, qualem hujus Discipuli, sui Magistri principijs imbuti admittunt.

Unde alterum quod observatione dignum ex ea solutione colligitur, est concursum simultaneum, quem eo loco admittit Sanctus Thomas, eundem esse cum concursu prævio. Priùs enim in natura Deus operatur, eamquè movet, & applicat, ipsiquè virtutem seu motionem virtute præditam confert, in eaquè operatione Divina, seu Divina motione nihil adhuc natura operatur. Deinde verò sub ipsa motione Divina, natura, seu causa secunda iam mota, & per eam motionem applicata operatur, ac simul etiam cooperatur Deo moventi, & applicanti: Atquì, ea clarissimè significant, eundem concursum prævium simul etiam esse simultaneum; Cùm enim Deus causam secundam movet ad agendum, tandiù eam movet, quandiù ipsa agit; sicut artifex instrumentum tandiù versat, & pictor v. g. penicillum ducit, quandiù eo utitur. Unde manifestum est, concursum prævium eundem esse cum concursu simultaneo, & eandem virtutem impressam esse, quâ Deus præviè causam secundam movet, & quâ deinde cum causa secunda concurrit. Sed videnda sunt quæ de concursu simultaneo infrà plura referemus.

Sed cùm ea solutione concesserit D. Thomas, *quòd in operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*: atque adeò ex eo capite concesserit, Divinam operationem diversam esse ab operatione naturæ: impugnat eam solutionem S. Doctor ratione jam superiùs in Argumento posita; quia inquit, *non est possibile, quod sint operationes diversæ: nam diversæ operationes non videntur ad idem factum terminari, cùm motus & operationes penès terminos distinguantur*: Atquì, ejusmodi operationes ad idem factum terminarentur, scilicet ad effectum à natura seu causa secunda productum. Ergo.

Respondet verò huic Argumento, distinguendo: Diversæ operationes non terminantur ad eundem effectum, si ordinem inter se habeant, negat; Si nullum inter se ordinem servent, nec una alteri subjecta, & supposita sit, concedit. At verò manifestum est, inter moventis Dei, & naturæ creatæ, quæ à Deo movetur, operationes, ordinem esse, & naturæ operationem operationi Divinæ subordinari. *Nec impeditur*, inquit S. Thomas, *quin natura, & Deus ad idem operentur, propter ordinem, qui est inter Deum, & naturam*.

Verùm, circa eam S. Thomæ solutionem est advertendum, ipsum S. Doctorem loqui de effectu ultimo Divinæ operationis, & ad quem operatio Divina per se ordinatur: alioquin enim Dei operatio, quâ operatur in natura eam movendo, alium habet terminum, scilicèt ipsius naturæ *moveri*, seu naturæ passivam motionem aut mutationem; quod commune est omnibus motibus. Quotiès enim motus aliquis, aut aliquod etiam accidens subjecto imprimitur; passiva hujus accidentis impressio, & passiva subjecti mutatio, est immediatus ac proximus terminus operationis, quâ ab agente subjectum movetur, & immutatur. Sed non erat necesse quòd S. Thomas de eo effectu loqueretur, cùm per se intentus non sit, sed ad alium ordinetur, qui deinde, & ab operatione Divina, & ab operatione creaturæ indivisim producitur.

Sed tamen objicit sibi iterum D. Thomas, impugnatque solutionem superiorem hoc argumento, ac priùs solutionem tradit.

Sed dices inquit, *quòd duæ operationes possunt terminari ad idem, quæ se habent secundùm prius, & posterius*, sive quæ ordinem habent inter se: *Sed contra* inquit, *ea quæ immediatè se habent ad aliquid unum, non habent ad invicem ordinem: sed tàm Deus, quàm natura, immediatè operantur effectum naturalem: Ergo operatio Dei, & operatio naturæ non se habent secundùm prius, & posterius*.

Respondet autem, *Dicendum, quòd tam Deus, quàm natura immediatè operantur, licet ordinentur secundùm prius, & posterius, ut ex dictis patet*. Et sanè ex dictis liquet, hæc duo facilè jungi posse, Deum scilicet, & naturam immediatè operari, & tamen ordinem habere inter se. Et primò quidem ordinem esse inter Deum, & naturam secundùm prius, & posterius, liquet duplici ratione: in primis quia prius Deus in natura operatur movendo ipsam; ut deinde natura ipsa operetur: prætereà, quia cùm deinde natura ipsa agit, Deus etiam cum ipsa natura operatur, ut causa principalis cum instrumento: & palam est ordinem esse inter principalem causam, & instrumentalem; cùm principalis causa superior sit, & prior instrumentali. Secundò, etiam non est admodùm

difficile explicare, qua ratione Deus,& natura immediatè operentur. In primis cùm Deus in natura operatur movendo ipsam, patet Deum immediatè operari; & adeò immediatè, & solus operatur, ut in ea operatione natura nec immediatè, nec ullo modo operetur: *quia in operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*, ut supra dixit S. Thomas. Cùm verò deinde natura seu causa secunda, jam à Deo mota, & applicata operatur, & effectum producit, etiam & Deus cum ipsa natura, & causa secunda immediatè operatur. Sicut enim causa immediatè suum effectum operari dicitur, quia licèt per suam virtutem, & actionem effectum operetur: attamen neque virtus, neque actio, immediationem impediunt: quia, ut dici solet nequè virtus, nequè actio ponunt in numero, & actio est ipsum fieri effectûs: ita etiam, aut non multùm abslimili modo Deus cum natura immediatè operari, & effectum immediatè producere dicendus erit: quia licèt non operetur, nec effectum attingat nisi mediante sua virtute impressa naturæ, & causæ secundæ; attamen ea virtus immediationem non impedit, quia est ipsum velutì fieri effectûs, ut pendet à Deo. Ex quo consequitur quòd ea virtus, non est censenda aliquid medium quod impediat, quin Deus immediatè cum causa secunda, etiam immediatè operante, operetur immediatione virtutis. Sed deinde immediatè operati Deus dicitur, quia, ut inquit D. Thomas laudato sæpiùs Articulo 7. *Si consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris, ut dicitur in lib. de Causis: quòd virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum.*

Sed quis ista legat, scilicèt quòd cùm Deus, & natura operantur, ordinentur *secundùm prius, & posterius*, & non advertat Divinam motionem prævviam, & physicam à D. Thoma admitti. Quo sensu enim in operando *secundùm prius, & posterius* Deus, & natura (seu causa secunda) ordinem habeant, nisi quia priùs ordine, & causalitate Deus naturam, seu causam secundam, movet, ut deinde ipsa natura, seu causa secnnda, cum Deo simul operetur? De Physica verò motione hæc omnia intelligenda esse satis constat; cùm hìc de causis secundis, in ordine naturæ, & causis naturalibus agatur; in quo ordine motioni morali nullus locus esse potest:

Ergo in quamcumquè partem hujus Articuli oculi conjiciantur, manifestissimum est, Divinam motionem prævviam, & physicam per modum efficientis causæ moventis, à S. Thoma apertè doceri.

ARTICULUS XIV.

Ex Responsione ad Septimum Argumentum, explicatur Divinam motionem distinctam esse ab actione causæ secundæ, eamque antecedere.

PRima hìc resolvenda difficultas versatur circa eorum sententiam, qui licèt in ordine supernaturali prævenientem Divinam gratiam etiam per se efficacem admittat, ut omnium sententiarum Authores comprehendam; hanc tamen motionem Dei superadditam supervacaneam esse arbitrantur, quòd existiment, Deum immediatè seipso in voluntate, & intellectu actus indeliberatos efficere, qui actus sint ipsa Divina vocatio, quæ non potest non esse actus vitalis, & quæ est, ut putant, Divina gratia, ad quam tum Patres, tum etiam Concilia totum salutis nostræ negotium revocandum esse docent: quos actus indeliberatos Deus immediatè seipso, suaque Divina operatione efficiat: sicut in creatione nihil medium inter Divinam operationem, ipsumque effectum productum intervenire certa est Theologorum sententia.

Verùm facile est ex præjactis à S. Thoma principijs hæc omnia explicare, & objectas nobis nebulas depellere, & in primis veram D. Thomæ sententiam demonstrare; quod unicum nobis propositum est, adversùs eos, qui S. Thomam è suis partibus stare contendunt.

Dicendum igitur: videri planè impossibile voluntatis agentis œconomiam aliter intelligere, aut alio modo explicare, nisi beneficio alicujus motionis, vel applicationis; quæ quidem motio, & applicatio sit ipsa efficax actualis gratia, quæ voluntatem, ut inquit S. Bernardus, *ad opus applicat*. Et sanè in eam opinionem se se conjeciisse adversæ sententiæ Theologi videntur, ea solùm ratione, ne motionem aliquam prævviam, & prævium concursum admittere viderentur; nam alioquin res satis aperta est.

Et in primis, quòd ad S. Thomam attinet, de ejus mente dubitari nulla ratione potest. Legenda responsio est ad septimum Argumentum sup. qu. 3. de potent. pag. 23. ubi expresè inquit, quòd id quod à Deo fit in re naturali, & quo actualiter agat, *est quoddam incompletum* causæ superadditum, ipse scilicèt motus impressus à Deo causis secundis, ut & instrumentis à causa principali motus, quem D. Thomas virtutem artis vocat, imprimitur.

Et quidem id simplicissimæ notiones ob oculos ponunt, ex Scriptura Sacra, Patribusque desumptæ. Etenim *animæ justorum* omniumque hominum *in manu Dei sunt* Sap. 2. Deus inclinat corda hominum, ac ipsorum etiam Regum Proverb. 21.

verb.21.& *habet cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. S. Auguſt. de corrept. & gratia cap. 14. Hominum corda, vt libuerit tangit:vt olim *abierunt Potentes quorum Deus tetigit corda cum Saül* 1. Reg. 10. S. Aug. ibid. de correptione. Deus immutat corda, & *transfert* de indignatione in lenitatem, Eſther 15. S. Auguſt. de gratia Chriſti. cap. 24. Deus potuit *Eſau ad fidem mentem applicare, voluntatemque conjungere*, qu. 2. ad Simplic. *Potens eſt Deus à malo in bonum flectere voluntates* lib. de dono perſeuer. capit. 6. Quin etiam *apprehendit* Deus, inquit S. Auguſtinus, in pſal. 34. verſ. 1. *animam meam, & debellat inimicos meos*. Ideò enim Dei framea anima ipſa vocatur pſal. 16. interprete D. Aug. & D. Thom. hanc enim frameam Deus manu tenet, verſatque vt libet. Quid *enim anima noſtra eſt aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa. Nam quælibet optimè facta framea, ſi non habeat bellatorem jacet*. Demùm quod omnium expreſſiùs eſt, *Deus facit, ut faciamus*, & alia ejuſmodi quæ vel jam retulimus, aut aliàs referemus.

Atquì, ea omnia ſimpliciſſimâ notione accepta ſignificant voluntatibus hominum animiſque imprimi à Deo motum aliquem, quo ad agendum applicentur. Nequè enim intelligi poteſt, voluntatem flecti, impelli, moueri, & applicari ad actus eliciendos; niſi eam inclinationem paſſivam, inflexionem, impulſum, motumque, & applicationem recipiat; quæquè applicatio in ipſa voluntate recepta actionem antecedat, & cauſa ſit quòd voluntas agat.

Et quidem ſi Deus in ipſa voluntate hominis paſſivè ſolùm ſe habente, actum quemcumquè etiam indeliberatum timoris, deſiderij, ſpei, vel charitatis immediatè, & ſolus ſeipſo produceret, vt ex veteribus Theologis quidam olim exiſtimabant, Viſionem beatam à ſolo Deo productam intellectui Beati imprimi, ipſo eius intellectu nihil agente, ſed ſolùm eam Viſionem recipiente: eo quidem ſenſu intelligi poſſet, Deum ſecluſa quacumque motione, & applicatione voluntatis in ipſa voluntate actum charitatis immediatè efficere. Sed longè aliter ſe res habet; quia, vt ex Sacra Scriptura, omniumque SS. Patrum communi conſenſu compertum eſt, Deus *facit ut faciamus*: facit ut ipſa voluntas actum quemcumquè, qui ad ſalutem conducit, eliciat, & uniuerſim omnia Deus in nobis operatur, & nobis operandi cauſa eſt: Atquì id alio ſenſu explicari non poteſt, niſi quatenùs voluntatem ad actum eliciendum movet, & applicat. Enim verò communis eſt regula, quam ſtatuit S. Thomas 1. 2. quæſt. 80. art. 1. quo pacto *aliquis* eſſe poſſit *directè cauſa alicujus actus*: illud enim inquit S. Doctor, *non contingit niſi per hoc, quòd proprium principium illius actûs mouet ad agendum; proprium autem principium actus* charitatis v.g. *eſt voluntas. Unde nihil poteſt directè eſſe cauſa actus* charitatis, *niſi quod poteſt movere voluntatem ad agendum*. Igitur non alio pacto contingere poteſt, nec alio ſenſu poteſt intelligi; quòd efficiat Deus, ut voluntas hominis eliciat actum charitatis, niſi quatenùs ipſemet Deus voluntatem humanam ad eum actum eliciendum mouet, & applicat, quæ motio, & applicatio non aliud eſt, quàm ea prævia motio de qua agimus.

Confirmari poteſt altero S. Thomæ principio, quod ipsâ etiam experientiâ ſatìs compertum eſt, 1. 2. quæſt. 51. art. 2. ad 1. *quòd agens in quantùm agit motum ab alio, ſic recipit aliquid à movente*, quod ex Ariſtotele etiam deſumitur, à quo dictum eſt 3. phyſic. & 9. metaphyſ. l. 9. quòd ſemper *motus eſt in mobili*: Atquì, in quolibet actu etiam indeliberato, & qui ſit quædam ſolùm vel aſpiratio, vel ſolum deſiderium ſalutis, voluntas non agit, *niſi ut agens motum*: Ergo recipit aliquid à Deo movente, illum ſcilicet motum, & impulſum, quo impellitur, & movetur. Et ſanè ut dictum eſt, aliter intelligi non poteſt. Repugnat enim etiam, ſi ita loqui liceat, communi hominum ſenſui, Deum movere cauſam aliquam, quin ea cauſa motum recipiat, qui inter Deum moventem, & cauſam quæ movetur, medius intelligitur. Repugnat ſi quidem, illud quod movetur, quod inclinatur, quod inflectitur, reipſa motum illum, & inflexionem non recipere: Atquì, nihil aliud motionis nomine præter eam inflexionem, immutationem, & applicationem voluntatis humanæ intelligendum eſt. Ergo.

Confirmatur iterùm alterâ regulâ huic non abſimili, ex S. Thoma art. 7. ſuperiùs explicatâ, quæſt. 3. de potent. art. 7. vbi inquit, quòd *virtus inferior non conjungitur effectu, niſi per virtutem ſuperioris*. Igitur nec vis ipſa agendi voluntatis cum ipſo voluntatis actu, quiſquis ille ſit, conjungitur, niſi virtute à Deo collata, quæ ipſam voluntatem ad actum reducit, movet, & applicat, in qua motione, & applicatione poſita eſt maximè ipſa gratia actualis.

Confirmari demùm poteſt comparatione inſtrumenti, quâ D. Thomas totiès utitur: *ſub Deo enim qui eſt primum intelligens, & volens, ordinantur omnes intellectus, & voluntates, ſicut inſtrumenta ſub principali agente*, 3. cont. gent. c. 145. Sed hæc adeò obuia ſunt, & rationi ac experientiæ conſentanea, ut ſupervacaneum ſit jis diutiùs immorari; nequè, ut diximus, alia ratione negari poſſe videntur, niſi ex eo antecepto præiudicio, quo motionem omnem Dei prævìam, qui contra ſentiunt, averſantur.

Igitur impoſſibile eſt aliter intelligi, nec de eo dubitare unquàm poterit, quiſquis naturam rerum ſeriò inſpexerit. Repugnat enim, voluntatem à Deo moveri niſi motionem aliquam, ſeu motum impreſſum, ſeu velutì uſum paſſivum recipiat; atquè ea Divina motio cauſa eſt, quòd ipſa voluntas intentum à Deo actum eliciat. Unde longè aliud hìc accidere exiſtimandum eſt, ac in creatione acciderit. In creatione quidem nihil medium inter Dei actionem remque productam intercedere, & intervenire poſſe ſatis liquet; cùm nihil creationem antecedat, aut jam productum

ſupponatur, cujus nativa virtus augeri vel applicari poſſit: quid enim ſupponi poſſet, cùm ipſa creatione primum rerum fundamentum producatur? At verò hìc de voluntate jam producta agimus, quam à Deo præveniri, & adjuvari neceſſe eſt, ut eos actus efficiat, qui vires ipſius ſuperant: atquè adeò neceſsè eſt, voluntatem à Deo moveri, & applicari; quod ita à S. Auguſtino expreſſum eſt lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt, nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis*. Quæ ſanè vires efficaciſſimæ poſitæ ſunt in ipſa prævia motione Divina, cui nullis moribus fit mora, quæque inſuperabiliter, & indeclinabiliter, abruptiſque omnibus impedimentis movet, & applicat voluntatem: eaque phyſica, & prævia Dei motio adjutorium illud eſt, & auxilium, quo voluntatem indigere totiès probat S. Thomas 1. 2. tota qu. 109. & 3. cont. gent. c. 147. & ſeqq.

ARTICULUS XV.

Vera motionis prævia natura ratione, variiſquè exemplis ex D. Thoma explicatur.

DUbium non eſt quin motionis Divinæ duriſſimam notionem confingant, qui eam ut qualitatem, & formam eſſe volunt, quæ voluntatem conſtringat, liget, vinciat, adigat, & quid non aliud? & quæ inſtar adamantini, & ferrei vinculi eam ita conſtrictam teneat, ut nec reluctari, nec reſiſtere, nec diſſentire poſſit.

Verùm nihil facilius, quàm ex præmiſſis veriſſimam ipſius notionem blandam, ſuavemquè intelligere. Cùm enim de fide ſit, Deum rebus omnibus inexiſtere, ſuâquè operatione quidquid in rebus perfectionis eſt perpetuò influere, & efficere; etiam neceſſe eſt, vt quotiès intellectus, & voluntas agunt, quæ vltima potentiarum perfectio eſt, eas potentias non ſecùs ac cæteras omnes cauſas, ipſemet Deus moveat, applicet, & inflectat ad proprios actus eliciendos. Non contingit enim, ut ſupra dictum eſt, Deum efficere ut illæ potentiæ agant, niſi quatenùs eas ad ſuos actus inflectit, & applicat: Atquì, nihil aliud exiſtimandum eſt, præviam motionem Dei eſſe, præter eam Dei rebus omnibus, ipſique voluntati, inexiſtentis operationem, eamquè efficacem applicationem, & blandam inflexionem, quâ Deus voluntatem flectit, ut loquitur D. Auguſtinus eamquè inclinat ad quodcumquè voluerit. Et verè, ut diximus ex S. Bernardo lib. de grat. & liber. arbitr. Deus *ſubſtantiali quadam, & ubique præſenti fortitudine, univerſa potentiſſimè movet, ordinat, adminiſtrat*, ſed fortitudine cum ſumma ſuavitate temperata: quia nedum fortiter à fine uſque ad finem pertingit, ſed & ſuaviter omnia diſponit, regit, & movet. Unde vix ea motio ab ipſa voluntate diſtinguitur. Eſt enim ipſamet voluntas mota, inclinata, & ad operationem à Deo applicata; neque alio pacto diſtingui poteſt, quàm ut motus à mobili diſtinguitur, quem dumtaxàt modum quemdam mobilis eſſe conſtat.

Verùm, non quilibet, aut quocumquè modo indiſcriminatim motus intelligendus eſt, ſed motus ut eſt ab agente virtutis infinitæ: quo pacto virtutem quandam participat, quam non haberet quilibet alius motus à cauſa ſecunda ſuperiori, impreſſus cauſæ inferiori. Atquè id exemplo inſtrumentorum artis faciliùs intelligitur. Quæro enim quis ille motus ſit v. g. fidium lyræ, dum à perito muſico fides pulſantur, efficiuntquè ſuaviſſimam harmoniam? quam non efficiunt dum pulſantur ab altero huius artis imperito? nihil enim niſi per motum fieri videtur. Verùm hic motus aliquid habet energiæ ſingularis, dum fit ex regulis artis, quam non habet ſi ex arte non fiat. Atquè inde etiam ex varia pulſatione fidium, ſeu inflatione fiſtularum, varios in animis audientium excitari motus quiſque perſentit, ut notat S. Thomas 2. 2. quæſt. 91. art. 2. *Secundùm*, inquit, *diverſas melodias ſonorum, animi hominum diverſimodè diſponuntur, ut patet per Philoſophum in 8. Politic. & per Boëtium in Prolog. Muſicæ*. Obſervat enim Philoſophus loco à D. Thoma laudato, cap. 5. *moveri animum vel flebiliter, ut ad harmoniam lydiam, vel remiſsè ad Doricam, vel cum diſtractione vehementi, ut ad phrygiam*: quæ variæ cantuum ſpecies ex varijs Provincijs, quæ varijs his harmoniæ generibus delectabantur, eoſque maximè uſurpabant, varia etiam hæc nomina apud græcos habuerunt; & tamen nihil hìc niſi per motum ac ſonum corporeum fieri videtur: Nequè enim ea melodia aliundè quàm ex varia ſoni acuti, & gravis mixtione oritur, & ex proportione, quam inter ſe ſe varij ſoni ſervant. Sed tamen hic motus ea proportione ex regulis artis diſpoſitus aliquid ſingulare habet, ſcilicèt vim quandam movendi, quam non habet alius ſonus editus ſine arte. Atquè interdum ea eſt animi corporiſque etiam immutatio ex artificioſo ſono, ut inter remedia muſica ipſa inſtrumentorum muſicorum pulſatio recenſeri poſſit, eâquè arte Pytagoras nedum mitigare turbatos animi motus, ſed & morbos depellere potuiſſe refertur. Qua de re plurima addere promptum eſſet, ſed conſulat quiſquis voluerit Campanellam noſtrum de medicinalibus, & Ficinum de ſanitate ſtudioſorum tuenda. Unde ea vis impreſſa motui, & pulſationi fidium, quidam eſt, ut ita dixerim ingreſſus artis, ſeu quædam participatio, & diffuſio artis in ipſa inſtrumenta ex motione agentis periti.

Atquè id etiam in cæteris licet craſſioribus inſtrumentis videre eſt. Dum enim à pictore penicil-

nicillus, vel à fabro ſerra movetur, verſatur, ac ducitur ſecundùm artem, aliquid habet, & efficit, quod non efficeret ſi ab altero harum artium ignaro, & imperito duceretur. Hanc certè vim explicare difficillimum foret, nec intelligi faciliùs forſitan poteſt, quàm cùm dicitur, eſſe neſcio quid virtutis, & efficaciæ in ipſis inſtrumentis, ut ſubſunt regulis artis, ſeu eſſe quandam artis participationem, quæ in inſtrumenta ut ab artifice ducuntur, velutì diffunditur: ſicut & ipſa Divina ſapientia in creatis à Deo operibus effuſa dicitur. Unde S. Thomas, *& virtutem artis, & motum artis* nuncupauit, ut ſcilicèt ſignificaret; ipſum motum, ut fit ab arte, peculiarem quandam virtutem habere.

Eadem eſt etiam in voce ſenſibili vis, & neſcio quid virtutis, & energiæ, quæ interdum mirum in modum percellit animum. Unde illud quod de Demoſthene dictum refert Valerius Maximus lib. 8. cap. 9. *Quid ſi ipſum audiviſſetis*. Contra verò exprobratum alteri Virgil. Ecloga 3.

Non tu in triviis indoctè ſolebas
Stridenti miſerùm ſtipula diſperdere carmen?

Quod in inſtrumentis muſicis, de quibus dictum eſt ſupra, etiam ſatìs liquet. Refertque Lucianus adversùs indoctum, quòd cùm Neanthus Pittaci cujuſdam Tyranni filius Lyram Orphæi poſt hujus mortem ſibi comparaſſet, arbitratus ſe poſſe arbores demulcere, cùm vellet *artis imperitus juvenis* pulſare, canes excitavit, à quibus diſcerptus eſt: tantùm intereſt, utrùm ab imperito artis, aut perito, muſicæ inſtrumenta pulſentur. Plurima addi poſſent, à quibus tamen ultrò abſtineo, ne, ut inquit Iſidorus Peluſiot. Epiſt. 108. quæ ἔργα eſſe debent παρεργα fiant.

Igitur, ut ad ſuperiora redeam, nihil aliud intelligendum eſt Divinæ motionis prævìæ nomine, præter ipſam applicationem paſſivè ſumptam, tum cauſarum ſecundarum, tùm ipſius humanæ voluntatis; quæ applicatio aut motus ipſe impreſſus vim quandam ſingularem habet, & quædam eſt participatio Divinæ operationis ac Divinæ omnipotentiæ. Atquè id expreſsè ſignificat S. Thomas ea Reſponſione ad ſeptimum argum. cùm inquit, *quòd illud quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis*. Quæ verba comparatione inſtrumentorum, ac ex his, quæ ſupra diximus, ſatìs lucis accipiunt.

Atquè indè facile eſt, veriſſimam, & in rigore, Divinæ motionis prævìæ naturam explicare: nequè aliunde quàm ex D. Thoma ea explicatio deſumenda eſt. In primis enim falſum eſt, motionem prævìam eſſe qualitatem, vel formam propriè dictam, permanentem, & fixam, quam Deus imprimat animæ. Id enim expreſsè rejicit S. Doctor 1. 2. quæſt. 110. art. 2. & illud reponit diſcrimen inter ſanctificantem gratiam, & motionem Divinam, quòd prima quidem qualitas ſit, ſecùs verò altera. *Dupliciter* inquit S. Doctor, *ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur; uno modo in quantùm anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum*: (ut omnes animæ potentias comprehendat:) *& hoc modo ipſe gratuitus affectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ actus enim moventis in moto, eſt motus, ut dicitur in 3. Phyſicor. Alio verò modo homo adjuvatur ſecundùm quòd aliquod donum à Deo animæ infunditur*, gratia ſcilicet ſanctificans, quæ eſt Divinæ naturæ participatio; quamque dubium non eſt qualitatem eſſe, & formam perfectam, quæ animæ infunditur, ut ipſi animæ inhæreat, in Divinæ amicitiæ fœdus: & qu. 22. de verit. art. 8. expreſsè inquit, *quòd poteſt Deus voluntatem immutare, ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur ſicut in natura. Unde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo; ita omnis actio voluntatis inquantùm eſt actio, non ſolùm eſt a voluntate ut immediate agente, ſed à Deo ut primo agente, qui vehementiùs imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multò ampliùs Deus. Immutat autem voluntatem dupliciter; uno modo movendo tantùm; quando ſcilicet voluntatem movet ad aliquid volendum, ſine hoc quòd aliquam formam imprimat voluntati; ſicut ſine appoſitione alicujus habitus, quandoque facit ut homo velit hoc quod priùs non volebat*.

Unde & idem S. Thomas opuſc. 9. qu. 39. negat, quòd cùm Deus animam movet, propriè in eam influat, non enim influit, ſed movet. Unde quod à Petro de Tarantaſio dictum fuerat, falſum eſſe *quòd Deus non agat in anima niſi per novum influxum*: ita eo ſenſu dictum intelligit, quòd *manifeſtum ſit, quòd Deus in anima agat, non ſolùm cauſando in ea aliquem habitum, putà gratiæ vel virtutis: ſed etiam inclinando liberum arbitrium ad hoc vel illud, quod non propriè dicitur influere, ſed movere*.

Cæterùm etſi prævia motio Divina, neque forma completa ſit, neque permanens qualitas; neceſſe tamen eſt, eſſe aliquid vel cauſæ ſecundæ, vel voluntati impreſſum, & ſuperadditum; ſicut motus eſt aliquid impreſſum mobili ab agente. Atquè hujus propriiſſimam naturam explicuit S. Thomas ſupra art. 7. Reſponſ. ad ſeptimum, cùm inquit, *quòd virtus quidem naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum, & fixum in natura; ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre & virtus artis in inſtrumento artificis*. Eſt igitur ea motio prævia ens quoddam incompletum, cujuſmodi eſt motus impreſſus inſtrumento ab artifice.

Verùm id magis explicat idem S. Doctor quæſt. 27. de verit. art. 4. ad 4. ubi virtutem Sacramentis à Deo impreſsã ut explicet, ita inquit; *Quæ quidem virtus non habet eſſe completum in natura, ſed eſt quid incompletum in genere entis: quod patet ex hoc quòd inſtrumentum movet in quantùm movetur*

tur: motus autem est imperfectus secundùm Philosophum. Unde sicut illa quæ movent inquantùm sunt quasi in termino motus generationis,quâ fiunt *assimilata agenti, movent per formam perfectam*; quæ scilicèt habent formam completam; & perfectam,quâ agunt, cujusmodi est ignis genitus, qui accepto calore tanquàm formâ perfectâ, & permanente, assimilatur igni à quo genitus est: *Ita illa quæ movent proüt sunt in ipso moveri, movent per formam incompletam: & hujusmodi virtus est in aëre ad movendum visum, secundùm quòd immutatur à colore parietis ut in fieri, non ut in facto esse. Unde species coloris est in aëre per modum intentionis, & non per modum entis completi, sicut est in pariete.*

Atquè hujus prætereà rationem reddit idem S. Thomas in 4. dist. 1. qu. 1. art.4. quòd necesse sit, formam, & virtutem, quâ quodlibet agens agit, effectumquè producit;cum ipso agente, & modo quo agit, proportionem habere; qui modus agendi cum omninò diversus sit in principali agente, & instrumento, non potest etiam non esse diversa in utroque agendi virtus. Unde inquit S. Doctor. *Virtus agendi proportionatur agenti. Unde alio modo oportet ponere virtutem agendi in agente principali, alio modo in agente instrumentali. Agens enim principale agit secundùm exigentiam suæ formæ; & ideò virtus activa in ipso est aliqua forma vel qualitas, habens completum esse in natura: Instrumentum autem agit ut motum ab alio; & ideò competit sibi virtus proportionata motui: motus autem non est ens completum; sed est via in ens,quasi medium quid inter potentiam puram, & actum purum, ut dicitur in 3. physic. Et ideò virtus instrumenti inquantùm hujusmodi secundùm quòd agit ad effectum, ultrà id quod competit sibi secundùm suam naturam, non est ens completum, habens esse fixum in natura, sed quoddam ens incompletum; sicut est virtus immutandi visum in aëre, inquantùm est instrumentum motum ab exteriori visibili: & hujusmodi entia consueverunt intentiones nominari, & habent aliquid simile cum ente, quod est in anima, quod est ens diminutum, ut dicitur 6. Metaphys.* Hactenùs D. Thomas.

Atquè hæc ultima verba observanda sunt, quibus satis intelligitur, cur illa Divina motio prævia, aut motionis vis, dicta sit *per modum intentionis*. Solebant enim veteres eo nomine ejusmodi entia imperfecta, incompleta, & diminuta nuncupare, quæ non habent esse ratum, & fixum in natura, sed quorum ratio, & natura tota posita est in ipso fieri, in via, & transitu; cujusmodi est color, ipsaque species coloris in aëre dum fertur ad visum.Nec malè his rebus imperfectis significandis nomen hoc impositum esse videtur.Debent enim res imperfectissimæ communissimis nominibus nuncupari; cujusmodi sunt nomina *intentionis*, & *rationis*, quæ latissimè patent, & communissima sunt apud Philosophos: dicitur enim *ratio* chimeræ, *ratio* similitudinis, & hujusmodi. Sed prætereà,& maximè eò *intentionis* aut *rationis* nomine intelliguntur res quædam, quæ sensibus non patent, nisi ex effectibus;cujusmodi sunt *rationes seminales*, ut ex S. Augustino vocat D.Thomas 1.p.q. 115.art. 2. quæ in ipsis elementis causisque omnibus, & ipsis causarum seminibus latent; & quas etiam D. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 8. occulta visibilium *seminum semina* vocat. Est enim vis quædam, & efficacia in ipso semine quæ in fructum erumpit: quæque ut notat S.Augustinus lib. de genesi ad litteram, c.ult. totius arboris pulchritudinem, ramos, frondes, pomaquè continet, *non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaquè causalitatis*: ex illo enim *occulto thesauro seminis illius*, ea omnia extracta, & deprompta sunt, in quo *invisibiliter* continebantur:quo certè exemplo apertissimè vis Divinæ motionis physicæ, & præviæ explicatur.

Atquè eadem etiam vis est in voce sensibili, ut jam supra diximus, & notat S. Thomas 3. p.qu.63. art. 4. ubi de Sacramentis agens, inquit; nihil repugnare, quo minùs in ipsis elementis corporeis, sit vis quædam spiritualis per modum transeuntis, & fluentis, seu per modum cujusdam intentionis, ut supra explicuimus. *Virtus* equi dem,inquit,*spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ*: quia cùm ea virtus permanens, & completa ad ipsius subjecti perfectionem ordinetur, non posset non habere cum ipso coaptationem, & proportionem; ex eoquè capite petit, diù permanere in subjecto, dicturque naturâ suâ, & exigentiâ permanens, quamvis per accidens non diù perseveret in subjecto, ut cùm gratia Divina citò ab homine deperditur: quam tamen proportionem esse inter rem corpoream, & formam spiritualem permanentem, & completam manifestè repugnat. *Nihil tamen*, inquit, *prohibet, in corpore esse virtutem instrumentaliter, inquantùm scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum: sicut*, inquit, *& in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantùm procedit à conceptione mentis*. Hæc ibi S. Thomas, quæ superioribus omninò consentanea sunt.

Sed plura alia exempla colligit idem S.Doctor in 4. dist.1.qu.1.art. 4. quæ superiùs dicta de vi prævia motionis Divinæ maximè confirmant, & illustrant. Addit enim, *quòd in re corporali non potest esse virtus spiritualis secundùm esse completum, potest tamen ibi esse per modum intentionis;sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis; & sermo audibilis existens causa disciplinæ,ut dicitur in lib.de sensu,& sensato, continet intentiones animæ quodammodò:etiam in motu est virtus substantiæ separatæ moventis secundùm Philosophos.* Unde motu Cæli in sese omnis vitæ experte viventia animantia generantur;*& semen agit in virtute animæ, ut dicitur in 1. de generat. animantium.* Quod ultimũ exemplum clariùs explicat S.Doctor 1.p.q.118.ar.1.ubi observat,*quòd virtus illa activa quæ est in semine ex anima generantis derivata, est quasi quædam motio ipsius animæ generantis; nec*

est

est anima, nec pars animæ; sicut in serra, vel securi, non est forma lecti, sed motio quædam ad talem formam. Hæc enim communis regula est, instrumentum quodlibet ab agente quo movetur, motionem aliquam, & ipsa motione vim quandam superadditam, & participatam, sibique impressam recipere, quandiu ab agente movetur, qua aliquid efficit quod sua virtute activa veluti connaturali, & permanente agere non posset. Lege ibidem plura.

Atquè hoc sanè exemplum vis cujusdam invisibilis in semine apertissimum est: quod exemplum susiùs prosequitur D. Thomas in 2. dist. 18. qu. 2. art. 3. Utrùm anima sensibilis sit ex traduce? ubi observat, esse quidem spiritum in semine, sed huic *spiritui conjungitur virtus formativa magis per modum motoris, quàm per modum formæ, & si forma ejus aliquo modo sit. Unde dicit Commentator in 7. metaphysicæ, quòd includitur in semine virtus illa quodammodò sicut uniuntur motores orbibus. Illi autem corporali spiritui conjungitur triplex calor, scilicet calor elementaris, qui est sicut instrumentum resolvens, & consumens, & hujus operans; & calor animæ, qui est vivificans; & calor Cælestis cujus virtute movet ad speciem determinatam: & virtute hujus triplicis caloris virtus formativa convertit materiam.*

Et verò certum est, satis non esse calorem elementarem, nisi alius vivificus calor animæ accederet; qui calor est ea vis intentionalis animæ, sicut & cælestis calor virtus est impressa Cæli: non enim aliud is calor efficeret, quàm quod efficit in igne à quo nihil gigni potest: sed cùm accedit ea vis animæ, vel nutrit, vel auget, vel generat. Unde, ut refert posteà D. Thomas ad 2. ex Philos. in 2. de anima. *Ignis* seu calor, *in motu augmenti est sicut instrumentum regulatum, sed principaliter agens, & regulans, est virtus animæ dirigens in determinatam quantitatem*; est enim quidam augmenti terminus, ne animal monstrum evadat.

Sed prætereà requiritur etiam hic calor, seu ea vis Cælestis, ratione cujus, dixit S. Thomas 1 p. q. 118. ut supradictum est, quòd sol, & homo generant hominem. Unde quia semper adest ea vis, ideò imperfecta animalia, quæ tot dispositionibus non egent, cum solo calore elementari, & eo calore aut vi cælesti produci possunt. Est enim inquit D. Thomas eâd. dist. 18. in 2. qu. 2. ar. 3. ad 5. *Virtus Cælestis in omnibus corporibus inferioribus, sicut virtus motoris in mundo, ut inducat unumquodque in speciem secundùm materiæ dispositionem: & hæ virtutes cælestes in elementis receptæ, vocantur à Philosopho 17. de animal. virtutes animæ, quibus omnia elementa plena dicit, eo quòd hujusmodi virtutes sint sufficientes ad animationem materiæ, si pertingant ad aliquam complexionis æqualitatem.*

Egregiè ac verissimè ab Aristotele dictum, elementa omnia plena esse virtutibus Cælestibus: in eo enim posita est ea connexio, & universalissimum illud totius mundi commercium, dum Cæli inferiora perficiunt, & inferiora à Cælestibus perficiuntur. Ac prætereà, ut altiùs etiam D. Thomas; assurgat, nequè mirum videatur, quòd hic Cælestis calor, eaquè vis nobiliorem illum effectum vitæ, & sensûs efficiat; rationem hujus reddit ibid. ad 3. ex eo quòd *quamvis secundùm fidem nostram Cælum sit corpus inanimatum, nihilominùs tamen ponitur quòd motus ejus sit ab aliqua substantia spirituali, sicut à motore: & cùm motus sit actus motoris, & mobilis, oportet quòd in motu non tantùm relinquatur virtus corporalis ex parte mobilis* (scilicèt primus ille calor elementaris) *sed etiam virtus quædam spiritualis ex parte motoris: & quia motor est vivens nobilissimâ vitâ, ideò non est inconveniens, si motus Cælestis in quantùm est in eo intentio & virtus motoris per modum, quo virtus agentis principalis est in instrumento, est causa vitæ materialis.*

Hæc ibi S. Thomas: ubi eadem vides semper principia ab ipso aduocata. Ex quibus iterùm intelligi facilè poterit, quæ sit ea intentio, aut intentionalis vis, quam in instrumentis cujusquè superioris causæ, motoris Cæli seù Intelligentiæ, D. Thomas admittit: & quam tantoperè quidam mirari videntur, à quibus totiès quæritur; quæ sit ea intentio, quid significet, quo authore novum nomen in orbem litterarium invectum sit: quibus certè satis significant, quàm parùm in D. Thomæ legendis operibus versati sint, cùm totiès, & nomen, & rem significatam S. Doctor usurpet; quæ dubio procul occurrisset aliquando, si tantùm in D. Thoma versati essent, quantùm credi vellent.

Nequè minùs eandem vim jam explicuerat D. Thomas iterùm in 2. dist. 15. q. 1. art. 2. Utrùm corpora Cælestia habeant effectum in inferioribus? Colligenda enim plurima sunt, ut qui ista in Thomistis mirantur aut reprehendunt, unde accepta fuerint, aliquando saltem animadvertant. Inquit igitur S. Thomas, & ex iisdem principiis, *quòd cùm omnis motus sit actus, & motoris, & moti; oportet quòd in motu relinquatur virtus motoris, & virtus mobilis. Unde ex ipso mobili quod corpus est, habet virtutem movendi inferiora corpora ad dispositiones corporales: ex parte autem motoris qui est substantia spiritualis quæcumque sit illa, habet virtutem movendi ad formas substantiales secundùm quas est esse specificum, quod Divinum esse dicitur.* (Et movet etiam ad varios gradus vitæ, ut à nobiliori substantia intelligentia movetur: Quamvis enim ignotum nobis sit, quem ordinem substantiæ separatæ seruent, nulla tamen est, quæ ab vnitate ordinis eximatur, cùm sint totius orbis nobiliores partes, atque hic unitatis ordo in causalitate fundetur.) Unde subdit D. Thomas, *Relinquitur autem virtus spiritualis substantiæ in motu corporis Cælestis ad modum quo virtus motoris relinquitur in instrumento; & per hunc modum omnes formæ naturales descendunt à formis, quæ sunt sine materia, ut dicit Boëtius in 1. de Trinitate cap. 3. & Commentator in 11. metaphis. sicut formæ artificiatorum ab artifice.*

Quin etiam ibid. ad 6. egregium exemplum refert S. Thomas, quo possit ea vis rerum invisibilis, & quæ solùm ex effectu sentiri ac percipi potest,

teſt, explicari. Quamvìs, inquit, actio priùs recipiatur in medio quàm in termino; *Non tamen oportet, quòd recipiatur iu utroque eodem modo; ſed ſecundùm quòd exigit diſpoſitio utriuſquè. Sicut ponit exemplum Commentator in 8. phyſic. de piſce qui retentus in reti ſtupefacit manum, præter hoc quod ſtupefaciat rete quod ſtupefactionis capax non eſt. Ita etiam oportet quòd virtutes ſuperiorum ſtellarum priùs recipiantur in mediis orbibus, quàm in inferiora corpora, quamvìs non eoſdem effectus utrobiquè habeant.*

Et verò alterum hoc argumentum eſt earum virium, quarum natura, & conditio occultiſſimæ ſunt, quamvìs effectus ſatis pateant, Torpedinis artem, & vires egregiè deſcribit Claudianus inter Eidyllia. Torpedo inquit. *Reptat, & attritis vix languida ſerpit arenis*; ſed tamen *latus armavit gelido natura veneno*. Atquè hôc frigore quod immittit, ſerpitquè per injectam lineam, piſcatoris manum callidus, & ſagax piſcis ſtupefacit.

Per ſetam vis alta micat, fluctuſquè relinquit
Abſentem tentura manum; metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus
Tranſit arundineos arcano frigore nodos
Victricemquè ligat concreto ſanguine dexteram.

Verùm, ut de calore animalis dictum eſt ſupra, aut de ea vi, quæ eſt in ſemine, neceſſe eſt alterius eſſe rationis ejuſmodi frigus, ſi eo nomine vocanda ſit ea vis. Etenim ut benè notat laudatus author, *frigus quo cuncta rigent animata, medullis* infuſũ torpedinis non ſolùm ipſi non nocet, ſed etiam eô vivit: nec puto ſentiretur, ſi quis torpedinem contrectaret. Neque quodcumque aliud frigus ejuſmodi quidquàm efficeret: ſed neceſſe eſt vim eſſe aliquam in torpedine, hujus inſtar quæ eſt in ſemine, aut etiam in magnete, & quam D. Thomas impreſſam ex ſuperioribus corporibus exiſtimavit multis in locis, potiſſimùm quodlib. 12. artic. 13. Utrùm verba humana habeant aliquam vim? *Aliquid* inquit, *poteſt habere virtutem aliquam, & ſecundùm propriam naturam, & ſecundùm virtutem ſuperioris cauſæ. V.G. commixtum elementis habet virtutem unam ex virtute elementorum ſecundùm motum prædominantis elementi: aliam habet ex corpore cæleſti: ſicut quòd magnes attrahit ferrum, quod non reducitur in virtutem elementorum*: non enim ea vis oriri poteſt ex mixtione frigidi, & calidi, aut ſicci, & humidi, &c. Paulò aliter explicat idem S. Thomas q. de ſpiritualibus creaturis art. 2. in fine, qui modus nos longiùs abduceret, ſi pro dignitate explicandus eſſet.

Sed neque etiam ea vis ſeu ſeminis, ſeu magnetis, explicari commodè poteſt variâ corpuſculorum diſpoſitione, & motu, ut Philoſophi recentiores contendunt; à quibus ſanè hac in re ea dicuntur, quæ, meâ quidem ſententiâ, multò difficiliora ſunt, quàm quæ difficillima olim à Philoſophia Peripatetica dicta fuiſſe exiſtimantur; & conſtare ſatìs videtur, ſolo corpuſculorum, & atomorum concurſu aut motu, quæ in ſemine fingi poſſunt, explicari nunquàm poſſe, quo pacto tot partes diverſæ in animali efformari poſſent; niſi vis aliqua architectonica, & mira quidem, ipſi concedatur. Sed nulla nobis hìc cum recentioribus Philoſophis concertatio eſt: parentem hæc de atomis ſententia Epicurum habet, quo *ſano & vigente nullus unquam æger ineptiùs deliravit*, inquit Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia cap. 17. Agitur hìc de mente D. Thomæ: atque ex ejus principijs, quæ ſit natura, conditio, ac vis Divinæ motionis explicamus. Eam verò ipſe ſimillimam eſſe dixit virtuti impreſſæ inſtrumento ab artifice, aut immiſſæ à qualibet ſuperiori cauſa, motrice Cæli intelligentia, inſtrumentis ſibi ſubjectis: utitur enim anima calore, Cælum inferiori cauſa, & Intelligentia Cælo tanquàm inſtrumento.

Nec verò eam comparationem tacuit D. Thomam, etiam ubi agitur de ſupernaturali ordine. Etenim 1. p. q. 62. art. 2. Utrùm Angelus indiguerit gratia ut ad Deum converteretur? ita inquit: *Si aliquid ſit ſupra naturam, voluntas in id ferri non poteſt niſi ab aliquo alio principio adjuta; ſicut patet quòd ignis habet inclinationem naturalem ad calefaciendum, & ad generandum ignem; ſed generare carnem eſt ſupra virtutem naturalem ignis. Unde ignis ad hoc nullam inclinationem habet, niſi ſecundùm quòd movetur, ut inſtrumentum ab anima nutritiva, &c.* Eodem iterùm exemplo utitur 3. cont. gent. cap. 147. Utrùm homo indigeat Divino auxilio? ubi ſic habet: *Nullum inſtrumentum ſecundùm virtutem propriæ formæ poteſt ad ultimam perfectionem perducere, ſed ſolùm ſecundùm virtutem principalis agentis; quamvis ſecundùm propriam virtutem, aliquam diſpoſitionem facere poſſit ad ultimam diſpoſitionem*: (cùm ſcilicet ea diſpoſitio in eodem ordine eſſe poteſt cum forma producta:) *à ſerra enim ſecundùm rationem propriæ formæ eſt ſectio ligni; ſed forma ſcamni eſt ab arte, quæ utitur inſtrumento: ſimiliter reſolutio, & conſumptio in corpore animalis eſt à calore ignis, ſed generatio carnis, & determinatio augmenti, & alia hujuſmodi ſunt ab anima vegetabili, quæ utitur calore igneo ſicut inſtrumento.* Atquè eo exemplo utitur S. Thomas, ut probet, nihil poſſe aut intellectum aut voluntatem, quod ad ſuperiorem ordinem gratiæ pertineat, niſi additâ eâ Divinæ gratiæ motione à Deo primo agente ſibi impreſſa. Unde ſubdit S. Doctor. *Sub Deo autem qui eſt primum intelligens, & primum volens, ordinantur omnes intellectus, & voluntates, ſicut inſtrumenta ſub principali agente: oportet igitur, quòd eorum operationes efficaciam non habeant reſpectu ultimæ perfectionis quæ eſt adeptio beatitudinis,* (ac totius ordinis ſupernaturalis qui ad beatitudinem tendit;) *niſi per virtutem Divinam. Indiget igitur rationalis natura Divino auxilio, ad conſequendum ultimum finem*, & ad operationes eliciendas quibus ad ultimum finem pervenire poſſit.

ARTICULUS XVI.

Altera ratione, aliiſque exemplis natura Divinæ motionis illuſtratur. Ad quod genus rerum pertineat.

QUòd ſi quis prætereà ulteriorem rationem ſcire cupiat, cur neceſſe ſit, ab agente participari vim quandam altiorem, & majorem; recolat, quæ ſuperiùs de ea rerum omnium inter ſe ſe connexione, & ſubordinatione dicta ſunt. Indè enim diſcet, eam legem rebus omnibus conſtitutam eſſe, quòd ſuperiora ſemper inferiora perficiant, & à ſuperioribus inferiora novam aliquam ſibique ſuperadditam virtutem recipiant: quia in ea perfectionis, & virtutis communicatione ea ſubordinatio poſita eſt; quod in ipſo etiam homine totius Mundi compendio videre eſt, ut notat D. Thomas 1. p. q. 78. art. 4. Ea enim potentia, quæ in aliis animalibus æſtimativa dicitur, quæque eas intentiones percipit, quæ minimè ſenſibus patent, *ſicut ovis videns lupum fugit, non propter indecentiam*, aut repugnantiam *coloris*, cùm ſimillimum colorem interdùm canis habeat; *ſed* lupum ovis *fugit, quaſi inimicum naturæ* ſuæ: quæ ratio inimicitiæ ſenſibus percipi non poteſt: ſicut *ipſa ratio præteriti, quam attendit memorativa, inter hujuſmodi intentiones computatur*: ea inquam æſtimativa perfectius nomen ſortitur in homine, diciturque *cogitativa*, ac etiam *ratio particularis*; utitur enim imperfecto diſcurſu: *eſt enim collativa intentionum individualium, ſicut ratio intellectiva eſt collativa intentionum univerſalium*. Atque eam diſcurrendi, & conferendi vim non habet natura ſua; eſſet enim in omnibus animalibus; *nam alia animalia percipiunt hujuſmodi intentiones ſolùm naturali quodam inſtinctu, homo autem per quandam collationem*: quamvis etiam in cæteris animalibus diſcurſûs aliquod ſimulachrum videre ſit, ex altero naturæ principio, quòd inferiora altiori ſui parte ad ſuperiora aliquo pacto pertingant, eiſque jungantur. Sed eam paulò perfectiorem diſcurrendi vim non habet cogitativa, & ratio particularis ſua ipſa virtute, *ſed illam eminentiam habet cogitativa, non per id quod eſt ſenſitivæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem univerſalem, ſecundùm quandam refluentiam*, quâ à ratione univerſali, ratione ſuperiùs dicta, perficitur.

Atque idem in appetitu ſenſitivo contingit. Ut enim de cogitativa dictum eſt, *etiam appetitus ſenſitivus in nobis præ aliis animalibus habet quandam excellentiam, ſcilicèt quòd natus eſt obedire rationi: & quantùm ad hoc poteſt eſſe principium voluntarii, & per conſequens ſubjectum peccati.* 1. 2. qu. 73. art. 3. ſicut & ſubjectum virtutis. Quia ſcilicèt imperfectum quoddam libertatis noſtræ ſimulachrum in appetitu ſenſitivo eſt, quo repugnare poteſt rationi, vel ei obtemperare. Unde ratio politico non deſpotico principatu regere inferiorem ſui partem dicitur, ut ex Ariſtotele 1. Politicor. refert, & explicat S. Thomas 1. p. q. 87. art. 7. Ea eſt igitur lex omnibus conſtituta, & in eo poſita eſt ea ſubordinatio cauſarum ſecundarum, quòd inferiores à ſuperioribus perficiantur, & virtutem aliquam ſibi ſuperadditam, & altiorem ex eo commercio cum cauſa ſuperiore recipiant.

Si quis plura ejuſmodi exempla videre velit, in quibus aperti cognitique effectûs vis occulta latet, conſulat D. Auguſtinum lib. 21. de Civitate Dei: ubi plurima naturæ miracula colligit. Ac inter alia cap. 4. Magnetis varias velutì dotes aut effectus à ſe probatos refert. *Quos*, inquit, *cùm primùm vidi, vehementer exhorrui*: de quo narrat, quæ neminem jam latent. Atque ex his omnibus exemplis quæ ſuprà ex D. Thoma collegimus, conſtat in motu, aut virtute inſtrumentaria cujuſque cauſæ, vim eſſe quandam ab ipſa cauſa derivatam, quæ ſenſibus minimè pateat: unde intentionalis quædam vis dici poteſt, ſeu quædam intentio.

Et magnum dubio procul Magnes naturæ miraculum eſt: ut enim Claudianus inquit: *Quis calor infundit geminis alterna metallis, fœdera*, ut mutuo ſe ſe amore lapis ferrumque complectantur. *Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſenſit -- materiam --* quodque non minùs ſtupendum eſt, *Ferro*, inquit, *meruit vitam, ferrique vigore -- veſcitur &c. Hôc proprias renovat vires, & hôc* etiam *abſente perit.* Hæc ibi & alia, quorum ratio, ut alicubì Plinius inquit, recondita eſt *in majeſtate naturæ*.

Ad quem verò ordinem redigi ea motio debeat, explicat adhuc idem S. Doctor eâdem qu. 27. de verit. art. 4. ad 5. ubi inquit, *quòd illa virtus, neque poteſt dici corporea, neque incorporea, propriè loquendo; corporeum enim, & incorporeum ſunt differentiæ entis completi; ſed propriè dicitur ad incorporeum; ſicut motus magis dicitur ad ens, quàm ens*. Hæc ibi S. Thomas, quæ de virtute impreſſa à Deo Sacramentis dicta, etiam de Divina motione intelligenda ſunt. Unde in cauſis naturalibus, & phyſicis dicenda eſt ea motio, virtus ad corporeum effectum producendum: in voluntate verò, & ſubſtantiis ſpiritualibus, virtus ad effectum ſpiritualem, & incorporeum.

Verùm, etſi ea Divina motio prævia, neque qualitas ſit, neque ad aliud prædicamentum pertineat, cùm ſit diminutum quid, & imperfectum: reduci tamen poteſt ad genus qualitatis. Quia universìm omnis motus reducitur ad idem genus in quo ponitur forma, quâ principale agens agit, & forma, quam ab agente effectus recipit; hæc enim utraque ſimilis eſt: quia omne agens, ut totiès repetit S. Thomas, effectum ſibi ſimilem in ea forma, & ratione producit, quâ ipſum agens agit: ſicut calefactio, ut eſt motus ignis agentis, reducitur ad genus qualitatis in

quo ponitur calor ignis generantis, & calor ignis geniti, quem scil. ignis generans propria sua virtute efficit, & non ut instrumentum substantiæ, sic enim substantiam producit. Atque id nos docuit S. Thomas ibid. 4. Sentent. *quòd talia entia incompleta per se loquendo non sunt in aliquo genere, nisi per reductionem; sicut motus quantùm ad suam substantiam reducitur ad illud genus in quo sunt termini motûs, sicut imperfectum ad perfectum; quamvis ponatur in prædicamento passionis, secundùm quòd importat ordinationem moventis ad motum, ut dicit Commentator in 3. Physic. Unde & virtus quæ est in Sacramentis* (quod idem servata proportione de virtute quâ causas secundas Deus movet, seu de ipsa Divina motione est dicendum:) *reducitur ad id genus in quo est virtus completa principalis agentis, quæ est qualitas, vel in qua esset, si in genere esset; quia virtus increata non est in aliquo genere.*

Ex his igitur liquet, quæ sit vera, & propria ratio Divinæ motionis prævіæ ac physicæ. Est equidem vis aliqua causis secundis superaddita, & impressa à Deo, quâ ab ipsomet Deo applicantur & moventur: sed ea vis propriè qualitas dici non potest, cùm sit incompletum quid, & diminutum, nec directè in prædicamentis reponatur. Immò nec corporea propriè, nec spiritualis eâdem ratione dicenda est: sed tamen utramque appellationem subire potest. Est enim & qualitas, seu vis activa transiens, & in motu, & motus quidam activus, seu motio, ut diximus, virtuosa, incorporea, quòd minimè sensibus pateat; sed in causis physicis, & corporeis, corporea; in substantiis autem spiritualibus, spiritualis, & incorporea, quod ad similes effectus reducatur. Hæc quantùm ad naturam prævіæ, & physicæ Divinæ motionis, & ut causis omnibus tum spiritualibus, tum corporeis communis est.

Nihil aliud ad completissimam suisque omnibus numeris absolutam prævіæ ac physicæ motionis Divinæ notionem, & imaginem efformandam superesse existimo: cui certè dissimillimam esse dubitari non potest, eam quam extranei nobis affingunt, qualitatis, vel formæ completæ, quæ voluntatem hominis ad suos actus efficiendos velutì trudat, & adigat. Cogitandum potiùs, quod supra de ea operatione Dei in rebus omnibus animaque inexistentis diximus. Deus enim res omnes ipsumque spiritum creatum regit, sicut spiritus regit corpus suum, ut inquit S. Augustinus, lib. 8. de Genes. ad litter. c. 20. Deus enim est anima ipsius animæ: & ut dicitur Deuteron. 30. Deus ipse *est virtus tua*, qui fecit, & creavit te. Cum eo tamen discrimine, quod observat S. Thomas 1. 2. qu. 110. art. 1. ad 2. quòd *Deus est vita animæ per modum causæ efficientis; sed anima est vita corporis per modum causæ formalis.* Quisquis igitur veram ac germanam motionis Divinæ physicæ ac prævіæ notionem efformare voluerit; cogitet quo pacto anima potentias suas moveat, quam blandus sit ipsius influxus, & cujusque potentiæ conditioni temperatus: atque eandem esse existimet prævіam, & physicam motionem, *per modum causæ efficientis*; non tamen trudit, non adigit, non constringit voluntatem humanam ad actum suum eliciendum; sed fortiter quidem, at blandè, & suaviter eam inflectit, & inclinat, movetque; &, ut inquit D. Thomas, qu. 22. de Volunt. artic. 8. *sicut voluntas potest immutare actum suum, ita & multò ampliùs Deus.*

ARTICULUS XVII.

De Divinæ Motionis artificio.

DIvinæ motionis artificium non aliundè meliùs quàm ipsa comparatione instrumentorum artis explicari potest. Liquet enim quòd proùt variè movetur dicitur instrumentum, varia artefacta conficit, eaque vel diversi generis, vel diversæ venustatis, & pretii; ut in imaginibus à sculptore vel pictore eodem scalpro vel penicillo efformatis videre est: quæ omnia in ipsum artificem, & variam instrumento, quo utitur, impressam motionem referenda sunt, præter defectus si qui accidant, qui vel artefacti materiæ, vel penicilli defectui adscribi debent. Ita verò in causis naturalibus fieri existimandum est, potissimùm quod ad necessitatem vel contingentiam pertinet; qui duo gradus ordinem universi constituunt, atque his res ab invicem maximè distinguuntur. Utrumque enim efficit Divina motio, aut Divina sua motione Deus res omnes movens, in iisque operans, qui magnitudine & plenitudine suæ artis eos gradus comprehendit, efficitque ejusdem artis efficaciâ secundùm consilium voluntatis suæ.

Atque id expressiùs adnotavit S. Thomas 1. Perihermenias lect. 14. ubi necessitatis, & contingentiæ rerum causas inquirens, ita inquit. *Sunt autem differentiæ entis, possibile* (seu contingens) *& necessarium, & ideò ex ipsa voluntate Divina originantur necessitas, & contingentia*: non solùm propter causas ejusdem generis, & proximas; sed & maximè propter ipsam efficaciam Divinæ voluntatis, quæ ejusmodi gradus in effectibus productis immediatè efficit. Ac posteà subjungit idem sanctus Doctor: *hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa; quia omnis alia causa cadit jam sub ordine necessitatis vel contingentiæ: & ideò oportet, quòd vel ipsa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius: voluntas autem Divina indeficiens est, & tamen non omnes effectus ejus sunt necessarii, sed quidam contingentes.* Hoc solùm Divina ars, & Divinæ artis virtus motio efficere potest, ut in aliis necessitatem, in aliis contingentiam, in aliis libertatem constituat, eamque illæsam servet, cùm

volun-

voluntatem movet ; quòd *de aliqua alia cauſa dici non poteſt* : cujus virtus cùm ſit limitata , & certo genere coarctata , ſimilem dumtaxàt effectum producere poteſt ; neceſſaria quidem neceſſarium , contingens autem contingentem . At verò Divina voluntas , & ars Divinæ ſapientiæ eos omnes gradus efficere poteſt : ſicut , quòd ex Parmenide refert Boëtius lib.3.*orbem mobilem rotat dum ſe immobilem ipſa conſervat*;& ut ipſe Boëtius ibidem jam dixerat *immota* ſtabiliſque *manens dat cuncta moveri* . Unde , & meritò celebrari ſolet illud à Scoto dictum , nulli alteri cauſæ eam poteſtatem ineſſe , quòd creatam voluntatem movere poſſit ; & quidem in genere cauſæ phyſicæ efficientis , & in ea libertatem illæſam ſervare . Sed de his alibi fuſiùs , ubì probandum eſt Divinæ voluntatis , & motionis efficaciam , & artem , cauſam eſſe neceſſitatis , & contingentiæ rerum .

Sed apertiùs Divinum illud motionis Dei artificium elucet cùm humanam voluntatem movet ipſe Deus , & ita movet ut ſub ea motione voluntas , & infallibiliter agat , & tamen agat liberrimè ; ideſt poſſit ſi velit non agere . Unde veriſſimè à Gilberto Abbate dictum eſt Serm. 21. in Cantic. Divinam *gratiam ſimul efficacem eſſe , & artificioſam , ita ut neſcio quid*, inquit , *in ea magìs mirer artificium , an efficaciam*: quod eodem ſenſu , ſed majori pondere à Scriptura Sacra dictum eſt , ad Dei ſapientiam pertinere , ut agat , & diſponat omnia *fortiter* , & *ſuaviter* . Quòd enim ita voluntatem moveat , ut mota voluntas infallibiliter agat , & ita ut nunquàm contingat aliud agere ; in eo quidem fortiſſima , & efficaciſſima eſt Divina motio : ſed quòd ſub ea Divina motione voluntas poſſit , & non agere , & aliud agere , in eo ſuaviſſima eſt , & artificioſiſſima motio cenſenda eſt. Et verò quòd hæc duo jungantur , ſcilicèt quòd creatæ voluntati Divina motio liberum integrumque relinquat non agere ſi velit , & tamen ipſamet infallibiliter efficiat ut voluntas velit dumtaxàt agere , neque aliud velit ; dubitari non poteſt , quin mirum ſit , & planè Divinum motionis Divinæ artificium . Et quod majus artificium quàm cùm ita omnia temperantur , ut veriſſimè dici poſſit ; *quomodo poteſt amitti per quod fit ut non ammittatur etiam quod poſſet amitti*. S.Aug. lib. de dono perſeverantiæ cap. 6.

At verò , ſi quis ſcire aveat , quo pacto hæc duo Divina motio connectat : Id quidem nos aliàs ex S. Thomæ principiis ſolidè explicabimus, quòd voluntas in id quod magìs conſentaneum videtur , ſemper feratur . Sed interim cùm hunc modum multis placere intelligam , dici etiam poteſt , id fieri , quòd Divina motio in hominis animum miram ſuavitatem immittat , ipſumque delectatione rapiat , ac veluti ineſcatum , & illectum quàm facillimè quò vult vertat , & pertrahat . Hac arte utitur Divina motio , ut libertatem voluntatis cum infallibilitate ejus operationis conjungat : quia , ut inquit S. Auguſtinus , *liberè facit qui libens facit* , lib.de gratia Chriſti cap. 13. non eo ſenſu , quem quidam D. Auguſtino malè affingunt , quòd in ea ſolùm , ita dixerim , lubentia , ſeu ſpontaneo animi motu integra hominis libertas repoſita ſit; ſed quòd prælucente judicii indifferentia , objectique conditiones monſtrante , eo major ſit perfectio libertatis , quò libentiùs & arctius ultimo fini voluntas adhæret , ut aliàs fusè explicabimus .

At verò , ut ſuaviſſimæ ſententiæ aliquem guſtum demus, de qua multa dicenda erunt , ubi de Divina motione cum donis Spiritus Sancti conjuncta agendum eſt : Si ea ſit voluptatis vis , ut animum alliciat , & emolliat , ac pùrè nolentem pertrahat; cur deerit eadem vis Divinæ motioni, quæ majori etiam delectatione animum perfundit . Nemo neſcit quæ ſit voluptatis vis. Ut enim inquit D. Cyrill. Alexandr. lib. 1. de Adorat.*voluptas affulgens præſtigiis ſuis mentẽ faſcinat,atque compellit.* Cujus rei exemplum in Adamo demonſtrat : hujus enim animum quantumvìs fortẽ mulier blanditiis delinivit , & tandem fregit . Quòd autem contigit in Adamo , in nobis inquit, *Latenter & ſpiritualiter* etiam videre eſt : *mulier enim* , inquit , *figura eſt voluptatis* : *blanditiis porrò voluptatum illectus animus frequentèr ad id quod minimè volebat dilabitur* : quibus ſimilia paſſim in Sanctis Patribus reperiuntur.An verò,inquit S.Auguſtinus, ſerm.15.de verb. Apoſtol. *habet delitias ſuas iniquitas , & juſtitia non habet ; delectat malum , & non delectat bonum* ? Quin imò,inquit, *delectat omninò* Juſtitia,*ſed Dominus dabit benignitatem , & terra noſtra dabit fructum ſuum* . Unde non immeritò quidquid olim de voluptate ejuſque vi , & efficacia dictum eſt, quâ captivum hominem ſed volentem trahit; multò potiori jure de cęleſtibus delitiis, quas gratia Divina hominum animis immittit,dici debet. Si voluptas inſtar Sirenum , quę *cantu vocis illectum ad illud famoſum voluptatis naufragium deducunt*,ut inquit Sanctus Ambroſius lib.4.in Luc. initio, quam figuram ibidem fusè proſequitur , à qua nec ipſam Scripturã Sacram abhorruiſſe obſervat , quæ de Sirenibus interdùm mentionem injicit Eſai. 13. Si cantus dulcedine Orpheus Sylvas currere mobiles, vel amnes ſtare coëgerat, ipſaſque feras manſuetas effecerat,ut explicant Clemens Alexandr. Exhort. cap. 1. & Boëtius lib 3. conſolat.quid non *cantor meus* efficiet,inquit ibidem Alexandrinus: *Habet* enim *etiam Eccleſia*,ut D. Ambroſius ait lib.4.hexamer. cap. 8. *incantatorem ſuum* ; quique majori arte, majoribus delitiis , & quę aliarum omnium voluptatum faſtidium ingerunt , feros homines , aut inſtar lapidum rigentes emollit , & à feritate ad humanitatem convertit . Atque id efficit gratia Dei omnipotens , & fortiſſima ſimul ac ſuaviſſima , quam Clemens Alexandrinus *animæ philtrum* nũcupavit ; quęque ita hominis animum extra ſe rapit , ut non aliud libeat liceatque , quàm virtutem ſequi, ac voluptates omnes averſari. Atque ea ſunt

ſtudia, eæ ſunt artes, quibus Deus homines quantumvis repugnantes ad ſe trahit; & ut obſervat Theodoretus, ubi vulgata habet pſal. 9. *annuntiate inter gentes ſtudia ejus*: *Symmacus dixit artes, Aquila verò mutationes*, Et quidem opportuniſſimè utrumque: cùm in ea humanorum cordium mutatione Deus artes omnes Divinæ motionis, & gratiæ, ſua ſtudia, & ut Scriptura loquitur *ſapientiæ aſtutias* ſuaque πανουργήματα inſumat, Eccleſ. 1. 6. adeò ut non rarò eam ſui cordis, & voluntatis mutationem homo ipſe miretur, ſeque vix ipſum agnoſcat, & ſe ſe penè deluſum putet: ut ipſo experimento comperiat quod apud Prophetam dictum eſt Oſeæ 2. 14. *Ecce ego lactabo eum*, aut ut hæbræum habet, *ecce enim ſeducã eum*. הנה אנוכי מפתיה eo ſenſu quo dictum eſt, *ſi te lactaverint peccatores*, teque illiciis pellexerint, *ne acquieſcas eis*: & ſicut deinde cap. 7. vocatur *columba* פותה *ſeducta*, & Septuaginta θελγομένη *lactata*, ut ibi obſervat S. Hieronymus. Ea enim interdum mutatio eſt, ut vix ipſemet qui perſentit eam ſatis mirari poſſit, ſeque ut dixi penè deluſum exiſtimet: nec immeritò, cùm ea ſe agere, ſummâque facilitate videat, quæ nec etiam tentare unquàm auſus antea fuiſſet. His enim delitiis, eaque voluptate cordi immiſſa, Deus ea averſari cogit, quibus olim inhiaverat; & contrà, eas amplecti à quibus averſiſſimus fuerat. Atque hìc, ut difficillimam alia ex parte concordiæ libertatis humanæ cum gratia Divina quæſtionem penè contrectabilem efficiam, teſtes eos omnes appellabo, qui olim vitiis immerſi, nunquàm ſe virtutem exercere poſſe exiſtimaſſent, cui tamen facillimè jam incumbunt; aut averſari poſſe voluptates, quas modò pejus cane, & angue odio habent.

Atque hæc egregiè explicat Sanctus Auguſtinus ſerm. 5. de Verbis Apoſtoli, ubi luctam illam inter duplicem boni, & mali delectationem ex D. Paulo deſcribit. *Rebellat*, inquit, *concupiſcentia, & non conſentis; delectat uxor aliena, & non annuis, mentem evertis, in ſecretarium mentis intras. Vides foris ſtrepentem concupiſcentiam, profers adverſus eam ſententiam, mundans conſcientiam, Nolo inquis, non facio: puta, quia non delectat non facio: habeo cui condelecter legi Dei ſecundùm interiorem hominem, Quid tu de carne tua tumultuaris; quid delectationes ſtultas, temporales, fluxas, vanas, noxias tumultuosè ſuggeris, & eas quaſi garrula narras? Narraverunt mihi injuſti delectationes, ſed non ut lex tua Domine.* Equidem, ut poſteà ſubdit idem S. Auguſtinus, *Video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captivum me ducentem: captivum, ſed ex carne captivum; ſed ex parte; nam mens repugnat, & condelectatur legi Dei. Jam ergo ſi mens non conſentit peccato titillanti, ſuggerenti, blandienti, ſi mens non conſentit, quoniam habet alias internas delectationes delectationibus carnis, nulla ex parte conferendas.* Hęc ibi; quibus ſimillima millies repetit S. Auguſtinus, & quibus clariſſimè liquet, voluptate majori minorem contemni aut comprimi. Atque id ipſemet D. Auguſtinus olim perſenſerat cùm exclamabat, quàm ſubitò ſuave factum eſt, quòd prius ſumma amaritudine refertum videbatur. De quibus etiam videndus S. Bernardus ſerm. 74. ſuper cantic. ubi viciſſitudinem ſponſi euntis, & redeuntis explicat, ex his quę ſępius ipſemet perſenſerat.

Hac igitur arte motio Divina duo hæc conjungit: & liberrimè voluntatem humanam, & tamen *infallibiliter agere*. Poſſet enim voluntas v.g. cùm pulſata variis carnis inſultibus à propoſito colendę caſtitatis non dimovetur; poſſet, inquam, ſi vellet his inſultibus carnis cedere, ſeque pravis voluptatibus ſubjicere; ſed efficit Divina motio ne id velit, idque efficit quia immiſſa majori dulcedine facit, quòd ea ipſa voluptas non delectet, & tentationi blandienti reſpondeat, *abite Sirenes uſque in exitium dulces*: Boet. l. 1. non facio, quia non delectat; condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem, iſque delitiis cęleſtibus fruor, quibus nullę carnis delectationes conferendæ ſunt.

Nec verò quod S. Auguſtinus inquit de ea cęleſti delectatione, quam Divina gratia immittit voluntati, à communi ſententia remotum eſt: cùm non aliud eſſe ſentiendum ſit, quàm quod inquit S. Thomas, voluntatem humanam ferri ſemper in illud quod magis ſibi conſentaneum, & conveniens videtur; quia hæc voluntatis humanæ natura eſt, quòd ſe ſe in bonum convertat, nec niſi bono aut vero, aut apparente ſaltem, & ficto ſe capi, & moveri patiatur, & melius ſemper præeligat: & ut inquit D. Auguſtinus, ſecundùm illud quod magis ipſam delectat, ideſt, quod magis conſentaneum videtur, ſecundùm illud voluntas agat neceſſe eſt, de quo dicendum eſt aliàs: quod ut jam dixi non aliud ſignificat, quàm quod D. Thomas ad regulas veræ ſeù ſtrictæ Theologiæ Scolaſticæ exigit, ut res propriiſſimis verbis explicet; ſcilicèt, nihil unquàm voluntatem amplecti, niſi magìs, ſeu verè, cùm rectè agit, ſeu ſpecie tenùs, cùm peccat, conſentaneum videatur.

Atque inde facilè ſolvi poteſt argumentum quod objicitur; nimirùm non ſemper voluntatem delectatione agi, cùm interdum aliqui maximas anguſtias in exercitio virtutis perſentiant: quos tamen gratia Divina firmat, ne his moleſtiis ſuccumbant, aut ullis tribulationibus frangantur. Verùm & ea objectio facilem ſolutionem habet ex his quæ modò diximus. Repugnat enim, aliter unquàm fieri, & aliud à voluntate eligi quàm quod magis conveniens ſibi videtur. Unde etiam inter quoſcumquè labores, quibus virtus exercetur, ſemper expedire ſibi magis non dubitat, quòd eam tolerantiam dolorum privationi Divinę amicitię anteponat. Atquè eo ſenſu magis eam delectat Divina amicitia, quàm ipſa tyrannorum tormenta terreant. Et prętereà certiſſimum eſt, delectationem ſemper eſſe virtutis comitem; ſicut è contrà perturbatio animi, &

cru-

crudelia conſcientiæ tormenta ipſum peccantem velutì à tergo ſequuntur. Quòd enim malum *committitur ipſi diſplicet authori, prima eſt hæc vltio*. Iuven. ſat. 3. de quò videndus S. Thomas 1. 2. quæſt. 87. art. 1. Et quamvìs Deus ſepiùs laboribus, ærumnis, paupertate, aliisque incommodis virtutem juſti exerceat, ut ejus animum à terrenis voluptatibus magis retrahat: Unde ubi pſal. 43. verſ. 19. dicitur *humiliaſti nos in loco afflictionis*; legit ex *verſione Aquilæ* S. Ambroſius, *humiliaſti nos in loco Sirenum*: quia nimirùm, ubi delitiæ veluti Sirenes perſtrepunt, *Dulcia monſtra Blanda pericla maris, terror quoque gratus in ūdis* ut Claudian. inquit de Siren. humiliatio mortiferis vocibus aures occludit. Attamèn dubitari non poteſt, quin etiam virtutem ſumma delectatio comitetur, cùm non ſolùm *mens immota manet, lacrimæ voluuntur inanes*: ſed etiam *Serpens, ſitis, ardor, arenæ dulcia virtuti*. Quia ſcilicèt patientia duris gaudet ſemper, & lætius eſt honeſtum quoties magno ſibi conſtat. Quod dubio procul multò veriùs in Chriſtianos cadit, quibus eximium eſt, ut omne gaudium in tribulationibus, ac tentationibus poſitum eſſe exiſtiment: quia *fructuū qui ſperantur flos afflictio eſt*, inquit Sanctus Gregorius Nyſſenus: ideoque Beati jam ipſi qui patiuntur, ſcilicèt beatitudine in ſpe, ac veluti in ſemine; qua alteram ſibi in re, ultimumque fructum, aut ipſam fruitionem ſibi parant, cujus radicem licèt amaram, fæcundam tamen ſuis lacrymis rigant de quo D. Thomas 1. 2. quæſt. 69. Nunquàm enim ſterilis durique cordis terra fructum emitteret, niſi Deus immitteret ſuavitatem, ideoque dictum eſt *Dominus dabit benedictionem*, aut ut legit Auguſt. *ſuavitatē, & terra noſtra dabit fructum ſuum* Pſal. 84. Vide quæ aliàs à nobis dicenda ſunt de infallibilitate effectus ex ordine Divinæ Sapientiæ, quæ cauſas omnes diſponit, quæ voluntatem præparat, & ut inquit Apoſtolus aptat, ut omnia congruant, *educitque vinctos in congruitatibus*, & tempore oportuno pſal. 67. quæ omnia ſuis in locis explicanda ſunt.

Hinc demùm facilè colligi poteſt, minimè adverſari ſententiæ Divinæ, & phyſicæ motioni quod paſſim à SS. Patribus, & præſertìm à S. Auguſtino dictum eſt, *miris modis* aut etiam *innumerabilibus*, ut loquirur de Corrept. & grat. cap. 5. Deum ad ſe homines pertrahere; & nunc proſperis, nunc adverſis, nunc blandiendo, nunc terrendo voluntatem adoriri. Unde in promptu reſponſio eſt, cùm objicitur: quid opus erat tanto apparatu, ſi ſola prędeterminatio, & phyſica motio mutare, & influere animum, & cor ac voluntatem poteſt? Reſpondemus enim: quin imò, & ea præſertim ratione motio Divina neceſſaria eſt, cùm eâ tantùm illum apparatum efficiat. Utrumque enim jungendum eſt; ſumma ſcilicèt gratię Divinę efficacia ſummaque ejus ſuavitas; atque ipſa efficacia illam ſuavitatem efficit. Dum terretur animus, terrorem motio Divina animo injicit: dum voluptate afficitur; ſuavitatem illam animo conceptam motio efficit: & ſive timori, ſive amori, ſive alteri cuicumque affectui Divina motio *cor aperit*. Ipſa Divinum ſemen eſt: ipſaque, & concipiendi, & pariendi vim tribuit, ut fuſiùs alibi demonſtrabimus. Unde & eam ſententiam quæ Divinæ gratiæ efficaciam vel in collectione auxiliorū Divinorum, vel in quadam contemperatione gratiæ cùm voluntatis humanæ diſpoſitione reponit, utilem quidem eſſe probabimus, & aliquid conferre poſſe ad concordiam libertatis cum Divina motione ſtabiliendam, & faciliùs explicandam, ſi probè intelligatur: ſed tamen minimè repugnare ſententię motionis prævię ac phyſicę, ſed eam omninò ſupponere.

Hæc pro artificio Divinæ motionis explicando, ut poſtulabat quòd à S. Thoma dictum eſt, motionem eſſe Divinæ artis virtutem, & quę potiſſimę difficultati de fœdere humanæ libertatis cum Divina motione, lucem aliquam afferre poterunt. Sed hęc deinde Diſſertat. 2. ſolidioribus, & ad amuſſim veræ Theologiæ exactis principiis cum D. Thoma reſolvemus.

ARTICULUS XVIII.

Colligitur ex Superioribus, falsò in Bannem, ut primùm Authorem phyſicę motionis ſententiam revocari. Nova ex Catechiſmo Romano probatio.

HActenùs ſatìs demonſtratum eſt, admiſſam à S. Thoma de Divina motione prævia ac phyſica ſententiam; tum conſentientibus his, qui inter ſententię adverſæ authores Anteſignani exiſtimantur; tùm maximè ipſa aperta S. Thomæ ſententiæ declaratione, quæ ipſa ſua ſe luce manifeſtat, & quę nebulas omnes quibus obſcurari poſſet, radiis undique veluti effuſis depellit. Atquè inde dubitari non poteſt, quin nobis aliqua ſit expoſtulandi ratio, cùm toties opinionis de motione prævia, & phyſica novitas objicitur, quę Bannem primum Authorem habeat, cùm tamen in D. Thomam referendam omninò demonſtratum ſit.

Et quidem in primis conſtat, ab ijs qui cæteros Doctrinâ antecellunt, fuiſſe planè agnitum, in eo Articulo 7. quem jam ſupra fusè explicuimus, clariſſimè à D. Thoma eam de Divinis motionibus prævìis ſententiam traditam, explicatam, probatamque fuiſſe. Non eſt igitur cur negent, eam ipſi S. Doctori unquàm fuiſſe compertam.

Sed prętereà, quid reponi unquàm huic rationi poſſit, quam tota prima quæſtione proſecuti

cuti sumus : repugnare omninò, diversam esse Scholæ Thomisticæ sententiam à suimet præceptoris D. Thomæ doctrina, si eadem omnia, & S. Thomæ, & ejus discipulis communia sint, nihilque vel minimùm à Thomistis unquàm in hac celebri difficultate dictum assertumvè fuerit, quod ex ipso D. Thoma acceptum clarissimè, & velutì exerto digito demonstrari non possit: Atquì ita est, utrisque omnia communia sunt, quod tot congestis testimoniis demonstravimus, quibus expressiora nec nobis etiam quorum maximè interest, optare licuisset. Nec verò ea loca ita recondita sunt, ut magnoperè laborandum fuerit, ut ex S. Thoma erueretur; cùm ea in propriis sedibus posita sint, ubi S. Doctor de Divina operatione in rebus pertractat; eaque priùs indigitaverint etiam, qui eam de Divinis motionibns prævìis sententiam ab ipso assertam fuisse negant.

Sed ut apertius fiat, non immeritò ægrè ferri à D. Thomæ discipulis, quòd ipsis hujus sententiæ novitas objiciatur, inde convinci potest, quòd etiam hi qui eam ipsis novitatem objiciunt, interdùm fateantur, antiquam esse in Schola D. Thomæ de prævìis motionibus divinis sententiam, ut ab eo argumento se expediant, quo Authoritate Cathechismi Romani admittendas esse probatur. Etenim Prima pars Symboli ad primum Articulum sub finem ita expressè Cathechismus habet. *Non solùm autem Deus universa quæ sunt providentiâ suâ tuetur atque administrat: verùm etiam quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvìs secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamèn: cùm ejus occultissima vis ad singula pertineat, & attingat, ut ait Sapiens, à fine usque ad finem fortitèr, & disponat omnia suaviter. Sap. 1. Quare ab Apostolo dictum est Act. 17. cùm apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: non longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus &c.*

Quid verò plurimi ex his qui secùs sentiunt ad ista respondent? non negant iis verbis clarissimè sententiam divinæ motionis prævìæ, & prædeterminationis physicæ explicari. Quid enim aliud esse posset ea occultissima vis Dei, quæ causas secundas ad agendum impellit, & earum efficientiam prævenit? neque sanè spernenda est Romani Catechismi authoritas, cùm à Pio V. SS. Pontifice approbatus sit. Respondent tamen, se non admodùm eâ Catechismi Romani authoritate premi, nec hujus rationem ullam habendam esse, quòd à Patribus Dominicanis Catechismus ille editus fuerit, in quo suæ scholæ sententiam de motionibus prævìis inserere licuerit. Ita enim qui Cathechismo Romano Lugduni edito dissertationem intexuit, ut argumentum ex eo loco desumptũ elevaret, & Cathechismi authoritatem deprimeret, inquit: *Dubitari non posse tres Patres Dominicanos, quibus ea cura Catechismum edendi commissa fuerat, utpotè Thomistas, partium magis quàm veritatis studio scripsisse, eodemque spiritu Pium V. ex eodem Ordine, quæ alii scripserant approbasse.*

Non dicam in primis, maximo honore affectos à Sacro Tridentino Concilio D. Thomæ Discipulos, quibus ea cura commissa est edendi librum, quô articulos Fidei, universamque Religionis Catholicæ Doctrinam Christiano Orbi explicari oporteret. Non referam etiam, nullum unquàm infrà Scripturam Sacram, & Sacra Concilia librum majori authoritate præditum esse, & jussu ipsiusmèt Sacri Concilii Tridentini à Viris, & doctrina, & pietate præstantissimis editum, & à Sãctiss. Pontifice Pio V. quem Ecclesia inter Divos accensuit, approbatum fuisse; de quibus consulat cui libuerit Reginaldum nostrum dissertatione de authoritate Catechismi Romani Tholosæ edita.

Sed iis jam prętermissis, hoc unicum assumo, scilicèt Dominicanos Patres, quibus ea cura demandata fuerat explicandi res fidei Catechismo Romano comprehensas, utpotè Thomistas, ex acceptis suę scholæ præjudiciis, motionis Dei prævię sententiam in eo inseruisse. Qua ratione igitur intelligi possit, non in S. Thomam ejusq; antiquiores discipulos, ac scholam ab eo institutam, sed in Bannem quinquaginta fermè annis Sacri Tridentini Concilii temporibus posteriorem, eam de pręviis motionibus physicis sententiam revocandam esse. Cur novitatis eam sententiam accusant, ipsamque Catechismo Romano à Patribus Dominicanis ex privata, & domestica doctrina, studio partiùm non veritatis, insertam fuisse conqueruntur? Vigebat igitur jam apud Patres Dominicanos ea de Divinis motionibus prævìis ac physicis sententia, eâque domesticâ doctrinâ imbuti erant præstantissimi illi Theologi, quibus SS. Tridentini Concilii Patres se tutò committere posse eam curam explicandi universam Christianam doctrinam existimarunt. Quo pacto igitur ista conjungi possint? jam scilicèt eos Thomistas, in ea sententia versatos esse, eamque in domestica schola excepisse; & tamen à Banne, qui nondùm forsitan lucem viderat, inventam eam fuisse. Vide eximiùm Lemos lib. 4. par. 2. tract. 4. cap. 31. Prestiùs hæc urgeri deberent, sed supersedeo.

Sed reponi forsitan poterit, retractatam fuisse ab ipso D. Thoma aliis in locis eam de Divinis motionibus pręviis physicisquè sententiam, quàm prælaudato, & explicato supra art. 7. q. 3. de potent. docuerat: neque proindè rationem habendam esse prioris sententiæ S. Thomæ, quia posteriores curę emendant priores, & jam doctior factus aliter sensit ipse S. Thomas.

Sed ut ut sit de ea prætensa retractatione, de quâ mox erit agendum: supereſt semper eadem vis argumenti, falsum scilicèt esse, quòd ea sententia Bannem primum authorem habuerit. Delusus fuerit Bannes, neque adverterit à S. Thoma in posterioribus suis operibus revocatam esse eam sententiam, quam olim tenuerat: sed meridiana luce cla-

clarius eſt, dici nunquàm poſſe in Bannem, ut primum Authorem eam ſententiam eſſe referendam, cùm olim D. Thomas eam ſententiam docuiſſet; eaque ſententia in ejus Schola ad tempora uſq; S. Concilii Tridentini perpetuò viguerit, quod etiam nullam unquàm à D. Thoma de hoc retractationem factam fuiſſe apertiſſimè convincit.

Sed de ea modò agendum eſt, ſi tamen priùs repertum à me ſequens ſcriptum retulero. Inter enim plurima, quæ hìc Romæ ſcripta ſervantur, unum reperi incerto Authore, quod de novitate vel antiquitate phyſicæ prędeterminationis, breviter quidem, ſed nervosè pertractat; plurimaque paucis conſtringit, & ſimplici etiam ſtylo; quia ut de quodam Papirio Seneca dixit Ep. 100. *animis ipſa ſcripſit* mentibuſque *non auribus*. Conjicio Opuſculum eſſe eruditiſſimi P. Antonini Reginaldi Conventus Tholoſani Sancti Thomæ Aquinatis, & Tholoſanæ Academiæ publici Profeſſoris, cujus conſuetudine per plures annos eo in Conventu uſus ſum, & quô dum viveret, neminem in hac quæſtione de Gratia, & Divinis auxiliis doctiorem eſſe plurimi exiſtimabant. Sed cujuſcumque Authoris ſcriptum hoc fuerit, nemini me facturum injuriam arbitror, ſi publici juris illud faciam: de me illud Senecæ dici non ægrè feram; *Infecundus eſt, qui liberos adoptat.* Alterius partum eſſe fateor, commune tamen bonum eſt, quodque ad nos omnes pertineat; atque his quibus cauſæ noſtræ defenſio cordi eſt, gratum me facturum exiſtimo, ſi è tenebris, & ſitu ubi jacebat in lucem eduxero. Ita verò habet.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Novitate vel Antiquitate hujus nominis Phyſicæ Prædeterminationis.

EXorta Calvini Hæreſi, multi Theologi videntes, alios nimiùm in contrariam partem declinare, conati ſunt concordiam Divinæ gratiæ efficacis cum libertate arbitrii conciliare; neque dubitandum, nova nomina ab illis adinventa fuiſſe, ut tum gratiæ efficaciam, tum etiam ejuſdem cum libero voluntatis uſu concordiam explicarent. Exemplo ducti ſunt ipſius Eccleſiæ, quæ ut uno verbo antiquum myſterium converſionis totius ſubſtantiæ panis, & vini in totam Corporis, & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam in SS. Euchariſtia luculenter exprimeret, nomine transſubſtantiationis tunc novo, in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. uti voluit.

Itaque circa tempora ſeſſionis 6. S. Concilii Tridentini, in qua, occaſione Calvinianæ Hæreſis, de hac controverſia concordię libertatis cum gratię Divinę auxiliis actum fuit; ſub variis nominibus gratiæ ac motionis Divinæ efficaciam ab ipſis etiam Patribus, qui tum illi 6. ſeſſioni, tum aliis interfuerunt, invenimus expreſſam. Vocaverunt itaque illam.

1. *Motionem Divinam nobis ignotam, & non perceptam, quâ priùs à Deo movemur.* Cornelius Muſſus Epiſcopus Bitont. ex Ord. Min. qui hanc ſextam Tridentini ſeſſionem in ordinem redegit lib. 1. de Divina Hiſtoria cap. 17.

2. *Vocationem efficacem, cui nullus unquàm reſiſtit, immò cui non poteſt reſiſti* (potentia ſcil. conſequente, & cum actu conjuncta:) *certitudinem luminis, & adjunctum robur fortitudinis; immò & prædeterminationem.* Ambroſius Catharinus Epiſcopus Minorienſis ex Ordine Prędicatorum in cap. 8. epiſt. D. Pauli ad Rom.

3. *Virtutem, & impulſum Spiritus Sancti.* Seripandus tunc Generalis Ordinis D. Auguſtini, poſteà Cardinalis in cap. 8. epiſt. ad Roman.

4. *Applicationem, & virtutem, quâ Deus priùs, & efficaciùs operatur, quàm cauſa ſecunda.* Idem Cornelius Muſſus eod. lib. cap. 15. & Franciſcus Romæus Generalis Ordinis Prędicat. lib. de Libertate Operum, veritate 7.

5. *Operationem Dei priùs naturâ efficientem.* Joannes Antonius Delphinus, è Caſali Majori, Ordinis Min. Convent. Epiſcopus Treviſanus, ſive Torpellanus, lib. 4. de Libero Arbitrio, §. Opera Dei in tres claſſes.

6. *Efficientiam Divinæ voluntatis, quæ naturâ antecedit efficientiam noſtræ voluntatis.* Andręas Vega Ordin. Min. qu. 11. de Juſtificat.

7. *Ignotam Divinæ virtutis applicationem, & voluntatis noſtræ mirificam inclinationem, & inflexionem.* Idem lib. 6. in Trident. cap. 6.

8. *Concurſum Dei naturâ prærequiſitum, ſine quo non poſſumus agere, & quo poſito implicat non agere. Præmotionem.* Dominicus Soto Ordinis Prędicat. lib. 1. de Natura & Gratia cap. 16. qui liber dicatus eſt Patribus Trident. in 6. & 7. ſeſſione collectis, & à Legatis approbatus.

9. *Motionem inſtrumentalem, aut quaſi inſtrumentalem.* Alphonſus à Caſtro Ord. Min. libro 7. adversùs Hęreſes, Verbo, *Gratia.*

10. *Cauſam efficientem, moventem, impetum.* Melchior Canus Ord. Prędicator. lib. 2. de locis Theolog. cap. 8. & lib. 12. cap. 12.

11. *Firmam, & efficacem vocationem, cui liberum arbitrium non renuat; immò, & firmam, atque immobilem prædeterminationem.* Alphonſus Salmeron Societatis Jeſu diſputat. 19. in epiſt. ad Roman.

Hi omnes interfuerunt 6. Seſſioni.

12. *Tacitum impulſum.* Marcus Hieronym. Vida, in primo Hymno de Deo, & in Hymno de Spiritu Sancto.

13. *Uſum cauſarum ſecundarum, tanquàm inſtrumentorum.* Federicus Nauſea Epiſcopus Viennenſis cent. 1. homil. 72.

14. *Gratiam prevenientem, quâ homo cooperatur*

tur alteri gratiæ prævenienti, scilicet vocationi. Joannes Gropæus in Enchirid. Colonienſi, tract. de Sacram. Pœnitentiæ.

15. *Impulſum.* Stanislaüs Hoſius Card. in Doctrina Fidei cap. 67. & 72.

16. *Applicationem cauſæ ſecundæ.* Bernardus Bonjoannes Epiſcopus Camerinus in Compendio Summæ D. Thomæ 1. p. cap. 106.

17. *Vim, diſpoſitionem, qualitatem, quâ Deus nos priùs movet.* Jacobus Naclantus, Epiſcopus Clodienſis ex Ordine Prædicator. lib. de Origine Contingentiæ.

18. *Applicationem, & impreſſionem Dei, cum qua implicat non agere.* Joannes Antonius Panthura Epiſcopus Coſentinus ex Ord. Præd. tom. 2. op. tract. 1. cap. 31. & tract. 3. cap. 22.

19. *Auxilium ſpeciale præveniens primitate operationis facientis nos facere.* Gaſpar Caſalius Epiſcopus Lactienſis ex Ord. D. Auguſt. lib. 1. de Quadrip. Juſtitia cap. 32.

20. *Tactum Dei efficacem, quo cor aperit.* Joannes Xuares ex Ordine D. Auguſt. Epiſcopus Conimbr. in cap. 1. Marci, & Ludovicus Sotomajor Ord. Præd. in cap. 5. Cantic.

21. *Concurſum Dei prævenientis, & auxilium quo Deus ſpecialiter adjuvat, movet, inflectit.* Didacus Covarruvias Epiſcopus Civitatenſis, & poſteà S. Domin. in cap. Alma Mater, de Sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 4. num. 2. & 3.

22. *Cauſam primam, & efficacem operationem Dei priorem naturâ.* Petrus Soto, Ord. Præd. lib. de Inſtit. Sacerdot. lect. 9.

23. *Auxilium ut Dei inſpirationi obediatur, motionem Dei prævenientem ſimul tempore.* Ferdinandus Vellotillus poſteà Epiſcopus Lucenſis, in advertentiis ad SS. Patres ad S. Ambroſ. q. 21. & ad tom. 1. Auguſt. q. 4. qui etiam approbat dicta Dominici Soto.

24. *Intrinſecum Divinum impulſum, efficacem motionem, apertionem cordis priorem quàm nos obtemperemus.* Michaël Medina Ordinis Min. lib. 1. de recta in Deum Fide, cap. 2. & lib. 2. c. 1.

25. *Impulſum, & efficacem excitationem quâ Deus nos trahit.* Cornelius Janſenius, poſteà Epiſcopus Gandavenſis in cap. 21. Proverbior. & cap. 59. Concordiæ Evangel.

26. *Inſtinctum, afflatum, energiam operandi.* Joannes Aſſelius in cap. 8. ad Rom. & in cap. 2. ad Philippen.

27. *Efficacem Dei operationem, & non tantùm vocationem, inſpirationem, & boni propoſiti ſuggeſtionem, ſeu impulſum, & potentiſſimam motionem.* Didacus Payva de Andrade lib. 4. Orthodoxarum Explicationum ex Patribus Societatis Colonienſibus in Cenſura adversùs Joannem Monemyum fol. 36.

28. *Operationem Dei noſtrâ priorem prioritate naturæ.* Franciſcus Cranzius Ord. Min. lib. 1. Locorum Catholicor. cap. 57.

29. *Efficientiam Divinam, quâ Deus operatur opera noſtra.* Arias Montanus in cap. 26. Iſaiæ.

30. *Divinam occultam gratiam moventem liberum arbitrium, uſum quo Deus inclinat nos; auxilium ſpeciale, quo priùs movemur.* Taddeus Peruſinus Ord. D. Auguſt. in c. 2. 10. & 64. Iſaiæ.

31. *Impulſum.* Adeodatus Senenſ. Ordinis S. Auguſt. in Oratione habita in Tridentino feriâ 4. Cinerum.

32. *Motionem inſtrumentalem.* Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu lib. 4. pro Epiſtolis Pontificum, cap. 2.

33. *Intimam virtutem, quâ Deus ad motum atque actionem ita impellit, ut præveniat.* Catechiſmus Romanus, mandato Concilii Tridentini, juſſu Pii V. editus, ab eodem, & à Gregorio XIII. approbatus, receptus in 20. aut 22. Synodis Provincialibus per univerſum Orbem habitis, & à S. Sede approbatis.

34. Et ipſa Sancta Synodus Tridentina eandem expreſſit nomine *vocationis Dei.* Nomine autem motionis quandoque intelligi juxtà modum loquendi Sacræ Scripturæ veram efficientiam conſtat ex illo, *vocat ea quæ non ſunt tanquàm ea quæ ſunt.*

35. Eandem efficientiam docuerunt Patres Tridentini. Lyppomanus Epiſcopus Veronenſis in cap. 1. Geneſ. Hieron. Wlielmus Epiſcopus Argolicenſis Ord. Prædic. lib. de ſex diebus conditi Orbis lect. 9. Hieronym. Oleaſter Ordin. Præd. ad cap. 30. Iſaiæ. Cornelius Aluſto lib. 2. cit. c. 10. Cornelius Janſenius in Concordia Evangel. cap. 56. Alphonſus Salmeron. diſput. 8. in Epiſtolas D. Pauli.

36. *Gratiam adjuvantem, prævenientem, quâ homines diſponuntur ad convertendum ſe; adjutorium præveniens ſine quo non poteſt homo agere; tactum Dei, quo homo aliquid agit; gratiam prævenientem quâ Deus nos convertit, & convertimur.* Trident. ſeſs. 6. cap. 5. & can. 3.

37. *Virtutem quæ bona opera antecedit.* Ibidem cap. 16.

38. *Impulſum Spiritus Sancti animam moventis.* Ibidem ſeſs. 14. cap. 4.

39. *Motionem cui liberum arbitrium motum cooperatur.* Ibidem ſeſs. 6. can. 4.

40. Dum hæc aguntur, Molina ſuam concordiam meditatur. *Colligitur ex Molina 1. p. q. 14. art. 23. diſp. 18. mem. 2. §. Authore.*

41. Non audet tamen typis mandare. *Valentinus Herice Soc. Jeſu, 1. p. diſp. 7. cap. 10.*

42. Negat Molina liberum arbitrium agere, ut priùs motum, & applicatum à Deo. *Molina in Concordia diſp. 26. §. Dicendum.*

43. P. Prudentius de Monte Major theoremata actus majoris Salmanticæ juxtà Molinæ placita tuetur: quæ ab Academia cenſurâ notantur. *Paulus Leonardus, id eſt, P. Scherlogus Soc. Jeſu de Scientia Media p. 3. num. 35.*

44. Conficitur à ſex Patribus Societatis Jeſu juſſu quartæ Congregationis, & cura Præpoſiti Generalis, liber de ratione Studiorum, in quo Divi Thomę opinio, quòd cauſę ſecundę moventur à Deo, ut inſtrumenta à cauſa principali, libera relinquitur. *Ex libro ipſo initio, & pag. 11. 1586.*

46. Lieſ-

46 Leſſius Lovanii negat gratiam efficacem, aſſeritque ſolùm ſufficientem juxta ſenſum Molinæ. Academia Lovanienſis illius aſſerta notat, & mox Duacenſis. *Patet ex cenſura Academiæ Lovanienſis, & Duacenſis.*

47. Res ad Sixtum V. defertur: tulit Leſſius acrem reprehenſionem. *Henricus Henriques Societatis Jeſu, lib. de ultimo fine hominis cap. 12. in Com.*

48. Sixtus V. anno 1588. utrique parti ſilentium indicit. *Imago primi ſæculi Soc. Jeſu, lib. ultimo.*

49. Molina typis mandat eodem anno concordiam Uliſipponæ, negatque loco cit. num. 42. liberum arbitrium priùs à Deo motum, & applicatum eſſe, quàm agat. *Patet ex ipſa editione.*

Contendunt Patres Prædicatores ipſum priùs à Deo moveri: hinc cæperunt uno verbo dicere illud præmoveri, quo etiam nomine uſi fuerant quidam antiquiores.

Cùm viderent Patres Prædicatores æquivocationes diverſas in diſputationibus de hac re, cæperunt varia ſcribere. Bannes Ordinis ejuſdem poſt cenſuram adverſus theoremata P. Prudentij de Monte Major, ſcripſerat commentaria in primam partem, & mox in ſecundam ſecundæ, approbata à Didaco de Caves ejuſdem Ordinis Regi Catholico à ſacris confeſſionibus, qui & ipſe Tridentino interfuerat; nuſquam tamen quòd legerim, uſus eſt nomine præmotionis, vel prædeterminationis phyſicæ, quamvis in re dicat auxilium ſcilicet præveniens determinare voluntatem. Sed poſt theſes P. Antonij de Padiglia cæperunt communiter uti nomine præmotionis, concurſus prævij, &c. Sed Patres Societatis utebantur etiam eiſdem nominibus, in explicatione tamen multùm diſcrepabant. Nam cùm duplex ſit cauſalitas, altera metaphorica, & moralis per modum finis, & objecti, altera efficiens verè ac propriè per modum agentis; Patres Societatis, quando dicebant Deum præmovere, intelligebant ipſum præmovere per modum cauſalitatis metaphoricæ, & moralis; Patres verò Prædicatores intelligebant per modum cauſalitatis efficientis verè ac propriè. Et quia cauſalitas hęc, ut diſtinguitur à morali, ſolet vocari in Scholis cauſalitas phyſica, ideſt vera, & propria, & non metaphorica; realis non objectiva: ad tollendam omnem æquivocationem cæperunt uti nomine præmotionis phyſicæ. Verùm neque per hoc nomen ſublata eſt omnis æquivocatio: nam Patres Societatis etiam uſi ſunt eo nomine, & dixerunt, Deum præmovere non ſolùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte potentiæ, & præmovere phyſicè, & præmotione phyſica; intelligentes tamen hôc nomine inſpirationem, & motionem moralem, quæ quia in ſua entitate eſt quid morale, & phyſicum, vocata eſt ab illis præmotio phyſica, & dictum eſt quòd Deus præmoveret phyſicè. Et prætereà quia juxta Molinam in concordia quæſt. 14. art. 13. diſp. 38. illa gratia præveniens, quæ ut prævenit conſenſum liberi arbitrij, moraliter dumtaxat illud excitat, eadem tamen jam conſentiente libero arbitrio, & unà cum illo eſt inſtrumentum Dei, quô ſcilicèt Deus influit verè ac realem ſupernaturalitatem in actum liberi arbitrij, ut ſit, qualis ad ſalutem oportet; idcircò illam gratiam prævenientem dixerunt præmovere, & concurrere phyſicè; præmovere ſcilicet moraliter, & concurrere phyſicè.

Et cùm PP. Prædicatores inſtarent, quòd concurſus cauſæ univerſalis, & ſuperioris qualis eſt Deus, debet eſſe prior naturâ, concurſu cauſæ inferioris, particularis, & ſubordinatæ; Patres Societatis ex hac ipſa ratione ſumpſerunt occaſionem ſtabiliendi ſuam ſententiam, dicentes quòd ſicut concurſus cauſæ ſuperioris eſt quidem aliquo modo prior, determinatur tamen à cauſa ſecunda, ſicut concurſus Solis ad productionem plantæ determinatur à planta, terra, & alijs cauſis inferioribus; ad productionem equi determinatur ab equo generante, & ſic de alijs: ita etiam concurſus Dei determinatur ad ſpeciem actûs ab ipſo libero arbitrio.

Patres Prædicatores inſtantes oſtendebant diſparitatem, volentes quòd Deus præmotione illa ſua phyſica determinabat liberum arbitrium, ſive movebat ad actum determinatum, ut etiam loquitur S. Thomas 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3. Unde tandem ut omnes æquivocationes tollerent, uſi ſunt hoc nomine prædeterminationis Phyſicæ: quo nomine intellexerunt motionem realem, non ſolùm in ſua entitate, ſed etiam in modo movendi, qui non eſt tantùm moralis, & metaphoricus, ſed realis, phyſicus, & per modum cauſæ efficientis: quâ Deus priùs naturâ movet voluntatem ad actum certum, & determinatum.

Quare cùm ex mandato Clementis VIII. ad quem jam relatæ fuerant hæ controverſiæ, Inquiſitio Hiſpaniæ præcepiſſet, ut doctiſſimi quique ſuas ſententias ſcriberent de concordia Molinæ, & de modo loquendi Bannis ac Zumel: quorum ille erat ordinis Prædicatorum, iſte ex Ordine S. Mariæ de Mercede; & ſcripta ad ipſum Sanctiſſimum mitterentur (*conſtant hæc ex Brevi Clementis VIII. promulgato in Hiſpania, ut refert Paulus Leonardus, ideſt Scherlogus Societ. Jeſu, de ſcientia media 3. p. num. 21.*) intimato hoc Sanctiſſimi præcepto tùm Patribus Societatis, tùm Provinciali Provinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum, (*conſtant hæc ex actis Capituli Provincialis, & refert Petrus à S. Joſeph in lib. gallicè ſcripto, la Theologie du temps ipſo fere initio.*) Iſte in Capitulo Provinciali Segobiæ 1595. ſelegit ex conſenſu Capituli octo Patres P. Joannem de la Fuente Magiſtrum, P. Dominicum Bannes Magiſtrum, & primarium in Academia Salmanticenſi S. Theologiæ profeſſorem; P. Didacum Janquas Magiſtrum; P. Petrum de Herrera Magiſtrum, & in eadem Academia publicum Theologiæ profeſſorem; P. Petrum de Ledelma Magiſtrum Cathedraticum Salmanticenſem; P. Didacum Alvares Magiſtrum, & Lectorem Theologiæ in Conventu S. Pauli Valliſoletano; P. Chriſtophorum Rodrigues Præſentatum, & Priorem, & P. Didacum Nunno Cabeſudo Præſentatum, & Regentem

gentem Collegii S. Gregorii Vallisoletani. Horum singuli seorsim composuere proprias elucubrationes, quæ cùm simul oblatæ fuissent Sacro Tribunali, & prolixiores fuissent inventæ, P. Dominico Bannes cura demandatur easdem juxta sensum ab illis octo Patribus communi consensu intentum redigendi in compendium (*Constant hæc ex ipsa Apologia.*) Quod ille præstitit composito scripto cui præfixus est hic titulus, *Apologia Fratrum Prædicatorum in Provincia Hispaniæ S. Theologiæ Professorum, adversus quasdam novas assertiones cujusdam Doctoris Ludovici Molinæ nuncupati, &c.*

Huic Apologiæ subscripserunt octo illi Patres, illamque cum libello supplici Sacro Tribunali obtulerunt: & hoc est primum opus, in quo primò viderim Patres Prædicatores usos esse nomine illo Prædeterminationis Physicæ, sub hac conjunctione, ideſt conjungendo particulam illam *Physicæ*, cum nomine *Prædeterminationis*: nam quantùm ad nomen Prædeterminationis, jam vidimus supra, illo usos fuisse Catharinum, & Salmeronem, & ante illos ipsum S. Thomam in 1. ad Annibald. dist. 47. qu. unica ar. 4. quodlibet 12. art. 5. in cap. 5. S. Dionysij de Divinis nominibus; & ante D. Thomam S. Methodius oratione in Sanctam Martyrem Agatham, juxta translationem Leonis. Atque etiam ipse S. Dionysius cap. illo 5. & ubicumque in Epistolis D. Pauli habemus nomen Prædestinationis, in græco habetur προόρισμος; quod vocabulum de verbo ad verbum redditur latinè prædefinitio, & prædeterminatio. Imo nomen ipsum Prædeterminationis physicæ confessi sunt publicè Patres Societatis rectè inventum, si aliunde de re ipsa per hoc nomen significata constaret: (confessi inquam id sunt in Congregatione, sive Disputatione secunda, tertia, & quarta sub Paulo V.) Rem autem esse antiquam satis constat; quia Patres Prædicatores nomine Prædeterminationis Physicæ intelligunt motionem Dei, quâ Deus in tempore exequitur quod ab æterno decrevit, & prædefinivit. Cùm igitur S. Thomas, & SS. Patres dicant, Deum decreto suo omnia etiam opera libera ab æterno prædefiniſſe, & prædestinasse; sanè executio, sive motio executiua illius voluntatis congruè vocari poterit prædefinitio, prædestinatio, & prædeterminatio executiva: & cùm voluntas Divina causet omne ens, non solùm moraliter, sed etiam physicè; & hoc, quod est causas secundas agere, sit quoddam ens; profectò poterit hæc prædeterminatio vocari physica. Addendum quòd Antiqui verbis æquivalentibus utebantur. Cajetanus dicebat esse inevitabile quod Deus vult. (1. p. qu. 14. art. 13. Thomas Braduardinus Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Cantuarienſis non utitur nomine prædeterminationis, sed præefficientiæ lib. 3. de causa Dei, & ipse S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. & 14. dicit, quòd voluntas humana, Divinâ gratiâ *insuperabiliter, & indeclinabiliter agitur*, & quòd Deus inclinat corda humana *omnipotentissima potestate*, quò vult, quando vult, ubi vult, & quòd ei humanæ voluntates non possunt resistere. Sanè si nomen attendamus, aliquid majus videtur, agi hominem *insuperabiliter, & indeclinabiliter*, & inclinari *omnipotentissima potestate*, quàm prædeterminari physicè.

Denique sicut adversarij non negant, se adinveniſſe nomen scientiæ mediæ (de qua sub hoc nomine nullum verbum est in antiquis) imò & rem ipsam si credamus Molinæ (in concor. 1. p. qu. 14. art. 13. disp. 18. mem. 2. §. authores) Fonsecæ (6. Metaphys. cap. 2. quæst. 14.) Vasqui (1. p. q. 14. disp. 67. c. 4.) Herice (1. p. disp. 7. c. 10.) & alijs: cur non liceat nobis ad tuendam antiquam Doctrinam uti novo nomine? in quo sanè multis eos superamus; nam & res quam defendimus, antiqua est, clarissimè in S. Augustino, & alijs SS. Patribus tradita: & nomen ipsum etiam aliquatenùs, ut constat ex dictis, etiam in hac materia est usurpatum: Illorum verò, & res nova est, ut plurimi ex ipsis jam citati contendunt; & nomen novum, &c.

QVÆSTIO IV.

Utrùm S. Thomas I. Parte Summæ Theologicæ eandem divinam motionem præviam docuerit.

QUOTQUOT olim S. Thomæ sententiam de Divinis motionibus bona fide retulerant, hi triplicem locum designaverant, ubi præviam esse eam motionem apertiùs docuerat D. Thomas, quàm de ejus mente dubitari posset, scilicèt qu. 3. de potent. art. 7. & 1. p. qu. 105. art. 5. & 3. cont. gent. c. 70. Verùm, primus est Suares, qui cùm negari non posse fateretur, quin D. Thomas eam sententiam expressisset qu. 3. de potent. art. 7. contendit à D. Thoma eam sententiam alijs in locis retractatam fuisse; ubi S. Thomas (inquit) non meminit hujus virtutis impressæ causis secundis: & quamvis dicat, à Deo causas secundas applicari, non asserit tamen, nisi additâ eâ particulâ diminuente *quasi*, quâ significet, improprio sensu, & lato quodam modo intelligendam esse applicationem, ita ut solo concursu simultaneo fiat: quod eo potiori jure existimandum est, quia alioquin concursus simultanei, inquit, non meminisset D. Thomas, eo maximè loco, ubi de eo mentionem fieri doctrinæ ratio, rectaque methodus exigebant, scilicèt Prima Parte quæstione laudata 105. De ea igitur supposita retractatione hìc agendum est; ac primùm in communi; antequam eum articulum referamus, in quo ea S. Thomæ retractatio esse supponitur.

ARTICULUS I.

Sententiam de motione Divina à S. Thoma I. Parte non fuisse retractatam.

FAteor equidem, nullam fore Divo Thomæ inferendam injuriam, si quædam retractasse dicatur, cùm & reipsà quædam se revocare ipse expressè asserat: nec cuiquàm vitio verti possit, si proficiendo scribat, & post diutur num aliquando studiũ ea animadvertat quæ prius ipsum latuerant. Equidem *Romani maximus author eloquii nullum unquam verbũ*, inquit de quodã, *quod revocare vellet emisit*: ut refert S. August. Epist. 7. ad Marcell. Verùm etsi hæc præclarissima laus esse videatur, minimè tamen in virum sapientem cadit, ut ibidem inquit D. Augustinus; cùm nemini unquàm felicitas tanta contigerit, ut aliquid ipsi condonandum non sit, aut aliquid saltem mutare aliquando in melius nolit, etsi olim probabiliter dictum in rebus admodùm dubiis. Sed *si in bonam partem accipiatur, ut quempiam talem fuisse credamus, qui cùm sapienter omnia loqueretur, nullum unquàm verbum quod revocare vellet emisit; hoc potiùs de hominibus Dei, quì Spiritu Sancto acti locuti sunt, quàm de illo quem Cicero laudat saluberrima pietate concedendum est*, inquit Augustinus Solisenim Scriptoribus Canonicis hic honor defertur, ut nedùm probabilia, sed & omninò vera locuti, nihil in melius commutare debuerint Hæc summa aliorum laus est, quòd sine errore omnia conscripserint; etsi tamen aliquando opinionem quam aliàs probabilem existimaverant, minus posteà probabilem esse animadverterint. Hanc primam laudem *quisquis*, inquit S. Augustinus, *nondùm est assecutus*, nec se assecuturum quisquam præsumere unquàm potest: *secundas habeat partes modestiæ; quia primas non potuit habere sapientiæ: quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse*. Quæ verba repetit in Prologo Retractationum. Nemo à perfectione unquàm incipit, & ut ipse D. Augustinus de se inquit, *Ego profiteor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt*. Quæ etiam libro de dono Perseu. cap. 21. & lib. 3. de Trinitate statim initio repetit.

Verùm, quamvis hæc ita sint, non ideò tamen licet retractationem SS. Patribus, magnisque Viris affingere, nisi certissima apertissimaque ratio id fateri cogat, vel retractationem à se factam ipsi expresserint: alioquin enim nihil unquàm certi haberi posset, & apertissima quæque hac vana responsione, fictaque retractatione eluderentur. Unde & ipse S. Augustinus advertit, plurima interdùm ab ipso retractata correctaque esse existimatum fuisse; quæ minimè tamen retractaverat. Solent enim magna ingenia, quæque graves difficultates peruident, quas interdùm aliis locis exactiùs discutiendas reseruant; ita loquendi modum verbaque temperare, ut veræ sententiæ quam defendunt, etsi eam non explicent, nullum præjudicium fiat. Dicunt solùm *debentia dici*, & quæ sufficiant, ut jubet Horat. de arte. Ita enim & ipse D. Augustinus respondet, cùm Pelagiani plura ei objicerent, quæ posterioribus adversa viderentur: ut cùm Opusculo contra Porphirium dixerat, voluisse hominibus Christum apparere, suamque doctrinam prædicari, ubi, & quando sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Hæc enim inquit lib. de Prædestinat. SS. cap. 9. *ita dixi, ut hanc diligentiorem, & operosiorem disputationem de gra-*

tia prætorirem, non sanè omissa significatione, quòd eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs, vel ab aliis explicari. Ac deinde cùm plura retulisset: *cernitisne*, inquit, *me sine præjudicio latentis consilij Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim verius quàm præsciisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri. Sed utrùm prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi: ideſt, utrùm tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi.*

Quibus liquet, Sanctum Augustinum nihil sibi ac sanæ Doctrinæ, quam posterioribus libris explicuerat, adversum dixisse; sed solùm non ibi explicuisse omnia, quæ in aliud opportunius tempus referenda esse existimabat. Atque eâdem Epistolâ prælaudatâ, cùm quidam reprehenderent, quæ de animarum origine lib. 3. de libero arbitrio scripserat: Respondet ipse D. Augustinus, *videant sic à me verba fuisse perpensa, ut retento eo quod certum habeo . . . . ita omnia sonarent, ut nulli præjudicarem opinioni.* Vnde nec audiendos esse, inquit, qui ista objiciebant: *quærant ergo alia*, inquit, *quæ rectè reprehendant.* Neque enim continuò, quia interdùm in SS. Patribus non omnia satis intelliguntur, aut non omnia satis cohærere videntur, error existimandus est, aut retractatio fingenda. Atque ea ratione D. Prosper Epistola ad S. Augustinum Massilienses reprehendit: quòd cùm scripta à D. Augustino lib. de correptione, & gratia non satis intelligerent; debuissent, ingenii sui tarditatem potiùs culpare, quàm non intellecta reprehendere, quæ ne intelligerent, inquit, *persuasionis suæ impediebantur obscuro.* Solebant enim, & ipsi Pelagiani, ut D. Augustinum secum pugnare, & adversa loqui probarent, minima quæque scrutari; ut passim in his, quæ ex Juliano S. Augustinus refert, videre est. Et ut Respondet D. Augustinus Juliano lib. 3. operis ultimi: *Et laboras, & quod est pejus, vinceris. Non tamen laboras, ut me intelligas, quod facillimè potes; sed laboras ut me refellas, quod non potes.* Suumque lectorem monens lib. 3. de Trinitate, initio; *Noli* inquit, *meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex Divina lectione vel inconcussa ratione corrigere.*

Quæ tamen omnia à me jam dicta velim ita intelligi, non ut in alterius cujusque Scholæ Theologos ista conjiciam, aut ut cuiquam injuriam inferam; sed ut manifestum sit, non esse continuò retractationem fingendam, etiam cùm interdum aliqua in speciem adversa videantur; nisi ubi ea retractatio ab ipsomet authore expressa est, vel nisi apertissima ratio id fateri cogat.

At verò, quod ad S. Thomam attinet; quid unquàm ullo in loco, vel minimum scripsit, quod sibi vel in speciem adversum esse videatur; ut ideò retractasse sententiam existimetur, quam quæstione 3. de Potent. de Diuina motione docuerat. Enim verò quod in primis opponitur, ea omnia quæ S. Doctor prima parte docuit, scilicet quæst. 105. art. 5. quem integrum infra referemus, explicanda esse de concursu simultaneo; quia alioquin nullibi concursum simultanum docuisset, Articulo sequenti falsum esse apertè demonstrabimus; multòque solidiùs à D. Thoma probatum ostendemus simultaneum concursum, quàm probari ab aliis Theologis soleat.

Quod verò deinde opponitur, dixisse S. Thomam eo Articulo primæ partis, non absolutè, quòd Deus applicat, sed additâ particulâ, *quasi applicat*, voluntatem quam movet: mirum esset si tam levi indicio persuaderi posset ea retractatio. Retractavit igitur, & D. Joannes, quod ab aliis Evangelistis dictum fuerat, Christum esse unigenitum æterni Patris, cùm dixit visum esse *quasi unigenitum à Patre*. Accepta fuerit à S. Thoma hæc particula *quasi*, ut conditio diminuens; quid inde consequi potest? negatam ab ipso fuisse veram ac propriè dictam motionem? minimè verò: sed negat solùm propriam, & in rigore acceptam instrumenti rationem, cùm de voluntate agitur: neque enim voluntas propriè, & in rigore instrumentum est. Unde habita ratione illius comparationis, dictum est à D. Thoma, quòd Deus voluntatem *quasi applicat* & non omninò sicut artifex applicat securim. Ac prætereà quis dubitet Deum multò eminentiori, & perfectiori modo causas secundas, & applicare, & movere, quàm artifex sua instrumenta adhibeat. Unde ad removendam artificis limitationem, imperfectionem, &c. inquit S. Thomas, quòd Deus voluntatem quasi applicat; quia multò perfectiori modo eam applicat quàm artifex securim applicet. Sed quid reponi poterit, cùm dicitur eodem ipso Articulo Responsione ad secundum Argumentum, dictum à S. Thoma, non quòd Deus *quasi applicat*, sed exertè quòd *Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat eas ad agendum.* Quod etiam expresè dixit 3. contr. gent. c. 67. quod infra referemus.

Sed prætereà ficta hæc S. Thomæ retractatio hac ratione refelli potest: scil. quòd quotiès sententiam aliquam D. Thomas retractavit, eam expresè à se retractari dixerit; nec gravari debet Lector, si hic paululùm immorer: res enim est gravis momenti. Convenit inter omnes, & stabilitam, & defensam fuisse à S. Thoma Divinam motionem præviam quæst. 3. de potent. hoc unum perfugium adversariis supereſt, scilicet revocatam esse à D. Thoma eam sententiam. Si igitur inde pulsi fuerint, necesse est pugnam deserant, seque adversam Sancto Thomæ sententiam, & amplexos fuisse, & defendere fateantur.

Probatur igitur id monuisse D. Thomam, cùm sententia aliqua ab ipso revocata est. Quædam enim sunt quæ suo tempore vulgata erant, aut quæ Magister Sententiarum docuerat, quæ etiam D. Thomas ejus interpretem agens amplexus fuerat, ac postea in Summa retractavit. Etenim ut

paucis

paucis ea colligam : exiſtimaverat olim S. Doctor in 3. diſt. 34. qu. 1. art. 2. quòd donum ſcientiæ, & conſilii pertinerent ad practicam cognitionem, donum autem intellectûs ad ſpeculativam ; quod etiam 1. 2. qu. 68. art. 4. docuerat : At verò 2. 2. qu. 8. art. 6. cùm de dono intellectûs agit, eandem ſententiam repetit, *& ſecundùm hoc* inquit, *ſupra* ſcilicet 1. 2. qu. 68. *numerum donorum aſſignavimus. Sed diligenter*, inquit, *intuenti donum intellectûs non ſolùm ſe habet circa ſpeculanda, ſed etiam circa operanda*. Docuerat in 3. ſentent. diſt. 14. qu. 3. creviſſe quidem in Chriſto ſcientiam quantùm ad certitudinis quendam modum, non verò quantùm ad eſſentiam per acquiſitionem habitûs. At verò 3. p. qu. 11. art. 4. aliter ſentit, & expreſsè inquit : *quamvis alibi aliter ſcripſerim*. Sic etiam olim in 4. diſt. 1. qu. 2. art. 4. cum Magiſtro Sentent. docuerat, circumciſione conferri gratiam quantùm ad illum effectum, ut efficeret dignum vitâ æternâ ; ſed non ut poſſet, & concupiſcentiam vincere, & mandata implere. At verò 3. p. quæſt. 62. art. 6. aliter ſentit, & ſuperiorem ſententiam referens, expreſsè inquit, *quòd & aliquando mihi viſum eſt*. Tenuerat olim in 2. diſt. 2. qu. 2. art. 3. Cælum Empyreum nullam habere in corpora ſublunaria influentiam, cùm ſit ad ſtatum gloriæ, & felicitatis Beatorum ordinatum. At verò quodlibeto 6. art. 19. expreſsè inquit, eandem ſententiam referens, quam quidam ſua ætate defendebant : *& hoc quidem mihi aliquando viſum eſt ; ſed diligentiùs conſideranti, magis videtur dicendum quòd influat in corpora inferiora*.

Liquet igitur ex his locis, (pauciſſima enim revocaſſe reperitur, quæ tamen alii ſuo tempore defendebant, & ſine errore defendi poterant ; nullus enim unquàm vel levis error S. Doctori irrepſit ; ſed inter probabiles ſententias eam interdùm quam probabiliorem exiſtimaverat, minùs probabilem eſſe deinde animadvertit.) Liquet, inquam, monuiſſe D. Thomam, cùm ſententiam mutabat, ſe olim aliter ſenſiſſe : Atqui ſe eam ſententiam mutaſſe in ea controverſia de Diuina motione nullibi unquàm ſignificavit, neque ullus hactenùs hujus revocationis locus productus eſt, aut unquàm producetur : Ergo omninò immeritò ea retractatio ipſi imponitur.

Et confirmari hæc ratio poteſt, quia ſi quandòque aliàs tacitè mutatam eſſe à S. Thoma ſententiam etiam ejus diſcipuli non diffiteantur ; hoc ideò eſt, quia Divus Thomas nedùm ſententiam aliàs à ſe defenſam refert, ſed etiam, & rationes quibus ea ſententia defendi poterat, ſimul refert, atque eas deinde ſolvit ; unde manifeſtè convincitur ſe eam ſententiam tacitè retractare. Atqui tantùm abeſt, ut rationes quibus prȩviam motionem Dei ſtabilierat quæſt. 3. de Potent. art. 7. poſteà rejecerit, ut econtra perpetuò eaſdem rationes advocaverit, eiſque novum, & majus robur addiderit. Equidem præter ea quȩ retulimus, ubi ſe expreſsè aliter ſentire, quàm ſenſiſſet olim monuit D. Thomas : duo alia ſunt, in quibus cùm duplex verſaretur opinio, unam in Sententiis, alteram in Summa Theologica docuit. Dixerat enim in 1. ſentent. diſt. 11. art. 4. Patrem, & Filium duos dici poſſe ſpiratores, quia dici poſſunt duo ſpirantes. Sed 1. p. quæſt. 36. art. 4. ad 7. aliter ſentit. *Dicendum* inquit, *quòd quidam dicunt, quod Pater, & Filius licet ſint unum principium Spiritus Sancti, ſunt tamen duo ſpiratores propter diſtinctionem ſuppoſitorum, ſicut etiam duo ſpirantes*. Atque ea ratio eſt, quâ olim eam ſententiam defenderat. *Sed videtur* inquit, *meliùs dicendum, quòd quia ſpirans adjectivum eſt, ſpirator autem ſubſtantivum ; poſſumus dicere quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores propter unam ſpirationem*. Vbi cùm etiam rationem adverſȩ ſententiȩ referat, eamque ſoluat, dubitari non poteſt quin eam Sententiam tacitè mutaverit.

Alteram etiam tenuerat, aut veluti dubius inſinuaverat in 2. diſt. 1. qu. 1. art. 3. ductus authoritate Magiſtri ſententiarũ, ubi cùm de creatione ageret, & quæreret, utrùm aliis quàm Deo creare conveniat, plures ſententias refert, & ita inquit. *Alii dixerunt, quòd creatio nulli creaturæ convenit, nec etiam communicabilis eſt, ſicut nec eſſe infinitæ potentiæ, quam exigit creationis opus : alii dixerunt creationem nulli creaturæ communicatam eſſe, communicari tamen potuiſſe, quod Magiſter aſſerit in 4.* (ſcilicèt diſt. 5.) *utraque autem harum opinionum videtur ſecundùm aliquid vera eſſe*, ut deinde explicat. At verò 1. p. qu. 45. art. 5. Magiſtri ſententiam refert, & ita expreſsè inquit : *& ſecundùm hunc etiam modum Magiſter dicit in 5. diſtinct. 4. ſententiarum, quòd Deus poteſt creaturæ communicare potentiam creandi, ut creet per miniſterium, non propria authoritate ; ſed hoc eſſe non poteſt, &c.* ubi cùm iterum à Magiſtro Sententiarum ſe diſſentire dixerit, quem olim ſecutus fuerat, dubitari non poteſt quin ſententiam mutaverit.

Atqui, ut argumentum reſumam, nullus hactenùs locus productus eſt, nec reipſa produci poteſt, ubi S. Thomas rationes ſolvat, aut principia neget, quibus Divinam motionem prȩviam qu. 3. de potent. art. 7. ſtabilivit ac deffendit. Atque ea ratione

Confirmari demùm, & omninò apodecticè convinci poteſt, nunquàm à D. Thoma mutatam hanc fuiſſe ſententiam. Etenim intelligi non poteſt, diverſam eſſe ſententiam, quam ſecutus eſt S. Doctor 1. p. qu. 105. ſi eadem omnia principia, eademque exempla uſurpaverit, quȩ uſurpaverat qu. 3. de potent. Atqui utrobiquè eadem ſunt omninò principia, eadem exempla, eadem argumenta quȩ ſibi objicit, eȩdemque ſolutiones quibus ea argumenta excipit : Ergo incredibile eſt, ac omninò impoſſibile mutatam à S. Thoma fuiſſe de motione prȩvia ſententiam.

Minor ſtatim probanda eſt ipſa explicatione Articuli in quo ſupponitur facta à D. Thoma retractatio ; & planè ob oculos ponemus, eadem principia quȩ alias uſurpaverat iterum advocaſſe, in eademque ſemper ſententia perſtitiſſe.

Neque

Neque ullus ex D. Thomæ Discipulis in medium produci potest, qui eam unquàm retractationem animadvertit, quamvìs aliquando mutasse sententiam non diffiteamur. Ideò enim superiora referre voluimus, ut apertius fiat, non latere nos quæ S. Thomas sibi probari aliquando testatus est; & quam veluti ultimam voluntatem, & sententiam suis Discipulis sequendam reliquit: neque enim alia nobis cura est, quàm ut veram ejus mentem assequamur. At verò in hac gravi sententia de prævia motione Divina, ac Divina gratia nullus unquàm inter ejus Discipulos repertus est, qui vel minimam hujus retractationis umbram animadverterit: ut verissimè dici à nobis possit, quod ab Augustino dictum est. *Quærant ergo alia quæ rectè reprehendant*, aut in quibus vera retractatio reperiatur.

ARTICULUS II.

Vera concursus simultanei ex S. Thoma explicatio.

INde aliqui argumenta omnia quæ ex D. Thomæ authoritate plurima congessimus se eludere posse arbitrantur: quòd contendant ea quæ ad adstruendam motionem prævìam ex D. Thoma plurima advocari solent; de motione concomitante, & concursu simultaneo explicari oportere; quia alioquin, inquiunt, S. Thomas concursum simultaneum, nec nominasset unquàm, nec admisisset, quod de tanto Doctore nefas esset asserere.

Verùm, ut hoc qualecumque effugium præcludamus; demonstrandum est, eam de concursu simultaneo (etiam qualem Recentiores admittunt,) quæstionem minimè à D. Thoma prætermissam fuisse: sed prætereà concursum prævium, de quo potissima difficultas esse poterat, fuisse ab eodem S. Thoma admissum; & immeritò unum alterius loco supponi, cùm apertissimè uterque à S. Doctore expressus sit, quod ad rem ipsam attinet; nam quantùm ad ipsum simultanei concursus nomen, non diffitebor rarò aut vix apud veteres reperiri, ut & scientiæ Mediæ nomen omninò incompertum olim fuit: sed ut monet S. Thomas, non est sapientis Theologi, quem solidiora sectari convenit, de nominibus rixari, *neque* enim *de nominibus est curandum*, cum de re ipsa constat. 1. p. qu. 54. art. 4. & ut inquit etiam S. Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 2. *Si de verbis inter nos controversia est, facilè contemnetur, dummodò rem ipsam videamus*.

Sed inprimis, & paucis explicanda est concursus simultanei notio, etiam qualem Recentiores Theologi extra S. Thomæ scholam defendunt; neque enim in hujus explicatione ulla controversia est, quamvìs eam D. Thomas multò solidioribus principiis stabiliat ac muniat, ut hìc jam demonstrabimus. Consentiunt igitur omnes, in eo positam esse veram concursus simultanei rationem, quòd omnis effectus causæ secundæ, omnisque ejus actio à Deo dependeant in esse, & fieri, sive & ut sint, & ut fiant. Compertum enim est, nullum planè ens creatum esse posse, nisi participatione primi entis increati, & influxu Dei primi agentis; adeò ut si hic Dei ut primæ causæ influxus vel momento intercideretur; nullus effectus, nulla actio cujusque causæ oriri posset, non magìs quàm lux in aëre aut corpore diaphano, intercepto influxu solis; sed omnes omninò causæ secundæ inertes essent, nihilque efficerent; ut ignis olim Babylonicus sola Divini concursus subtractione nullum calorem emisit, quo combureret. Igitur in ea dependentia in esse, fieri, & conservari, quam res omnes habent à Deo ut primo ente, & primo agente, ac prima causa, posita est vera concursus simultanei ratio. Atqui ea concursus simultanei explicatio à S. Thoma prætermissa non est. Ergo &c.

Et fanè nisi à Viris doctis ista objicerentur, dubitari meritò posset, utrum in ipsum D. Thomam unquàm oculos conjecissent, cùm nunquàm iis in locis in quibus recta doctrinæ methodus de ea pertractari postulabat, eam quæstionem prætermiserit. Etenim ipsa quæstione citata, de potentia, postquàm Articulo 7. quem supra explicuimus, Deum in natura operante operari demonstrasset; deinde aliis articulis, ac potissimùm primo quæstionis 5. sequentis, fusè, ut in quæstionibus disputatis solet, summaque eruditione, & argumentorum copia demonstrat, res omnes, & quemlibet effectum à causis secundis productum, etiam dependere à Deo, & in fieri, & in esse; in qua dependentia causarum vera concursus simultanei notio, omnibus consentientibus posita est.

At verò prima parte summæ Theologicæ, ubi eo ordine quæstiones à S. Thoma dispositæ sunt, quo aptior, & opportunior hactenùs nullus repertus est; cùm de Deo ut authore naturæ tractationem instituisset; de prima productione ac conservatione rerum agit, potissimùm q. 104. ibique rerum omnium à Deo dependentiam in fieri, ac etiam in facto esse, profundissimo discursu explicat: sequenti autem quæstione 105. agit de mutatione rerum, ubi prævium concursum, & motionem præviam docuisse S. Thomam infra demonstrabimus.

Igitur explicando articulo primo hujus quæstionis 104. paululùm erit immorandum, quo S. Doctor probat, res creatas ut sint, & ut fiant, perpetuo influxu Dei egere; in qua dependentia concursum simultaneum positum esse inter Theologos convenit, ut supra diximus. Vereor equidem ne ea quæ dicenda sunt, pluribus etiam in Theologia provectis extra scholam D. Thomæ difficilia videantur; sed inde intelligent, qui-

bus

bus principiis etiam novitii Theologi in S. Thomę schola imbuantur: nec certè ea prętermittere licet, cùm nulla esse possit vera concursus simultanei notio, nisi hęc S. Doctoris principia advocentur. Ut verò faciliùs profundissimus ejus discursus possit intelligi, in plures veluti partes divisus in hanc formam juxta Logicę regulas potest redigi.

Probat itaque S. Thomas, res omnes, & quemlibet effectum à causis secundis productum perpetuo concursu influxuque Dei egere, hac ratione. Quicumque effectus dependet à causa, nedum in fieri, & ut primò producatur; sed etiam in facto esse, seu ut sit & existat; eget perpetuo influxu causę agentis, & quô fiat, & quô perseveret, ac conservetur: Atqui res omnes creatę ita dependent à Deo, & in fieri, & in facto esse, sive, ut sint & ut fiant: Ergo ita dependent à Deo, *ut nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi Divinæ virtutis operatione conservarentur in esse; sicut S. Gregorius dicit lib. 17. moral. cap. 18.*

Majorem probat D. Thomas eô principiô, *quòd omnis effectus dependet à sua causa, secundùm quod est causa ejus*. Si sit causa tantûm in fieri, effectus dependet tantûm ut fiat: si sit causa quantùm ad esse, effectus dependet à causa ut sit.

Minorem autem ut probet S. Thomas, pręmittit distinctionem causarum, & effectuum. *Considerandum est enim*, inquit, *quòd aliquod agens est causa sui effectus secundùm fieri tantùm, & non directè secundùm esse ejus*. Idque primum probat & explicat exemplis, *Hoc enim* inquit *convenit*, & videre est *in artificialibus, & in rebus naturalibus. Aedificator enim est causa domûs quantùm ad ejus fieri, non autem directè quantùm ad esse ejus: manifestum est enim quòd esse domûs consequitur formam ejus: forma autem domûs est compositio, & ordo; quæ quidem forma consequitur naturalem virtutem quarundam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum, adhibendo aliquam virtutem naturalem activam, scilicèt ignis; ita ædificator facit domum, adhibendo cæmentum, lapides, & ligna, quæ sunt susceptiva, & conservativa talis compositionis, & ordinis. Unde esse domûs dependet ex actione ædificatoris, & simili ratione est considerandum in rebus naturalibus*.

Atque hujus rationem posteà subjicit, & quàm maximè animadvertendam esse Cajetanus monet: plures enim, inquit, hęc metaphysica latuit etiam illustres Viros: sumptaque est ex eo principio, de quo jam multa diximus supra, nullam unquàm causam posse effectum producere secundùm eam rationem communem sub qua & ipsa continetur; alioquin posset seipsam producere: quô principiô gravissimę difficultates resolvuntur, utrùm causa secunda possit creare, vel utrùm motione Divina egeant. *Ita igitur*, inquit S. Thomas, *si aliquod agens non est causa formæ inquantùm hujusmodi, non erit per se causa esse quod consequitur ad talem formam, sed erit causa effectûs secundùm fieri tantùm*: quod contingit in causis omnibus univocis. *Etenim manifestum est, quòd si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formæ alterius, in quantùm est talis forma; quia sic esset causa formæ propriæ, cùm sit eadem ratio utriusque: sed potest esse causa hujusmodi formæ secundùm quòd est in materia, id est, quòd hæc materia acquirat hanc formam; & hoc est esse causam secundùm fieri; sicut cùm homo generat hominem, & ignis ignem*. Non enim, ut magìs explicat 3. cont. gent. cap. 68. hic homo potest producere hominem, secundùm rationem communem hominis, aut ignis ignem secundùm communem rationem ignis: sed hic ignis in particulari talem etiam in particulari, & determinatum ignem efficit, & producit, sive educit formam hujus in individuo ignis ex ea numero materia, quę est principium individuationis. *Et ideò quandocumque naturalis effectus est natus impressionem agentis recipere secundùm eandem rationem, secundùm quam est in agente, tunc fieri effectûs dependet ab agente, non autem esse ipsius. Sed aliquando effectus non est natus recipere impressionem agentis secundùm eandem rationem, secundùm quam est in agente: sicut patet in omnibus agentibus,* æquivocis, & ordinis superioris, *quæ non agunt simile secundùm speciem; sicut Cælestia corpora sunt causa generationis inferiorum corporum, & dissimilium secundùm speciem; & tale agens potest esse causa formæ secundùm rationem* etiam communem *talis formæ & non solùm secundùm quòd acquiritur in hac materia; & ideò est causa non tantùm fiendi, sed etiam essendi*. Idest, effectus dependet non solùm à causa ut primò fiat, sed etiam dependet ut sit: ita ut ne momento quidem effectus manere possit sine perpetuo causę ipsius influxu; ut lumen sine sole, vox sine proferente, imago recepta in speculo sine pręsentia objecti.

Atque ex his principiis immotis rationem reddit S. Thomas illius quod in rebus physicis accidit, ubi & recentem omnem philosophiam provocaverim, ut solidiorem rationem reddat. *Et hæc est ratio*, inquit, *quare aqua calefacta retinet calorem cessante actione ignis, non autem remanet aër illuminatus, nec ad momentum, cessante actione solis: quia scilicet materia aquæ,* (cùm omnium rerum sublunarium una, & eadem sit materia capax omnium formarum,) *susceptiva est caloris ignis secundùm eandem rationem quâ est in igne. Unde si perfectè perducatur ad formam ignis, retinebit calorem semper: si autem imperfectè participet aliquid de forma ignis secundùm quandam inchoationem, calor non semper remanebit, sed ad tempus propter debilem participationem principii caloris*.

Id magis explicuerat supra quęst. 67. art. 3. ad 1. ubi hujus etiam altiorem rationem addit. *Cum enim*, inquit, *qualitas consequatur formam substantialem; diversimodè se habet subjectum ad receptionem qualitatis*, quę est quędam participatio formę; quędam dispositio, aut inchoatio, & via ad ipsam consequendam, *sicut se habet ad receptionem formæ: cùm enim materia perfectè recipit formam, firmiter stabilitur etiam qualitas consequens formam*

mam; sicut si aqua convertatur in ignem. Cùm verò forma substantialis recipitur imperfectè secundùm inchoationem quandam, & imperfectum calorem; *qualitas consequens manet quidem aliquandiù, sed non semper; sicut patet in aqua calefacta, quæ redit ad suam naturam. Sed illuminatio non fit per aliquam transmutationem materiæ ad susceptionem formæ substantialis ut fiat*, aut fieri possit, *quasi aliqua inchoatio formæ*, cùm materia sublunarium non sit capax formę solis à qua lumen oritur: *& ideò lumen non remanet nisi ad præsentiam agentis*.

Explicat eandem rationem S. Thomas 3. cont. gent. cap. 65. & plura etiam addit: tanta erat in eo capacissimo ingenio plenitudo scientię, & naturalium etiam rerum cognitio, ut quoties eandem rem versat, plura addat, quę aliis in locis prętermiserat. *Impressio* inquit *agentis non remanet in effectu, cessante actione agentis, nisi vertatur in naturam effectûs: formæ enim generatorum, & proprietates ipsorum remanent in eis post generationem, quia efficiuntur eis naturales. Et similiter habitus sunt difficilè mobiles, quia vertuntur in naturam. Dispositiones autem, & passiones sive corporales sive animales, manent aliquantulum post actionem agentis, sed non semper; quia insunt ut in via ad naturam. Quod autem pertinet ad naturam superioris generis, nullo modo post actionem agentis manet, sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante*. Et idem dixerat S. Doctor loco citato scil. 1. p. q. 104. *Aër* inquit *nullo modo natus est recipere lumen secundùm eandem rationem, secundùm quam est in sole, ut scilicet recipiat formam solis quæ est principium luminis: & ideò quia non habet radicem in aëre statim cessat lumen cessante actione Solis*. Hęc D. Thomas: ex quibus omnibus liquet, certissimum esse, & solidissimè stabilitum discrimen illud causarum, à quibus effectus dependent tum in fieri, tum in facto esse.

His igitur principiis ita constitutis potest iterum ratio S. Thomę retumi. Effectus qui nedum in fieri, sed etiam in facto esse, à sua causa dependet, eget perpetuo suę causę influxu, & perpetuo concursu: Atqui res omnes creatę dependent à Deo, nedum in fieri, & ut primò fiant, sed etiam ut sint, & habeant esse quò permaneant: Ergo perpetuo influxu, & Dei operatione, atque concursu ita egent, ut ne momento quidem sine operatione ipsius Dei permanere possint. Majorem probat D. Thomas, quia effectus dependet à causa, ea ratione quâ est causa ipsius, ut dictum est supra. Minorem autem probat; tum exemplo luminis Solis, tum ratione, tum authoritate S. Augustini. *Sic enim*, prosequitur 1. p. q. 104. *se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad Solem illuminantem: sicut enim Sol est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen à Sole, non tamen participando naturam Solis; ita solus Deus est ens per essentiam suam, quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens participativè, non quòd sua essentia sit suum esse*: Ergo sicut lumen diffusum dependet à Sole nedum in fieri, sed etiam in facto esse: ita res creatę à Deo dependent, & ut fiant; & ut sint; ita ut ne momento quidem esse possent, nisi perpetuo concursu Deus eas conservaret. *Et ideò*, subdit D. Thomas, *S. Augustinus 4. super genes. ad litteram cap. 12. inquit, quòd virtus Dei ab iis quæ creata sunt regendis si cessaret aliquando, simul, & illorum cessaret species, omnisque natura concideret: & in 8. ejusd. libri cap. 12. dicit, quòd sicut aër præsente lumine fit lucidus, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem, continuò tenebratur*.

ARTICULUS III.

Plurium difficultatum resolutio.

VErùm, circa ea D. Thomę principia, & discrimen illud constitutum inter causam univocam, à qua effectus in fieri tantùm dependet; & æquivocam, à qua etiam dependet quantùm ad esse; plura objici possunt, quę negotium minùs provectis facesserent, & quę necesse est resolvi.

Primò quidem objici potest, parùm vero simile videri, quòd à S. Thoma tanquàm omninò compertum principium assertum est: *manifestum est autem*, inquit, *quod si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formæ alterius, in quantùm est talis forma; quia sic esset causa formæ propriæ, cùm sit eadem ratio utriusque*. Hujus enim principij veritas, si quæ sit, necesse est ab altero dependeat, scilicèt omnis causa quę per se respicit aliquam formam, aut rationem, aut effectum, ubicumque ea ratio reperitur; eam etiam efficit: Atqui parùm id verisimile videtur. Sequeretur enim quod neque corpora cęlestia per se causæ esse possent inferiorum; neque intelligentię separatę, formarum substantialium, nec demum Deus ipse per se entia efficeret. Recurreret enim quod ut grave incommodum S. Thomas aversatur: nam corpora cęlestia etiam, & corpora sunt, & intelligentię separatę sunt substantiæ, ac demum Deus est primum ens: unde cùm in Deo sit ipsa ratio entis, si quid ratio D. Thomę obtinere posset, obtineret etiam quòd Deus posset seipsum efficere, sicut & cætera entia. Etenim ex principio jam supra constituto, causa per se alicujus formę eam efficit ubicumque est; Atqui Deus est causa entis, eaque ratio entis, & quidem perfectissimè etiam in Deo reperitur. Ergo posset Deus efficere seipsum, quod planè absurdum est.

Verùm, ut Cajetanus observat, nihil verius dici potest, si tamen principium illud intelligatur, ut à D. Thoma intellectum est, cum hac duplici limitatione. Prima, quòd ea causa formę sit causa non per accidens, nec per aliud, sed omninò per se; & secunda, quod sit causa formę ejusdem rationis; Et verò si causa aliqua sit per se causa esse-

effectûs, & effectus per ſe ab ea cauſa dependeat, ita ut ea dependentia per ſe ad ipſam intrinſecam effectûs rationem, & naturam pertineat, manifeſtum eſt, quòd ubicumquè erit effectus, aut ea ratio producta, neceſſe eſt quòd eandem dependentiam habeat: nequè enim quod ad intrinſecam rationem, & rei conſtitutionem pertinet, unquàm amitti poteſt: quod ſanè, ut rectè Cajetanus monet, probatione non indiget, ſed eſt per ſe notum: & ut alicubì Tullius dixit, in rebus per ſe notis non alia ratio quærenda eſt, ſed hujus ratio ipſa natura eſt: ſed tamen exemplo eſſentiæ, & proprietatis manifeſtari poteſt. Cùm enim proprietas alicujus naturæ, quæ per ſe quarto modo proprietas eſt, neceſſariam cum ipſa natura à qua dimanat connexionem habeat; ubicumquè eſt ea proprietas, etiam neceſſe eſt naturam à qua per ſe dependet, reperiri: alioquin enim ſi poſſet proprietas reperiri ſine ea natura, per ſe ab ea natura non dependeret: v. g. cùm admirativum aut riſibile ſit per ſe animalis rationalis proprietas, ubicumquè eſt riſibile, neceſſe eſt, & rationale reperiri. Unde veriſſimè à D. Thoma ſuperius principium tanquàm omninò compertum, & manifeſtum conſtitutum eſt.

At verò quæ objecta ſunt, altera limitatione, & obſervatione facillimè ſolvuntur. Id enim intellexit D.Thomas, & intellexiſſe manifeſtum eſt, de cauſa effectûs ejuſdem rationis, ſeu quando aliqua *duo ſunt ejuſdem ſpeciei*, & de cauſis ſolùm univocis, ut inquit 3. cont.Gent. cap.64. At verò falſum eſt, quòd eadem ſit ratio corporis in Cœlis, ac in plantis, v. g. In illis enim eſt ratio corporis inalterabilis, in iſtis autem ratio corporis generabilis, & alterabilis, quæ genere, ſicut & materiâ, unde genus petitur, diſtinguuntur. Idem de intelligentiis ſeparatis, quę formas efficiunt, non ſecundùm eandem rationem ſubſtantiæ, ſed ſolùm ut corporeæ ſunt, & generabiles: nequè Deus efficit rationem entis quomodocumque, ſed ſolùm entis creati. At verò quod attinet ad cauſas æquivocas, certum eſt eas per ſe reſpicere rationem aliquam inferiorem, cui omninò eminent, nec eodem gradu continentur. Unde corpora cœleſtia inalterabilia ſunt per ſe cauſæ corporum inferiorum, quæ alterationibus obnoxia ſunt: ſubſtantiæ ſeparatæ cauſæ ſunt æquivocæ formarum alterabilium: ac demùm Deus prima omnium cauſa producit rationem entis, non quamcumque, ſed entis dumtaxàt creati cui eminet, nequè eo gradu continetur. Unde ea objectio rationem D. Thomæ invictam eſſe planè demonſtrat.

Secundò objici poteſt, & aſſignatum ſuperius diſcrimen inter cauſam univocam, & æquivocam impugnari; quia ea prima conditio eſt cauſæ univocæ, quod effectum ſibi ſimilem in forma quâ agit producat: ergo neceſſe eſt quòd efficiat formam per ſe, & ſub ratione formæ, cùm ſola forma ſit ratio ſimilitudinis effectûs cùm cauſa. Sed

Reſpondet Cajetanus, id ita intelligendum eſſe, quòd cauſa univoca efficiat formam, & effectum ſimilem directè ut eſt in fieri tantùm, non autem directè quantùm ad factum eſſe. Atquè id anteà docuerat D. Thomas 3. cont.Gent.c.65. cujus partem ſuprà retulimus: *nullum particulare agens univocum poteſt ſimpliciter eſſe cauſa ſpeciei: ſicut hic homo*, quantumvìs perpetuò ſimilem ſibi generet, *non poteſt eſſe cauſa ſpeciei humanæ; eſſet enim cauſa hominis, & per conſequens ſui ipſius, quod eſt impoſſibile. Eſt autem cauſa hic homo hujus hominis per ſe loquendo*, & directè: *hic autem homo eſt per hoc quòd natura humana eſt in hac materia quæ eſt individuationis principium. Hic igitur homo non eſt cauſa hominis, niſi in quantùm eſt cauſa quòd forma humana fiat in hac materia: hoc autem eſt eſſe principium generationis* (ſive fieri tantùm) *hujus hominis. Patet ergo quòd nec hic homo, nec aliquod aliud agens univocum in natura eſt cauſa niſi generationis, vel hujus vel illius rei*: ſive eſt cauſa formæ ſolùm ut eſt in fieri, eâque ſolùm ratione dicitur producere ſimile. Unde negandum eſt quòd ad cauſam univocam pertineat, quòd producat formam ſub ratione formæ, ſive ſecundùm eam rationem communem quâ ſimilis eſt; ſed dumtaxàt eſt cauſa, quòd è materia educatur, ſeu cauſa eſt in fieri. Adde, quòd cauſa univoca producit effectum ſibi ſimilem, ſeu producit formam ejuſdem rationis, non per ſe, ſed per aliud. Cùm enim v.g. planta producit in ſuo effectu rationem corporis; eam producit, non ſuâ ipſâ virtute, ſed accepta virtute à corpore cæleſti, ut aliàs explicuimus. Indè enim oritur ea ſubordinatio, & dependentia cauſarum inferiorum, quæ agunt dumtaxàt acceptâ à cauſis ſuperioribus virtute, ut earum inſtrumenta. Sed

Tertiò objicies, nullam cauſam eſſe quæ effectui *eſſe* non tribuat, nullumque effectum fingi poſſe qui non à cauſa dependeat, nedùm ut fiat, ſed etiam ut ſit; cùm effectum fieri nihil aliud ſit quàm acquirere *eſſe*. Ergo ruit omninò ſuperioris demonſtrationis alterum fundamentum, nullumque eſt diſcrimen quod prætenditur inter diverſi generis cauſas. Verùm

Reſpondet Cajetanus, eam difficultatem non latuiſſe S. Thomam, ideòque totiès ab ipſo additum fuiſſe, *Cauſam effectûs quantùm ad ipſius fieri tantùm, non eſſe directe cauſam ipſius quantùm ad eſſe*: ut innueret, omnem equidem cauſam effectui *eſſe* quodam certo modo tribuere, non tamen *directè* ſemper. Quare cùm eodem modo cauſa *eſſe* tribuat, quo tribuit formam à qua *eſſe* oritur; cùm contingit cauſam aliquam, formam producere, non ſecundùm rationem communem formæ, ſed ſolùm ut eſt in materia his diſpoſitionibus ſubjecta, quam ideò etiam in particulari ſolùm producit: tunc etiam eodem modo tribuit *eſſe* non abſolutè, ſed in particulari, ut eſt in tali materia, aut ut eſt *eſſe* talis effectûs, quod eſt propriè effectum dumtaxàt producere quantùm ad fieri. Sed tamen cùm rationes communes etiam in ſingularibus reperiantur, & prius remaneat in poſteriori; ideò

causâ quidem tunc etiam tribuit *esse* quodcumque est in subjecto, indirectè tamen, & velutì materialiter; & consequenter efficit ipsam formam secundùm rationem communem, tanquàm superioris causæ instrumentum: quod expressè docet S.Thomas 3.cont.Gent.c.66. Idque confirmat sex rationibus, quarum secunda ita habet. *Quando aliqua agentia diversa sub uno agente ordinantur, necesse est quòd effectus qui ab eis communiter fit, sit eorum secundùm quòd uniuntur in participando motum, & virtutem illius agentis; non enim plura faciunt unum nisi in quantùm unum sunt. Sicut patet quòd omnes qui in exercitu sunt, operantur ad victoriam causandam, quam causant secundùm quòd sunt sub ordinatione Ducis, cujus proprius effectus victoria est. Ostensum est autē quòd primum agens est Deus. Ergo cùm esse sit communis effectus omnium agentium, nam omne agens facit esse actu; oportet quòd hunc effectum producāt, in quantùm ordinantur sub primo agente, & agunt in virtute ipsius.* Unde ut posteà addit in quinta ratione, cętera agentia sunt causę solùm quasi *particulantes*, & determinātes actionem primi agentis; producunt enim directè sicut proprios effectus, alias perfectiones quæ determinant *esse*. Sed

Objici demùm potest, nullam vim omninò videri habere eam rationem quam affert D. Thomas, cur aqua retineat calorem amoto igne, aër verò amittat lumen absente Sole. Etenim aqua etiam à Sole calefacta calorem retinet absente Sole, quamvìs aqua non sit susceptiva formæ Solis, & aër nè momento quidem retinet lumen emissum à face igne accensa, quamvìs sit capax formæ ignis illuminantis: ergo concidere videtur ratio superiùs posita. Sed rectè

Respondet Cajetanus, judicium de rebus ex propriis debere fieri; quod enim in causis communibus oritur, inquit, aut resecatur ab arte, aut proprium judicium non impedit. Igitur ideò calor remanet in aqua à Sole calefacta, non verò in aëre lumen absente Sole; quia calor est forma, quæ naturâ suâ esse postulat secundùm eam rationem quam habet à causa propria, scilicèt igne, & quæ participari potest secundùm eandem rationem quam habet ex sua propria causa. Caloris enim propria causa est forma ignis, cujus capax esse potest materia sublunaris sub quacumque forma posita: Sol verò non est nisi causa communis. Contra verò lumen non est participabile secundùm eam rationem quæ est in causa propria, scilicèt Sole; luminis enim unica causa, & propria est Sol; ignis verò non est luminis causa nisi participatione quadam à corpore cælesti, ut docet Philosophus 2. de Anima. Unde cùm lumen nunquàm naturâ suâ participari possit secundùm eam rationem quâ est in causa propria, scilicèt forma Solis, cujus non est capax materia sublunaris: nihil mirum si lumen etiam emissum à face accensa, nè momento quidem in aëre maneat; id enim habet naturâ suâ, & ut est à propria causa, scilicèt Sole, cujus solùm vices agit ignis tanquàm causa vicaria deferens, & velutì precario conducta. Hæc velut in transitu observasse satìs fuerit, quibus in physicis diutiùs immorari æquum esset, resectis tot inutilibus quæ Physicam in nudam, & sterilem Metaphysicam ferè commutarunt.

ARTICULUS IV.

Præter eum concursum simultaneũ, etiam prævium à S. Thoma admissum fuisse demonstratur. Utrùm, & qua ratione inter se distinguantur?

EX his igitùr quæ hactenùs retulimus satìs constat, concursum simultaneum, qualem cæteri Theologi admittunt, ac defendunt, à Divo Thoma quòd ad rem ipsam attinet, minimè prętermissum fuisse. Verùm, ut quod ex assidua Sancti Doctoris operum lectione deprehendisse mihi videor, fatear; admodùm dubito utrùm nomine concursûs vel cooperationis primæ causæ cum secunda, eam dumtaxàt dependentiam effectûs in esse & fieri, D. Thomas unquàm intellexerit, quâ scilicèt effectus quilibet causæ secundæ ab influxu causæ primæ dependeat, etsi nihil causa secunda recipiat quo moveatur, quo applicetur, quo juvetur ab ipsa causa prima, eique ut primæ causæ subjiciatur ut agat. Et sanè ut ita existimem moveor, quòd eum concursum, aut cooperationem simultaneam ex parte solius effectûs S.Thomas omninò negaverit, qualem videre est in duobus ferentibus idem pondus, vel simul trahentibus eandem navim aut eundem currum; quorum quilibet vim suam in effectum exerit, sed nullus alium ejusdem laboris consortem adjuvat, aut ipsi quidquam imprimit; hanc enim Dei cum creatura partialem, & divisam cooperationem expressè negat D. Thomas, ut infrà referemus; nimirùm, si negetur operatio prævia, quâ Deus causam secundam moveat, applicet, juvetque ad agendum, & quâ causam secundam agentem & adjutam velutì sua sub manu applicatam tenet, & simul cum ea agit, ipsique ut agenti cooperatur. Sed ut arbitror, & quantùm ex Sancti Thomæ principiis, assuetoque loquendi modo colligere, & assequi hactenùs licuit, eodem planè sensu in naturæ ordine, causisque omnibus concursum simultaneum admittit, ac in ordine supernaturali cooperantem gratiam. Et verò ut eam comparationem omninò germanam, & ad D. Thomæ mentem, ipsiusque principiis consentaneam esse existimem, efficit, quòd sicut in ordine supernaturali, & gratiæ, certa omnium sententia, aut veriùs fides est, egere humanam voluntatem Divino auxilio præveniente, & operante; ac præterea deindè auxilio subsequente,

&

& cooperante : ita planè in ordine naturæ , cauſa quælibet egeat concurſu prævio , & antecedente , ac deinde concurſu ſubſequente ac ſimultaneo . Etenim duplici potiſſimùm ratione , quantùm ad difficultatem de qua hìc agimus attinet , ordine ſupernaturali & gratiæ voluntas ex omnium Theologorum ſententia , quamvìs alii variè explicent , duplici auxilio indiget. Primoquidem , quo neceſſe eſt voluntatem à Deo præveniri , moveri , & applicari . *Facit* enim Deus *ut faciamus* , quod totiès & Scriptura Sacra, & Sancti Patres inclamant : quodque alia ratione fieri non poteſt , ut ſæpiùs ex S. Thoma ſuprà animadvertimus , niſi *quatenùs* voluntas à Deo motionem recipit, quæ *proprium principium actûs movet ad agendum* 1. 2. q. 80. art. 1.& quatenùs vis ipſa voluntatis virtute divinæ gratiæ priùs naturâ cum actu conjungitur : & hoc eſt munus gratiæ prævenientis, & operantis. Secundò autem auxiliò indiget voluntas , quia cùm nihil agere poſſit niſi mota, & applicata à Deo ; neceſſe eſt quòd quandiù voluntas agit , Deus eam applicatam ſemper , & conjunctam cum actu teneat ; & hoc eſt munus gratiæ cooperantis .

Atquì eâdem duplici ratione etiam in ordine naturæ D.Thomas operationem ac virtutem operatricem Dei in qualibet cauſa ſecunda , ejuſque cum ea concurſum exigit : primò , quia non minùs in ordine naturæ quàm in ordine gratiæ , neceſſe eſt Deum quamlibet cauſam ſecundam movere , & applicare ; facit enim ut faciat , & operetur : cùm , ut dictum eſt ſupra , Deus rebus omnibus intimè , & per illapſum preſens , eâque præſentiâ quæ nihil ſupponat , ſed omnia efficiat, cauſa ſit cujuſque perfectionis , vel minimæ quæ unquàm in rebus eſſe poſſit ; atque adeò prima cauſa ſit , cur quælibet cauſa ſecunda agat , quod alia ratione fieri non poteſt , niſi *quatenùs proprium principium actûs*, facultatem ſcil cèt cujuſque cauſæ ſecundæ *movet ad agendum* ; & quatenùs virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris . Secundò prætereà concurſus exigitur , quia neceſſe eſt , quòd quandiù cauſa ſecunda agit , Deus etiam perpetuò manuteneat , ut artifex inſtrumentum , donec opus abſolutum ſit .

Igitur ex S. Thomæ principiis idem munus eſt eademque conditio , & divinæ cooperationis in ordine gratiæ , & concurſûs cauſæ ſecundæ in ordine naturæ . Unde & utrumque ut explicet , iiſdem fermè terminis utitur D. Thomas , ut ſtatìm infrà referemus. Atquì certum eſt,nunquàm à S. Thoma in ordine gratiæ admiſſam fuiſſe cooperantem gratiam ſine prævia operante quæ voluntatem præveniret , & præventam adjuvaret . Igitur & illud aſſeverare me poſſe arbitror , neminem fore qui unquàm in D. Thoma repererit concurſum in ordine naturæ ſimultaneum , ſive cauſæ primæ cum cauſis ſecundis agentibus cooperationem , quæ ſejuncta ſit ab operatione prævia , quâ cauſa prima inferiorem cauſam movet , applicat , & juvat ad agendum .

Et ſanè iiſdem planè terminis reperio explicatam à S. Thoma cooperantem gratiam in ordine ſupernaturali , & concurſum ſimultaneum in naturæ ordine. Ita enim 1.2. qu.111. art.2.utramque eam gratiam , & operantem, & cooperantem ut explicet , inquit : *In illo effectu in quo mens noſtra eſt mota , & non movens , ſolus autem Deus movens , operatio Deo attribuitur ; & ſecundùm hoc dicitur gratia operans : in illo autem effectu in quo mens noſtra, & movet & movetur;operatio non ſolùm attribuitur Deo , ſed etiam animæ ; & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans* . Duo itaque diſtinguit S.Thomas. Primum eſt, Deum movere ſe ſolo voluntatem,& voluntatem ita moveri , ut in ea prima operatione, & impreſſione voluntas nullatenùs ſe ipſam moveat , ſed impreſſionem divinam ſolùm recipiat. Atque ea divina motio , ſeu operatio , ſeu impreſſio ipſa eſt gratia operans , ſeu ipſa prævia motio , quæ omnem operationem voluntatis antecedit . Sed deinde cùm ea prævia motio , & operans gratia Dei quę voluntatem humanam prævenit,efficit ipſius voluntatis actum , & ſimul ac indivisìm cum ipſa gratia voluntas coagit ; tunc gratia novum obtinet nomen , & cooperans appellatur , ſeu concurſus ſimultaneus in ordine ſuperiori gratiæ .

Atquì eundem duplicem concurrendi modum in ordine phyſico , & quoad naturæ effectus , ac iiſdem planè verbis eodemq; ſenſu explicat Sanctus Thomas. Etenim qu.3.de Potent.art.7.ſępiùs laudato , objicit ſibi tertio loco , Deum non poſſe operari in omni operatione naturæ ; *quia aut unâ* , inquit , *& eâdem operatione operantur Deus & natura , aut diverſis : ſed non unâ , & eâdem ; unitas enim operationis atteſtatur* (& correſpondet) *unitati naturæ. Unde quia in Chriſto ſunt duę naturæ, ſunt etiam duæ operationes. Creaturę autem & Dei conſtat non eſſe unam naturam . Similiter non eſt poſſibile, quòd ſint operationes diverſę : nam diverſæ operationes non videntur ad idem factum terminari , cùm motus , & operationes penès terminos diſtinguantur . Ergo* : Ubi manifeſtum eſt , agi de concurſu Dei cum natura , & cauſis ſecundis , & exigere argumentum quod ſibi objicit S. Thomas , ut quid ſentiat explicet de illo concurſu ſimultaneo , eaque cooperatione cauſę primæ cum ſecunda .

Reſpondet igitur D. Thomas : *Ad tertium dicendum,quòd in operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura ; ſed ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis divinæ , ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis ; nec impeditur quin natura , & Deus ad idem operentur , propter ordinem qui eſt inter Deum, & naturam.* Quis verò ille ordo ſit, explicat ſolutione ſequentis argumenti. *Tam Deus*, inquit, *quàm natura immediatè operātur, licèt ordinētur ſecūdùm prius & poſterius, ut ex dictis patet.*

Hæc S. Thomas , quibus planè difficultatem omnem exhaurit , & integram veri concurſus , & divinæ cooperationis rationem explicat . Duo enim diſtinguit , non ſecùs ac de operante , &

cooperante gratia dictum est. Primò enim, inquit, Deus in natura operatur, cùm eam ad agendum movet priùs causalitate quàm agat: *& in ea operatione quâ Deus in natura operatur movendo naturam, non operatur natura.* Quod sanè idem planè sonat quod suprà dictum est, quòd *cùm mens nostra est mota, & non movens; solus autem Deus est movens .... gratia dicitur operans*, seu prævia motio quæ voluntatis operationem antecedit. Quibus enim verbis apertiùs concursus prævius quo Deus causas omnes movet explicari potuisset, quàm cùm à S. Thoma dictum est, indè primam concursus cujuslibet originem esse repetendam, quòd Deus priùs movet naturam, non quidem tempore, sed ratione, & causalitate, ut alibi inquit, eamque movendo in ea operatur; cùm nimirùm ipsi eam motionem imprimit, & eam priùs naturâ applicat quàm agat? Atque in ea prima Dei operatione, seu activa applicatione, *non operatur natura*, inquit D. Thomas, sed eam dumtaxàt motionem sibi à Deo impressam recipit, eâque applicatur; quâ mota jam, & applicata natura deinde agat, & operetur. Quisquis sanè in his S. Thomæ verbis concursum prævium, seu motionem Dei prævìam, de qua lis omnis excitata est, non animadvertit, is certè nec in meridie clarissimam, & fulgentem lucem cerneret.

Pergit autem D. Thomas, & concursum Dei simultaneum, ac primæ causæ cooperationem cum causa secunda deinde explicat. At verò, inquit, *ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ*. Priùs enim Deus naturam movet, & in ea operatur prævìæ motionis impressione, & activa applicatione: *& in ea operatione quâ Deus in natura operatur movendo naturam, non operatur natura*. Sed cùm jam natura, seu causa secunda, ea priori motione applicata agit, & operatur, tunc *ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ*, seu divinæ cooperationis, & simultanei concursus; tunc enim indivisìm ac simul, & Deus & causa secunda operantur; & in eo posita est vera ratio concursus simultanei, & divinæ operationis: *sicut cùm mens nostra & movet*, agitque, *& movetur; operatio non solùm attribuitur Deo, sed etiam animæ; & secundùm hoc* (in ordine supernaturali) *gratia dicitur cooperans*. In eoque positus est supernaturalis ordinis simultaneus concursus.

Et sanè adeò res aperta est exemplo quod subjicit S. Thomas, ut de ea dubitari nulla ratione possit. *Sicut*, inquit, *operatio instrumenti est per virtutem principalis agentis*. Quis enim dubitet, cùm instrumentum movetur, & applicatur ad opus quod artifex molitur, duplicem motionem, duplicemque concursum distinguendum esse? Alterum prævium, cùm artifex *virtutem artis*, ut vocat D. Thomas, seu motionem prævìam imprimit; tunc enim in instrumento operatur artifex, & ut iisdem S. Thomæ verbis utar, *in ea operatione*, quâ artifex *operatur movendo*, & applicando instrumentum priùs naturâ quàm agat, *non operatur* instrumentum, sed dumtaxàt passivè se habet, dum eam motionem, & virtutem artis sibi ab artifice impressam recipit. Sed deindè cùm instrumentum eâ motione prævìâ motum & applicatum simul cum artifice agit; *operatio instrumenti est per virtutem principalis agentis*; tunc enim instrumentum & *movet*, agitque, *& movetur, & operatio non solùm attribuitur* artifici, *sed etiam* instrumento: *& secundùm hoc dicitur* motio *cooperans*, & concursus simultaneus artificis cum instrumento.

Neque enim duplicem concursum prævium, & simultaneum dumtaxàt videre est in eo artificis, & instrumenti exemplo. Nulla planè causa est quæ alteram inferiorem moveat, in qua duplex hic concursus prævius, & simultaneus clarissimè animadverti non possit. Cùm v. g. superiora, & cælestia corpora inferiora movent, veluti cùm Sol & planta florem fructumque generant; quis ibit inficias, Solem prævio influxu plantam movere, ac deinde continuato influxu ac simultaneo eandem plantam movere, & cum ea indivisìm, & mixta virtute, florem, & fructum producere? Idem videre est in instrumentis conjunctis animæ, oculo, manu, & aliis.

Plura ejusmodi referri possent, ex his potissimùm D. Thomæ locis, ubi eum nodum dissolvit, *quomodò idem effectus sit à Deo, & à naturali agente*, lib. 3. cont. Gent. cap. 70. quibus non potest non intelligi simultaneus ille concursus duplicis causæ Dei, & naturalis agentis ad quemlibet effectum producendum. Atquì certo certius est, eum concursum simultaneum à S. Thoma intelligi, quò Deus causam secundam prævìè moveat virtute impressa, & causæ superaddita. Etenim eo sensu explicat D. Thomas eo loco, quem infrà qu. sequenti integrum referemus, à Deo, & agente naturali eundem effectum indivisìm ac integrum produci: quia *Virtus inferioris agentis dependet à virtute superioris, in quantùm dat virtutem ipsam inferiori agenti per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat ad agendum; sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdùm formam non dat per quam agit instrumentum, nec conservat eam, sed dat ei motum. Oportet igitur quòd actio inferioris agentis non solùm sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium; agit enim in virtute omnium*; quatenùs scilicèt à causis superioribus movetur, novumque influxum recipit. V. g. planta ut florem emittat, nedùm succum ab humo calore Solis tepefacta recipit; sed prætereà moveatur, foveaturque necesse est à corpore cælesti incorruptibili, & ingenerabili, quodque integrum genus corruptibilium, & generabilium respicit; ac demùm etiam motionem à Deo recipiat, velutì prima, & universalissima causa, quâ motione, & virtute superaddita rationem entis efficiat: quia, ut inquit S. Thomas, *secundùm ordinem effectuum necesse est esse ordinem causarum*; & cùm ratio corporis corruptibilis, ac multò magìs ratio entis superet nativam cujuslibet

bet cauſę particularis virtutem, neceſſe eſt ut quælibet cauſa, v. g. planta ad emittendum florem vel fructum, virtutem recipiat omnium ſuperiorum agentium, corporis ſcilicèt cæleſtis, & Dei primi agentis; in quorum omnium virtute producit in effectu vel rationem entis, vel rationem corporis corruptibilis.

Igitur ex S. Thomæ germana,& ſincera mente, & ſenſu, ideò idem effectus, & à Deo, & à naturali agente prodire poteſt; ſivè quòd diverſis paululùm verbis idem planè ſignificat, ideò Deus cum agente naturali ſimultaneè concurrit; quia naturale agens non agit, niſi ipſius Dei virtute impreſſa, quâ movetur, & applicatur ad effectum naturalem producendum, ſicut inſtrumentum ad opus artis efficiendum applicatur, movetur, & impellitur ab artifice. Atquì, manifeſtiſſimum eſt eam virtutem quâ Deus naturale agens movet, & applicat, eum influxum quem Deus agenti naturali imprimit ad effectum producendum, eſſe concurſum nedùm ſimultaneum, ſed & maximè eſſe prævium, &c.

Et ſanè D. Thomam à Ferrarienſi, Banne longè antiquiori, ita eò loci intellectum, & explicatum fuiſſe, neque Suarez ipſe negare potuit. Cùm enim illud à S. Thoma aſſumptum Ferrarienſis explicaret, quòd *ſuperius agens dat inferiori agenti virtutem per quàm agit*, &c. refert ex eodem D. Thoma qu. 3. de potent. art. 7.ad ſeptimum *quòd duplex vis ad agendum rebus creatis ineſt dum agunt. Una eſt forma habens eſſe firmum, & ratum in natura, per quam agunt tanquàm propria, & naturali virtute: alia eſt vis quæ eſt intentio ſola virtutis Divinæ, habens eſſe completum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis: & iſta vis non convenit rebus niſi quando actualiter operantur, & agũt tanquàm Divinę virtutis inſtrumenta. Sicut & virtus artis non remanet in inſtrumento, niſi quãdò ipsò utitur ad operationem artis. Deus ergo dat rebus naturalibus utramque virtutem; ſed ſecundam tantùm illis communicat, dum eas ad operationem applicat: Ideò dixit S. Thomas, quòd ſuperius agens dat inferiori agenti virtutem per quam agit vel conſervat eam, quod pertinet ad primam virtutem, vel applicat ad agendum, quod per ſecundam virtutem efficitur.* Hęc ex Ferrarienſi Divum Thomam explanante referre placuit, quòd cùm Banne multò antiquior ſit, nemo inficiari meritò poſſit, in pravum ſenſum S. Thomam à Ferrarienſi fuiſſe detortum, ex præjudiciis ſcholę jam à Banne corruptæ.

Igitur certò mihi aſſeverare poſſe videor, nunquàm à S. Thoma nomine ſimultanei concurſus Dei, aut ejus cooperationis cum cauſis ſecundis, alium concurſum fuiſſe intellectum, præter illum qui ſimul prævius ſit, quo Deus cauſam ſecundam primò ac prævię applicat; ac deindè concurrit, quandiù effectus à cauſa efficitur. Et ſanè eo dumtaxàt animo concurſus ille ſimultaneus à prævio ſejunctus, adeò à recentioribus Theologis extra D. Thomæ ſcholam extollitur, & ad omnem uſum advocatur; ut prævium concurſum Dei aboleant; quamvis is præcipuus ſit, & dubio procul à veteribus Theologis ac potiſſimùm S. Thoma, concurſus vel cooperationis nomine intellectus.

Cæterùm, quamvìs ita ſe res habeat, ut mox à me dictum eſt; attamèn cùm eam omnem dependentiam effectûs à Deo in eſſe, & fieri S. Thomas agnoverit, quam concurſus ſimultanei nomine Recentiores intelligunt; non ægrè feram, nec quenquam ipſe gravabo, ſi plurimorum vocibus uſus, etiam concurſus ſimultanei nomine eam dependentiam effectûs intelligat; dummodò tamen alium concurſum non neget, quò etiam cauſa ſecunda à prima dependeat, & quam prævii nomine intelligimus, & intellexiſſe D. Thomam hactenùs demonſtravimus.

Sed ut in re gravi, & æquivocationibus obnoxia, erroris omnis occaſio amoveatur; exiſtimo duplicem diſtinguendùm eſſe ſimultaneum concurſum primæ cauſæ cum ſecundis: alium quidem ex parte effectûs, alium verò ex parte cauſæ: quorum primus quidem repoſitus ſit in ea dependentia effectûs in fieri, & in eſſe, ſeclusâ aut non intellecta motione prævia: alius verò ſit ipſa motio prævia, quæ cauſam ſecundam applicat, & applicatam tenet. Qui quidem duplex concurſus eam connexionem mutuam habeat, ut ſine altero alius eſſe non poſſit; ſed primus alteri viam paret, eumque advocet: quod utrumque ita paucis explico.

Primò itaque Deus cauſis omnibus intimè prę-ſens, in iiſque perpetuò operans, nedùm virtutem agendi in ipſa inſtitutione naturæ collatam continuato influxu conſervat; ſed prętereà (ut rem omnem ipſis S. Thomæ verbis explicem) cauſas ipſas movet ad agendum, *in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem* qu. 3. de potent. in corp. *& in ea operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur ipſa natura* ad 3. *Sed* tunc *id quod à Deo fit in re naturali quò actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens quoddam eſſe incompletum, per modum quo calores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Et ea eſt prævia motio in naturalibus, & neceſſariis cauſis. Cùm verò non minùs Deus cauſis liberis, ipſique voluntati præſens adſit, in iiſque operetur; *in illo effectu in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus autem Deus movens; operatio Deo attribuitur, & ſecundùm hoc dicitur gratia operans*, ſeu ipſa previa motio, quâ cauſę liberę à Deo moventur, & applicantur, facit enim Deus ut faciamus, ac in præceptis ejus ambulemus,

Sed deinde cùm Deus naturam aut voluntatem movens, manum ut ita dixerim ab incepto opere non retrahat, quoadùſque effectus omnis productus ſit, eôque dumtaxàt fine naturam moveat aut voluntatem, non ut nihil agant, ſed ut ipſi moventi coagant, & cooperentur; ipsâ eâdem motione, quâ jam naturam Deus movet, & quæ naturâ prævia eſt, eadem ut continua-

ta,

ta, cum ipsa natura concurrit, & indivisim eandem omninò actionem eundemque effectum producit; & tunc (ut ipsa etiam D. Thomæ verba advocem, & connectam, quæ ipse verbis jam ex ipso relatis subjunxit.) *ipsa operatio naturę est etiam operatio virtutis* & motionis *Divinæ. Sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis*. q. 3. de potent. art. 7. ad 3. atque is est concursus simultaneus in causis necessariis minimè à concursu prævio sejunctus; sed idem concursus, idemquè influxus, ut naturam movet, & applicat, eâque ratione naturæ operationem antecedit; deindè ut veluti extensus, & continuatus naturam applicatam tenet, & cum ea simul agit, & ad eundem effectum concurrit. Quod exemplo artificis instrumentum pręviè moventis, & cum eo simul concurrentis ad artefactum producendum S. Thomas ob oculos ponit. Atque idem omninò de causis liberis est sentiendum. *In illo* enim *effectu in quo mens nostra, & movet, & & movetur, operatio non solùm attribuitur Deo, sed etiam animæ; & secundùm hoc dicitur gratia cooperans* 1. 2. qu. 111. art. 2. Neque enim existimandum est, gratiam cooperantem ab operante sejunctam, aut reipsà distinctam esse; munera dumtaxàt distincta sunt; eadem enim ut antecedit, & sola voluntatem prævièmovet, ejusque operationem antecedit, operans nuncupatur; eadem deindè ut voluntatem adjuvat, & cum ea simul agit, cooperans est.

Hic itaquè est concursus simultaneus, quem ex parte causę, æquivocationis vitandę gratiâ, nuncupandum esse diximus, quique etiam prævius sit, & causę operationem antecedat, nec solùm in effectum influat, sed & maximè causam ipsam afficiat, ipsam immutet, ipsam compleat, & perficiat; tùm ut ad actum secundum ex primo transferat; tùm ob alias rationes quas supra explicuimus.

Sed præter hunc concursum, & prævium, & simultaneum in ipsa causa secunda receptum; non est negandum, quin alius admitti possit, aut debeat ex parte effectûs, qualem admittunt, & maximè celebrant qui prævиis motionibus adversantur, quem nos etiam ex solidioribus S. Thomæ principiis supra explicuimus creationis comparatione. Sicut enim creatio, si ex parte Dei spectetur, nihil aliud est quàm ipsa Dei actio æterna infinita, ipsaque substantia Divina proüt connotat rem ipsam extra productam, si autem ex parte effectûs spectetur, non aliud etiã est quàm ipsa res producta, addita relatione quâ ad Divinam actionem ut causam, & mensuram sui esse refertur: ita planè concursus Dei simultaneus, qualem hìc explicandum suscepimus, nihil aliud est ex una parte, quàm actio Divina ęterna & infinita, ut rem productam connotat; ex altera verò parte, nihil est aliud quàm ipsa res producta, ut esse incipit, seu ut loquitur D. Thomas, quæst. 3. de Potent. art. 3. *Cum novitate essendi*, & ut à Deo in fieri, & esse dependet.

Unde constat, effectum sub ea ratione spectatum, immediatiùs à Deo dependere; quàm dependeat, ut à concursu prævio, & simultaneo producitur, ut etiam supra qu. 3. art. 7. observatum est. Priori enim modo, seu ut producitur concursu simultaneo ex parte effectûs, nihil aliud supponit ut causam, præter actionem ęternam Dei, & infinitam, quæ & ipsa Dei substantia est: posteriori autem modo, seu ut producitur concursu prævio, & simultaneo ex parte causæ primę supponit ipsam motionem pręviam causę secundę impressam, quę & ipsa effectus quidam est extra productus: quamvis & hoc etiam posteriori modo effectus à Deo immediatè dependeat, ut aliàs explicuimus. Sed tamen negandum non est, quin potiori titulo, & immediatiùs effectus à Deo dependeat per concursum purè simultaneum, & ex parte effectûs, quàm per concursum prævium, & simultaneum ex parte causæ.

Atque id facilè hac comparatione obvia explicari potest. Cùm enim v. g. sol, & planta florem producunt, primò equidem sol suo calore virtutem plantæ excitat, fovetque influxu plantæ impressò; quô influxu, & impressione virtutis cælestis, planta paulatim disponitur, tenuem succum ex humo exsugit, ipsumque veluti concoquit, ac deindè in se se floris caliculum protrudere incipit, quem deinde paulatìm educit, & in lucem emittit, donec tandem flos omninò eductus sit. Et licèt quamdiù flos in ipsa planta formatur, & gignitur, etiam immediatè à sole dependeat, immediatione virtutis; eo quòd vis ipsa generans plantę habeat à virtute superiori solis, ut ex se se florem emittat: attamen cùm ipse flos omninò ex ipsa planta prodiit, immediatiùs à sole dependet, cùm hujus influxum in se se immediatè, & non solùm in causa recipiat.

Atque idem de duplici concursu sentiendum est, altero quem ex parte causæ, altero quem ex parte effectûs esse diximus. Primò enim effectus causę secundæ, influxu causæ primæ, & primi agentis, Dei scilicèt, causæ secundæ impresso, producitur; Et tunc etiam effectus immediatè dependet à Deo, eò quòd influxus aut motio primi agentis sit *ut intentio sola* virtusque agendi Dei extra agentis: quæ virtus immediationem non impedit: Sed demùm cùm effectus in sese esse incipit extra causas positus; tunc immediatiùs altero concursu simultaneo à Deo dependet, eâquè proportione magis ac magis, quò ab ipsa causa longiùs recedit, sicut deinde ab ea sejunctus sine ipsius influxu conservatur.

ARTICULUS V.

A S. Thoma admiſſam Prævian Motionem 1.p.qu. 105. art. 5. demonſtratur.

EXplicata jam concurſus ſimultanei vera notione,nè prętermiſſam à S.Thoma eam quęſtionem quiſquam arbitretur, aut ultrà objiciat; ſupereſt ut admiſſam fuiſſe à S. Doctore pręviam motionem demonſtremus, eâdem 1. p. ipſius Summæ Theologicæ, ubi erat opportunus locus hanc quæſtionem pertractandi, ſcilicèt qu. 105. quâ alterum Divinæ gubernationis effectum Sanctus Thomas explicat; nimirùm qua ratione Deus creaturas moveat; ubi Suarez quem ſuprà citavimus art. 1. *in lib.* 1. *de Concurſu Dei* cap. 11. putat D. Thomam retractaſſe ſententiam, quam citata quæſtione de Potent. docuiſſe inficiari non potuerat. Conimbricenſes verò quos etiam ibidem retulimus, verius mentem S. Doctoris aſſecuti eandem omninò ſententiam quam citata quæſtione docuerat, confirmaſſe ultrò fatentur. Et verò tanta eſt utrobiquè Doctrinæ conſenſio, eadem ubiquè principia, eadem argumenta, eadem exempla ita perpetuò uſurpantur, ut nec minima hujus retractationis ſuſpicio eſſe poſſit. Sed inprimis integer D. Thomę Articulus exſcribendus eſt, ut ab erudito lectore faciliùs expendi poſſit. Ita igitur habet.

ARTICULUS QUINTUS

PRIMÆ PARTIS QUÆSTION. CV. D. THOMÆ

Utrùm Deus operetur in omni operante.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non operetur in omni operante. Nulla enim inſufficientia eſt Deo attribuenda: ſi igitur Deus operatur in omni operante, ſufficienter in quolibet operatur: ſuperfluum igitur eſſet, quòd agens creatum aliquid operaretur.

2. Prætereà: Una operatio non eſt ſimul à duobus operantibus;ſicut nec unus numero motus poteſt eſſe duorum mobilium: ſi igitur operatio creaturæ eſt à Deo in creatura operante, non poteſt eſſe ſimul à creatura; & ita nulla creatura aliquid operatur.

3. Prætereà: Faciens dicitur eſſe cauſa operationis facti, in quantùm dat ei formam quæ operatur. Si igitur Deus eſt cauſa operationis rerum factarum ab ipſo, hoc erit in quantùm dat eis virtutem operandi: ſed hoc eſt à principio quando rem facit. Ergo videtur quòd ulteriùs non operetur in creatura operante.

Sed contra eſt quod dicitur Iſaï. 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.*

Reſpondeo, dicendum, quòd Deum operari in quolibet operante,aliqui ſic intellexerunt, quòd nulla virtus creata aliquid operaretur: putà quòd ignis non calefaceret, ſed Deus in igne: & ſimiliter de omnibus aliis. Hoc autem eſt impoſſibile. Primò quidem,quia ſic ſubtraheretur ordo cauſę, & cauſati à rebus creatis, quod pertinet ad impotentiam creantis: ex virtute enim agentis eſt quòd ſuo effectui det virtutem agendi. Secundò quia virtutes operativę, quę in rebus inveniuntur, fruſtrà eſſent rebus attributæ, ſi per eas nihil operarentur: quinimò omnes res creatæ viderentur quodammodò eſſe fruſtrà, ſi propria operatione deſtituerentur, cùm omnes res ſint propter ſuã operationem; ſemper enim imperfectum eſt propter perfectius:ſicut igitur materia eſt propter formam; ita forma quæ eſt actus primus eſt propter ſuam operationem quæ eſt actus ſecundus: & ſic operatio eſt finis rei creatę.Sic igitur intelligendum eſt,Deum operari in rebus,quòd tamen ipſę res propriam habeant operationem.

Ad cujus evidentiam, conſiderandum eſt, quòd cùm ſint cauſarum quatuor genera; materia non eſt principiũ actionis, ſed ſe habet ut ſubjectũ recipiens actionis effectum. Finis verò, & agens, & forma ſe habent ut actionis principium,ſed ordine quodam: nam primum quidem principiũ actionis eſt finis, qui movet agentem;

ſecun-

ſecundò verò agens, tertiò autem forma ejus quod ab agente applicatur ad agendum; quamvis & ipſum agens per formã ſuam agat, ut patet in artificialibus: artifex enim movetur ad agendum à fine qui eſt ipſum operatum, putà arca, vel lectus, & applicat ad actionem ſecurim, quæ incîdit per ſuum acumen. Sic igitur ſecundùm hæc tria Deus in quolibet operante operatur; primò quidem ſecundùm rationem finis: cùm enim omnis operatio ſit propter aliquod bonum verum vel apparens, nihil autem eſt vel apparet bonum, niſi ſecundùm quòd participat aliquam ſimilitudinẽ ſummi boni quod eſt Deus; ſequitur quòd ipſe Deus ſit cujuslibet operationis cauſa, ut finis.

Similiter conſiderandum eſt; quòd ſi ſint multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agens agit in virtute primi; nam primum agens movet ſecundum ad agendum: & ſecundùm hoc omnia agunt in virtute ipſius Dei. Et ita ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium.

Tertiò conſiderandum eſt, quòd Deus movet non ſolùm res ad operandũ, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem (ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdùm formam ſecuri non tribuit,) ſed etiã dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe. Unde non ſolùm eſt cauſa actionum, in quantùm dat formam quę eſt principium actionis: ſicut generans dicitur eſſe cauſa motûs gravium, & levium; ſed etiam ſicut conſervans, & formas, & virtutes rerum: proüt Sol dicitur cauſa manifeſtationis colorum, in quãtùm dat, & conſervat lumen, quo manifeſtantur colores. Et quia forma rei eſt intrà rem, & tantò magis quantò cõſideratur ut prior, & univerſalior, & ipſe Deus eſt propriè cauſa ipſius eſſe univerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus: ſequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur, & propter hoc in Sacra Scriptura operationes naturæ Deo attribuuntur quaſi operanti in natura, ſecundùm illud Job. 10. *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me.*

Ad primum ergo dicendum: quòd Deus ſufficienter operatur in nobis ad modum primi agentis; nec propter hoc ſuperfluit operatio ſecundorum agentium.

Ad ſecundum dicendum: quòd una actio non procedit à duobus agentibus unius ordinis. Sed nihil prohibet, quin una, & eadem actio procedat à primo, & ſecundo agente.

Ad tertium dicendum: quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum, & eſt finis omnium actionum, ut dictum eſt.

Hactenùs S. Thomas, quibus paucioribus, ut ſolet in Summa, quàm in quęſtionibus diſputatis, difficultatem reſolvit. Sed adeò omnia ſimilia ſunt, adeòque conſentanea, ut nullo planè modo intelligi poſſit, non eſſe utrobiquè eundem omninò ſenſum. Quî enim fieri poſſet, diverſa Divum Thomam ſenſiſſe, & tamen eundem loquendi modum, eadem principia, eademq; exẽpla uſurpaſſe.

Explicatio Articuli D. Thomæ.

Ac inprimìs apertior eſt titulus quem huic Articulo affigit S. Thomas, quàm alius ſit, quem inſcripſerat articulo 7. q. 3. de Potent. In eo enim articulo quærebat S. Doctor, *utrùm Deus operetur in operatione naturæ?* At verò hìc expreſſiùs quærit, *utrùm Deus operetur in omni operante?* Quamvìs, & eadem fermè verba eodem articulo q. 3. de Potent. dixiſſet: cùm in corpore articuli rejecto eorum errore, qui Deum in rebus ſolùm operari ad cauſarum præſentiam arbitrabantur, ſic expreſsè inquit: *Non ergo ſic eſt intelligendum, quòd Deus in omni re naturali operetur, quaſi res naturalis nihil operetur; ſed quia in ipſa natura vel voluntate operante Deus operatur.*

Et verò, ut aliàs advertimus, ipſo Titulo ſatìs convincitur, non de concurſu, vel operatione ſimultanea hìc quęſtionem inſtitui; cùm ſimultaneus concurſus qualem Recentiores intelligunt, non in cauſa operante, ſed in ipſo effectu recipiatur, aut verius ipſe ſit effectus, ut à Deo immediatè dependet: ergo cùm à S. Thoma expreſsè dictum ſit, Deum in ipſa natura aut voluntate operante operari; non potuit hæc non intelligere D. Thomas de ipſa prævia motione Divina, cùm ea ſolùm in cauſa, non in effectu recipi poſſit. Ac prætereà, cùm jam egiſſet S. Doctor de ſimultaneo concurſu in quæſtione ſuperiori 104. ut jam explicuimus, non poterat non intelligere quęſtione 105. de alio concurſu, qui alius eſſe non poteſt niſi prævius.

Atquè eo vel ſolo Titulo omninò confici res iſta poſſet, ubi de ſententia D. Thomæ agitur. Conſtat enim, in eo poſitam eſſe difficultatem omnem, utrùm ſcilicèt cauſa ſecunda priùs quàm agat, aliquid recipere debeat; ſeu utrùm debeat cauſa prima in cauſa ſecunda priùs operari, quàm ipſa cauſa ſecunda effectum ipſum producat: priùs dico naturâ, & cauſalitate; negant enim

extra-

extranei, & in eo totius difficultatis cardinem verſari non diffitetur ipſe Suarez lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate cap.4.num.6. quem aliàs retulimus: Atqui ex ipſo Titulo, quem S. Thomas his articulis præfigit, manifeſtum eſt, ipſam Divinam operationem, & influxum, circa ipſam cauſam ſecundam verſari, ipſi motum ac virtutem imprimere: ut ſatis expendimus ſuprà quæſtione ſuperiori.

Ut verò articulo 7. qu.3. de potent.errorem eorum rejecit, qui virtutem agendi cauſis corporeis denegabant; ita hoc eodem articulo eundem errorem rejicit, ut utriuſque loci ſumma conſenſio videatur. Rationes verò, quibus hic error profligatur, faciles ſunt,neque in his explicandis eſt immorandum. Hoc unum dumtaxat eſt animadvertendum: non eſſe exiſtimandum, denegatas fuiſſe à D. Auguſtino cauſis ſecundis virtutes activas quibus agant. Etſi enim dixerit lib.5.de Civit.cap.9. quòd *corporales cauſæ, quæ magis fiunt quàm faciunt, non ſunt inter cauſas efficientes annumerandæ, quoniam hoc poſſunt quod ex ipſis faciunt ſpiritum voluntates*: rectè explicat D. Thomas 1.p. q. 105.art.1.hæc D. Auguſtinum dixiſſe *de tota natura corporali ſimul accepta: quæ non habet aliquam inferiorem naturam infra ſe in quam agat, ſicut natura ſpiritualis in corporalem,& natura increata in creatam*. Et veriſſimam dubio procul D. Auguſtini mentem aſſecutus eſt S. Thomas. Explicat enim clariſſimè S. Auguſtinus eam connexionem, & ſubordinationem omnium cauſarum, quâ inferiores cauſæ ſuperioribus ſubjiciuntur, ab iiſque moventur, ut ſtatim infra dicemus. Atque eo ſenſu inquit, quòd cauſæ corporales, ſeu tota natura corporea agitur, non agit, cùm non habeat inferiorem naturam in quam agat. Alioquin enim admiſſam fuiſſe à S.Auguſtino veram efficientiam in cauſis corporeis liquet ex his quæ habet lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. ultimo:ubi arboris pulchritudinem demiratur in robore, ramis, frondibus, pomis. *At verò hæc* ſpecies inquit,*non utique repentè tanta, & talis exorta eſt; ſed quo etiam ordine novimus: ſurrexit enim à radice quam terræ primum germen infixit; atque inde illa omnia formata, & diſtincta creverunt: Porrò illud germen ex ſemine; in ſemine ergo illa omnia fuerunt primitùs, non mole corporeæ magnitudinis, ſed vi potentiaque cauſalitatis*.

Poſtquàm verò S. Thomas eorum errorem confutavit; explicare aggreditur, quo pacto in rebus operantibus Deus ipſe operetur. Diſtinguit autem in primis quatuor cauſarum vulgata genera, quæ etiam à SS. Patribus recenſita ſunt, & quæ exemplo explicat Clemens Alexandr.ſtromat.cap. ult.in fine. *Quatuor modis* inquit, dicitur *cauſa; efficiens, ut ſtatuarius; & materia, ut æs; & forma, ut character, & finis, ut honor gymnaſiarchi*.

Cùm verò materia nullius actionis principium ſit, ſed dumtaxàt ſubjectum actionis, eâ prætermiſſâ triplicem alterum cauſandi modum explicat D. Thomas: Finis enim, & agens, & forma ſe habent ut actionis principia, ſed ordine quodam. Primum eſt finis quo agens movetur, ſecundum eſt ipſum agens, quod effectum ex præconcepto fine producit; ac tertium eſt ipſa forma quâ agit, & quam ad agendum applicat; ut eſt in artefactis apertius:artifex enim ut conficiat v. g. ſcamnum, applicat ſecurim, quæ per ſuum acumen veluti per ſuam formam agit. Verùm inter quemcumque artificem ac Deum; latiſſimum eſt diſcrimen, inquit D.Thomas: applicat equidem formam ſecuris artifex,ſed tamen interdùm formam ſecuri non tribuit. At verò nedum Deus cauſas aut cauſarum formas applicat, ſed etiam formas ipſas, & tribuit, & conſervat. Et quidem cùm forma rei ſit intra rem, & ipſa ratio entis veluti forma rei exiſtimanda ſit omnium maximè intima; inde ſit quòd eam maximè Deus efficiat entis rationem, cùm ratio entis communis ad cauſam univerſalem referenda ſit. Hæc nuda, & ſimplex articuli D. Thomæ explicatio.

Ex qua manifeſtum eſt, eandem omninò doctrinam hoc articulo à D. Thoma traditam fuiſſe, quæ altero articulo 7.q.3.de potent. ab ipſo tradita fuerat: ſed tamen alio ordine, & veluti compendio contraxiſſe quæ fuſiùs in eo loco explicuerat:atque alterum prætereà Divinæ operationis modum addidiſſe,quem in eo articulo prætermiſerat,per modum ſcilicet cauſæ finalis: quem tamen modum etiam 3.cont.gent. iterum retulit, ut infra explicabimus. Sed ut apertior ſit utriuſque articuli comparatio.

Animadvertendum eſt, prælaudato toties articulo 7. quæſt.3.de potent.hæc à D. Thoma, atque hoc ordine explicari, Deum operari in natura ſeu cauſis ſecundis, Primò quatenùs *tribuit virtutem operandi, ſicut dicitur in 8.phyſicor.quòd generans movet leve, & grave &c.* Secundò quatenus *eam conſervat; ſicut dicitur quòd medicinæ conſervantes viſum, faciunt videre*. Tertiò *in quantùm movet, & applicat ad agendum: ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo quòd applicat acumen cultelli ad incidendum*. Quartò *quia virtutem confert*: hoc vero plura continet, ut advertimus ſupra. Ex triplici enim capite, & triplici ratione neceſſe eſt cauſam ſecundam à prima virtutem recipere, quæ triplex ratio omninò connexa eſt. Primo ratione ſubordinationis, & dependentiæ, quia cauſa ſecunda, ut ſecunda, debet dependere à prima, & quidem in ratione cauſæ. Oportet igitur quòd cauſa prima erga ſecundam cauſam rationem cauſæ exerceat, atque adeò aliquid in ea efficiat, ipſique vim aliquam agendi conferat ſeu ipſam moveat; quæ virtus impreſſa non alia eſt præter ipſum motum quem cauſæ ſecundæ imprimit, dum eam movet. Sed prætereà ex alio capite requiritur virtus impreſſa cauſæ ſecundæ a prima: quia ſcilicet cauſa ſecunda attingit effectum cauſę primę nimirùm rationem entis, quàm tamen naturali ſua virtute non poſſet efficere. Ac demùm altera ratione quę ex ſuperioribus conſequitur, debet cauſa ſecunda moveri à prima; ſcilicet quia omnis cauſa ſecunda ſi cum prima conferatur,

habet rationem instrumenti. Unde cum ipsa conditio instrumenti exigat ut à causa principali moveatur, inde fit quòd causa omnis secunda moveri à prima debeat. Hæc omnia supra satìs explicata sunt.

Atqui hæc eadem omnia explicat S. Thomas hoc articulo 4. q. 105. quamvìs alio ordine: Primum his verbis: *Deus est causa actionum in quantùm dat formam, quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motûs gravium, & levium.* Secundum, cùm dicit, quòd Deus *est causa sicut conservans formas, & virtutes rerum, proùt sol dicitur causa manifestationis colorum, &c.* Tertium, cùm dicit, *quòd Deus movet res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem: sicut artifex applicat securim ad scindendum.* Et ad 3. argumentum nulla addita diminuente particula, *quòd Deus res applicat ad agendum.* Quartum demùm, quod plura continet, explicat tum in principio, tum in fine articuli. In primis causam secundam debere moveri à prima, ratione dependentiæ, & subordinationis, asserit initio articuli: *Si* enim inquit, *sunt multa agentia ordinata, semper secundum agit in virtute primi. Nam primum agens movet secundum ad agendum, & secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei.* Prætereà debere moveri causam secundam à prima, ex eo quòd attingat effectum causæ primæ, scilicèt rationem entis seu ipsum esse, explicat idem S. Thomas in fine articuli his verbis; *& quia forma rei est intra rem, & tantò magis quantò consideratur ut prior, & universalior, & ipse Deus est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magìs intimum rebus*; ideò necesse est ejusmodi rationem entis fieri à causa secunda, virtute accepta à causa prima. Tandem debere causam secundam moveri à prima, quia habet rationem instrumenti, explicat S. Doctor ipsa comparatione artificis, *sicut* inquit, *artifex applicat securim ad scindendum.*

Ex quibus manifestissimum est, non esse ovum, ut dicunt, ovo similius, quàm ea omnia in utroque loco à D. Thoma scripta, consentanea sint, ut cum Zenone Veronensi dici possit, *Scribentis charta divisa erat, sed unus erat calamus.* Nec verò ulla hìc retractatio fingi potest, quantumvìs *Syllabarum, & verborum captator* quis esse velit, ut D. Gregorius Nazianzenus loquitur Oratione in laudem S. Cypriani in fine: cùm magis principiorum ratio habenda sit. At verò quis dubitet eadem hìc omnia principia advocari à S. Thoma, quæ in eo articulo 7. q. de potent. usurpaverat. Sed cùm plurima ex D. Thoma jam collecta sint, operam dabimus, quantùm quidem fieri poterit ne eadem repetantur, quamvìs interdùm ipsa rerum connexio aliqua jam superiùs dicta immiscere vel etiam invitos cogat.

Quòd verò attinet ad primam rationem quâ probat S. Thomas Deum in quolibet operante operari per modum finis, *ex eo quòd omnis operatio fit propter aliquod bonum verum vel apparens; nihil autem est, vel apparet bonum, nisi secundùm quòd participat aliquam similitudinem summi boni quod est Deus: Unde sequitur, quòd ipse Deus sit cujuslibet operationis causa, ut finis:* Eam, inquam, rationem hìc prætermittimus, quòd de ea nulla controversia sit, & plurima opportuniùs dissertatione secunda de libertatis vera notione dicenda sint: ubi ex S. Thoma explicabimus libertatis creatæ fundamentum esse adhæsionem ad summum bonum, & libertatem esse vim electivam mediorum, non prætermisso sed servato ordine finis. Plura etiam dicenda occurrent quæstione sequenti, cùm ea explicabimus, quæ habet D. Thomas 3. cont. gent. cap. 67. *quòd Deus est causa operandi omnibus operantibus*: ubi inter plurima hac ratione num. 6. utitur, scilicèt: *Omne operans per suam operationem ordinatur ad finem ultimum; ordinare autem res in finem est ipsius Dei, oportet igitur dicere, quòd omne agens in virtute Divina agat, &c.* Hac igitur ratione aliisque prætermissis quas supra prosecuti sumus: hìc solùm immorandum est aliis rationibus quas nondum satìs explicuimus.

ARTICULUS VI.

Causam secundam moveri à causa prima ratione dependentiæ, & subordinationis, probat S. Thomas.

HAnc rationem ita proponit D. Thomas. *Considerandum est, quòd si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi; nam primum agens movet secundum ad agendum: & secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei. Et ita ipse est causa omnium actionum agentium.* Hęc verò ratio ad communem formam ita reduci potest. Quoties causę sunt inter se subordinatę, exigit ipsa subordinationis lex, & conditio, quòd causa secunda non moveat, nisi priùs moveatur à prima: *si sint enim multa agentia ordinata, semper secundum agit in virtute primi agentis*: Atqui negari non potest eam esse subordinationem & quidem omnino essentialem inter causam secundam, & primam: Ergo nunquàm secunda agit, nisi à prima moveatur. Majorem tanquàm certissimum principium milliès repetit S. Thomas, eoque exemplo probat, inferiora corpora à superioribus moveri: ex quo veluti per gradus assurgit, ut probet etiam, & ipsum cęleste corpus, cùm non sit primum movens, ab alio principio omninò immobili dependere. Unde inquit 1. 2. q. 109. art. 1. *Videmus autem in corporalibus, quod ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quæ est principium motûs vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis: primum autem movens in ordine corporalium est corpus cæleste. Unde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret nisi per motionem corporis cęlestis.* Manifes-

nifeſtum eſt autèm, quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale; ita omnes motus tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus: & ideò quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo.

Obſerva hæc ultima verba, & vide utrùm ea rectè conſentiant cum eorum principio, qui exiſtimant, cauſam ſecundam ſeu neceſſariam, ſeu liberam, ſua facultate agendi inſtructam, & præditam, nihil aliud ex parte cauſæ ad agendum exigere. Contra enim inquit S. Thomas, *quantumcumque cauſa perfecta ſit, non poteſt tamen exire in actum, niſi moveatur à Deo*: ſicut *quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret niſi per motionem corporis cæleſtis*. Atque hujus ratio eſt ipſa dependentia cauſæ inferioris à ſuperiori. Neque enim ſolùm in ratione entis, ſive ut cauſæ ſint, ea dependentia intelligenda eſt, ſed etiam in ratione cauſandi, & ut actu agant; quia ut actu agant non minùs dependent quàm, ut actu ſint, cùm nulla ratione intelligi poſſit cauſam ſecundam eſſe primum ſuæ actionis principium: imò eâ ipsâ ratione quòd res dependeant ut ſint, neceſſe eſt dependeant ut agant, ut probat S. Thomas in 2. diſt. 37. art. 2. quia *omnis virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute. Unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus, & operatio ab alio ſit*. Alioquin enim, ut poſteà ſubjicit D. Thomas, *non poſſet vitari quin eſſet primum agens*, non quidem abſolutè, & in omni genere entis, ſed primum agens ſuæ operationis, *ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam*. Quod quamvis quidam de creata voluntate fateri non dubitent, aſſerantque voluntatem eſſe primum, aut ut explicatio mitior ſit, eſſe unicum liberum; vix tamen credi poſſe videtur, creaturam ſub quacumque ratione, quæ ad perfectionem pertineat, primum principium eſſe, neque à cauſa prima ſub omni ratione dependere, de quo aliàs fusè agendum eſt. Hanc eandem rationem habent plurimi ex Patribus, qui neceſſitatem gratiæ Divinæ inde probant, quòd cùm homo à ſe eſſe non poſſit, nec poſſit etiam ſine Divina ope, & à ſe ipſo agere: de quo etiam infra Diſſertatione tertia dicendum eſt.

Hanc iterùm rationem habet S. Thomas ubicumque unius primi principii exiſtentiam probat. Neque enim aliunde validiùs aut apertiùs, quàm ex ea dependentia, & ſubordinatione cauſarum, quâ à prima moveri neceſſe eſt, exiſtentia primi principii demonſtratur. Unde & S. Doctor primo loco eam demonſtrationem uſurpat 1. par. quæſt. 2. art. 3. ubi inquit, quod prima, *& manifeſtior via eſt, quæ ſumitur ex parte motûs. Certum eſt enim, & ſenſu conſtat, aliqua moveri in hoc mundo; omne autem quòd movetur, ab alio movetur &c. Hìc autem non eſt procedere in infinitum, quia ſic non eſſet aliquod primum movens, & per conſequens nec aliquod aliud movens; quia moventia ſecunda non movent, niſi per hoc quòd ſunt mota à primo movente; ſicut baculus non movet, niſi per hoc quòd eſt motus à manu. Ergo neceſſe eſt devenire ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur: & hoc omnes intelligunt eſſe Deum.* Atque ad eam demonſtrationem accedit altera ex parte cauſæ efficientis deſumpta; *Invenimus enim in iſtis ſenſibilibus eſſe ordinem cauſarum efficientium, nec tamen invenitur, nec eſt poſſibile, quòd aliquid ſit cauſa ſui ipſius, quia eſſet prius ſeipſo.* Quæ ſanè rationes fundamento innituntur ab ipſo Ariſtotele olim præjacto, lib. 7. & 8. phyſic. ac 12. Metaphyſ. ad exiſtentiam unius primi, & immobilis principii demonſtrandam. Unde ſupra obſervatum eſt, neceſſariam connexionem intercedere inter principia quibus prævia motio Dei ſtabilitur, & principia quibus Numinis exiſtentia demonſtratur.

Et verò non immeritò animadverti poteſt, certiſsimum habendum eſſe ejuſmodi principium, nec minùs certam demonſtrationem ipſi innixam; quia ex D. Paulo conſtat, *inviſibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt* à Philoſophis *intellecta* fuiſſe, *ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas*: ad Rom. 1. Atquì certum eſt, non alia efficaciori ratione à Philoſophis exiſtentiam unius Dei probatam fuiſſe, quàm ea ſubordinatione, & dependentiâ cauſarum, quas neceſse eſt ab uno primo immobilique principio moveri, ut ex Ariſtotele conſtat 8. Phyſic. lect. 9. apud S. Thomam, ubi ita concludit: *Si igitur omne quod movetur, ab aliquo moveri neceſſe eſt; & movens aliquod eſſe primum, quod non ab alio moveatur neceſſe eſt.* Atque eandem demonſtrationem proſequitur 12. Metaphyſ. lect. 5. apud S. Thomam.

Confirmatur prætereà, atque illa cauſarum omnium connexio probatur inter inferiora, & ſuperiora corpora, de qua inter quoſdam recentiores Philoſophos plurimi dubitant duce Carteſio, aut quam omnino negant; quibus conſtitutum eſt Philoſophiam veterem ſi poſſent evertere, novumque ſyſthema, ac novum ordinem quo mundus regatur inducere: Ita verò D. Thomas hanc ſubordinationem probat q. 5. de potent. ar. 8. ubi quærit, utrùm ceſſante motu Cœli, remaneat actio, & paſsio in elementis? & ita quæſtionem reſolvit. *Reſpondeo, dicendum, quòd ſicut habetur in lib. de cauſis; quando cauſa prima retrahit actionem ſuam à cauſato, oportet etiam quòd cauſa ſecunda retrahat actionem ſuam ab eodem; eo quòd cauſa ſecunda habet hoc ipſum quòd agit, per actionem cauſæ primæ, in cujus virtute agit. Cùm autem omne agens agat ſecundùm quòd eſt in actu: oportet ſecundùm hoc accipere ordinem cauſarum agentium, ſecundùm quòd eſt ordo eorum in actualitate. Corpora autem inferiora minùs habent de actualitate quàm corpora cæleſtia. Nam in corporibus inferioribus non eſt tota poſſibilitas completa per actum, eò quòd materia ſubſtans uni formæ remanet in potentia ad formam aliam, quod non eſt in corporibus cæleſtibus: nam materia corporis cæleſtis non eſt in potentia ad aliam formam. Unde ſua poſſibilitas tota eſt terminata per formam quam habet:*

Subſtantiæ verò ſeparatæ ſunt perfectiores in actualitate, quàm etiam corpora cæleſtia; quia non ſunt compoſitæ ex materia, & forma, ſed ſunt quædam formæ ſubſiſtentes; quæ tamen deficiunt ab actualitate Dei qui eſt ſuum eſſe, quod de aliis ſubſtantiis ſeparatis non contingit. Sic etiam videmus quod elementa etiam ſe ſuperant invicem ſecundùm gradum actualitatis; eò quòd aqua habet plus de ſpecie quàm terra, aër quàm aqua, & ignis quam aër. Ita etiam eſt in corporibus cæleſtibus, & in ſubſtantiis ſeparatis. Elementa igitur agunt in virtute corporum cæleſtium, & corpora cæleſtia agunt in virtute ſubſtantiarum ſeparatarum; undè, ceſſante actione ſubſtantiæ ſeparatæ, oportet quòd ceſſet actio corporis cæleſtis, & eâ ceſſante, oportet quòd ceſſet actio corporis elementaris.

Hactenùs S. Thomas, quibus clariſſimè hanc dependentiam, & ſubordinationem probat. Atque hæc ratio ita proponi poteſt. Exigit ipſa rerum natura, ut quæ imperfectiora ſunt, & minùs activitate, & vi agendi valent, ab his dependeant quæ perfectiora, & vi agendi potentiora ſunt: Atquì inferiora corpora minùs activa ſunt quàm corpora cæleſtia: corpora verò cæleſtia minùs poteſtate, & vi agendi valent quàm intelligentiæ ſeparatæ, quas etiam cauſa prima in culmine rerum poſita, infinita agendi vi ſuperat. Ergo corpora inferiora à cæleſtibus, cæleſtia ab intelligentiis, intelligentiæ ſeparatæ à cauſa prima in agendo dependent. Ita ut in ea rerum connexione, & veluti catena à vertice cæli ad omnia inferiora producta, ſi quis annulus deficiat, & influxus vel primæ, vel intermediæ cauſæ intercipiatur; neceſſe eſt ab inferioribus motum omnem, & cauſalitatem ſubtrahi. *Quia ſi cauſa prima retrahit actionem ſuam à cauſato, etiam & cauſa ſecunda retrahit actionem ab eodem: eò quòd cauſa ſecunda habet hoc ipſum quod agit, per actionem cauſæ primæ, in cujus virtute agit*; quæ verba maximè obſervanda ſunt.

Minorem verò probat D. Thomas; quia cùm agens agat ſecundùm quòd eſt in actu, neceſſe eſt ut quæ ſunt magìs in actu etiam majorem vim agendi habeant, eamque in inferiora ſibi ſubiecta exerant: Atquì cæleſtia corpora magis ſunt in actu quàm inferiora, cùm eorum potentia omninò ſit per actum completa, ut ex veteris, & communis Philoſophiæ principiis ſupponimus; magis verò eſſe in actu ſubſtantias, & intelligentias ſeparatas, quàm ſint corpora cæleſtia, ſupervacaneum foret probare. Unde conſequitur, quod ſi vel intelligentiæ movere cælos deſinerent, vel ſiſteretur Cœlorum motus, omnia quæ moventur, interirent; niſi novo miraculo hujuſmodi influxum Deus ſupplere vellet, ut factum eſt, cùm jubente Joſüe Sol curſum retraxit; Tunc enim ſtetiſſe cælum probabilius eſt, & colligitur ex illo Habacuc. 3. *Sol, & luna ſteterunt in habitaculo ſuo*, de quo videndus eſt Abulenſis in Joſüe, qui longiſſimam diſputationem texuit; tunc enim ingenti miraculo Deum ſervaſſe naturam ibidem oſtendit, quæ alioquin perire, aut omninò iners eſſe debuiſſet. Nam ut habet iterum S. Thomas in 2. diſt. 2. qu. 2. art. 3. dictum eſt à Philoſopho 8. phyſicor. *quòd motus cæli eſt ſicut vita exiſtentibus omnibus; & dicit Rabbi Moyſes, quòd cælum in univerſo eſt ſicut cor in animali, cujus motus ſi ad horam quieſceret, corporis vita finiretur*. Quam comparationem inter cordis, & cæli motum, proſequitur D. Thomas opuſc. 35.

Atque ea ratione poſt ultimam mundi conflagrationem, & innovationem, quando cæli convolventur ut liber, & tempus non erit amplius; nulla erit in rebus inferioribus generatio: quia ipſe motus corporum cæleſtium ceſſabit, quo ceſſante nullus eſſe poteſt alius inferior motus, de quibus omnibus agit S. Thomas in 4. diſt. 48. & in ſuppl. qu. 91. Contrà verò in homine glorificato, & ſupra cælos evecto; quia, ut inquit S. Doctor qu. 5. de potent. art. 10. ad 8. *motus cordis in homine cauſabitur ex natura animæ rationalis* glorificatæ, quæ à motu cæli non dependet: ideò motus ille non ceſſabit motu cæli ceſſante, quod de aliis etiam motibus eſt dicendum, qui à motu cordis oriuntur.

Confirmatur iterùm ex D. Thoma, eaque dependentia ac ſubordinatio inferiorum corporum à ſuperioribus probatur: adeò enim totius univerſi ordinem hâc partium omnium connexione, & veluti concatenatione conſtare exiſtimavit S. Thomas, ut quamvìs ſenſiſſet olim, dum Magiſtri ſententiarum libros commentaretur, cælum Empireum in inferiora non influere; poſteà tamen in eam ſententiam conceſſit, cælum etiam Empireum influere, quòd neceſſe ſit ſub unitate ordinis, quâ univerſum conſtat, comprehendi, & in ea cauſarum omnium connexione primum locum teneat. Unde quodlibet. ſexto ar. 19. ſic habet. *Dicendum, quòd quidam ponunt, cælum Empireum non habere influentiam in alia corpora, quia non eſt inſtitutum ad effectus naturales, ſed ad hoc quòd ſit locus Beatorum; & hoc quidem mihi aliquando viſum eſt*, ſcilicet in 2. diſt. 2. qu. 2. art. 3. ut intelligas diù, & longa meditatione D. Thomam hanc quæſtionem expendiſſe. *Sed diligentiùs*, inquit, *conſiderans, magis videtur dicendum, quòd influat in corpora inferiora: quia totum univerſum eſt unum unitate ordinis, ut patet per Philoſophum 12. Metaphyſi. Hæc autem unitas ordinis attenditur ſecundùm quòd quodam ordine reguntur corporalia per ſpiritualia, & inferiora corpora per ſuperiora, ut S. Auguſtinus dicit in 3. de Trinitate. Unde ſi cælum Empireum non influeret in corpora inferiora, non contineretur ſub unitate univerſi, quod eſt inconveniens. Videtur autem proprius effectus ejus eſſe perpetuitas, & permanſio in inferioribus corporibus: nam ſecundùm Philoſophum in 11. Metaphyſ. in cælo ſunt principaliter duo motus, quorum unus eſt ab oriente in occidentem, qui vocatur diurnus, & eſt ſuper polos æquinoctialis: & quia iſte eſt uniformis, cauſat perpetuitatem in inferioribus motibus: alius autem motus eſt ab occidente in orientem, quo movetur ſol, & alii planetæ, qui eſt ſuper polos zodiaci, per quem planetæ accedunt, & recedunt à nobis,*

Unde

Unde iſte motus propriè cauſat differentiam generationis, & corruptionis, & cæterorum motuum in iſtis inferioribus, & ſic continuatur generatio, & corruptio horum inferiorum quouſque Deus vult: quę quidem quantùm ad continuitatem cauſatur à primo motu; quantùm autem ad contrarietatem à ſecundo. Sicut autem uniformitas motûs præcedit deformitatem; ita etiam unitas quietis præcedit deformitatem motûs; quia moveri eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs; & ſic quies habet puram unitatem. Uniformitas autem motûs habet unitatem cum diverſitate; & ideò primum cælum, ſcilicèt Empireum, ſingulariter per ſuam quietem influit: ſecundum autem cælum, quod dicitur aqueũ, per ſuum motum uniformem: tertium autem cælum, ſcilicet ſydereum, per ſuum motum diformem. Hoc autem eſt proprium huic corpori, quòd influat abſque motu, in quantùm eſt ſupremum attingens quodammodò ordinem ſubſtantiarum ſpiritualium, proüt S. Dionyſius dicit 2. cap. de Divinis nominibus, quòd Divina ſapientia conjungit principia ſecundorum finibus primorum.

Hæc S. Thomas, in quibus ſanè Angelicum planè ingenium mirari ſubit, cui naturam ſinum omnem aperuiſſe videri poſſit, ut nihil quantumvìs reconditum in tota naturæ amplitudine ipſum lateret, ſeu quæ ad inferiora, ſeu quæ ad ſuperiora, & cæleſtia corpora pertineant.

Atque hæc ratio ita proponi poteſt. Certum eſt, totum univerſum unum eſſe unitate ordinis, ut expreſsè aſſerit Ariſtoteles 12. Metaphyſ. nam unum eſſe unitate unius animæ, quod à quibuſdam recentioribus Philoſophis dictum eſt, quibus ſola novitas placet, nulla ratione probari poteſt: quod enim præclariſſimum alioquin ingenium Picus Mirandulanus dixit in Eptaplo, quòd ſi homo ſit parvus mundus, mundus ipſe magnus homo dicendus eſt; Rabinorum figmenta ſapere videtur. Quamvìs ut dixi, id inter recentiores quidam affirmare non dubitaverint; ſicut etiam, quòd cæli animati ſunt, ut ſeipſis moveri poſſint abſque ulla ab intelligentiis motricibus dependentia quam negant: de quo videndus Hieron. Vitalis in Lex. Mathem. V. Mundus: licèt enim animatos cælos eſſe tum inter Philoſophos, tum inter Sanctos Patres quidam tenuiſſe videantur, eos tamen benignè explicat S. Thomas 1.p. qu. 70. art. 3. ubi inquit, intelligendos eſſe, quòd exiſtimaverint cælis ſubſtantias ſpirituales uniri, ſicut motores mobilibus. Unde concludit, *quòd inter ponentes*, Sydera *eſſe animata*, & *ponentes eſſe inanimata, parva vel nulla differentia invenitur in re, ſed in voce tantùm*. Quæ advertiſſe potuerant qui ex recentioribus veterem illam, & obſoletam opinionem revocari vellent; ſcilicèt cælos ſyderaque omnia animâ informari.

Eſt igitur univerſum unum non unitate animæ aut formæ, ſed unitate ordinis: diſſipatas enim eſſe veluti partes, & per accidens ſolùm conjungi, abſurdum eſſet exiſtimare. Non eſt, ut Ariſtoteles inquit lib. 14. Metaph. ut quidam volunt ubi agit de numeris *non eſt natura inconnexa quemadmodùm vitioſa tragœdia*, cujus partes inter ſe nullum ſervant ordinem. Conſenſionem inter ſe omnes partes ſervant; & ſi quæ contraria ſunt, *conſpirante ad univerſi concordiam mutuo eorum divortio* cõcentum faciunt, *ut lyra contrariorum, ac conſentientium ſonorum modulamen eſt*, ut inquit Syneſius lib. de ſomniis: & ut antiquior S. Dionyſius de Divinis Nominibus cap. 11. de pace, ea rerum omnium coagmentatio *perfecto concentu, concordiâ, & conſenſione convenit; ita ut ſine confuſione cogatur, & contineatur ſine diviſione: penetrat enim perfectæ pacis integritas ad omnia quæ ſunt, ſimplici & effectrice potentiâ, conjungens omnia, & colligans extrema per media* &c. Atquì hæc unitas ordinis maximè poſita eſt in ſubordinatione, quâ, ut inquit S. Thomas, *quodam ordine reguntur corporalia per ſpiritualia, & inferiora per ſuperiora, ut S. Auguſtinus dicit*, lib. 3. de Trinitate, quem Articulo ſequenti referemus. Ergo.

Sed prætermitti non debet quod hìc egregiè advertit Sanctus Thomas: Empyreo convenire tanquàm ſupremo omnium corpori, quòd per quietem influat. Ita enim à multis obſervatum eſt, eum fuiſſe conſtitutum ordinem à Providentia Divina, ut quæ ſuprema ſunt in inferiori ordine, quadam ſimilitudine, & perfectionum participatione ſuperioribus conjunguntur, ut ſemper fines priorum, cum ſequentium principiis connectantur. Sic Tertiæ Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ, quæ amor eſt, Seraphini igne Divino, & ut inquit Sanctus Bernardus, igne Deo accenſi conjunguntur. Homo ſuperiori ſui parte, & ſimplici intelligentiâ, accedit ad conditionem ſpirituum: & ut inquit D. Thomas, in 3. diſt. 35. qu. 1. art. 2. *homo in quantùm contemplativus, eſt ſupra hominem: quia in intellectûs ſimplici viſione continuatur ſuperioribus ſubſtantiis, ſcilicet Angelis; quæ intelligentiæ, & Angeli dicuntur. Sicut animalia continuantur hominibus in vi æſtimativa quæ eſt ſupremum in eis*. Sed hanc ſubordinationem, & veluti luminis à prima luce increata diffuſionem alibi explicat idem S. Thomas ex quodam veteri Iſaac, cujus dictum ſæpiùs celebrat. *Ratio*, inquit, *eſt intellectus quaſi adumbratus, ſecundùm quod dicit Iſaac in libro definitionum, quòd ratio oritur in umbra intelligentiæ*. In 2. diſt. 7. q. 1. ar. 2. ubi quærit, Utrùm poſſit dæmon bonũ facere? Quibus addi poſſunt quæ habet B. Albertus Magnus lib. 2. de anima Tract. 1. c. 8. ubi ſic habet. *Anima eſt in horizonte æternitatis, & temporis ſuprà naturam exiſtens, & infra intelligentiam; propter quòd eleganter dixit Iſaac, animam rationalem eſſe creatam in umbra intelligentiæ, & animam ſenſibilem in umbra animæ rationalis, & animam vegetabilem in umbra animæ ſenſibilis*. Etenim cùm in Angelis ſola ſit intelligentia, ac ſimpliciſſimus rerum intuitus; in homine variis diſcurſibus veluti obnubilatur, & obumbratur intelligentia, oriturque ratio in umbra intelligentiæ. Ac deinde cùm occumbit ratio, inquit Albertus, neque percipi poteſt ratio honeſti vel inhoneſti; ſola percipitur ratio ſenſibilis: eoque ſenſu in umbra rationalis oritur anima ſenſibilis. Ac demùm in occaſu

hujus

hujus perceptionis boni sensibilis, remanet dumtaxat naturalis motus accretionis, vel generationis in vegetabili; qui denique cùm deficit, remanet solùm simplicior motus formarum in gravibus, & levibus; quo deficiente tandem sola remanet iners materia sine motu, ac veluti obscura dumtaxat formæ umbra, primus gradus quo res emergunt è nihilo, ultimus, & remotissimus à primo ente gradus, ubi tandem desinit Divinæ, & increatæ lucis effusio. Ex quibus satis liquet quàm aptè fiat hæc rerum omnium sub Deo subordinatio, conjunctis scilicèt semper gradibus, & quorum posteriores ordine quodam prioribus adnectuntur. Vide eundem Albert. M. in 2. dist. 7.

Sed cùm cælum Empyreum perfectissimum sit omnium corporum, ac Beatorum sedes; rectè etiam à S. Thoma dictum est, veluti conjungi spiritibus, atque illud participare, quod ipsis eximium est, nimirùm quòd *influat* inferioribus per *quietem*.

Sed prætereà, ut jam ex eod. S. Thoma retulimus: Bruta superiori potentia, scilicet æstimativa, quâ ejusmodi intentiones percipiuntur, quæ sensibus externis minimè percipi possunt, 1. p. qu. 78. art. 4. sicut, & naturali quadam sagacitate, & quadam prudentiæ umbra ad rationem hominemque accedunt; & ut inquit S. Thomas, *habent aliquam similitudinem rationis, in quantùm participant quandam prudentiam naturalem, secundùm quòd natura inferior attingit aliqualiter ad id quod est naturæ superioris*, qu. 24. de verit. art. 3. Etiam, & plantæ quantùm ad superiorem operationem, scilicèt generationem, quamdam animæ similitudinem participant; & ut inquit D. Thomas 1. p. q. 78. art. 2. quòd *vis generativa habet effectum suum, non in eodem corpore, sed in alio; quia nihil est generativum sui ipsius; & ideò vis generativa quodammodò appropinquat ad dignitatem animæ sensitivæ, quæ habet operationem in res exteriores; supremum enim infimi attingit ad id quod est infimum superioris, ut patet per D. Dionysium, cap. 7. de Divinis Nominibus*. Etiam & inter plantas quædam sunt, quæ veluti sensu præditæ esse videntur: planta enim quam sensitivam vocant, ad minimum tactum folia contrahit: ac inter ipsa viventia, quædam sunt in medio, & veluti in confinio constituta inter animalia, & plantas, ut Zoophyta, scilicèt conchilia & ostreæ, quæ imperfectissimum motum habent, dilatationis solùm, & constrictionis, quo plantas superant; sed tamen loco immobilia sunt: qua ratione inferiorem animalibus vivendi modum habent. De quibus Arist. l. 8. de Hist. Animal. c. 1.

Atque ut hæc compendio contrahantur, & faciliùs distinguantur hi gradus naturæ quæ ab infimo ad supremum assurgit, ac ea rerum subordinatio, & connexio advertatur; observanda sunt quæ habet D. Thomas, 1. p. qu. 78. art. 1. ubi inter cætera quæ fusè satis explicat, ita habet: *Quædam viventia sunt, in quibus est tantùm vegetativum sicut in plantis; quædam in quibus cum vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundùm locum, sicut sunt immobilia animalia, ut conchilia; quædam verò sunt, quæ supra hoc habent motivum secundùm locum, ut perfecta animalia: quædam verò viventia, in quibus cum his est intellectivum, scilicet in hominibus*. Ac demùm quædam habent intellectum perfectum sine discursu, ut simplices intelligentiæ. In quibus eam gradationem, ac subordinationem apertè videre est, quâ natura paulatìm, & successivè per varios gradus assurgit, ita dispositos, ut medius semper utriusque extremi aliquid participet. Quâ in re nemo est qui admirabilem à Sapientia Divina constitutum in universo ordinem mirari non debeat.

Nec minùs inter varias species corporum ea subordinatio adverti posset. Etenim, ut inquit D. Thomas opusc. 34. de occultis naturæ operibus: *Cùm procedant formæ specificæ à substantiis separatis, ut à primis principiis, quæ mediante virtute, & motu corporum cælestium*, quibus veluti instrumentis utuntur, *imprimunt etiam substantiæ separatæ formas apud se intellectas in materiam corporalem*; necesse est ut quodam ordine formæ specificæ fiant, atque ordinem servent inter se. A substantiis enim separatis oritur, inquit, quòd res omnes *in naturæ operationibus determinatis viis ad determinatos fines rerum, ordine, & modo congruentissimo procedant, sicut ea quæ fiunt ab arte, ita quòd totum opus naturæ videtur esse opus cujusdam sapientis: propter quod natura dicitur sagaciter operari; opus enim sapientis oportet esse ordinatum; hoc enim proprie ad sapientem dicimus pertinere, ut omnia congruo ordine disponat. Quia igitur formæ inferiorum corporum proveniunt ex sapientia substantiæ separatæ, mediante virtute, & motu corporum cælestium, oportet in his formis inferiorum corporum quendam ordinem invenire; ita scilicet quòd quædam sint imperfectiores, & materiæ propinquiores; quædam autem perfectiores, & proximiores superioribus agentibus*. Hæc Sanctus Thomas.

Ex quibus constat, recta ratione doceri, etiam inter specificas formas varios perfectionum esse gradus; quamvìs nos dumtaxat talpis non cæciores hi gradus lateant; quos tamen inter metalla aliquo modo deprehendere licet, quorum alia aliis perfectiora esse, ut à perfectioribus etiam planetis denominantur, dubitare non licet.

Hæc adnotare placuit, ut ea subordinatio rerum, & hi gradus advertantur, quibus totius universi ordo distinguitur; quibus scala Jacob constat, ut quidam explicant, & modulatissimus concentus efficitur. Unde à S. Dionysio cap. 7. de Divinis Nomin. verissimè dictum est: *hæc omnium Divina sapientia est artifex, & semper omnia componit; estque causa indissolubilis cohærentiæ, & ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis connectit, & universi conspirationem concentumque pulcherrimè efficit*. Atque in ea partium omnium connexione constitutam pacem totius universi advertit idem Sanctus Dionysius ibid. cap. 11. *Quia omnia inter se non confusa conjunctione*

ctione temperat ſine diviſione, ſine intervallo conjuncta, &c.

Verùm, præter illam ſubordinationem, & connexionem rerum, altera etiam eſt dependentiæ, & cauſalitatis, quâ inferiora à ſuperioribus dependent; & moventur, & ſuperiores cauſæ inferiores cauſas movent, & perficiunt: quam S. Thomas mirum in modum explicuit, ac neceſſariam eſſe demonſtravit ad conſtituendum rectum ordinem, quo omnia ſub unitate univerſi continentur.

Quod verò de corporibus cæleſtibus dictum eſt, etiam & de ipſis Planetis ſuo modo eſt dicendum: iis enim ſuas agendi virtutes ineſſe, dubium non eſſe videtur. Unde D. Thomas 1. part. qu. 104. art. 2. inquit, quòd *ſicut Philoſophus dicit, 2. Metaphyſ. quòd primus motus, ſcilicet diurnus, eſt cauſa continuitatis generationis; ſecundus autem motus, qui eſt per Zodiacum, eſt cauſa diverſitatis, quæ eſt ſecundùm generationem, & corruptionem. Et ſimiliter Aſtrologi attribuunt Saturno qui eſt ſupremus Planetarum, res fixas, & permanentes.*

Atque aliis etiam Planetis aut ſtellis ſuas virtutes ineſſe nec ſemel D. Thomas innuit: quælibet enim ſpecies inferiorum corporum ab aliquo corpore cæleſti dependet à quo efficitur, ſicut inquit S. Doctor opuſc. 15. cap. 10. *Oportet ſuper omnes participantes naturam equinam, eſſe aliquam univerſalem cauſam totius ſpeciei: quam quidem cauſam Platonici poſuerunt ideam ſeparatam à materia, ad modum quo omnium artificialium principium eſt forma artis, non in materia exiſtens: ſecundùm autem Ariſtotelem, hanc univerſalem cauſam oportet ponere in aliquo cœleſtium corporum*: quod de aliis etiam omnibus rerum ſpeciebus dicendum eſt. Nulla enim cauſa cujuſcumque ſpeciei producit in effectu per ſe, & directè eandem rationem communem ſub qua ipſa continetur: ſed eam producit ſolùm ut dependet à cauſa univerſali, & ſuperiori, quæ eam rationem producere poteſt, cùm ſub ea minimè contineatur. Unde inquit S. Thomas in 2. diſt. 15. qu. 1. art. 1. quòd *Sicut actio virtutum inferiorum communiter agentium reducitur in virtutem cœleſtem activam univerſaliter: ita etiam virtutes quæ ſunt in inferioribus moventes ad determinatas ſpecies, reducuntur in aliquas virtutes cœleſtes determinatas: & hujuſmodi virtutes determinatæ conſiſtunt præcipuè in ſtellis, quæ ſecundùm diverſos aſpectus, & conjunctiones, imprimunt ad determinatas ſpecies, ut dicit Commentator in 8. phyſicor.* Unde cùm firmamentum ornari ſtellis dicitur, ſicut & terra ornatur plãtis, ut dixit etiam alicubi S. Thomas: credibile eſt nullam ſtellam eſſe quæ ſpeciali agendi virtute prædita non ſit, ut eod. loco citato dixit S. Doctor ſcil. in 2. *præter naturam lucis quæ communis eſt omnibus corporibus cœleſtibus, quælibet ſtella habet virtutem determinatam conſequentem ſuam ſpeciem.* Unde obſervat idem D. Thomas 1. de generat. lect. 24. quòd cùm Planetæ in elementa vim ſuam exerant: Firmamentum in quo ſunt fixæ ſtellæ, terræ potiſſimùm ad varias rerum generationes ſuos influxus immittit. *Sphæra* enim *Solis*, inquit, *in qua eſt fons caloris, eſt nata movere ignem: & ſphæra Lunæ nata eſt movere aquam, unde mare ingreditur ad quantitatem, & ætatem lunæ: ſphæræ autem quinque planetarum movent ſphæram aëris*: unde varia eſt aëris temperies, proüt à diverſis planetis movetur. Eſt enim frigidus ex ſphæra Saturni, calidus ex Marte, temperatus ex Venere, & ſic de aliis. At verò *ſphæra ſtellarum multarum, in qua ſunt multæ imagines & figuræ, movent terram, unde etiam in ipſa figurantur imagines multæ in generatis.*

Non me latet equidem plures ex recentioribus Philoſophis qui Carteſium ſequuntur, & quibus valida ſatis ratio eſt, ut ſententiam aliquam amplectantur, quòd ea veteri philoſophiæ adverſa ſit, hos corporum cæleſtium influxus negare: quòd nulla ſit ſimilitudo inter inferiora, ac ſuperiora corpora: nec magis, ut quidam dixit, ſignum Zodiaci quod libra vocatur, libræ aut trutinæ ſimile ſit, quàm moletrinæ velari: ut vel inde, inquiunt, fundamento omni careat quod dici ſolet, ſignum libræ æqui amantem efficere hominem, cui dominatur, eique inclinationem ad æquitatem ſervandam imprimere.

Verùm, compertum eſt, plurima eſſe, quæ non niſi in ſuperiora corpora eorumque influxus referri poſſunt. Maris enim æſtus reciprocos certiſſimum eſt ex motu Lunæ oriri, neque unquàm quantumvis ingenia ſudent, hi motus explicabuntur, ex ſolo motu locali Lunæ, quæ vari è aërem deprimit, & depreſſo aëre maris aqua s movet, & circa centrum trahit. Et verò non alia ratione in eam ſententiam conceſſiſſe videntur, niſi quòd nihil niſi motu locali fieri putent, & eos influxus, & ut vocant, qualitates occultas omninò averſentur; quamvis forſitan magis in nomine diſcrimen eſſet ſi omnia rectè explicarentur. Sed ut ut ſit, negari non poteſt quin Luna in corpora humida dominium exerceat: etenim certum eſt, quod *lubrica naſcentes implent conchilia Lunæ*. Horat. lib. 2. ſatyr. 4. & quamvis inter Recentiores quidam id negare non dubitaverint, eos tamen experientia ipſa refellit, & ut omninò compertum referunt Sancti Patres. Ut enim inquit S. Auguſtinus lib. 5. de Civit. cap. 6. *Videmus Lunaribus incrementis atque decrementis augeri, & minui quædam genera rerum, ſicut Echinos, & conchas.* Quod idem obſervat D. Ambroſius lib. 4. Exam. cap. 7. & S. Baſilius Homil. 6. in exam. ut etiam de cerebris animalium, & arborum medullis: & obſervarunt etiam quotquot explicarunt ea, quæ in S. Evangelio habentur de Lunaticis. Inde enim Lunatici fiunt, quod cùm cerebrum humidiſſimum ſit, ipſique quodammodò Luna dominetur: qui debilioris ſunt cerebri decreſcente Luna magis patiuntur: atque eos de quibus Matth. 3. & 17. mentio fit, tunc temporis decreſcente Luna dæmon vexabat: tum quòd ipſa diſpoſitione eorum naturali uteretur: tum ut Gloſſa inquit, ad infamandam creaturam Dei, & ad inducendum homi-

homines in errorem, ut scilicet eos effectus, Lunę operationi dumtaxàt tribuerent, & existimarent creaturas dęmoni servire, ut notat S. Thomas in Matth. cap. 7. & q. 6. de potent. ar. 10. ad 7. Quin etiam plurima alia sunt, quę manifestissimè hos corporum cęlestium, & Planetarum influxus probant: cujusmodi est illud quod S. Augustinus refert inter plurima naturę miracula lib. 21. de Civit. Dei cap. 4. & sequentib. de Selenite lapide: quòd nimirum hujus *interiorem candorem cum Luna crescere, & decrescere conspicitur*. Quod idem refert etiam Plinius lib. ult. ubi inquit, quòd *imaginem Lunę selenites continet, redditque eam in singulos crescentis minuentisque numero*. Atque inde nomen traxit, σελήνη enim Luna apud gręcos dicitur: quod sanè manifestissimè in certas quasdam res dominium Lunę demonstrat. De heliotropio supra retulimus, de quo Plinius refert lib. 22. cap. 2. quòd etiam *nubilo die* se se cum sole circumagit, *tantùm*, inquit, *syderis amor est*, quod non immeritò inter naturę miracula recenset. Quin etiam, & uvam reperiri, inquit, quam suo cursu Sol trahit: *Mirum*, inquit, *ubique cum Sole circumagi uvam quę ob id strepitos vocatur*, lib. 14. c. 3. de vitium generibus. Quę sanè exempla dominium corporum cęlestium in subjectas aliquas res, quamvis earum veluti intima proportio nos lateat, omninò ob oculos ponunt.

Nolim asseverare, ex eadem causa oriri quòd Arelate in Galliis apud PP. S. Francisci de Paula visitur, & ipse olim vidi; ingens esse, & vetus sepulchrum, in quo aqua juxta crescentis aut decrescentis Lunę ętatem crescit, & decrescit: & quod naturę miraculum auget, cùm tria sint ingentia sepulchra, quorum unum alteri superpositum est; in inferiori quod terrę incumbit, nulla mutatio fiat, sicut nec in superiori: in eo quod in medio positum est, ea mutatio juxta Lunę cursum contingat: quod etiam olim Burdigalæ me vidisse memini in altero sepulchro, quod etiam nunc perstat, in quo juxta Lunę cursum aqua augebatur, vel minuebatur: quam mutationem tamen in dominium, & varios dumtaxat influxus Lunę referre non ausim: sed hujus occultissimam rationem esse dubitari non potest. Compertum magis est, quod & frequentiùs accidit: neque minùs eam vim impressam à superioribus corporibus probat: nimirùm quod in virga indagatrice aquarum, & metallorum tot experimentis comprobatum est: quod exemplum sicut notissimum est, ita hujus rationem difficillimum est afferre, nisi in certam vim à cęlis impressam referatur. Quod enim à quibusdam dicitur, vaporibus aquę latentis paululum impleri virgam, cujus summitas pondere vaporis attracti deorsum demittatur; planè rationi repugnat: cùm impossibile sit, tantam vaporum copiam aquę attrahi, quę deorsùm adeò pertrahere virgam possit. Et vidi etiam ipse propè Tholosam olim à sęculari sacerdote quòd ex quacumque arbore excerptâ virgâ uteretur: & cùm casu non tam virgam quàm baculum, reperisset: erat enim fermè unius digiti crassitudinis, & quidem summa ariditate siccissimus: eo baculo usus, cùm eum more solito dispositisset, aquam latentem reperit: qui tamen baculus tantâ vaporum copiâ impleri non poterat. Et quod nobis omnibus mirum visum est: cùm non esset virga flexilis, quęque facilè inflecti posset, & cùm is qui eum baculum utrâque manu tenebat, sentiret suis manibus vim inferri à baculo qui versùs aquam movebatur, & vellet ipse depressionem baculi impedire: inter ipsius manus nobis sanè stupentibus baculus confractus est, & subjectam aquæ scaturiginem demonstravit. Quę ratio hujus esse potest, nisi occulta quędam vis major in isto homine, quàm in aliis qui certę arboris virgæ ope indigent? Quæ vis cùm ex ipsis elementis, aut varia elementorum temperie oriri non possit, non aliundè oriri potuit, quàm ex impressione quadam cæleśti occultissima, licèt ex effectu manifesta. Quod inde magis suaderi potest, quòd aliis exemplis ea dependentia inferiorum corporum à superiorum influxibus, & virtute impressa probetur, cujusmodi est mira heliotropii conversio ad solem; magnetis virtus attrahentis ferrum; & virtus varia earum rerum quibus medicina utitur ad varios humores purgandos, quibus certam virtutem inesse dubitari non potest; quę cùm elementorum vim superent, necesse est ad causas superiores, scilicèt in corpora cęlestia referri, ut fusè explicat S. Thomas, opusc. 34. de occultis naturę operibus, qu. de spirit. creat. art. 2. & 3. contra gen. c. 92.

Et verò parùm refert, utrùm hi influxus à luce distinguantur, nec ne; nihil enim vetat admitti, esse ipsam lucem quę variam virtutem habeat, ut à variis Planetis aut stellis emittitur, unde & varios effectus producere possit. Sed quocumquè pacto explicetur, concedendum est cęlos influere: quod prętèr superiùs dicta probat etiam D. Thomas in 2. supra citato, & alibi sæpiùs ex S. Augustino lib. 5. de Civit. cap. 6. ubi inquit quòd *non absurdè dici possit, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sydereos: sicut in solaribus accessibus, & recessibus videmus etiam ipsius anni tempora variari, & lunaribus incrementis atque decrementis augeri, & minui quędam genera rerum*. Quid enim per eos afflatus sydereos intelligere S. Augustinus potuit, prętèr ejusmodi influxus à corporibus cęlestibus immissos, & inferioribus impressos. Ita intellexit D. Thomas tum aliis in locis, tum 3. contra gen. cap. 84. ubi etiam ex D. Damasc. lib. 2. refert quòd *alii, & alii Planetę diversas complexiones, & habitus, & dispositiones in nobis constituunt*: vide ibi plura.

Sed prętereà, ut perfecta sit connexio causarum omnium, etiam in causas adhuc superiores scilicèt substantias, sive intelligentias separatas, ea quę fiunt in inferioribus referenda sunt: ab iis enim formę substantiales in materia imprimuntur, ut jam dictum est. Et cùm à D. Thoma observatum sit, 1. p. qu. 113. art. 2. *quod diversi*

spe-

ſpeciebus rerum diverſi Angeli ejuſdem ordinis præficiuntur: etiam admodùm probabile eſt, quòd etiam & hi Angeli mediis corporibus cęleſtibus tanquàm inſtrumentis eas virtutes imprimant; cùm præter S. Auguſtinum, quem ſuprà retulimus, etiam à D. Gregorio 4. Dialogor. dictum ſit, quòd creatura corporalis per ſpiritualem adminiſtratur, quem citat S. Thomas in 2. diſt. 14. qu. 1. art. 3.

Quæ omnia à nobis dicta ſunt, ut ea rerum ſubordinatio, & connexio probaretur: nec mirum videatur quod à D. Thoma dictum eſt, quòd ſi motus Cæli deſineret, ceſſarent omnes cauſarum inferiorum motus, & cauſæ omnes inertes eſſent. Quod adeò certum viſum eſt D. Thomæ, ut indè exiſtentiam unius primi principii probaverit 1. cont. Gent. cap. 13. *in moventibus* enim, *& motis ordinatis quorum unum per ordinem ab alio movetur, hoc neceſſe eſt inveniri, quòd remoto primo movente, vel ceſſante à motione, nullum aliorum movebit*.

Ex quibus omnibus ſatìs colligi poteſt quàm pro dignitate veræ Philoſophiæ D. Thomas mirabilem naturæ ordinem explicet, & quantâ ſapientiâ à Deo, & fuiſſe conditum, & adminiſtrari demonſtret. Quam certè Philoſophiæ dignitatem non ſine injuria maximè deprimunt recentiores Philoſophi, dum in ſolis corpuſculis, aut corpuſculorum figuris recenſendis, planis, ſphæricis, acutis, obtuſis, aduncis immorantur. Quæ omnia Lactantius ridet lib. de Falſ. Sap. cap. 17. ac primùm ſomniata inquit à *Leucippo, à quo Democritus eruditus hereditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro*: quem mirum eſt inter Chriſtianos Philoſophos quemquam voluiſſe delirantem audire: nihil enim interìm de eo mirabili totius Orbis ordine, deque illa partium omnium conſenſione inter eos recentiores auditur; quo tamen nihil divinius, nihil dignius infinita arte ſummi illius opificis intelligi poteſt.

Sed prætereà ex his omnibus jam conſtitutis adverti facilè poteſt, quæ ſit illa ſeries cauſarum, quæ v. g. ad generationem leonis concurrunt, quis ſit ille inter eas cauſas ordo. Etenim ut ex ſuperioribus hæc breviter perſtringam, & velutì ob oculos ponam: cùm ſecundùm ordinem effectuum neceſſe ſit eſſe ordinem cauſarum, ut habet D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 66. *quòd nihil dat eſſe niſi in virtute divina*; & qu. de Spiritual. Creat. art. 3. utrùm anima uniatur corpori per medium, ad 20.

Primò in quolibet effectu, v. g. in leone cùm generatur, neceſſe eſt materiam variis motibus alterationis diſponi; quia non fit quodlibet in quolibet, nec ex quolibet, aut indiſcriminatìm à qualibet cauſa; ſed in hac communi totius Univerſi officina ſupremus Opifex dedit unicuique ſecundùm propriam virtutem, quâ operetur; neque una cauſa alterius officium uſurpat. Diſpoſitâ verò materiâ, forma ſubſtantialis producitur, in qua attenditur inprimìs quòd ſit ſubſtantialis, deinde quòd ſit vivens; prætereà quòd ſit ſenſûs particeps; iterùm, quòd ſit in ea v. g. leonis ſpecie conſtituta; ac tandem in termino generationis ſit ipſum compoſitum; in quo attenditur & ipſum eſſe, quo convenit cum effectibus omnibus in rerum natura productis; & prima ratio entis, quæ eſt primum omnium rerum fundamentum cęteris perfectionibus ſubſtratum. Igitur ſecundùm ordinem formarum neceſſe eſt ordinem eſſe agentium; & cùm ut ſuprà ſæpiùs dictum eſt, nulla res, nulla ratio, nulla forma produci poſſit ab aliqua cauſa, in qua eadem forma ſecundùm eandem rationem reperitur; neque poſſit ab igne alter ignis ſecundùm rationem ignis produci, 3. contra Gent. capite 65. qu. 3. de Potent. cap. 7. neque à leone alius leo: neceſſe eſt totidem ſuperiores cauſas reperiri, quarum virtute leo generans ſimiles in leone genito rationes producat.

Inprimìs igitur motus omnes alterationis, quibus materia ad generationem leonis diſponitur, dependet à motu, & à cauſa movente, quæ ejuſmodi motibus obnoxia non ſit, ſcilicèt à corpore cæleſti; quod cùm motu alterationis mutabile non ſit, cauſa eſt omnium alterationum, ut inquit D. Thomas quodlib. 6. art. 19. & 1. p. qu. 104. art. 2. & 3. cont. Gent. cap. 82. & in 2. diſt. 15. qu. 1. art. 2. Sed deinde diſpoſitâ materiâ, forma leonis à leone generante introducitur. Sed cùm in ea forma diſtingui debeat, non ſolùm quòd in hac determinata materia, & diſpoſitionibus ſubjecta recipiatur; ſed recipiatur etiam communis ratio formæ ſubſtantialis; altera cauſa ſuperior quærenda eſt, quæ ſit velutì omnium formarum fons & cauſa; ſubſtantia ſcilicèt omninò ſeparata à materia, à qua formæ quæ ſunt in materia imprimuntur · ut docet S. Thomas 1. p. qu. 65. art. 4. utrùm formæ corporum ſint ab Angelis, & in 2. diſt. 2. cap. 15. qu. 1. art. 2. & op. 34. Sed prætereà cùm nedùm forma ſit, ſed etiam ſuperiorem gradum vitæ habeat; etiam neceſſe eſt, eum effectum in cauſas ſuperiores ſcilicèt Intelligentias referri, ut docet D. Thomas ibid. in diſt. 15. qu. 1. artic. 2. Utrùm corpora cæleſtia habeant effectum in corporibus inferioribus, & in 2. diſt. 18. q. 2. art. 3. Utrùm anima ſenſibilis ſit ex traduce, ad 3. & ad 5. & opuſc. 34.

Sed cùm reperiatur ratio ſpecifica, v. g. leonis, neceſſe eſt, aliam eſſe cauſam ſuperiorem, ut dixit D. Thomas opuſc. 15. cap. 10. quamvìs nobis ignotum ſit, quem ordinem ſervent ſeparatę ſubſtantiæ: eas tamen præſidere ſpeciebus rerum docet D. Thomas 1. p. qu. 117. art. 2. Demùm, cùm duplex ſit ratio quarum altera eſt velutì fundamentum, ſcil. ratio entis, alia velutì culmen, ſcilicèt eſſe, & exiſtentia; utraque ad Deum pertinet, ut ſæpiùs dictum eſt, ac potiſſimùm primum. Unde egregiè dicitur à D. Thoma quòd *omnes actiones ſecundorum* agentium *fundantur ſuprà actionem primi agentis* in 3. diſt. 23. qu. 3. art. 1. quæ omnia ita intelligenda ſunt, ut leo

generans v. g. recipiat influxus à causis superioribus ut eas rationes in leone genito producat.

ARTICULUS VIII.

Probat S. Thomas hanc rerum subordinationem ex S. Augustino.

ERit ut arbitror operæ pretium non exiguum, si quæ dicta sunt de ea subordinatione, & dependentia causarum omnium à prima, quæ veluti per gradus vim suam, & operationem ad ultima, & minima quæque defert, ex D. Augustino probetur; tùm quòd plurimùm hęc comparatio prosit ad probandam efficaciam Divinæ gratiæ; cùm eadem saltem in eo superiori ordine admittenda sit Divinæ operationis efficacia, quam admittendam esse in ordine naturæ demonstravimus: tum quia inde colligi facilè poterit, eandem vim Divinæ operationis, & gratiæ, etiam à S. Augustino in statu innocentiæ negatam non fuisse, quę hominem stantem confirmaret; eandem, inquam, quâ infirmum lapsumque hominem erigendum existimavit; quamvis ex speciali capite, scilicèt ex infirmitate naturæ, & efficax gratia necessaria fuerit, ut aliàs probandum est: tum *demùm, quia* inde convinci poterit, immeritò à Jansenio rejectam fuisse præmotionem, ut solius philosophiæ inventum parùm Scripturæ Sacræ principiis consentaneum, ac perperàm ab ipso dictum to. 3. lib. 8. c. 2. quòd *qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationē physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium, ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici quam Augustiniani sint.* Omitto cætera, quæ habet tum eodem loco, tum libro Proëmiali totius operis, quibus à D. Thomæ, ejusque scholę principiis se longissimè recedere profitetur: nullius enim scholę se rationem habere velle satis ac sæpiùs significavit, arbitratus Scholasticos in Sanctis Patribus peregrinos, rudes, & barbaros, ac nulla politiori literatura cultos, humanæ rationis argumentis veram Theologiam corrupisse. Verùm dubitari non potest quin gravem D. Augustino injuriam inferat, quisquis negaverit in subsidium Fidei philosophiam S. Augustinum advocasse; cùm nullus è Patribus magis ratione ac principiis philosophiæ valuerit, ut tot ejus scripta satis demonstrant. Nec prętermittere potuit Sanctissimus Doctor, quod agendum esse non semel ipse monuit, jungendam esse in omni disputatione cum authoritate rationem lib. 3. contra academicos cap. 20. lib. 2. de ordine, cap. 5. de vera Religione, cap. 13. &c. quin etiam vim hujus Dialecticę, quę prima philosophię pars est, adeò hęretici persentiebant, longè ea parte ut & acumine ingenii inferiores, ut & Cresconius Dialectice artem tanquàm crimen ipsi S. Augustino objecerit, volueritque ea ratione tanquàm callidum, & insidiosum vitandum esse: lib. 5. contra Cresconium cap. 19.

Sed demùm immeritò Divinam motionem aut prædeterminationem rejiciendam conclamat Jansenius, quòd principiis philosophiæ subnixa sit; neque enim verum vero contrarium esse potest, ut etiam in Concilio Florentino definitum aut usurpatum est, & si juxta philosophiæ principia statuenda sit motio Divina, fieri non potest ut Fidei principiis sit adversa. Equidem necessitatem Divinę gratiæ à S. Augustino probatam fuisse ex infirmitate naturæ, ultrò concedimus; contendimus etiam inde esse probandam, ut cum D. Thoma ex eo etiam capite aliquando probabimus: sed ex alio capite probari non posse, aut non debere exertè negamus. Diversa utraque probatio est, sed minimè una alteri adversa; *etsi alius aliud, & alius aliter, vera tamen omnes dicunt, non sibi ullo modo contraria, si pius Lector accedat, si mitis legat*, ut verba D. Augustini usurpem lib. 3. contra Faustum cap. 5. & forsitan ipsi, quamvis rudes, *Scabrum* quidem, ut cum eodem loquar lib. 3. cont. Academic. c. 15. *sed, nisi fallor, validissimum telum* torquebimus, quò demonstrabimus, apertissimè contra Jansenium, aliundè quàm ex sola infirmitate naturæ, efficaciam Divinę gratiæ Augustinum repetiisse.

Probatur itaquè, admissam fuisse à D. Augustino eam subordinationem causarum, & dependentiam omnium à prima. Etenìm eo libro tertio de Trinitate, de Divinarum personarum missione acturus cap. 1. explicare aggreditur. Anolim in veteri Testamento *Angeli qui jam erant ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur.* Atque hujus quæstionis occasione hoc velutì principium constituit, quò ea subordinatio omnium causarum sub prima, demonstratur; omnia per spirituales substantias à Deo administrari. *Pervenit*, inquit, *Sapientia voluntatis Dei per creaturam spiritualem usque ad effectus visibiles atque sensibiles creaturæ corporalis.* Atque inde vanitatem Philosophorum reprehendit, quòd in causas dumtaxàt proximas, res naturæ referrent; cùm per eas gradus sibi facere debuissent, ut tandem pervenirent ad primam omnium causam, quæ mediis aliis causis res omnes administrabat. *Itaquè*, inquit, *licuit vanitati Philosophorum etiam causis aliis ea tribuere, vel veris, sed proximis; cùm continuò videre non possent superiorem omnibus causam, ideſt voluntatem Dei.* Quo autem pacto omnia in Divinam voluntatē referenda essent, egregio hôc exemplo manifestat, quod latè diffundit, & paucis ita contraho. Si quis Divinę Sapientiæ amore succensus, incommutabili veritati contemplandæ intentus, corpus fatigaret, atque inde ægritudinem contraheret; si consulerentur medici causam ægritudinis reperturi, eamque ęgritudinem in corporis nimiam siccitatem referrent, equidem veram causam reperirent, sed tamen dumtaxàt proximam, non autem primam: quòd

si ite-

si iterùm eam siccitatem ad susceptum laborem referrent: reperta quidem esset superior causa, sed nondùm prima; usque dum perventum esset ad voluntatem divinam, & incommutabilem sapientiam, cujus amore anima flagrans hunc laborem suscepisset. Unde inquit S. Augustinus; *non nisi Dei voluntas causa prima illius ægritudinis veracissimè reperiretur*. Quòd si prætereà vir ille amator sapientiæ in illo pio, & officioso labore adhibuisset Ministros, adhibuisset jumenta, adhibuisset corporeas res, quæ in eo labore sustinendo movèrentur, fatigarentur, attererentur: non alia esset omnium susceptorum operum, *& mutabilium factorum causa, nisi illa invisibilis, & incommutabilis voluntas Dei per animam sicut sedem sapientiæ justam utens, & rationalibus, & irrationalibus animis, & corporibus, quæ sibi ad pium, & religiosum obsequium subdidisset*.

Hæc S. Augustinus: quo luculentissimo exemplo quantùm fieri potest hanc rerum omnium subordinationem manifestat. *Quod enim*, inquit S. Doctor, *de uno sapiente posuimus exempli gratia, hoc de orbe terrarum licet cogitare*. Dei etenim voluntas quæ facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem flagrantem; in illa superna, & cœlesti Patria, tanquàm in excelsa, & secreta sede rebus omnibus præsidet. *Indè se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus primò spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ; sive incorporeis sive corporeis rebus, sive rationalibus, sive irrationalibus spiritibus, sive bonis per ejus gratiã, sive malis per propriam volũtatem. Sed quemadmodùm corpora crassiora & inferiora, per subtiliora & potentiora, quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem; & spiritus vitæ rationalis desertor atq; peccator per spiritum vitæ rationalem pium, & justum; & ille per ipsum Deum. Ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atq; instituta est. Ac per hoc voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum*.

Atque indè propositam priùs difficultatem resolvit, cujus occasione cætera omnia explicuerat: nimirùm ea quæ olìm à Deo fiebant, ut se se hominibus manifestaret, facta esse Angelorum ministerio. Unde ita concludit: quòd *cùm hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitùs invisibilia Ministrorum, sive animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes; quid mirum si etiam in creatura Cœli, & Terræ, Maris, & Aëris facit Deus quæ vult sensibilia atque visibilia ad seipsum in eis sicut oportere ipse novit significandum, & demonstrandum*.

Hactenùs D. Augustinus. Ex quibus manifestissimum est admissum fuisse à S. Doctore, inferiora omnia per superiora administrari: quod sanè non aliud est quàm subordinari inferiora superioribus, ab iisque, ut agant juxta propriam cujusque conditionem, & genium dependere. Atque ita intellexit S. Thomas, cùm dixit, unitatem ordinis ex D. Augustini mente in eo positam esse, quòd *quodam ordine reguntur corporalia per spiritualia*. Neque enim existimandum est, hæc à S. Augustino fuisse intellecta quantùm ad externum dumtaxàt velutì regimen, quo per superiores substantias Deus inferiores regit; non autem quantùm ad ipsam virtutis operationem, quâ inferiora per superiora, & velutì impressa virtute ad suas operationes moventur. Utrumq; enim administrationis modum explicuit D. Augustinus. Quo enim pacto intelligi possit quod inquit S. Doctor, *corpora crassiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine regi*; nisi ea operatio virtutis intelligatur, quâ superiora corpora inferiora, & vitæ expertia aut animata per spiritum vitæ movẽtur? Et quidem *quòd spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem* regatur, altera regiminis ratio est; sicut et iam quòd *spiritus vitæ rationalis desertor atquè peccator, per spiritum vitæ rationalem justum, & pium regatur*. Est enim etiam inter Angelos de quibus S. Augustinus hæc intellexit, quidam ordo, & quędam regiminis ratio. Inter beatos Angelos, superiores purgant, illuminant, & perficiunt inferiores, ut inquit D. Dionysius l. 8. de Cęlest. Hierarch. & explicat Divus Thomas 1.par.quęst.106. art.1. Et Angeli etiam boni habent prælationem super malos, ut inquit S. Thomas ibid. qu. 109. art. 4. idque probat ex eo D. Augustini loco, quia *spiritus vitæ desertor, atque peccator, regitur per spiritum vitæ rationalem, pium, & justum*. Cui addit D. Thomas ex S. Gregorio homil. 34. in Evangel. quòd *potestates sunt Angeli, quorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sunt*.

Ex quibus liquet, subordinationem omnem; ac duplicem illam, & operationis, & regiminis rationem complexum esse S. Augustinum; quo utroque modo juxtà cujusque conditionem, miro modo movetur, & regitur *universa creatura per Creatorem suum, ex quo, per quem, & in quo etiam condita atque instituta est: ac per hoc voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, & motionum*. Quæ ultima verba tanti ponderis esse D. Prosper existimavit, ut inter varias ex S. Augustino excerptas sententias hanc n. 58. reposuerit. Atque hæc omnia simpliciori quidem stylo, sed majori distinctione explicat S. Thomas 3. cont. Gent. à capit. 78. usque ad 83. unde aliqua aliis forsitan in locis referemus.

Cæterùm, ut hæc subordinat ionis & regiminis ratio apertior sit; perpetu ò in mentem revocandum illud est, quod aliàs de divina in rebus inexistentia ex S. Augustino animadvertimus: alioquì enim non integra ac perfecta, & qualis Deum decet, operatio satìs intelligeretur. Verum quidem est quòd, ut ibid. inquit Sanctus Augustinus cap. 3. nihil fit visibiliter, & sensibiliter, *quod non de interiore invisibili, atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut jubeatur, aut permit-*

tatur, secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. Verùm hæc solùm externum Dei regimen, aut præsentiam solius potentiæ designarent, quâ omnia in Universo, sicut Rex in Regno, Deus disponeret, ut observat S. Thomas 1.p.q.8. ubi de præsentia Dei in rebus agit. At verò altera ratio regiminis, & præsentiæ addenda est, quam sæpissimè explicat S. Augustinus, quâ Deus attingit à fine usque ad finem, quâ replet orbem terrarum, & quâ *substantialiter ubique diffusus est*, ut inquit idem D. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, *sed sic est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas Mundi, sed substantia creatrix Mundi, sine labore regens, & sine onere continens Mundum*: & alia ejusmodi plurima quæ referre solent Theologi, ad quæst. 8. 1. p. D. Thomæ, & quibus simillima Sancti Patres docuerunt. Hęc igitur operationis ratio, si alteri regiminis jungatur, & quidem operationis non solùm mediatæ, & solius virtutis diffusione, sicut corpora cælestia movent inferiora; sed etiam immediatæ, sicut spiritus vitæ, id est anima, corpus movet, ipsique inest, singulariſſima illa per illapsum præsentia, quâ vitam, & esse tribuit: hæc, inquam, si jungatur, clarissima erit subordinationis ratio, quâ inferiora à superioribus, & omnia tum inferiora tum superiora à Deo dependent. Sed prætereà, hæc

Confirmari iterùm ex D. Augustino possunt, & majus hæc probatio habitura est pondus, quòd Scripturæ Sacrę maximè consentanea sit. Etenim ut inquit S. Thomas 1. par. quæst. 105. in eodem articulo, in quo confirmatam esse de divina motione sententiam ostendimus, ideò *in Sacra Scriptura operationes naturę Deo attribuuntur quasi in natura operante, secundùm illud Job* 10. *pelle, & carnibus vestisti me*: nimirùm eâ ratione, quòd Deus primum agens, res omnes velutì quædam instrumenta moveat, & applicet ad suas operationes, sicut causa principalis movet, & applicat instrumenta. Unde cùm instrumenti operatio magìs principali agenti, quàm instrumento tribuenda sit; ideò nedùm causis secundis, quæ agunt, sed & magìs Deo opera totius naturæ etiam tribuenda sunt. Unde nullum planè discrimen agnovit S. Thomas quantùm ad efficaciam divinæ operationis, inter opera naturæ, & opera gratiæ, seu hominis merita: in omni enim ordine seu naturæ, seu gratiæ, omnis operatio Deo, ut principali agenti, & causas omnes moventi tribuenda est. Atquè ideò non esse homini gloriandum statuit, quia scilicèt principalis meriti hominis, ipsiusque operationis causa Deus est, qui hominem ad eam operationem movet, & quem manifestè, ut ex D. Thoma retulimus suprà q.3.art.2. Scriptura Sacra comparat instrumento. *Nunquid gloriabitur securis*, &c. Isa. 10. Atquì etiam in ordine naturæ clarissimè constat, quòd si cujusque gloriationis arbor v. g. capax esset, nunquàm gloriari posset, sibique tribuere quòd fructum ferret; cùm hi fructus operationi divinæ adscribendi sint: quod adhuc multò verius est de arboribus quæ naturâ suâ agrestes, insitione melioris surculi dulcem fructum ferunt, ut de oleastro dixit D. Paulus ad Rom. 11. tunc enim apertum est, nihil habere eam agrestem arborem unde gloriari possit, sed ut ita dixerim, necesse est quòd stupeat; *Mireturque novas frondes, & non sua poma*. Virg. 2. Georg.

Atque hæc quæ ex S. Thoma retulimus, etiam docuit D. Augustinus; ut ab eo Magistro ista didicisse D. Thomam, existimandum sit. Etenim eodem loco lib. 3. de Trinitate cap. 6. etiam totius naturæ opera esse Deo tribuenda inquit S. Augustinus. Atque id etiam probat, ex eo quòd cùm eadem opera præter naturæ cursum fiunt, nemo dubitare possit quin in Deum operantem referenda sint. Igitur & cùm relicto communi naturæ ordine Deus omnibus causis ipsâque naturâ ad ea opera efficienda utitur, ea non minùs in Deum referenda sunt. *Quis* enim, inquit S. Doctor, *attrahit humorem per radicem vitis ad botrũ, & vinum facit, nisi Deus, qui & homine plantante, & rigante, incrementum dat? Sed cùm ad nutum Domini, aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est. Quis arbusta fronde, ac flore vestit solemniter nisi Deus? Verùm cùm floruit virga Sacerdotis Aaron, collocuta est quodammodò cum dubitãte humanitate Divinitas.* Quibus deinde plurima addit, unde manifestissimè constet, existimatum esse à S. Augustino, in Deum referenda esse omnia etiam naturæ opera, nimirùm ea ratione, quòd vis divina in omnibus operetur, neque quidquam naturales causæ agant, nisi quia ipsemet Deus in illis operatur, ut agant. Atq; ea S. Augustini ratiocinatio eandem omninò in ordine gratiæ vim habet: cùm Deus insolitâ olim potentiâ Divam Magdalenam, D. Paulum, alioſque convertit, *collocuta est quodammodò, cum dubitante humanitate Divinitas*, ut invictam, & insuperabilem divinæ motionis, & gratiæ vim demonstraret.

Confirmari iterùm potest ex eo quòd, ut jam ex S. Thoma diximus, agnitam ab eo fuisse eandem vim divinæ operationis in utroque ordine, & naturæ, & gratiæ; ita etiam Divus Augustinus eandem vim operationis divinæ in utroque ordine agnoverit, & quod in hac quæstione, quam hìc pertractamus, majoris est momenti, divinam operationem in ordine naturæ ex ipsa operatione divina in ordine gratiæ collegerit: atquì negari non potest, neque negat Jansenius, aut alii, à quibus in statu naturæ, & innocentiæ diversa operationis, & regiminis ratio, quàm in statu naturæ lapsæ, & erga hominem infirmum statuitur; negari, inquam, non potest, quin D. Augustinus statuerit eam operationem efficacem, & quæ efficit, ut homo agat: ergo neque etiam negari potest, à D. Augustino eandem in ordine naturæ, & statu innocentiæ operationem admissam fuisse. Major ipsis S. Augustini verbis probanda est, & evidens fiet. Etenim eodem libro cap. 8. hanc comparationem instituit: *Sicut*, inquit, *in ipsa vi-*

ta

ta nostra mentem justificando formare non potest nisi Deus ; prædicare autem Evangelium extrinsecùs & homines possunt , non solùm boni per veritatem , sed etiam mali per occasionem ; ita creationem rerum visibilium Deus interiùs operatur ; exteriores autem operationes sive bonorum, sive malorum , vel Angelorum , vel hominum , sive etiam quorumcumque animalium secundùm imperium suum, & à se impertitas distributiones potestatum, & appetitiones commoditatum , ita rerum naturæ adhibet, in qua creat omnia, quemadmodùm terræ agriculturam .

Hæc S. Augustinus . Quorsùm verò ista operationis divinæ in ordine naturę , cum operatione divina in ordine gratiæ comparatio , nisi utriusq; eandem omninò vim esse intelligeret ? Igitur ex S.Augustino eadem est in naturæ ordine operatio, ut & in ordine gratiæ ; & sicut in hoc ordine gratiæ , cùm Deus format hominem , ac prædicato Evangelio , & auribus insonante , Deus interiùs hominem ad credendum movet , & impellit , & tunc efficit divina operatio , ut homo credat , fidemque adhibeat prędicationi ; & licèt homo ipse verissimè credat , divinæ tamen operationi hominis fides tribuenda est , quia ut homo credat , divina operatio efficit: ita planè cùm ipsę res agunt, suasque operationes edunt juxta impertitas sibi distributiones ac potestates , & insitas naturæ facultates ; quamvis ea ratione rebus causisque operantibus ipsarum operationes tribuendæ sint ; attamen potiùs Deo quàm ipsis causis secundis , eædem operationes sunt adscribendæ ; quia efficit divina operatio , ut causæ secundæ agant , quarum potestates ipsis distributas , & insitas facultates adhibet , & applicat ad suas operationes , & ut superiùs dixit, iis *utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ .*

Ex quibus etiam manifestum est , quòd cùm eadem sit vis operationis divinæ in utroque ordine ; non immeritò S. Thomas vice versa in ordine supernaturali & gratiæ , operationem divinam , quę humanam voluntatem movet , ex operatione Dei in ordine naturę collegerit ; cùm eadem sit utrobique Divina operatio , & utrobique eundem agendi modum servet , & eandem efficaciam habeat , quod etiam prętitisse S. Augustinum jam demonstravimus .

ARTICULUS VIII.

Aliæ probationes , admissam à S. Augustino causarum subordinationem , & præviam motionem in ordine naturæ .

COnfirmari iterùm superiora possunt hôc luculento argumento ; nimirùm , quòd ubicumque D. Augustinus Philosophum agens contra Veteres de Fato disputat , eâque rerum omnium serie , & ordine immobili , quô res omnes mobiles connectuntur ; non negat absolutè Fatum , eamq; immobilem coordinationem rerum, & seriem ; sed contendit , eam in solam voluntatem divinam referendam esse . Atquì reipsà Fatum , aut quod Fati nomine intelligi debet , non aliud est quàm ea rerum omnium connexio , & subordinatio sub Deo primo agente, & prima omnium causa, suspensa : ergo &c. Utraque pręmissa ex D. Augustino probari quàm facillimè potest . Etenim lib. 5. de Civit. Dei , ubi errorem Veterum impugnat, probatque casum Imperii Romani omniumq; Regnorum, nec fortuitum esse, neq; positioni stellarum esse tribuendum : vix ullum caput est , ubi Fatum , ac Fati vim omnem ultrò non concedat , si tamen in divinam voluntatem referatur . Atque ipso primo capite ita expressè inquit : si mutationes Regnorum , resq; humanas *quisquam Fato tribuit , quia ipsam Dei voluntatem , vel potestatem Fati nomine appellat ; sententiam teneat , linguam corrigat .* Sed potissimùm Fati nomine non aliud intelligendum esse quàm connexionem omnium causarum quæ à prima causa, & voluntate divina dependeat, explicat capite 8. ubi sic habet : *Qui verò non astrorum constitutionem, sicuti est cùm quidque concipitur , vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium connexionem seriemque causarum à qua fit omne quod fit , Fati nomine appellant ; non multùm cum eis de verbi controversia laborandum atq; certandum est: quandoquidem ipsum causarum ordinem, & quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati , & potestati , qui optimè , & veracissimè creditur , & cuncta scire antequàm fiant , & nihil inordinatum relinquere , à quo sunt omnes potestates , quamvis ab illo non sint omnes voluntates . Ipsam itaque præcipuè Dei summi voluntatem cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur , eos appellare Fatum , sic probatur , &c.* Scilicèt ex Seneca aliisque Veteribus quos refert .

Igitur ex D. Augustino manifestissimè constat , admissam ab ipso fuisse eam seriem , & connexionem causarum *à quo fit omne quod fit*, & quam Veteres Fati nomine intelligebant , si tamen, ut diximus , ad divinam voluntatem , divinamque operationem referatur : atquì , ut dictum est , ea series causarum Fati nomine intellecta , non alia est quàm ea causarum subordinatio , quarum inferiores à superioribus moventur , & dependent , usq; dum perveniatur ad primã omnium causam, quę cęteras omnes movet, & impellit , in quo posita est vera prædeterminationis ratio. Etenim, ut inquit S. Thomas, cùm divina providentia mediis causis effecta producat , ipsa ordinatio , ac dispositio effectuum præconcepta, providentia dicitur; ipsa verò hujus ordinis præconcepti in rebus ipsis quę moventur explicatio , Fatum est ; quod etiam Boëtius inquit lib. 4. prosâ 6. ubi in divinam providentiam referenda esse omnia ita egregiè observat ; *quidquid* enim *aliquo movetur modo ,*

cau-

causas, ordinem, formas, ex divinæ mentis stabilitate sortitur. Hæc enim *in suæ simplicitatis arce composita multiplicem rebus gerendis modum statuit; qui modus cùm in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur; cùm verò ad ea, quæ movet atque disponit refertur, Fatum à Veteribus appellatum est.* Ac deinde propriã Fati rationem explicans subjungit; *quòd Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus.* Atque eâ dispositione rebus impressâ, & Fato, Divina Providentia omnia administrat: *Sive* enim *famulantibus quibusdam Providentiæ Divinæ spiritibus, Fatum exercetur; seu anima, seu totâ inserviente naturâ, seu cælestibus syderum motibus, seu Angelica virtute, seu Dæmonum variâ solertiâ, seu aliquibus horum, seu omnibus, fatalis series texitur.* Hæc Boëtius.

Quæ omnia, & paucioribus, & clarioribus verbis, ut solet, explicat S. Thomas 1.p. q.116. art.2. ubi inquit, *quòd Divina Providentia per causas medias suos effectus exequitur: potest ergo ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari, uno modo secundùm quòd est in Deo, & hæc ipsa ordinatio effectuum vocatur Providentia; secũdùm verò quòd prædicta ordinatio consideratur in mediis causis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem Fati, & hoc est quod Boëtius inquit 4.de Consolat.* Ex quo deinde refert quę jam suprà retulimus: ac prętereà etiam Responsione ad secundum explicat, quod à D. Augustino dictum est suprà, 5.de Civit.c.1.quòd scilicèt *ipsa Dei voluntas vel potestas, Fati nomine appellatur.* Ita enim intelligendum esse inquit, *quòd ipsa ordinatio causarum secundarum quam S. Augustinus seriem causarum nominat; non habet rationem Fati, nisi secundùm quòd dependet à Deo; & ideò causaliter Dei potestas vel voluntas, dici potest Fatum, essentialiter verò Fatum est ipsa dispositio seu series causarum.*

Igitur Fatum legitimo sensu acceptũ non aliud est, quàm ipsa rerum dispositio, cõnexio, & subordinatio, quâ inferiores causę à superioribus dependent, & tandem ad Divinam Providentiam, quæ mediis causis superioribus inferioribus regit, & movet, referuntur: ergo cùm à D. Augustino Fatum legitimè acceptum, & ut ad divinam potestatem refertur, admissum fuerit; negari non potest, quin etiam veram pręmotionem in causis naturalibus admiserit. Unde quotiès, ut diximus Philosophum agit, & ex principiis Christianę Philosophię, & rationis Fide illustratæ, Veterum errores impugnat, totiès nulla ferè habita ratione infirmitatis naturæ, communia dumtaxàt principia advocat, quibus Providentiæ divinæ, divinæque operationis vim in rebus ipsoq; homine demonstrat, & cum libertate arbitrii conciliat. Unde

Confirmari iterùm potest ex eo quòd non solùm in causarum serie explicanda, & administratione totius Universi, communem illam ex operatione Dei in rebus omnibus rationem usurpat; sed etiam ubi agit de divinæ præscientiæ cum libera hominis voluntate concordia. Neque enim ibid.lib.5.de Civit.c.9.illam utriusq; concordiam aliundè repetit, quàm ex ipsa divinę voluntatis operatione, cui *omnes voluntates subjiciuntur*, & quia *non habent potestatem, nisi quam ille concedit.* Unde respondens Ciceroni, qui cùm in has angustias coarctaretur, ut unum de duobus eligeret; aut *esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque arbitrabatur esse non posse, maluit*, inquit, *Vir magnus, & doctus, & vitæ humanæ plurimùm ac peritissimè consulens, ex his duobus eligere liberum voluntatis arbitrium; quod ut confirmaret negavit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos.*

At verò, inquit S. Augustinus, *Religiosus animus utrumque eligit, utrumq; confitetur, & fide pietatis utrumq; confirmat.* Quo pacto verò utrumque confirmat? Nimirùm ex ipsa operatione Dei: quia illa solùm incommutabiliter novit, quæ ipse facturus est; & ideò futura novit, quia est facturus. Unde difficultatem omnem quæ fieri videbatur, ut hæc duo jungi non possent, ita in primis explicat: *si est*, inquit, *præscientia futurorum, sequuntur illa omnia, quæ connexa sunt, donec eò perveniatur ut nihil sit in nostra voluntate. Porrò si est aliquid in nostra voluntate, eisdem recursis gradibus eò pervenitur ut non sit præscientia futurorum: nam per illa omnia sic recurritur: si est voluntatis arbitrium, non omnia Fato fiunt; si enim omnia Fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum: si certus ordo causarum non est, nec certus est ordo præscienti Deo, quæ fieri non possunt nisi præcedentibus, & efficientibus causis: si rerum ordo præscienti Deo certus non est, non omnia sic eveniunt ut ea ventura præscivit: porrò si non omnia sic eveniunt, ut ab illo ventura præscita sunt, non est in Deo præscientia omnium futurorum.*

En Ciceronis, & aliorum Philosophorum argumentum, quo divinam præscientiam, & arbitrii libertatem conjungi non posse existimabant. Quid autem huic argumento respondet S. Augustinus? Advertit S. Doctor in eo versatum fuisse Veterum errorem, quòd ex illa efficientium omnium causarum serie primam omnium, & divinam voluntatem, & potestatem eximerent. Nam si in ea omnium causarum serie, prima intelligi-gitur esse divina voluntas; non alia necessitas est præter eam quam ipsa divina voluntas rebus impresserit, quæ sanè necessitas non adimit libertatem, sed è contra eam efficit. Unde certus quidem Deo est ordo ille causarum inferiorum, inter quas etiam humana voluntas censenda est: sed quia immutabiliter omnia Deus novit quę futura sunt, nec quomodòcumque ea novit, sed quia ipse ea facturus est, ideò non alia esse potest necessitas rebus impressa, præter eam quam ipse rebus imprimit, & quâ perimi ipsa libertas non potest. Unde sic prosequitur ac propositam difficultatem solvit. *Nos adversùs istos sacrilegos ausus atque impios, & Deum dicimus omnia scire antequàm fiant, & voluntate nos facere quidquid à nobis*

bis non niſi volentibus, & quidem liberè volentibus, *fieri ſentimus, & novimus. Omnia verò Fato fieri non dicimus, imò nulla fieri Fato dicimus; quoniam Fati nomen ubi ſolet à loquentibus poni, ideſt in conſtitutione ſyderũ qua quiſque conceptus aut natus eſt; quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere demonſtramus. Ordinem autem cauſarum ubi voluntas Dei plurimùm poteſt; non negamus; neque Fati vocabulum nuncupamus, niſi fortè ut fatũ à fando dictum intelligamus, ideſt à loquendo: non enim abnuere poſſumus eſſe ſcriptum in litteris ſanctis; ſemel loquutus eſt Deus, duo hæc audivi quoniam poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quod enim dictũ eſt, ſemel locutus eſt, intelligitur immobiliter, hoc eſt, incommutabiliter eſt locutus, ſicut novit incommutabiliter omnia, quæ futura ſunt, & quę ipſe facturus eſt.* Preme hæc ultima verba: iis enim ſolidiſſimè, & exactiſſimè S. Auguſtinus Ciceronis, aliorumque veterum argumentum ſolvit. Hoc enim pacto duo iſta junguntur, & Dei præſcientia immutabilis, & mutabilis hominis libertas; quia non ſimplex prænotio in Deo intelligenda eſt, ſed prænotio rerum effectrix. Deus cognoſcit voluntatem volituram, & quidem liberè volituram; & utrumque ſua ipſa operatrice prænotione, & preſcientiâ efficit; quòd ſcil. & certiſſimè volitura ſit, & tamen liberè volitura voluntas. Unde proſequitur: *Non eſt autem conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum; ideò nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, ejuſque præſcientiâ continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſę ſunt. Atque ita qui omnes rerum cauſas præſcivit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit.*

Hæc exactiſſima, & abſolutiſſima veterum argumenti ſolutio. Is enim erat veterum error cùm de fato loquerentur, & de omnium cauſarum ſerie; quòd ex ea ſerie cauſarum removerent primam omnium cauſarum, ſcilicèt voluntatem Divinam, & voluntates etiam humanas. Quòd ſi è contrà in illo ordine, & ſerie cauſarum, & prima Dei voluntas, & hominis etiam voluntas eſſe intelligantur; *non eſt conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideò nihil ſit in noſtrę voluntatis arbitrio*: quia ideò certus eſt ille ordo, quia divina voluntas *plurimùm in illo ordine poteſt*: & poteſt in ipſa voluntate humana, quę illo eodem ordine continetur: unde ideò, quæ facturа eſt humana voluntas Deus novit, quia ipſemet ſua voluntate, ſuaque prænotione rerum omnium operatrice ea facturus eſt quæ novit. Unde quod à Cicerone dictum fuerat, nihil fieri ſi cauſa efficiens non præcedat; arripit S. Auguſtinus, ut Ciceronem ſuis ipſis principiis irretiat, ſuoque gladio confodiat: quamvìs enim adderet Cicero, nihil quidem fieri ſine cauſa, ſed tamen non omnem cauſam eſſe Fato conſtrictam, ſeu non eſſe in ea ſerie cauſarum comprehenſam: quia aliæ cauſæ fortuitæ ſunt, alię naturales, aliæ verò voluntarię: ex quo ordine cauſarum voluntarias, ut & fortuitas Fato non ſubjici exiſtimabat Cicero: quamvìs, inquàm, hęc adderet, nihil tamen eâ exceptione Ciceronis cauſam juvari contendit D. Auguſtinus; quia falſum eſt eas omnes cauſas Divinę voluntati ac ipſius poteſtati non ſubjici, à qua Fatum omne, rectè intellectum, dependet. Unde ſic inquit S. Doctor. *Nam & illud quòd idem Cicero concedit, nihil fieri ſi cauſa efficiens non præcedat; ſatìs eſt ad eum in hac queſtione redarguendum. Quid enim eum adjuvat, quod dicit nihil quidem fieri ſine cauſa, ſed non omnem cauſam eſſe fatalem, quia eſt cauſa fortuita, eſt naturalis, eſt voluntaria? ſufficit, quia omne quod fit, non niſi cauſa præcedente fieri confitetur. Non enim eas cauſas quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes, eaſque tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet ſpirituum voluntati: ipſaſque naturales nequaquam ab ipſius voluntate ſejungimus, qui eſt author omnium, conditorque naturæ.*

Omnes igitur cauſæ, & cauſarum effectus nedum naturales, ſed & qui caſu ac fortuitò accidunt, in Divinam voluntatem referri debent; neque enim ideò fortuitos effectus vocari exiſtimandum eſt, quòd nullas habeant cauſas, ſed quòd hæ cauſæ latentes ſint; atque ea cauſa latens potiſſimùm eſt Dei voluntas, qui conditor eſt omnis naturæ. At verò quòd ad voluntarias cauſas attinet, ita inquit idem S. Auguſtinus; *Jam verò cauſæ voluntariæ aut Dei ſunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque animalium, ſi tamen appellandæ ſunt voluntates animalium rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt ſecundùm naturam ſuam, cùm quid boni malivè vel appetunt, vel vitant.* Omnes verò eas voluntates creatas à prima omnium voluntate, ſcilicèt divina, & increato ſpiritu dependere neceſſe eſt. Unde pergit S. Doctor. *Spiritus ergo vitæ qui vivificat omnia, creatorque eſt omnis corporis, & omnis creati ſpiritus, ipſe eſt Deus, utìque non creatus; in ejus voluntate ſumma eſt poteſtas, qui creatorum ſpirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, & quibuſdam tribuit poteſtatem, quibuſdam non tribuit: ſicut enim omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum; malæ quippe voluntates ab illo non ſunt.*

Igitur ſicut cauſas omnes naturales, & fortuitas, atque earum omnium effectus in divinam voluntatem referri neceſſe eſt; ita etiam neceſſe eſt, voluntates omnes, eorumque omnes motus in cauſam efficientem præcedentem referri. *Corpora enim ſubjacent voluntatibus, quædam noſtris &c. quædam verò Angelorum: ſed omnia maximę Dei voluntati ſubdita ſunt, cui etiam omnes voluntates ſubjiciuntur, quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit.* Preme iterùm hæc verba: voluntates *non habent poteſtatem niſi quam ille concedit.* Neque enim de ſola poteſtate agendi naturæ congenita intelligit D. Auguſtinus; ſed de ipſa etiam voluntatis operatione & actu, ſicut

etiam

etiam voluntates animalium, si eo nomine appellandæ sint, intelligit S. Doctor *eos motus quibus aliqua faciunt secundùm naturam suam*. Igitur omnia subjacent voluntati divinæ, nihilque est in subjectis voluntatibus quod voluntas divina non efficiat: ergo si in illo causarum ordine *qui certus est Deo, ejusque præscientiâ continetur*, intelligatur esse prima seu divina voluntas; intelligantur & ipsæ voluntates creatæ Dei voluntati subjectæ; nihil mirum si certus sit ille rerum ordo, si certa sit divina providentia; cùm nihil sit in ordine quod prima illa Dei voluntas non efficiat, & efficiat eo modo quo fieri voluerit, ut scilicèt voluntates liberæ liberrimè velint. Unde verissimè inquit S. Doctor, quòd *non est consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio*: cùm è contra ideò ipsum velle sit in nostræ arbitrio voluntatis, quia certus est ille ordo causarum, & quia ipsa prima seu divina voluntas quæ inchoat, regitque, ac movet ordinem illum causarum, efficit ut ipsum velle sit in nostræ voluntatis arbitrio.

Hanc solutionem, & modum conciliandi divinam præscientiam cum libertate, clariùs deinde explicat idem S. Augustinus in fine capitis ubi sic habet. *Quapropter, & voluntates nostræ tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit atque præscivit: & ideò quidquid valent, certissimè valent; & quod futuræ sunt ipsæ omninò futuræ sunt; quia valituras atque futuras ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. Quapropter si Fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem Fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui eùm habet in potestate, quàm illo causarũ ordine, quem non usitato sed suo more Stoïci Fatum appellant, arbitriũ nostræ voluntatis auferri.*

Hactenùs S. Augustinus. Clarissima sanè, & absolutissima solutio; Deus equidem omnia præscit, sed tamen non ideò divinâ præscientiâ damnum inferri potest libertati: quia nihil præscit nisi quod ipse futurus est, ut dixerat supra, aut ut hìc inquit, quia *tantùm valent voluntates, quantùm Deus eas valere voluit*, & illud valent, quod ipsas valere voluit, ut scil. suo modo, id est, liberè agant: quia *non habent potestatem, nisi quam ille concedit*. Et illam dubio procul potestatem habent quam ille concedit, ut nimirùm, & cum judicio rationis, & cum suæ ipsius actionis dominio agant. Unde cùm ipsæ voluntates non aliud futuræ sint, quàm quod ille voluerit, & in ipsis effecerit; nihil mirum quòd certa sit Dei præscientia, integraque etiam maneat voluntatis nostræ libertas: quia ex ipsa divinæ præscientiæ efficacia oritur illa certitudo, & immutabilis efficacia divinæ præscientiæ conjuncta cum ipsa voluntatis libertate. Scit enim, & simul efficit, ut voluntas velit, & liberè velit; quod idem planè est quòd S. Thomas clarioribus verbis, & minùs obtortæ interpretationi obnoxiis explicuit; nimirùm quòd Deus nedùm substantiam actûs, sed & modum libertatis suæ operatione, & præscientia operatrice efficit.

Confirmari hæc omnia possunt ex his quæ habet idem D. Augustinus cap. sequenti 10. ubi admittit aliquam necessitatem ex voluntate divina, & præscientia impressam voluntati creatæ, quæ tamen non ei adimit libertatem: quòd nimirùm ea sit necessitas non absoluta, sed conditionata dumtaxàt, & quam Theologi cum S. Thoma consequentem, non antecedentem vocant. Sed de his fusè infrà, cùm argumenta solventur, ubi SS. Augustini, & Thomæ concordem sententiam demonstrabimus. Sed prætereà,

Confirmari hæc possunt ex his quæ habet idem D. Augustinus lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 3. ubi eandem difficultatem versat, quo pacto cum libertate humana vis divinæ præscientiæ, divinèque voluntatis efficacia jungi possit. Neque enim de sola Dei præscientia, quæque nihil in voluntate creata efficiat, intelligit S. Augustinus; sed reipsà etiam de providentia divina ac divina voluntate, quæ *in creatura operatur*, ac in ipsa creata voluntate. Unde illud quod ab Evodio dictum fuerat, & probat, & maximè commendat; quòd *voluntas illius*, scilicèt Dei, *mihi est necessitas*. Igitur de illa necessitate à divina voluntate impressa creaturæ, agens S. Doctor, (quæque apertiùs, & ad amovendam falsam interpretationem quæ fingi posset, opportuniùs infallibilitas, & immutabilitas à Theologis dici solet:) eam cum libertate voluntatis creatæ conjungi posse demonstrat; neque aliundè hanc concordiam, & conciliandi modum repetit, quàm ex ipsa creatæ voluntatis conditione, & natura, quàm divinæ præscientiæ, & divinæ voluntatis efficacia non admittit, nec mutat, aut invertit, aut lædit, sed magìs perficit. Unde inprimìs commune argumentum refert, nec nisi cum aliqua humanæ cæcitatis nota. *Attende quæso*, inquit, *quanta cæcitate dicatur: Si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil alter potest fieri quàm præscivit, necesse est ut velimus quod ille præscivit. Si autem necessitas est, non jam voluntate, sed necessitate idem velle fatendum est*: hoc enim commune, & Evodii quo cum disputat, & veterum Philosophorum argumentum; quo nullam necessitatem ex divina præscientia, divinaque voluntate ortam cum voluntatis humanæ libertate conjungi posse contendebant. Qua verò ratione hunc nodum solvit S. Augustinus? An fortè negat quod ab Evodio dictum anteà commendaverat, scilicèt quòd Dei *voluntas mihi necessitas est*; necessitas, inquam, de qua diximus suprà, & quam Theologi consequentem vocant? minimè verò; sed contendit cum eadem necessitate, quæ non absoluta, sed secundùm quid dicenda est, conjungi voluntatis humanæ libertatem: idque ex ipsa voluntatis conditione, & natura, quę cùm vult, agitque, connaturali scilicèt modo, etiam & liberè vult. Unde sic argumentum solvit S. Doctor. *O stultitiam singularem; quomodò ergo non potest aliud fieri quàm præscivit*

civit Deus ſi voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præſciverit.

Veriſſimè ſanè nec immeritò redarguendum eſſe S. Auguſtinus exiſtimavit, quòd aſſereretur præſcientiâ divinâ libertatem creatæ voluntatis auferri, ſi ipſa præſcientia voluntatem futuram, & quidem liberè volituram eſſe Deus præſciverit. Utrumque enim Deus præſcivit, & creatam voluntatem futuram, & liberrimam futuram eſſe. Neque enim hæc duo præſcientia ſejungit, & ſubſtantiam, & modum actûs. Unde etiam, & illud durius rejiciendum eſſe putat S. Doctor, cùm dicitur quòd neceſſe ſit hominem velle, eo ſcilicet modo quo homines ſolent velle; & tamen ea neceſſitate auferri libertatem. Nam inquit, *omitto illud æque monſtruoſum quod paulò ante dixi eundem hominem dicere, neceſſe eſt ut ita velim; quòd neceſſitate ſuperpoſita auferre nititur voluntatem.* Atquè hujus rationem ſubdit: *ſi enim neceſſe eſt, ut velit, unde volet cùm voluntas non erit?* Rectè quidem, ſi enim neceſſitas auferat voluntatem, unde volet ſublata voluntate?

Verùm, cùm animadverteret D. Auguſtinus, huic Reſponſioni reponi poſſe, iterumque objici: manere quidem ſub divina voluntate Divinaque præſcientia ipſam voluntatis creatę potentiam, ſed non remanere liberum voluntatis uſum, ſeu indifferentiam, aut voluntatis in ſuos actus dominium: quæ ſanè objectio apertè indicat S. Auguſtinum loqui de ea præſcientia de qua periculum eſſe poſſit, auferri libertatis uſum, ipſamque indifferentiam voluntatis: huic argumento

Reſpondet; & primò quidem objectionem quæ fieri poſſet ita proponit. *Quòd ſi non hoc modo dixerit; ſed dixerit, ſe, quia neceſſe eſt ut velit, ipſam voluntatem in poteſtate non habere.* Hoc ſanè unicum illud quod reponi poteſt argumentum, ſcilicèt ſub ipſa voluntate Divina, & effectrice præſcientia Dei, manere quidem voluntatis potentiam, & facultatem, ſed non remanere liberum illum voluntatis uſum, quem in ſua poteſtate voluntas habeat. Sed retundit hoc qualecumque acumen, & iterum ex ipſa voluntatis conditione ſupereſſe eam libertatem demonſtrat S. Auguſtinus: quia ſcilicet ipſum velle in noſtra ſemper poſitum eſt poteſtate: quod hoc exemplo demonſtrat. Nam beatum quidem eſſe, non in noſtra poſitum eſt poteſtate; velle autem beatum eſſe, in noſtra poteſtate poſitum eſt; quod de ipſo voluntatis actu, ſeu libero exercitio, eſt intelligendum. Ideoque ut arbitror, exemplum hoc uſurpat S. Auguſtinus, quòd apertiùs affirmari poſſit, hominem velle eſſe Beatum; nam univerſim de omnibus aut caſtos eſſe velle, aut virtuti ſtudere velle affirmari non poteſt. Et præterea jam definitum eſſe ſuppono, ad verum libertatis exercitium, quandiu homo vivit indifferentiam requiri: & eum etiam actum quo vult homo beatus eſſe, etiam eſſe in poteſtate voluntatis, cùm in eo poſſit eſſe meritum: de quo aliàs eſt dicendum, & notat expreſsè S. Thomas qu. 22. de verit. art. 7. Unde dubium non eſt quin D. Auguſtinus de vera libertate, & libertatis indifferentia intelligi debeat, cùm aliàs argumentum de quo potiſſima erat difficultas intactum relinqueret. Igitur hoc exemplo, iterum, ut diximus, ex ipſa natura voluntatis reſpondet; quòd etiam cùm neceſſe eſt ex Divina præſcientia Divinâque voluntate, ut voluntas creata velit, adhuc tamen ipſa voluntas creata in ſua poteſtate ſuum ipſum velle habeat. Unde ſic ſtatim Reſpondet. *Occurretur* itaque *ex eo quod ipſe dixiſti, cùm quærerem utrùm invitus beatus ſis futurus. Reſpondiſti enim quòd jam eſſes beatus, ſi poteſtas eſſet in te; velle enim te, ſed nondum poſſe dixiſti. Ubi ergo ſubjeci de te clamaſſe veritatem, non enim negare poſſumus habere nos poteſtatem, niſi cùm nobis quod volumus deeſt: dum autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non utique volumus. Quòd ſi fieri non poteſt ut dum volumus, non velimus, adeſt utique voluntas* (& quidem libera voluntas) *volentibus, nec aliud quidquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt: voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate: porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis: non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe quod habemus.*

Unde tandem concludit, & præſcientiam effectricem, & divinam voluntatem quæ mihi neceſſitas eſt, cum ipſa libertate voluntatis conjungi ſic explicat. *Ita fit ut, & Deum non negemus eſſe præſcium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus: cum enim ſit præſcius voluntatis noſtræ, cujus eſt præſcius ipſa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius, nec voluntas eſſe poterit ſi in poteſtate non erit. Ergo & poteſtatis,* (ideſt liberi uſus, & exercitii voluntatis) *eſt præſcius: non igitur per ejus præſcientiam mihi poteſtas* (uſuſque liber voluntatis) *adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſcivit.*

Profundiſſimè quidem certitudinem ac firmitatem libertatis repetit ex ipſa Divina præſcientia effectrice: aut, ſi ita loqui liceat, ex ipſa neceſſitate liberè volendi. Ut enim aliquandò ex S. Thoma explicabimus, hoc efficit Divinæ voluntatis impreſſio, ut creata voluntas liberè velit, & neceſſe ſit liberè velle, quia immutabile eſt, ut res fiant eo modo quo Deus res vult fieri, vel neceſſariò, vel liberè. Unde aliqua neceſſitas eſt conjuncta cum libertate, & quâ neceſſe eſt voluntatem liberè velle. Unde eadem omnino ſolutio eſt, quam ubique D. Thomas uſurpat, & nos alibi fusè proſequemur; aliquam eſſe neceſſitatem quæ veriùs infallibilitas, & immutabilitas dicenda eſt, & quæ cum libertate conjungi poteſt: & in eo quidem fœdere operationis Divinæ, & voluntatis creatæ, quamlibet ſuas partes habere, ſuaque jura illæſa ſervare: immutabilitatem agendi ex Divina operatione oriri, libertatem verò ex conditione voluntatis. Quæ ita paucis S. Thomas, & perſpicuè tradit quæſt. 6. de Electione humana ad 3. ubi inquit *quòd Deus movet quidem voluntatem*

tem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.

Hæc D. Thomas: neque aliud significant, quæ habet S. Augustinus, eâ quâ solet eloquentiâ, quòd scilicèt voluntas eò liberior est, quò divinæ gratiæ est subjectior, Epist. 89. & quòd tutiores sumus cùm totum Deo damus, lib. de dono pers. cap. 6. atque eodem sensu lib. de prædestinat. SS. cap. 11. firmitatem, ac certitudinem operationis voluntatis humanæ in ipsam firmitatem promissionis divinæ refundit: ideòque debere hominem firmiori promissioni divinæ, ac divinæ operationi potiùs quàm infirmiori voluntati fidem, spemque suam, & charitatem committere, de quo alibi.

Hactenùs de S. Augustini sententia pro concordia divinæ præscientiæ cùm libertate creata, quæ forsitan opportuniùs alium in locum remitti potuissent, ubi ex professo de ea conciliatione à nobis agendum est; sed ea hìc pertractavimus, quòd conjuncta sint, ex eodemque loco D. Augustini desumpta: ex quibus apertissimum est, S. Doctorem, quoties Philosophum agit, & de Fato, ac de divina præscientia, & operatione divina in rebus, ipsaque voluntate creata communes difficultates pertractat; eadem omninò principia advocasse, quæ deinde ubique usurpat S. Thomas; quòd ea universalissima sint, omnibusque statibus communia; quamvìs tamen deinde pro variis statibus, seu stantis, & innocentis hominis, seu lapsi, & suo casu viribus fracti, diversa esse principia possint, & debeant, & major, ac fortior infirmo homini, quàm integris viribus prædito gratia conferenda sit. Sed

Confirmari iterùm hæc possunt, quòd nimirùm S. Augustinus Philosophum agens, eadem semper principia advocaverit, quibus deindè usus est D. Thomas, de divina operatione, ac præscientia operatrice in rebus, & in ipsa voluntate, etiam in omnibus statibus. Confirmari hæc inquam possunt, ex eo quòd necesse fuerit, D. Augustinum ità sentire, neque aliter jungi possint alia principia in quibus longa meditatione versatum fuisse negari non potest. Hoc enim tanquàm certissimum principium statuit lib. 15. de Trinitate cap. 13. quòd scilicèt Deus *universas creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideò sunt, quia novit: non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo scivit creavit; non quia creavit scivit.*

Hoc certissimum S. Augustini principium, quod ab eo didicit, & amplexus est S. Thomas 1. par. qu. 14. art. 8. *Utrùm scientia Dei sit causa rerum?* ubi hæc D. Augustini verba pro fundamento constituit. Atque inde clarissimè colligitur, quo sensu præscientiam rerum intellexerit D. Augustinus, aut quam præscientiæ vim tribuerit. Intelligit enim Dei præscientiam rerum ipsarum effectricem, quæ futura non supponit, sed sua ipsa vi efficit. Unde hæc cùm aliis omninò conveniunt quæ ex eodem S. Augustino lib. de Civitate suprà retulimus, quòd scilicèt Deus *novit incommutabiliter omnia, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est.* Quia nimirùm non ideò futura sunt, quia ea, & novit, & præscivit. Atquè hæc utrobique de omnibus causis tum spiritualibus, tum corporeis intellexit D. Augustinus. Unde necesse est in omni rerum ordine, & quæcumque constituatur series causarum, inde oriri certitudinem præscientiæ Divinæ, quòd ipsa Divina præscientia sit res ipsas factura. Quare & eo pacto ut diximus, solidissimè D. Augustini principiis, quem magistrum secutus est S. Thomas, divina præscientia cùm libertate creata conciliatur: quia ipsamet præscientia Dei efficit res futuras quas præscit, quia *tantùm valent voluntates* creatæ, *quantùm* Deus *ipse voluerit*: quia Divinæ voluntati creatæ *voluntates omnes subjiciuntur*: quia *non habent potestatem nisi quam ille concedit*: quæ sanè omnia principiis D. Thomæ omninò, & quantùm intelligi potest, consentanea sunt, à quo non alia unquàm conciliandi libertatem cum divina præscientia divinaque voluntate, ratio tradita est, præter ipsam vim, & efficaciam divinæ voluntatis, ac præscientiæ divinæ, quæ nihil in voluntate creata sivè substantiam, sivè modum actûs, scilicèt libertatem, & libertatis usum, supponit, sed efficit.

Neque mutatam unquàm à S. Augustino sententiam existimari potest; cùm in libris de Trinitate longa meditatione versatum fuisse satis colligi possit, tum ex epistola 7. ubi se libros de Genesi, & de Trinitate diutiùs tenuisse inquit, quàm voluissent hi qui hos libros avidissimè expetebant: tum ex epistola ad Aurelium Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum scripta, atque ejusdem D. Augustini jussu libris de Trinitate prefixa; qua se libros de Trinitate juvenem inchoasse, senem verò edidisse inquit: in quo potissimum opere præcipuum illud S. Augustinus principium statuit, quod omnibus hominum statibus, & in quacumq; serie causarum valere suprà observavimus, scilicèt Deum non ideò res præsciviisse quòd futuræ essent, sed ideò futuras esse quòd Deus eas prescíverit.

Atquè indè apertissimè universum Ianseníi Systema evertitur, quo scilicèt in statu innocentis naturæ, & firmitatis Angelorum, alium ordinem, aliamque efficaciam Divinæ gratiæ constituit. Scire enim velim, num etiam quandiù Adamus in eo felici innocentiæ statu permansit, beatior (ut inquit Sanctus Augustinus libr. 5. de Civitate Dei cap. 12.) quàm quisquàm unquàm ex eius posteris fuerit? adeò ut D. Thomas existimaverit; quæcumque consummatæ sanctitati privilegia conceduntur in hoc præsenti quo versamur statu, Adamo tunc concessa fuisse; nam inquit *ad modum qui est naturalis Angelo, & supra naturam hominis elevatur homo per gratiam etiam post statum culpæ, sicut in viris contemplativis patet, qui Divinas revelationes merentur; & multò amplius fuit in primo statu per gratiam originalis Justitiæ*, in 2. distinct. 25. quæst. 2. art. 1.

Tunc

quæſt.2. art. 1. Tunc enim, ut inquit S. Auguſtinus lib.11.de Geneſi cap.33. & refert D. Thomas 1. p. quæſt.94.art.1. *Deus ipſa incommutabili veritate* Adami mentem illuſtrabat; aut, inquit D. Thomas, *irradiatione primæ veritatis*. Neque deerat par animi rectitudo, cùm erat *in eo amor imperturbatus in Deum*, ut inquit S. Auguſtinus 14. de Civitate Dei, cap. 10. & refert ac explicat D. Thomas qu. 95. art.2. neque enim eſſe poterant tot beneficia; totque privilegia ſanctitatis collata, ſine ardentiſſima, & flagrantiſſima charitate, quâ Deum diligeret; cùm præſertìm ſumma Dei familiaritate frueretur; quæ omnia aliàs expendemus.

Scire inquam velim, nùm hæc D. Auguſtini regula valeat, *non quia ſunt* aut futura ſunt, *ideò Deus ea novit; ſed ideò ſunt*, & futura ſunt, *quia* Deus *novit incommutabiliter, quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt*? Nùm Deus futuram Adami charitatem, & ardentiſſimum amorem, & ex amore meritum comparandum præſcivit, quia ipſemet utrumque in Adamo facturus erat? nullo enim facto diſcrimine ita S. Auguſtinus ſtatuit, & ex hujus doctrinæ principiis comprehendit hæc Divina, & effectrix cognitio, *univerſas creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales*. Igitur & de Adamo concedendum, quòd Deus noverat, quæ fuerat ipſe in Adamo facturus; & tantùm valebat Adami voluntas, quantùm Deus ipſe volebat, nec poteſtatem habebat Adamus, niſi quam Deus illi concedebat. Neque enim exiſtimandum eſt, Deum ſe ſua poteſtate ſuoque dominio ac ratione primi principii ſpoliare poſſe, ut ea homini conferat; non magis ſanè quàm ratione ultimi finis; & ſi dictum in ſacra Scriptura ſit, *gloriam meam alteri non dabo*, etiam pari ratione cenſendum eſt, nec dominium, nec poteſtatem, nec rationem primi principii alteri daturum: Cùm, ut ſæpiùs à D. Thoma dictum eſt, ratio primi principii, & primi agentis, cum ratione ultimi finis conveniant, neque unquàm ſejungi poſſint.

Confirmari demùm iſta poſſunt, & ſumma D. Auguſtini doctrinæ in omni ordine conſenſio demonſtrari, ex eo quòd ſicut in ordine naturæ S. Doctor ſtatuit, præſcientiam decreto voluntatis & operationi Divinæ innixam eſſe, eamque eſſe rerum effectricem; ita etiam in ordine gratiæ, præſcientiam eam eſſe definit, quæ ſit effectrix illius quod præſcit; *prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*, lib. de prædeſt. SS. cap. 10. & cùm gratiæ *dona quibuſcumque Deus donat, proculdubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit: nam in ſua, quę falli mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua diſponere, id omninò, nec aliud quidquam eſt, prædeſtinare*, lib.de dono perſeverant.cap.17.

En ſanè miram illam in S. Auguſtino doctrinæ conſenſionem. Neque negari ulla ratione aut explicari à Janſenio aliiſque ea poſſunt, quæ de naturæ ordine, & Divinæ præſcientiæ cum creata libertate concordia S. Auguſtinus docuit, quin latiſſimam viam Recentioribus aperiant, qui in ordine ſupernaturali indifferentem gratiam ex libero arbitrio hominiſque voluntate ſuſpenſam ſtatuunt: Quòd ſi D. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia. alium regendi hominem in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ modum ſtatuerit, & videatur gratiam arbitrio innocentis hominis relictam, & in ſtatu naturæ lapſæ majorem gratiam ei à Deo eſſe datam docuiſſe, quâ homo immutabiliter, & inſuperabiliter ageretur; hoc duplici de cauſa à S. Auguſtino factum eſt; primò quòd de Adami perſeverantia ibi loqueretur, quam ipſi conceſſam non fuiſſe infelix ejus caſus comprobavit: ſecundò quòd rationem ex infirmitate deſumptam contra Pelagium alioſque gratiæ hoſtes urgeret. Atque ex eo capite neceſſum eſt, quòd ſi ſolius infirmitatis ratio habeatur; nulla effectrice gratia, & quâ inſuperabiliter ageretur, quæque duritiam cordis repelleret, Adamus non egeret: minimo enim ut ita dixerim attractu, & afflatu Divinæ gratiæ, homo totus teres, atque rotundus, impelli poterat, ut globus nulli motui obſiſtens, in quamcumque partem quàm facillimè impellitur; neque ex magnitudine obſiſtentis impedimenti, ſed ex magnitudine actûs eliciendi, gratiæ magnitudo in eo ſtatu naturæ innocentis metienda erat.

Verùm, altera, & communior ratio erat, alterum uniuerſalius principium, quod S. Auguſtinus aliis in locis ſtatuerat, & quo aliter fieri non poterat, quin primo etiam in ſtatu innocentiæ, effectrice gratia à Deo moveretur. Atque ita nos docuit S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ubi diſcrimen inter utrumque ſtatum conſtituens, ita inquit: *Sic igitur virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturę, indiget homo in ſtatu naturę integræ quantùm ad unum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale; ſed in ſtatu naturę corruptæ quantùm ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulteriùs, ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad agendum*. Non puto me facturum cuiquam injuriam, ſi meliùs à Divo Thoma intellectum fuiſſe Divum Auguſtinum exiſtimem: mihique omninò compertiſſimum eſt, nulla unquàm ratione poſſe S. Auguſtinum cum S. Auguſtino conciliari, niſi hæc ex S. Thoma deſumpta ratio conciliandi uſurpetur. Hæc pro hoc loco ſatìs, quantùm enim à recta ratione, & vera D. Auguſtini ſententia Janſenius aberraverit, alio in loco, & fuſiùs erit demonſtrandum; quantùm ſcilicet à D. Thomæ, ejuſque ſcholæ ſententia longiùs receſſit.

ARTICULUS IX.

Altera ratio S. Thomæ ex applicatione causæ secundæ.

RAtionem ex applicatione desumptam attulerat D. Thomas quæst. 3. de potentia art. 7. ubi expressè dixerat, quòd *tertio modo una res est causa actionis alterius, in quantùm eam movet ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum*. Etsi enim nulla intelligatur virtus collata, & impressa, eo ipso quòd res una alteram ad agendum applicat, eâque utitur, est causa operationis ipsius: nunquàm enim hactenùs dubitatum est, principalem causam, & artificem, causam esse operationis sui instrumenti, v. g. scissionis, cùm scamnum conficit, eo ipso quòd suum instrumentum applicet, vertet, & moveat ad opus; etsi nullam aliam virtutem agendi conferat præter ipsum motum, quem instrumentum movendo ipsi imprimit. Neque intelligi præterea potest, quin ea motio, & applicatio activa, & physica, & prævia sit, de quo vel ipsi oculi dubitationem omnem si quæ esse posset, submoverent. Atquì eandem rationem affert hîc D. Thomas, ut probet, Deum operari in natura operante, ut non possit non esse utrobique eadem sententia. *Deus enim*, inquit, *movet res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum*, seu facultates activas, *ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum*: Nullâque additâ particulâ ad 3. *Deus non solùm dat formas Rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat eas ad agendum*,

Et verò inde probari potest, probatque etiam D. Thomas, res omnes ipsamque voluntatem moveri à Deo, quia tota natura, resque omnes, nequidem excepta voluntate, sunt in manu Dei ut instrumentum in manu artificis. Unde sic ea ratio formari potest: non possunt res omnes non moveri prævièe, & physicè à Deo, si habeant rationem instrumenti, easque omnes moveat Deus ad agendum, sicut artifex movet sua instrumenta ad sua artefacta conficienda. Atquì Deus movet res omnes ad suas operationes, sicut artifex instrumēta sua movet. Ergo Deus res omnes, & physicè & prævièe movet. Major aperta est, cùm ea sit propriissima ratio instrumenti, quòd non moveat nisi à principali causâ motum, & applicatum. Minorem autem centiès repetit S. Thomas: quoties enim de divina providentia; & divina gubernatione agit, toties principium illud advocat, Deum primam, & principalem causam esse, quæ aliis omnibus causis utitur ad effectus à se intentos producendos; Deum primum esse agens universalissimum, quodque universalissimum etiam finem respicit, ad quem causas omnes dirigit, nō secùs ac ad scopum sagitta dirigitur à sagittante. Unde 1. 2. quæst. 1. ar. 2 *Tota*, inquit, *natura irrationalis comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad principale agens*. Atque ea ratione probat S. Doctor, motus omnes totius naturæ fieri propter finem, non quòd ipsa natura se se in finem dirigat, cùm hujus directionis incapax sit, sicut & cognitionis expers; sed quia à Deo dirigitur qui ultimum finem respicit, & ad ipsum omnia movet ac veluti transmittit. Atque eadem fermè habet S. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. quem fusiùs retulimus suprà, & hìc solùm hæc verba advertimus, quòd Divina Sapientia se se *ordinatissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & utitur ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ*. Quid enim aliud est usus, præter rei applicationem, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 16. art. 1. ubi usum definiens inquit, quòd *usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem. Unde applicatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus; sicut equitare est usus equi, & percutere est usus baculi*. Ergo cùm à D. Augustino dictum est, Sapientiam Divinam rebus omnibus ad suæ sententiæ arbitrium, finemque àse intentum uti; dubitari non potest, quin intellexerit, à Deo ut supremo artifice res omnes tanquàm instrumenta ipsius moveri, & applicari.

Sed apertiùs D. Augustinus, solitoque acumine, & eloquentiâ voluntatem, & ipsam hominis animam cum instrumento, & framea aut gladio comparat, quo Deus percutiat, & debellet inimicos: quin etiam eam comparationem ab ipso Regio Propheta Davide institutam observat, in psal. 34. statim initio ad ea verba, *expugna impugnantes me, apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi*. Ubi ita egregiè inquit S. August. *Magnum spectaculum est videre Deum armatum pro te, Et quod ejus scutum, quæ arma &c. arma autem ejus, quibus non solùm nos muniat, sed etiam percutiat inimicos, si bene profecerimus, & nos erimus. Sicut enim nos ut armemur ab illo habemus, ita ipse armatur de nobis; sed ipse sic de his armatur quos fecit; nos ab his armamur, quæ de ipso accipimus, qui fecit nos*. Ac deinde arma quibus à Deo tegimur, & munimur, prosequitur ex Apostolo, qui *scutum Fidei, galeam salutis, gladium spiritus* commemorat: ac posteà cùm sequentem versum psalmi explicat, *Erue ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, observat, ab ipso Davide animā vocari gladium, & frameam Dei. Unde ita subjungit. *Quod superiùs* Propheta Regius, *dixit, animam meam, hoc sequenti versu dicit, frameam tuam, ideſt, gladium tuum: Ergo frameam Dei dixit animam tuam. Erue, inquit, ab impiis animam meam, ideſt ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam. Apprehendis enim animam, & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ, & coruscationis vibrata? quid est*

ipsa

ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa? nam quælibet optimè facta framea, si non habet bellatorem, jacet.

Hactenùs D. Augustinus; quibus sanè nihil acutius, & nihil etiam principiis jam ex S. Thoma constitutis, aut infrà ampliùs explicandis conformius dici potest. Quia nunquàm ipse instrumenti usus à solo instrumento esse potest; jacet enim, nisi ab artifice moveatur, & ad opus applicetur. Unde rectè à D. Thoma qu. 3. de potent. art. 7. ad 7. dictum est, quòd securi quidem per artem dari potuit acumen, quo ad scindendum securis apta dispositaque esset; sed quòd reipsâ agat, omninò repugnat, nisi artificis manu versetur, & impellatur: non minùs enim jacet si non habet artificem, quàm quælibet optima facta framea jaceat, si non habeat bellatorem. Atquì eadem est conditio animæ etiam virtutibus omnibus instructæ, sicut & instrumenti: Quid est enim anima, quamvis luce divinæ sapientiæ coruscans, quid potest, aut quid efficit, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Unde & S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 9. expressè docet, quòd etiam ille qui jam consecutus est gratiam, per se ipsum bonum operari non possit absque auxilio gratiæ. Idque probat ex S. Augustino lib. de natura & grat. cap. 16. quia *sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic, & homo perfectissimè etiam justificatus, nisi æterna luce justitiæ Divinitùs adiutus, rectè non potest vivere.* Atque id semper eâdem ratione, quòd nulla forma possit tribuere sui ipsius usum: ideòque D. Augustini authoritati D. Thomas hanc rationem subjungit; quia nedùm necesse est quòd natura sanetur, & ad operandum, ac etiam merendum, aliquo habitu supernaturali, velutì supernaturali formâ, roboretur, & perficiatur; sed etiam necesse est, quòd superior causa quæ formam indidit, impresso motu formæ usum voluntati tribuat. Unde præter habitus infusos aut quodcumque aliud quod potentiam actumque primum secundùm se perficiat; *Indiget homo auxilio gratiæ secundùm alium modum, ut scilicèt à Deo moveatur ad agendum.* Idque *ratione generali: propter hoc quòd nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis Divinæ.* Quod adeò verum existimat S. Thomas, ut etiam in statu gloriæ, cùm jam consummata gratia est, Deoque indissolubili fœdere voluntas conjuncta; nihilominùs tamen necessarium sit, voluntatem divina motione applicari. Nam, inquit S. Thomas, *etiam in statu gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo Divino auxilio indigebit.* Ibid. ad 1. ex eo communi principio, quòd nulla res creata, nullaque potentia, quantumvis facultate agendi instructa, ac in suo ordine completissima, se sola exire possit in actum, sibique operationem tribuere qua ante carebat, nisi virtute aliunde accepta.

Unde & iterùm eâdem ratione sæpiùs docet D. Thomas, quòd usus habitus gratiæ est à Deo movente voluntatem; nec Deus solùm infundit homini gratiam, sed etiam superaddito auxilio ipsi tribuit gratiæ jam ante infusæ usum: sicut in ordine naturæ non solùm causis indidit Deus facultates agendi, sed etiam deinde causas suis omnibus facultatibus agendi præditas novo auxilio applicat ad agendum. Atque ita expressè explicat S. Thomas ad Rom. 9. lect. 3. *Divinum*, inquit, *beneficium non solùm extendit se ad infusionem gratiæ, quâ homo justificatur, sed etiam ad gratiæ usum: sicut etiam in rebus naturalibus non solùm Deus dat causis ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus, & operationes formarum, eò quòd Deus est principium omnis motûs, cujus operatione cessante à movendo, in formis nullus motus vel operatio sequitur. Sicut autem se habet habitus gratiæ vel virtutis in anima ad usum ipsius, sic se habet forma naturalis ad suam operationem.*

Quæ sanè omninò, & ad D. Augustini mentem, & ad superiora ex D. Thoma relata consentanea sunt. Cùm enim natura omnis, nec exclusâ etiam creatâ voluntate, instrumentum sit in manu Dei omnium opificis, *sicut framea jacet si non habet bellatorem* quo versetur; sic tota natura jacet nisi habeat motorem quo applicetur. Vide quæ infrà ex eodem S. Thoma dicenda sunt, ubi expendemus quod inquit lib. 3. cont. gent. cap. 66. Divinam motionem virtutemque Dei superadditam causæ secundæ, esse complementum ipsius.

Confirmatur iterùm, quòd ea ratione à D. Thoma probatum sit, nedùm quòd omnia agant propter finem, ut jam suprà dicere cepimus; sed etiàm quòd omnia appetunt ultimum finem; quòd omnia opera sint naturæ intelligentis; & quòd opus naturæ sit opus intelligentiæ: quæ omnia diversis terminis idem planè significant, ut latè explicat S. Doctor 3. cont. gent. cap. 4. ubi ita inquit. *Non est difficile videre, qualiter naturalia corpora cognitione carentia moveantur, & agant propter finem: tendunt enim in finem, sicut directa in finem à substantia intelligente, per modum quo sagitta tendit ad signum directa à sagittante. Sicut enim sagitta consequitur inclinationem ad signum, sive ad finem determinatum ex impulsione sagittantis: ita corpora naturalia consequuntur inclinationem in fines naturales ex moventibus naturalibus, ex quibus sortiuntur suas formas, & virtutes & motus. Unde etiam patet, quòd quodlibet opus naturæ est opus substantiæ intelligentis: nam effectus principaliùs attribuitur primo moventi dirigenti in finem, quàm instrumentis ab eo directis; & propter hoc operationes naturæ inveniuntur ordinatè procedere ad finem, sicut operationes sapientis. Planum igitur fit, quòd ea etiam quæ cognitione carent, possunt operari propter finem, & appetere bonum naturali appetitu, & appetere Divinam similitudinem & propriam perfectionem.* Ergo ex S. Thoma ideò opus naturę est opus intelligentię, ac omnia omninò quæ moventur tendunt in ultimum finem, quia sunt instrumenta superioris naturę intelligentis, quę ea movet, & dirigit ad eundem finem, ad quem ipsa natura intelligens fertur.

Atque

Atque eâdem ratione jam anteà eodem cap. dixerat, quòd cùm ipsa corpora cœlestia non moveantur nisi ab intelligentia separata; etiam & ipsa cœlestia corpora dici possunt esse substantiarum separatarum instrumenta, quibus inferiorem naturam movent, ut opus naturæ non solùm infinitæ, & increatæ intelligentiæ opus sit, sed etiam intelligentiæ separatæ creatæ. *In eundem*, inquit, *fertur finem intentio principalis agentis, & instrumenti: cælum autem est causa inferiorum motuum secundùm suum motum, quo movetur à substantia intellectuali. Sequitur ergò quòd sit sicut instrumentum intellectualis substantiæ. Sunt igitur formæ, & motus inferiorum corporum à substantia intellectuali causatæ, & intentæ sicut à principali agente; à corpore verò cælesti sicut ab instrumento.* Atque eo sensu explicat idem S. Thomas quod à Boetio dictum est lib. de Trinitate cap. 5. *quòd formæ quæ sunt in materia sunt à formis quæ sunt sine materia*; quod etiam à Platone dictum est *quòd formæ separatæ sunt principia formarum quæ sunt in materia*: quam is in eo Plato erraverit, quòd eas formas separatas existimaverit esse subsistentes ideas formarum similium effectrices: non errasset tamen, si existimasset ejusmodi formas, & ideas esse in intellectu substantiæ separatæ, quæ non immediatè quidem, sed mediante motu cæli similes formas materiæ imprimit.

Confirmatur prætereà eadem Minor, scil. quidquid in natura est, habere rationem instrumenti quo Deus utitur, & quod ad operationem movet: quia ea ratione S. Thomas probat 3. cont. gent. cap. 100. quòd ea quæ à Deo fiunt non sunt contra ordinem naturæ: quia fieri non potest, ut contrà inclinationem instrumenti sit, quòd à causa principali assumatur, & applicetur; cùm non aliud munus instrumentum habeat, quàm ut principali agenti ministret: Etenim, inquit S. Doctor, *cùm Deus sit primum agens, oportet quòd omnia quæ sunt post ipsum, sint quasi instrumenta ipsius: ad hoc autem sunt instrumenta instituta, ut deserviant actioni principalis agentis dum moventur ab ipso. Unde talis instrumenti materia, & forma esse debet, ut sit competens actioni quam intendit principale agens: & propter hoc non est contra naturam instrumenti ut moveatur à principali agente, sed est ei maximè conveniens. Neque ergò est contra naturam, cùm res creatæ moventur qualitercumque à Deo: sic enim institutæ sunt ut ei deserviant.* Opportunissima certè ratio, ut probetur, nullam unquàm creaturæ vim posse fieri; quomodocumque moveatur à Deo, nec posse unquàm divina motione physicâ, & prævia libertatem humanam auferri. Ea est enim omnium rerum conditio, ita instituta est voluntatis libertas, ut Deo principali agenti deserviat, cui omnia serviunt. Unde quamvis libera sit hominis voluntas, ita tamen constituta est ejus libertas *ut sit competens*, rectèque disposita ad actionem quam Deus intendit, & ad quam voluntatem movet. Unde nunquàm potest libertati adversari, quòd à Deo moveatur: quia ita instituta est, ut à Deo moveatur ipsique deserviat; neque enim existimandum est, ita emancipatam esse libertatem, ut nec ipsi Deo subjiciatur, nec ab ipso dependeat.

Confirmatur iterùm, quia adeò valere hoc argumentum ex comparatione instrumenti cum artifice existimavit D. Thomas, ut non solùm irrationalem naturam, sed etiam ipsam voluntatem creatam habere rationem instrumenti dixerit, si ad Deum comparetur. Unde 3. cont. gent. cap. 147. ut probet, hominem indigere divino auxilio ad beatitudinem consequendam, hôc eodem argumento utitur ex natura instrumenti desumpto. *Nullum*, inquit, *instrumentum secundùm virtutem propriæ formæ potest ad ultimam perducere perfectionem, sed solùm secundùm virtutem principalis agentis: sub Deo autem qui est primus intellectus, & volens, ordinantur omnes intellectus, & voluntates, sicut instrumenta sub principali agente. Oportet igitur quòd eorum operationes efficaciam non habeant respectu ultimæ perfectionis, quæ est adeptio finalis beatitudinis, nisi per virtutem Divinam: indiget igitur rationalis natura Divino auxilio ad consequendum ultimum finem.* Ergò ex S. Thoma ea est voluntatis à Deo dependentia, ut etiam instrumenti rationem habeat, & pro conditione instrumenti nihil omninò efficere possit, nisi à Deo moveatur; & quidem ea motione quâ instrumentum à causa principali movetur quæ non potest non esse prævia, & physica.

Verùm, observandum est, discrimen esse inter inanime instrumentum, & voluntatem; quòd alterum dumtaxàt moveatur; voluntas verò, moveatur, & moveat: atque adeò sub Divina motione libertatem illæsam, & intemeratam servare possit, & sibi meritum comparare. Unde cùm sibi quæst. 24. de verit. art. 1. S. Thomas objecisset, hominem non esse liberi arbitrii, quia *omne quod movet motum, movet sicut instrumentum, ut patet per Comm. 8. physic. Instrumentum autem non est liberum ad agendum, cùm non agat, nisi secundùm quòd quis eô utitur. Cùm ergo mens humana non operetur nisi mota à Deo, videtur quòd non sit liberi arbitrii.*

Respondet huic Argumento D. Thomas. *Dicendum quòd instrumentum dicitur dupliciter, uno modo propriè, quando scilicet aliquid ita ab altero movetur, quòd non confertur ei à movente aliquod principium talis motûs, sicut serra movetur à carpentario; & tale instrumentum est omninò expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum communiter, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in seipso principium sui motus, sive non: & sic non oportet quòd ab instrumento omninò excludatur ratio libertatis; quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet, & ita est de mente humana.*

Atque idem etiam habet 1. 2. qu. 21. art. 4. ubi agit de ratione meriti, quod actui humano inesse potest, & cujus fundamentum est libertas. Ita enim sibi objicit: *Instrumentum nihil meretur, vel demeretur apud eum qui utitur instrumento, quia*

tota actio inſtrumenti eſt utentis ipſo : ſed homo in agendo eſt inſtrumentum Divinæ virtutis principaliter ipſum moventis ; Vnde dicitur Iſai. 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris cõtra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur ; ubi manifeſtè hominem agentem comparat inſtrumento : Ergo benè agendo, vel malè, non meretur vel demeretur apud Deum.* Cui argumento paucis Reſpondet; quòd *homo ſic movetur à Deo, ut inſtrumentum; quòd tamen non excludit quin moveat ſeipſum per liberum arbitrium ; & ideò per ſuum actum meretur vel demeretur apud Deum.*

Quibus in locis plurima obſervari poſſunt, quæ ad præſentem difficultatem conferunt. In primis, in Sacra Scriptura manifeſtè hominem comparari inſtrumento, ac eſſe in manu Dei agentis, non ſecùs ac ſecuris, vel ſerra eſt in manu artificis; ideòque nullam habere hominem gloriandi cauſam, ſi quid boni agat; quia inſtrumenti actio magìs tribuitur agenti principali, quàm tribuatur inſtrumento: qua ratione à D. Auguſtino dictum eſt lib. de grat.& liber.arbitr.cap.7. *Si dona Dei ſunt bona merita tua; non Deus coronat merita tua tanquàm merita, ſed tanquàm dona ſua.*

Prætereà, duplex inſtrumenti genus diſtinguendum eſſe, alterum propriè dictum, alterum verò impropriè. Primùm eſt quod nullo modo ſeipſum movet, neque cauſa principalis ulla ratione dici poteſt; unde nullius libertatis, nullius meriti capax eſſe poteſt: at verò alterum eſt impropriè, & communi ratione acceptum, quatenùs à cauſa ſuperiore movetur, quamvìs in ſuo ordine cauſa principalis ſit: atque hujuſmodi eſt ipſa voluntas, quæ quamvìs cauſæ principalis in ſuo ordine integram, & pleniſſimam rationem habeat, ideòque libertatem ſervet, & meritum ſibi comparare poſſit; attamen à Deo movetur, nec agere quidquàm poteſt, niſi moveatur ab ipſo Deo, qua ratione cum inſtrumento ſimilitudinem habet.

Demùm, obſervari poteſt, eâ utrâque reſponſione, eâque inſtrumenti comparatione, clariſſimè à S. Thoma doceri, voluntatem creatam veriſſimè, & prævìè, ac phyſicè applicari à Deo; alioqui enim multò facilior, & expeditior fuiſſet ſolutio, ſi negaſſet, quòd voluntas, aut *mens humana non operetur niſi mota à Deo*, & eodem modo quo inſtrumentum movetur à principali agente; quæ ſanè motio, ut dictum eſt, non poteſt non eſſe prævia, & phyſica. Ergo cùm admittat Sanctus Thomas, voluntatem, & moveri, & applicari à Deo, & in eo dumtaxàt diſcrimen conſtituat inter inſtrumentum inanime, & voluntatem, quòd alterum dumtaxàt moveatur; voluntas autem, & moveatur à Deo, & ſub ipſa divina motione ſe moveat: dubitari nulla ratione poteſt, quin ea motione, & applicatione, eoque inſtrumenti exemplo D. Thomas ſignificare voluerit, nedùm cauſas naturales, & neceſſarias, ſed & ipſam liberam hominis voluntatem prævìè ac phyſicè moveri, & applicari à Deo.

Quòd verò objectum eſt, dictum à S. Thoma non abſolutè applicari, ut olim dixerat, ſed ſolùm quaſi applicari; levem hanc retractationis conjecturam jam ſuprà refellimus; *alienum* enim eſt, *& abſurdum ut opinor, non vim inſtituti attendere, ſed verba*, ut inquit S. Dionyſius lib.4. de divinis nominibus. Neque nos nudis verbis dumtaxat inhæremus, quæ variis cavillationibus obnoxia eſſe poſſunt; ſed ipſa D.Thomæ principia advocamus quæ ſi ubique eadem eſſe demonſtrentur, ut eadem eſſe demonſtrare jam cæpimus, & deinde proſequemur, neceſſe eſt eandem eſſe ubique ſententiam, iiſdem Principiis fultam, & ſtabilitam. Conjectura autem ex hac particula *quaſi* deſumpta, leviſſima eſt; & præter ea quæ ſuprà retulimus, rectè à D. Thoma apponi potuit, ut diſcrimen aliquod inter inſtrumentum artificis, & cauſam ſecundam conſtitueret. Hæc enim in ſuo ordine eſt cauſa principalis, quæ ſuam, & quidem parem effectui producendo virtutem activam habet, ut ex ipſo S. Thoma diximus: quod tamen non efficit, quin alia motione, & virtute ſuperaddita egeat, ut ex D. Thoma qu.3.de potent.& ſolutionibus argumentorum dictum eſt ſuprà.

ARTICULUS X.

Altera S. Thomæ ratio ex impotentia cauſæ ſecundæ ad producendam rationem entis explicatur.

MAximi momenti exiſtimanda eſt hæc ratio, cùm eâ potiſſimùm convictus fuerit Suarez, admiſſam fuiſſe à D. Thoma qu. 3.de potent. art. 7. motionem quæ in eius ſchola celebris eſt; ex eo quòd eo loco docuiſſet Sanctus Doctor, cauſam ſecundam non poſſe propria virtute producere rationem entis; ideoque neceſſariam eſſe virtutem ſuperadditam, quæ non alia eſt præter ipſam motionem impreſſam cauſæ ſecundæ. Quare ſi demonſtrari potuerit, eandem rationem admiſſam fuiſſe à D. Thoma 1.p.quæſt.105. etiam nullus erit dubitandi locus, quin in eadem ſemper perſtiterit ſententia, cujus eadem principia conſtituit. Atqui reipſa ita eſt, eandem omninò rationem eodem loco primæ partis retulit S. Thomas, eadem principia repetiit, ut hoc articulo eſt demonſtrandum. Sed

Obſeruandum tamen, hanc rationem eandem fermè eſſe cum altera ex ſubordinatione deſumpta. Nam ſubordinationis duplex ratio eſt; primò enim ea ſubordinatio ex indigentia oritur, qua inferiora, & minùs perfecta à ſuperioribus perfici, & vim aliquam recipere debeant; in ea enim communicatione ſubordinatio maxima poſita eſt; ut videre eſt in ipſo homine in quo regiminis, & ordinis totius orbis quædam imago eſt,

ut

ut notat S. Thomas qu. 5. de provident. art. 8. homo enim, inquit, *dicitur minor mundus, quia anima hoc modo regit corpus quo Deus Vniversum: in quo etiam anima præ Angelis est ad imaginem Dei: sed anima nostra corpus gubernat mediantibus spiritibus*, per omnes partes diffusis. Ac inter Angelos ipsos ea subordinatio quæ reperitur, fundatur in eadem perfectionis communicatione; superiores enim purgant, illuminant, perficiuntque inferiores diffusione quadam lucis, & cognitionis.

Sed prætereà hujus subordinationis altera causa est, nimirùm quòd quamvis causa inferior virtutem propriam, & effectui producendo parem habeat, & cui proprius effectus aliquis correspondeat, ut cùm causa principalis est: & quamvis ea ratione necesse non sit quòd superadditam virtutem recipiat; attamen necesse est quòd à superiori causa moveatur, cùm à seipso primò moveri non possit, & à potentia in actum reduci, sicut nec à seipso produci. Unde necesse est eam à causa superiori moveri, & applicari; nihil enim aliud movere est, quàm de potentia, & veluti quiete in actum reducere; at verò in ea applicatione, & reductione, necesse est intelligi virtutem superadditam: siquidem ipsa applicatio est ipsa divina motio, seu motus virtuosus, ut dictum est supra. Et prætereà, etiam quando causa secunda de potentia in actum reducitur, necesse est quòd virtutem aliquam recipiat; quia debet in ipso effectu rationem existentiæ, & ultimæ actualitatis efficere, quam sua ipsa virtute producere, effectuique tribuere non potest, sicut nec eam seipsa habet: sola enim potentia, & solitariè sumpta, nullam actualitatem habet, sed solam capacitatem, ut ipsam recipiat: quæ ratio infrà magis explicabitur quæst. seq. cum D. Thomæ caput 66. 3. contra gent. expendemus. His igitur positis,

Probatur, à S. Thoma utrobique positam esse eandem rationem ex impotentia causæ secundæ desumptam: & quidem q. 3. de potent. art. 7. ita habet. *Quantò aliqua causa est altior, tantò est communior, & efficacior; & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit: in qualibet autem re invenimus quòd est ens, &c. & propter hoc nihil agit ad esse, nisi per virtutem Dei: ipsum enim esse est communissimus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus.* Hæc ibi. Atquì eandem omninò rationem habet S. Doctor 1. par. qu. 105. qua probet Deum operari in omni operante. Etenim ità expressè habet: *Quia forma rei est intra rem, & tantò magis quantò consideratur ut prior, & universalior, & ipse Deus est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus; sequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur. Et propter hoc in Scriptura Sacra operationes naturæ Deo attribuuntur quasi operanti in natura, secundùm illud Job. 10. Pelle, & carnibus vestisti me.*

Est igitur eandem planè rationem. Deus operatur non solùm in effectu producto, sed etiam in ipsa causa operante. Cur verò, & quo pacto operatur? nimirùm primò, quia ipse Deus causæ secundæ virtutem agendi indidit, eamque suis facultatibus, quæ sunt actionum principia, instruxit; secundò, quia eam virtutem conservat; tertiò, quia eam applicat; ac quartò tandem, quia cùm causa secunda attingat rationem entis, nec possit eam directè, & per se, ac propria sua, & nativa virtute attingere; ex eo quòd sit proprius effectus altioris, & universalioris causæ, scilicèt primæ: ideò necesse est quòd causa prima virtutem causæ secundæ superaddat, ut eam rationem entis efficere possit. Unde causa secunda nunquàm efficit eam rationem entis, nisi in virtute ipsius Dei, cui per se ea ratio entis correspondet. Quare sic in formam hæc ratio reduci potest.

Quoties in effectu producto reperitur aliqua ratio quæ causæ virtutem superat, necesse est virtutem, & vim agendi majorem conferri ab ea causa superiori, quæ eam rationem tanquàm effectum sibi proprium respicit, & quem efficit ubicumque reperitur: Atqui quoties causæ secundæ agunt, toties in effectu producendo reperitur ratio entis, quæ cujuslibet particularis agentis vim agendi determinatam superat: Ergo necesse est quòd à prima causa, quæ rationem entis, ut sibi proprium effectum respicit, causæ secundæ vis agendi augeatur. Major jam sæpiùs probata est, atque eo principio innititur quod toties repetiit S. Thomas; nimirùm quòd cùm in effectu producto ratio corporis, ratio substantiæ, ratio viventis, ipsaque ratio specifica, qua in certa specie effectus constituitur, causæ particularis, & univocæ virtutem propriam superet; necesse est causam quamlibet à corpore cælesti, ab ipsa substantia separata virtutem superadditam recipere. Quin etiam eodem principio probat S. Doctor, quod est majoris momenti, nullum intellectum posse ad Visionem Divinæ essentiæ euehi, nisi accepta virtute superaddita 3. contr. gent. cap. 52. num. 5. quia *quidquid excedit limites alicujus naturæ non potest sibi advenire, nisi per actionem alterius*, & ab altero virtute accepta: *sicut aqua non tendit sursum, nisi ab alio mota*, & nisi virtute ab alio accepta, videre autem Dei essentiam transcendit limites intellectus creati. Et eod. lib. cap. 145. probat, quòd homo indiget Divino auxilio ad Beatitudinem consequendam, num. 3. *quia res inferioris naturæ in id quod est superioris perduci non potest, nisi virtute illius superioris naturæ: sicut luna quæ ex se non lucet, fit lucida virtute, & actione solis; & aqua quæ per se non calet, fit calida virtute, & actione ignis. Videre autem ipsam primam veritatem in seipsa, ità transcendit facultatem humanæ naturæ, quòd est proprium solius Dei.* In utroque loco observari potest, apud D. Thomam idem esse, & moveri, & applicari, & virtutem recipere; quòd sanè observatione dignum est: inde enim intelligi facilè potest, quòd quamvis à S. Thoma nihil aliud dictum esset, nisi quòd Deus causam secundam movet, & applicat: inde tamen inferendum esset, quòd Deus confert causæ secundæ virtutem quâ evehatur, & potentior fiat ad attin-

gen-

gendam saltem rationem ultimæ actualitatis,quæ in effectu reperitur ; utraque enim ratio , & omnium prima, scilicèt ratio entis, & omnium ultima , scilicèt esse , Deo correspondet,qui est rerum omnium Alpha , & Omega , seu principium , & finis . Vide 1. 2. quæst.109. ferè omnibus articulis , ubi hęc confirmantur .

Minor verò , nimirùm quòd quotiès causa secunda agit , attingat rationem entis , & ipsum *esse* , quæ utraque ratio superat virtutem ipsius causæ secundæ , & particularis ; probatur discursu S. Thomæ , potissimùm quantùm ad rationem entis , quia ratio entis utpotè universalissima , & communissima non potest non esse effectus causæ universalissimæ , scilicèt Dei ; causę enim universalissimæ necesse est correspondeat universalissimus effectus : ergo cùm nulla causa possit alterius causę effectum producere nisi virtute ab ipsamet accepta , sicut inquit D. Thomas , nihil ignire potest nisi virtute ab igne accepta ; repugnat causam secundam entis rationem efficere nisi virtute superaddita, & à prima causa ipsi impressa . Sed cùm ea ratio hìc potissima sit , & in eo vertatur hujus difficultatis cardo , utrùm scilicèt hanc rationem quâ usus fuerat S. Thomas qu.3.de Potent. art.7. revocaverit posteà, eamque inefficacem existimaverit ; probandum est , eam non solùm loco quem nunc expendimus,sed multis etiam aliis in locis,& quotiès se se occasio obtulit , à D. Thoma fuisse usurpatam . Unde

Confirmatur primò, ex eo quòd S.Thomas non alio solidiori ac firmiori principio gravissimam de existentia Dei difficultatem resolvi posse existimaverit . Etenim 1.par. quæst. 8. art.1. utrùm Deus sit in omnibus rebus ? immotum hoc suæ sententię fundamentum ponit , quòd scilicèt *cùm Deus sit ipsum esse per suam essentiam,oportet quòd esse causatum sit proprius effectus ejus , sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis*. Cui principio cùm alterum connectat , scilicèt quòd *oporteat omne agens conjungi ei in quod immediatè agit* ; indè concludit , Deum immediatè per modum operantis conjungi rebus omnibus : ideòque in rebus existere , quia in rebus operatur : quæ eadem planè ratio est quâ usus fuerat quæst.3. de Potent. artic. 7. Unde non immeritò divinam motionem cum Dei in rebus operatione , & præsentia divina conjunctam esse suprà animadvertimus . Eandem rationem idemque principium statuit in eo loco , & 1. par. quæst. 104. artic. 1. ubi agit de rerum conservatione , quem articulum suprà explicuimus .

Confirmatur secundò , quòd eandem rationem usurpet iterùm eâdem 1. par. quæst. 45. art.5.ubi inquirit utrùm creatio Deo eximia sit ? Ita enim statìm inquit : *Oportet universaliores effectus in universaliores , & priores causas reducere* ; *inter omnes autem effectus , universalissimus est ipsum esse* ; *unde oportet quòd sit proprius effectus primæ , & universalissimę causæ quæ est Deus. Unde etiam dicitur in lib. de causis* (scilicèt propos.3.) *quòd nec intelligentia , nec anima nobis dat esse , nisi in quantùm operatur operatione divina*. En planè eandem omninò rationem quam ea quæst. 3. de Potent. usurpaverat , & quam in hanc formam redigimus . Nulla unquàm causa producit effectum superioris causę nisi virtute ab ipso recepta: atquì ratio entis quam quęlibet causa efficit in effectu à se producto , est propriissimus effectus causę superioris,scilicèt primę,& universalissimę: Ergo eam rationem entis in suo effectu non producit nisi virtute superaddita,& à prima causa sibi impressa . Atque eam rationem deinde inflectit S. Thomas , ut probet nulli creaturę , saltem ut causę principali , posse creationem , & virtutem creandi competere ; quia oporteret ut per se ac sua virtute , & directè rationem entis efficeret , quod cuilibet creaturę repugnat .

Confirmatur iterùm , quia eandem rationem D. Thomas inflectit qu. 65. art.3. ut probet creaturam corporalem non potuisse produci , & creari mediantibus Angelis . Ita enim inquit ; *Considerandum quòd quantò aliqua causa est superior , tantò ad plura se extendit in causando. Semper autem quod substernitur in rebus invenitur communius,quàm id quod informat, & restringit ipsũ,sicut,esse quàm vivere,& vivere quàm intelligere,& materia quàm forma ; quantò ergo aliquid est magìs substratũ, tantò à superiori causa directè procedit. Id ergo quod est primò substratum in omnibus, propriè pertinet ad causalitatem supremæ causæ* . Quod verò cęteris omnibus primò substernitur , est ipsa ratio entis , cui nihil aliud substerni potest , cùm sit (ut ex S. Augustino refert aliquando S. Thomas ,) *rerum omnium fundamentum* . Ergo ea ratio primę & omnium altissimę causę , ut proprius ipsius effectus correspondet ; neque ulla alia causa , propria sua virtute ad rationem entis pertingere potest ; neque adeò profundè penetrare effectum , ut sua virtute usque ad ipsum primum substratum , & infimum fundamentum perveniat .

Confirmari tandem potest hęc eadem ratio , illudque D. Thomæ principium magìs stabiliri egregio ejusdem S. Doctoris discursu , quo probat qu. 7. de Potent. art. 2. quòd in Deo idem est essentia , & esse , seu quòd in Deo sit plenitudo ipsius esse . Quia cùm omnes causę in suis effectibus rationem communem efficiant , ipsisque esse tribuant , necesse est quòd illum effectum communem producant , quatenùs agunt accepta virtute à causa superiori, cui ille effectus proprius & eximius sit . Unde necesse est quòd ea superior & prima omnium causa , Deus scilicèt, habeat plenitudinem ipsius esse . Differt autem hęc ratio à superioribus , quòd cùm in aliis de prima ratione entis quę est primum rerum fundamentum Sanctus Thomas intelligat ; hìc loquitur de ipso esse ultimaque actualitate , & velutì ipso culmine rerum, ut propriissimè ad Deum pertineant, & primum initium , & ultima rerum omnium consummatio. Ita verò habet: *Considerandum est,quòd cùm aliquæ causæ effectus diversos producentes communicãt in uno effectu prętter diversos effectus* ;

oportet quòd illud commune participetur ex virtute alicujus superioris causæ, cujus illud est proprius effectus : & hoc ideò, quia cùm proprius effectus producitur ab aliqua causa secundùm suam propriam naturam vel formam; diversæ causæ habentes diversas naturas & formas, oportet quòd habeant proprios effectus diversos. Unde si in aliquo uno effectu cõveniunt; illud non est proprius earum, sed alicujus superioris in cujus virtute agũt : sicut patet quòd diversa complexionata conveniunt in calefaciendo, ut piper, & gingiber, & similia, quamvis unumquodq; eorum habeat suum propriũ effectum diversum ab effectu alterius. Unde effectum communem oportet reducere in priorem causam, cui sit proprius, scilicèt in ignem. Similiter in motibus cæleſtibus, sphęrę Planetarum singulę habẽt proprios motus; & cùm hoc habent unum communem quem oportet esse proprium alicujus sphęrę superioris omnes revolventis secundùm motũ diurnum. Omnes autem causę creatę communicant in uno effectu, qui est esse, licèt singulæ proprios effectus habeant, in quibus distinguuntur. Calor enim facit calidum esse, & ædificator facit domum esse. Conveniunt ergo in hoc quòd causant esse; sed differunt in hoc quòd ignis causat ignem, & ædificator causat domum. Oportet ergo esse aliquam causam superiorem omnibus, cujus virtute omnia causant esse, & cujus esse sit proprius effectus; & hæc causa est Deus : proprius autem effectus cujuslibet causæ procedit ab ipsa secundùm similitudinem suæ naturæ : oportet ergo quòd hoc quod est esse, sit substantia vel natura Dei. Et propter hoc dicitur in lib. de Causis, quòd intelligentia non dat esse, nisi in quantùm est divina, & quòd primus effectus est esse, & non est ante ipsum creatum aliquid.

Hæc S. Thomas : quibus sanè nihil opportunius dici potest, confirmandæ rationi, quam hoc articulo prosequimur. Necesse est quòd proprius effectus producatur à propria causa; et si plures causę in eo conveniant, quòd communem aliquem effectum producant; repugnat quòd eum effectum producant, nisi quatenus virtutem participant ab ea altiori causa, ad quam propriè, & per se hic effectus pertinet : atquì causę omnes in eo conveniunt quòd esse producant; ea enim est communissima notio causę, quòd suo effectui esse tribuat: esse verò non potest non esse propriissimus superioris, & universalissimę causę effectus : ergo necesse est, quòd omnia in virtute illius primæ, & universalissimæ causæ producant esse; neque ulla causa unquàm producit esse nisi in virtute à prima causa accepta; cùm nec ipsa etiam prima intelligentia esse producat, nisi in quantùm est divina, & ut supra dixi, in quantùm operatur divina operatione.

Dices: intelligendum, & explicandũ esse S. Thomam eo sensu, quòd omnes causę producant esse in virtute divina; quatenùs ipsa virtus divina intelligitur facultas agendi cuilibet causæ secundæ, ac ipsius naturæ congenita; est enim quędam participatio divinę virtutis : quæ interpretatio confirmari potest ipsa comparatione ignis quam adhibet S. Thomas. Neque enim intelligendum est, quòd cùm piper agit, aut aliud naturâ suâ calidum esse dicitur; tunc ignis in illud virtutem calefaciendi influat; sed dumtaxàt quòd elementum ignis, aut verius qualitates refractæ, ut vocant, & remissæ ignis in eorum compositionem veniant, quæ calida dicuntur; & ideò quæ calida sunt in virtute ignis agere, & calefacere dicuntur. Verùm

Impugnatur primò, quòd supponat D. Thomas causam secundam jam esse in suo ordine, & in ratione causæ constitutam, & de causa jam in suo ordine completa inquit, quòd non potest tribuere esse effectui nisi in virtute divina : atquì causa secunda in suo ordine completa, & constituta, non potest non esse suis omnibus facultatibus, & virtute agendi instructa: ergo cùm à S. Thoma dictum est, causam non posse tribuere esse nisi in virtute divina, necesse est quòd intelligat non de virtute naturæ congenita, sed de virtute superaddita, & ad effectum actu producendum, & effectui ultimam actualitatem, ipsumque esse tribuendum, impressa. Atque id clarissimè constat ex quæst. 7. de Potent. art. 7. ubi cùm in corpore articuli illud ex lib. de Causis retulisset, quòd *intelligentia non dat esse, nisi proüt est in ea virtus divina.* Objicit sibi num. 1. *natura neque deficit in necessariis, neque abundat in superfluis : sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis. Ergo non requiritur virtus divina in rebus operans,* ubi expressissimè de causa jam in se se constituta, & per suam vim activam in ratione causæ completa, loquitur S. Thomas. Et in eo posita est vis argumenti quod sibi objicit S. Doctor; nimirùm quòd cùm jam per suam virtutem agendi causa completa sit, altera virtute superaddita non egeat. Sed respondet Divus Thomas, *dicendum quòd virtus activa, & passiva rei naturalis, sufficiunt ad agendum in ordine suo; requiritur tamen virtus divina, rationem jam dicta,* scilicèt ad producendam rationem entis, vel ad producendum esse, ut dixerat in corpore articuli. Ergo manifestum est, præter ipsam virtutem agendi congenitam, alteram requiri virtutem superadditam, quam vocat virtutem divinam, quâ causa suo effectui tribuit illam rationem communissimam entis, & ipsum esse.

Impugnatur secundò, quòd apertissimè textus ipse reclamet: etenim ita expressè inquit, *considerandum quòd cùm aliquę causę effectus diversos producentes cõmunicant in uno effectu, præter diversos effectus; oportet quòd illud commune producant ex virtute alicujus superioris causę cujus illud est proprius effectus:* & deinde: *omnes autẽ causę creatę communicant in uno effectu, qui est esse, licèt singulę proprios effectus habeant in quibus distinguuntur; calor enim facit calidum esse, & ædificator causat domum.* Ergo apertissimè intelligit S. Thomas de causis jam suis facultatibus agendi instructis, quæ proprios effectus habent, eosque sua virtute naturę congenita producere possunt; præter quam majorem aliquam vim superadditam requirit ad

pro-

producendum illum effectum omnibus communem, ſcilicèt eſſe: nam calor efficit calidum virtute ſua peculiari agendi, & facultate ſibi congenita: at verò ipſum eſſe, nec calor, nec ulla cauſa creata efficit, niſi quatenùs in ea eſt virtus divina. Intelligitur ergo, virtutem illam divinam aliud eſſe præter ipſam facultatem agendi congenitam. Prætereà

Impugnatur ea ſolutio; quòd ea S. Thomę verba ex 1. par. quęſt. 45. art. 5. ſupra relata, apertiſſimè impreſſam actu virtutem ſignificent quando cauſa ſecunda agit. Quid enim aliud ea verba ſignificent: *Intelligentia non dat eſſe, niſi in quantùm operatur operatione divina*? ergo non de virtute congenita ſeu facultate agendi, ſed de virtute ſuperaddita, & quæ ſit complementum virtutis agendi, ut alibì loquitur, intellexit S. Thomas.

Ad rationem verò quæ affertur ex exemplo, quod aſſumpſit D. Thomas: reſpondemus, duplex exemplum à S. Doctore adductum eſſe, alterum ſcilicèt in cauſis formalibus, alterum in cauſis moventibus, quod ſępiùs aliàs egit S. Thomas: quo utroque exemplo probat, quòd ſi in uno aliquo effectu conveniunt duæ cauſæ, effectus ille non eſt proprius cujuſque, ſed alicujus vel univerſalioris formæ, vel ſuperioris cauſæ in cujus virtute agunt: ſicut plura calida conveniunt quòd participent rationem ignis; ſpheræ omnes participent communem motum à ſuperiori ſphęra cui proprius ille motus eſt. Verùm, in eo diſcrepant hæc duo exempla, quòd ignis, cùm non ſit cauſa aliqua ſuperior, quæ cæteras movere poſſit, eo ſenſu dumtaxàt dici poteſt quòd calida agant in virtute ignis, quatenùs ſcilicèt ignis in compoſitionem eorum venit, quæ calida dicuntur; agit enim ut cauſa formalis; nam elementis omnia conſtant, & juxta varia prædominia elementorum varia eſt eorum compoſitio. Unde & dubio procul advertit S. Thomas, non fore ſatìs opportunum hoc exemplum in cauſis formalibus, ubi de efficientibus agebatur: ideòque alterum addit de Sphæra ſuperiori, quæ inferiores movet ipſiſque motum imprimit. Atque hoc ultimo exemplo convincitur intellexiſſe D. Thomam, quòd ea virtus divina ſit virtus aliqua ſuperaddita, non verò ipſa virtus innata cauſæ ſecundæ: nam eodem modo Deus cauſa prima & ſuperior cauſas omnes ſecundas ad producendum eſſe movet, ac virtutem imprimit, quomodò Sphæra ſuperior inferiores omnes movet, ipſiſque communem motum imprimit, quo cęteras ſecùm rapiat. Atquì dubitari non poteſt quin ſphæra ſuperior motum aliquem actualem imprimat ſphęris inferioribus, jam ſuis omnibus facultatibus inſtructis, quæcumque, aut quomodocumque ejuſmodi facultates intelligantur: ergo etiam cùm à D. Thoma dictum eſt, quòd Deus prima omnium, & univerſaliſſima cauſa cæteras omnes movet, ipſiſque virtutem confert, non potuit non intelligere de virtute ſuperaddita, & quæ ſit complementum virtutis congenitæ. Vide infra ad caput 66. lib. 3. contra Gent.

QUÆSTIO V.

Utrùm ex Summa contra Gentiles demonſtrari poſſit admiſſam fuiſſe à S. Thoma Motionem Divinam.

HIc tertius locus eſt in quo D. Thomas eandem quæſtionem pertractat, & quem referre ſolent, qui prævię motionis divinæ ſententiam Sãcto Thomæ authori adſcribunt: authori inquam, eo ſenſu, quòd eam aut explicavit apertiùs, aut quòd non alium ipſius Schola in hac ſententia Magiſtrum audiat præter ipſum Divum Thomam, à quo hujus Schola inſtituta eſt. Alioquì enim, & ad D. Auguſtinum, & ad ipſam Scripturam Sacram, eam referendam eſſe ſupra demonſtravimus; cùm etiam, ut ex S. Ambroſio in epiſt. Pauli, ſi tamen illius opus ſit, & refert S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 1. *omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto eſt*: & ſi quid etiam ab ipſis Philoſophis, quamvis à Fide alienis rectè dictum eſt, *Deus illis manifeſtavit*, ut inquit Apoſtolus ad Rom. 1. Nec verò poſterior hìc ulla retractatio fingi poteſt, cùm Summa contra Gentiles velut alterum S. Thomæ teſtamentum Theologi omnes agnoſcant, & in qua Religionis Fideique myſteria defenſurus, ingenii nervos omnes intendit; ut planè divinum opus ſit, & quo ut Eccleſia de ipſo canit feliciſſimè *purgat dogma gentilium*: qui verò Divo Thomę aliquando vitio vertunt, quòd Philoſophię nimiùm indulſerit, cujus frequentiùs principia in Theologiam advocavit: hi certè animadvertere debent, quantùm ad Fidem confirmandam etiam Philoſophia valeat: adeò ſanè, ut Clementi Alexandrino viſum fuerit lib. 1. Stromatum, quòd Philoſophia *Græcos pedagogi more docebat, ſicut lex Hebræos. Præparat enim Philoſophia, ei viam muniens qui à Chriſto, ac* Fide *perficitur*. Sicut enim natura eſt rudimentum gratiæ; ita Philoſophia eſt præparatio ad Evangelium, ut alicubì dixit Picus Mirandula-

nus. Et alioquin oportuerat D. Thomam, ut idem Clemens Alexandrinus jubet, Græcis, id est Philosophis Philosophum fieri, ut Philosophos lucrifaceret: quod dubio procul feliciſſimè S. Thomas illud opere præſtitit; ubi quantùm rectæ rationi Myſteria Fidei conſentanea ſint, ex ipſis Philoſophiæ principiis Philoſophis demonſtravit.

Ex hoc igitur præclariſſimo opere probandum, & ſub ipſis Lectorum oculis ponendum aſſumo, admiſſam eſſe à D. Thoma de prævia motione ſententiam, nec revocaſſe quod aliàs ſcripſerat; cùm in hoc etiam poſtremo opere eadem omnia principia, eademque exempla perpetuò uſurpet, quæ aliàs uſurpaverat; ut planè eſſet inſtar miraculi, eadem ſemper ſcripſiſſe D. Thomam, & tamen mutaſſe ſententiam. Ex eo verò opere triplici ſequenti articulo triplex caput explicabo, eodemque ordine quem ipſe ſequutus eſt, nè prętermiſſo quidem apice. Si quid enim unquàm ambiguum eſt, *textus ipſe ſermonis*, ut jubet Divus Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana capite 1. *à præcedentibus, & conſequentibus quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus, ut videamus cuinam ſententiæ de pluribus, quæ ſe oſtendunt, ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur.*

ARTICULUS I.

Exponitur caput 66. libri tertii contra Gentiles: neceſſariâ eſſe pręviâ motionem divinam, ob impotentiam cauſæ ſecundæ ad efficiendam rationem entis, explicatur, & defenditur.

ATque ut conſtantem ubique ordinem tenuiſſe S. Thomam demonſtremus, in memoriam revocari velim, quod aliàs à me obſervatum eſt, S. Doctorem, cum de Gubernatione Divina in communi 1. par. quęſt. 103. quæſtionem inſtituiſſet, deinde quæſtione ſequenti 104. egiſſe de primo gubernationis effectu, ſcilicèt de conſervatione rerum, & de earum à Deo prima cauſa, dependentia, & ut ſint, & ut fiant: ac poſteà quęſt. 105. egiſſe de altero gubernationis effectu, ſcilicèt de mutatione, aut motione creaturarum, id eſt, quo pacto ipſe Deus cauſas omnes moveat ad agendum. At verò eundem fermè ordinem hìc ſervat S. Thomas lib. 3. cont. Gentiles. Etenim inprimis capite 64. explicat, quòd *Deus ſuâ providentiâ gubernat univerſa*: deinde primum effectum gubernationis ſubjungit, quòd *Deus conſervat res in eſſe*: ac deinde de rerum motione duplici ſequenti capite, ſcilicèt 66. *quòd nihil dat eſſe, niſi in quantùm agit virtute divina*, & 67. *quòd Deus eſt cauſa operandi omnibus operantibus*: quibus deinde duo ſubjungit, quorum alterum ſpontè conſequitur, alterum autem ſuperioribus repugnare videri potuiſſet. Conſequitur enim, *quòd Deus eſt ubique*, & in omnibus rebus, & hoc pertractat cap. 68. dictum eſt enim ſupra, conjunctam eſſe exiſtentiam Dei in rebus cum ipſa divina motione aut operatione. Repugnare autem vel objici poſſe videbatur, quòd ſi Deus in rebus omnibus operetur, aut nullæ omninò aut otioſæ ſint cauſarum ſecundarum virtutes agendi. Unde cap. 69. errorem eorum rejicit qui *à rebus naturalibus proprias ſubtrahunt actiones*, ac deinde quo pacto utrumque cohęrere poſſit, & Deum, & cauſam ſecundam operari explicat cap. 70. *quomodò idem effectus ſit à Deo, & à naturali agente*.

Ex his omnibus aliquid erit delibandum, ſed immorandum præſertim in explicatione trium capitum, quæ ſupra annotavimus. Primum igitur caput, quòd explicandum ſuſcipimus, hunc titulum affixum habet.

Caput 66. *Quòd nihil dat eſſe, niſi in quantùm agit virtute divina.*

Cùm verò ſuperiori capite, ubi de rerum conſervatione egerat; ſtatuiſſet hoc immotum principium, quòd nulla cauſa, per ſe ſcilicèt, & directè, poteſt eſſe cauſa ſui effectus ſecundùm rationem entis, & quòd nulla res eſſe poteſt cauſa ipſius *eſſe* ſui effectus, ſed dumtaxàt ipſius *fieri*; ſicut nec unum agens univocum poteſt eſſe cauſa ipſius ſpeciei, vel effectûs ſecundùm ipſam rationem ſpecificam, ſub quâ cauſa ipſa continetur: quæ omnia ſatìs ſuperque hactenùs explicata ſunt. Indè ſtatìm caput exorditur his verbis.

Ex hoc autem manifeſtum eſt, quòd omnia inferiora agentia non dant eſſe, niſi in quantùm agunt virtute divina.

Atque hìc attingitur præcipua totius difficultatis ratio, quæ ſumitur ex impotentia cauſæ ſecundæ ad attingendam ſeu rationem entis, ſeu ultimam rerum actualitatem, & ipſum eſſe. Et hinc etiam compertiſſimum fiet, utrùm S. Thomas ſententiam retractaverit quam olìm docuerat, quæſt. 3. de Potent. ibi enim docuiſſe pręviam motionem divinam negari non potuit, etiam ab his qui maximè voluiſſent: quòd nimirùm expreſsè præter primam rerum inſtitutionem, & collationem virtutis activæ; præter conſervationem, præter applicationem, quartum deinde modum addiderit, quo Deus operatur in natura operante, quatenùs ſcilicèt ſuperaddit virtutem agendi, quâ cauſa ſecunda efficiat rationem entis, quam ſolitaria ſua virtute efficere non poterat. Enimverò ſi à S. Thoma eandem virtutem ſuperadditam, aliis operibus, quæ poſteà ſcripſit, admiſſam fuiſſe compertum fiat, fingi nulla ratione poterit, primam ejus ſententiam ab ipſo retractatam fuiſſe. Atquì reipsà quartum illum modum admittit D. Thomas etiam in Summa contra Gentiles: quo Deus eſt cauſa operandi omnibus operantibus, *quia nihil dat eſſe niſi in*

quan-

quantum agit virtute Divina. Atque ut aliquid ex aliis modis attingat quos alibi fusiùs persecutus est; prima statim ratione alterum modum statuit, quo Deus est causa operandi rebus, quatenùs scilicèt rerum virtutes activas, & facultates agendi conservat: unde sic inquit.

1. *Nihil enim dat esse nisi in quantùm est ens actu: Deus autem conservat res in esse per suam providentiam, ut dictum est supra: ex virtute igitur Divina est, quòd aliquid det esse.*

Hæc prima ratio, quæ correspondet alteri quâ dictum est, Deum esse causam operationis rerum, non solùm, quia dat virtutem agendi, sed quia etiam eam conservat. Verùm cùm non satis propriè hoc pacto dici possit, Deum causam esse cur agens secundum operetur; alio prætereà modo Deum esse causam operationis rerum idem S.Thomas explicat; quia scilicèt nulla causa tribuere potest esse, nisi accepta virtute divina actu sibi impressa, & cum ipsa causa secunda agit. Atque id deinde aliis rationibus prosequitur. Unde alteram rationem hic subiungit.

2. *Ampliùs; Quando aliqua agentia diversa sub uno agente ordinantur, necesse est quòd effectus, qui ab eis communiter fit, sit eorum secundùm quod uniuntur in participando motum, & virtutem illius agentis; non enim plura faciunt unum, nisi in quantùm unum sunt. Sicut patet quòd omnes qui in exercitu sunt, operantur ad victoriam causandam, quam causant secundùm quòd sunt sub ordinatione Ducis, cujus proprius effectus victoria est: ostensum est autem in primo, quòd primum agens est Deus. Cùm igitur esse sit communis effectus omnium agentium (nam omne agens facit esse actu:) oportet quòd hunc effectum producant in quantùm ordinantur sub primo agente, & agunt in virtute ipsius.*

Hæc planè eadem ratio, quam supra D. Thomas tum in causis formalibus, tum in moventibus fusè explicuit. Conveniunt sphæræ omnes, quòd communem motum habeant, quem, necesse est Sphæra superior inferioribus imprimat, quia unitas effectus etiam unitatem causæ moventis demonstrat. Pergit autem S. Doctor.

3. *Item: in omnibus causis agentibus ordinatis, quod est ultimum in generatione, & primum in intentione, est proprius effectus primi agentis: sicut forma domus; quæ est proprius effectus ædificatoris posteriùs provenit, quàm præparatio cæmenti, & lapidum, & lignorum, quæ fiunt per artifices inferiores, qui subsunt ædificatori: in omni autem actione esse in actu est principaliter intentum, & ultimũ in generatione; nam eo habito quiescit agentis actio, & motus patientis. Est igitur esse proprius effectus primi agentis, scilicèt Dei, & omnia quæ dant esse hoc habent in quantùm agunt in virtute Dei.*

Eò tendunt rationes omnes, ut probent, ipsum esse in rebus producendum, ad Deum ut primum agens, & supremam causam referri debere. Cùm notissimum sit nullam causam alterius effectum producere, aut quocumque modo attingere posse, nisi virtute ab ea causa accepta, quæ illum effectum, ut proprium respicit; quia causa quæ per se aliquem effectum producit, ubicumque reperitur eum efficiat necesse est. Sed prætereà singularissimum aliquid habet altera ratio.

4. *Amplius: ultimam in bonitate, & perfectione inter ea, in quæ potest agens secundum, est illud in quod potest ex virtute agentis primi: nam complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi. Quod autem est in omnibus, agentibus perfectissimum, est esse: quælibet enim natura vel forma perficitur per hoc quòd est actu, & comparatur ad esse in actu sicut potentia ad actum: ipsum igitur esse, est quod agentia secunda agunt in virtute primi agentis.*

Egregia omninò ratio, quæque in hanc formam reduci potest. Nulla causa potest sua virtute producere id quod est perfectissimum inter ea, quæ producere unquàm potest: vel forsitan clarius; inter ea ad quæ se extendere unquàm potest agentis creati vis activa, aliquid est quod vires ejus superat, nec nisi alienis viribus, & accepta aliunde virtute efficere potest; quod in aliis etiam potentiis, & intellectu, & voluntate videre est. Intra enim obiectum adæquatum utriusque potentiæ aliquid est ad quod utriusque vires naturales ferri non possunt: quo tamen exemplo nolim inferri conferendam esse semper vim supernaturalem, & alterius ordinis agenti creato; sed explicatur solùm quòd in quolibet ordine nullum agens creatum propriis viribus, & sine virtute superaddita efficere illud potest quod est perfectissimum. & ad quod extendi unquàm potest. Unde, & in omnibus potentiis duplex obiectum distingui solet, alterum proportionatum, & intensivum, quòd propriis viribus attingere possunt: aliud improportionatum, & excedens, quod ut attingant, necesse est ut virtutem superadditam recipiant quâ evehantur. Atquì illud quod est perfectissimum inter ea quæ agens quodlibet creatum efficere unquàm potest, est ipsum *esse* quod cujuslibet rei, & formæ ipsius est ultima actualitas. Ergò necesse est quòd ut agens creatum tribuat *esse* suo effectui, aliunde à Deo virtutem recipiat.

Major inde probari potest; quòd posse producere id quod perfectissimum est inter ea quæ agens producere unquàm potest, sit ultima, & summa agentis, ejusque activitatis perfectio; neque enim potest altiùs assurgere: Atquì nihil unquàm potest habere à se, aut sibi etiam conferre suam ultimam perfectionem ultimamque actualitatem. Unde enim sibi conferret, cùm anteà eâ careat? Ergò planè impossibile est, agens quodlibet creatum posse sua sola virtute illud efficere, quod est veluti intra hujus activitatis sphæram perfectissimum. Undè profundè dictum est à S. Thoma, quòd *complementum virtutis agentis secundi sit ex virtute agentis primi*. Enim verò nihil potest seipsum primò complere, aut perficere. Ut enim inquit S.Augustinus in psal. 58. *Si egi aliquid ut essem, jam eram antequàm essem: Fecisti, ut essem, & non tu fecisti, ut bonus essem? dedisti mihi ut sim, & potuit mihi alius dare, ut bonus sim? si tu mihi dedisti*

disti ut sim, & alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim. Sed de his alibi.

Ad hanc rationem potest altera revocari, quæ in hac quæstione validissima est, & ex altera consequitur. Quoties causa secunda agit, toties necesse est constitui in ratione principii actualis, & in actu secundo effectivo; cùm planè repugnet actionem oriri à principio solùm in actu primo, & potentiali, quod centies repetiit D. Thomas, & ut certissimum in Philosophia principium perpetuò docuit: Atquì nullum agens creatum habet ut seipso sit principium actuale, habeatque ultimam suæ virtutis actualitatem: ac prætereà nihil aliud est quod principium actuale effectivum constituere possit præter eam virtutem superadditam: Ergò &c. Minor ex eo probatur, quòd non possit constitui per ipsam actionem productam: hæc enim constituit equidem principium actuale formale, non tamen effectivum; cùm ipsamet actio producta principium effectivum supponat; siquidem à principio actuali producitur: Ergo necesse est principium actuale constitui superaddita virtute à prima causa, quam virtutem vocat S. Thomas *complementum virtutis agentis secundi*: quo sanè unico verbo, si quis sincera fide D. Thomæ sententiam inquirat, admissam ab ipso S. Doctore præviam Dei motionem dubitare non poterit. Constat enim in primis de ipsa virtute congenita explicari non posse: de quo etiam sequenti articulo in fine dicetur. Sed prætereà, cui in mentem venire unquàm possit, *complementum virtutis agentis secundi* non esse in ipso agente, maximè cùm ejus impotentiam supplere debeat, & capacitatem aut vacuitatem replere? Ergò cùm S. Thomas nedùm nudè & semel proferat, sed etiam asserat exertè, & validè etiam probet, Deum agentibus secundis ut agere possint, conferre virtutis *complementum*: quamvis deessent cætera, quibus de sententia S. Thomæ satis constat, dubitari nulla ratione potest, quin ipse admiserit virtutem aliquam à Deo impressam causis secundis ad agendum, ipsisque intrinsecam, in qua repositam esse motionem præviam nemo negat. Unde, & Suarez lib. 1. *de concursu Dei* cap. 6. negat, alicujus probati authoris eam esse sententiam, quòd virtuti causæ secundæ ad agendum, complementum aliquod superadditum requiratur: *& sine ratione, sine authoritate, sine indicio talis qualitatis*, ejusmodi complementum admitti inquit: quod ut puto cùm scripsit, nondum legerat, aut non hærebat memoriæ quod de complemento agentis secundi ex S. Thoma retulimus.

Confirmari potest hæc ratio duplici D. Thomæ observatione; quâ nihil esse in rebus perfectius quàm sit ipsum *esse* probatur, quodque subinde non possit nisi virtute divina produci. Unde sic integrum argumentum confici potest: à nulla causa secunda, & limitata, per se, & nativa sua virtute fieri potest quod est in rebus perfectissimum, & veluti ultimus finis, quem causa prima, & omnium universalissima ut effectum sibi proprium respicit; Atquì ipsum *esse* est hujusmodi: est enim veluti ultimus finis rerum, quem ut effectum sibi proprium causa universalissima respicit: Ergo. Utraque propositio observatione S. Thomæ probatur quæst. 7. de potent. art. 2. ad 10. ubi sic inquit. *Secundùm ordinem agentium est ordo finium, ita quòd primo agenti respondet finis ultimus, & proportionaliter per ordinem alii fines aliis agentibus. Si enim consideretur Rector civitatis, & Dux exercitûs, & unus singularis miles; constat quòd Rector civitatis est prior in ordine agentium, ad cujus imperium Dux exercitûs ad bellum procedit; & sub eo est miles qui secundùm ordinationem Ducis exercitus, manibus pugnat. Finis autem militis est prosternere hostem, quod ulteriùs ordinatur ad victoriam exercitûs, quod est finis Ducis. Et hoc ulteriùs ordinatur ad bonum statum civitatis vel regni, quod est finis Rectoris, & Regis. Esse ergo quod est proprius effectus, & finis in operatione primi agentis, oportet quòd teneat locum ultimi finis. Finis autem licèt sit primum in intentione, est tamen postremum in operatione, & est effectus aliarum causarum. Et ideò ipsum esse creatum quod est proprius effectus respondens primo agenti, causatur ex aliis principiis; quamvis esse primum causans sit primum principium.* Hæc S. Thomas: igitur nihil in rebus perfectius intelligi potest quâ sit ipsum esse, quodque subinde sola virtute divina causis secundis collata, ab ipsis produci potest. Atque iterum

Confirmari potest altera D. Thomæ observatione in eodem articulo secundo Respons. ad 9. *Dicendum*, inquit, *quòd hoc quod dico, esse, est inter omnia perfectissimum, quod ex hoc patet: quia actus est semper perfectior potentiâ. Quælibet autem forma signata, non intelligitur in actu nisi per hoc quòd esse ponitur. Nam humanitas vel igneitas potest considerari ut in potentia materiæ existens, vel ut in virtute agentis, aut etiam in intellectu. Sed per hoc quòd habet esse, efficitur actu existens. Unde patet quòd hoc quod dico, esse, est actualitas omnium actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum. Nec intelligendum est quòd ei quod dico, esse, aliquid addatur; quod sit eo formalius, ipsum determinans sicut actus potentiam. Esse enim quod hujusmodi est, est aliud secundùm essentiam ab eo cui additur determinandum: nihil autem potest addi ad esse quod sit extraneum ab ipso, cùm ab eo nihil sit extraneum; nisi non ens, quod non potest esse nec forma nec materia. Unde non sic determinatur esse per aliud sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam. Nam, & in definitione formarum ponuntur proprię materię loco differentię, sicut cùm dicitur, quòd anima est actus corporis physici organici: & per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur, in quantùm est talis vel talis naturæ. Et per hoc dicit S. Dionysius, quod licèt viventia sint nobiliora quàm existentia, tamen esse est nobilius quàm vivere; viventia enim non tantùm habent vitam, sed cum vita simùl habent & esse.*

Hæc

Hæc D. Thomas, egregia omninò, quæque mihi admodùm probabilem efficiunt eorum ſententiàm, qui divinæ naturæ conſtitutivum eſſe exiſtimant ipſum *eſſe à ſe*, cùm nihil poſſit intelligi ipſo *eſſe* perfectius, ſitque *actualitas actualitatum*, & *perfectio perfectionum*: quamvìs in mea quidem ſententia, nequidem virtualiter *intelligere* ab *eſſe* in Deo diſtinguatur. Atq; adeò nec minùs unum quàm alterum ad ipſum conſtitutivum divinæ naturæ pertineat. Sed tamen quod ad modum ſignificandi ſpectat, majorem perfectionem explicare videatur intelligere quàm eſſe, quia *viventia ſunt nobiliora quàm exiſtentia*. Sed ut hæc facilè componantur, utrumque mihi jungendum videtur, ut dicatur divina natura per intelligere per ſe ſubſiſtens conſtitui. Sed ut ad orbitam redeam; ex ea D. Thomæ obſervatione liquet, à nulla cauſa creata, niſi virtute ipſi à Deo ſuperaddita, poſſe fieri ipſum *eſſe* in rebus, quod eſt omnium perfectiſſimum, ultimaq; actualitas, ac velutì ultimus finis, quem ſola prima, & univerſaliſſima cauſa per ſe reſpicit, & in rebus efficere poteſt. Sed

Addendæ ſunt prætereà aliæ rationes quas habet S. Thomas eodem capite 66. Ita verò proſequitur.

5. *Item: ſecundùm ordinem cauſarum eſt ordo effectuum: primum autem in omnibus effectibus eſt eſſe; nam omnia alia ſunt determinationes ipſius. Igitur eſſe eſt proprius effectus primi agentis, & omnia alia agunt ipſum in quantùm agunt in virtute primi agentis: ſecunda autem agentia, quæ ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis, agunt ſicut proprios effectus, alias perfectiones quæ determinant eſſe.*

Hæc ratio ex ſuperiori obſervatione lumen accipit: & ab ipſo D. Thoma explicatur, quo pacto intelligendum ſit, *quòd omnia alia, ſint determinationes ipſius eſſe*: determinant enim non per modum ſuperadditæ actualitatis, ſed potiùs per modum ſuſceptivi: & ut dixit S. Thomas, *non determinatur eſſe per aliud, ſicut potentia per actum; ſed magìs ſicut actus per potentiam.* Aliud eſt enim eſſe leonis, aliud eſſe hominis, aliud eſſe Angeli, juxta varias rerum naturas, quas extra cauſas, & in ſe ſe ultimò conſtituit. Quod autem à S. Thoma dictum eſt, *quòd ſecunda agentia ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis*, duplicem ſenſum habere poteſt, quem aliàs fuſiùs proſequemur: primò quòd ipſa divina motio quæ eſt terminus operationis divinæ in ipſa voluntate recepta ex communi conditione accidentis recipiatur per modum recipientis voluntatis. Qua ratione divina motio ut & ipſa voluntas ſummam indifferentiam ad utrumlibet ſervat; quamvìs alia ex parte ea motio, ut divinæ operationis vim ſecum involvit, & ad voluntatem defert, infallibiliter ad unum voluntatem determinet, ut ex S. Thoma qu. 24. de verit. artic. 8. aliàs expendemus. Secundò quia Deus cauſas omnes movet juxta varium earum genium, variamque conditionem. Nam *cùm Deus omnia moveat ſecundùm rationem mobilium, ut & levia ſurſùm, & gravia deorſùm, etiam voluntatem movet ſecundùm ejus conditionem, non ex neceſſitate, ſed ut indeterminatè ſe habentem ad multa*, qu. 6. de Malo, art. unico: & eo ſenſu velutì objectivè cauſæ ſecundæ divinam operationem determinant, ut Deus ſcilicèt proüt cujuſque natura exigit in ea operetur: de quo dicemus alibi. Ultima tandem ratio ſic habet.

6. *Prætereà, quod eſt per eſſentiam tale, eſt propria cauſa ejus quod eſt per participationem tale, ſicut ignis eſt cauſa omnium ignitorum. Deus autem ſolus eſt ens per eſſentiàm ſuam, omnia autē alia ſunt entia per participationem; nam in ſolo Deo eſſe eſt ſua eſſentia. Eſſe igitur cujuslibet exiſtentis eſt proprius effectus ejus, ita quod omne quod producit aliquid in eſſe, hoc facit in quantùm agit in virtute Dei. Hinc eſt quòd dicitur Sapient. 10. creavit Deus ut eſſent omnia; & in pluribus Scripturæ locis dicitur quòd Deus omnia facit. Et in libro de Cauſis dicitur, quòd nec intelligentia dat eſſe, niſi in quantùm eſt divina, & in quantùm agit in virtute divina.*

Plurima hæc ultima ratio comprehendit, quibus tandem quod probandum ſuſceperat S. Thomas concludit; nimirùm nullam cauſam ſecundam ſua innata virtute agendi poſſe in rebus efficere vel primam rationem entis, quæ cùm omnium infima ſit, eſt etiam omnium univerſaliſſima; vel ipſum eſſe quod cùm ſit ultimum, eſt etiam omnium perfectiſſimum, & actualitas actualitatum: ſed utrumque effici à cauſa ſecunda contendit quatenùs à prima cauſa virtutem ſuperadditam recipit, & per ſe, & directè à prima cauſa effici; quia quod tale eſt per eſſentiam, neceſſe eſt quòd cauſa ſit eorum quæ ſunt ejuſmodi per participationem. At verò Deus eſt ens, & eſſe per eſſentiam, & ut egregiè inquit S. Dionyſius cap. 5. de Divinis Nominibus. *Deus non quodammodò eſt, ſed abſolutè, & liberè ſine ullo termino, univerſo illo quod eſt eſſe in ſe comprehenſo, & occupato.* Rectè quidem: cùm totius entis plenitudo ſit in ipſo Deo, extra quem nihil eſt, cùm nihil niſi participatione ipſius ſit, unde totiès nihil eſſe res omnes dicuntur. Ergo neceſſe eſt per ſe quidem, & directè res omnes à Deo fieri, à cauſa verò ſecunda fieri per aliud, id eſt virtute à Deo impreſſa. Quod confirmat S. Thomas authoritate Scripturæ Sacræ, & libri de Cauſis Propoſit. 22. Quæ omnia ſæpiùs explicata ſunt, & apertiſſimè quod titulò promiſerat Divus Thomas conficiunt: nullam cauſam tribuere ſuis effectibus eſſe, niſi accepta à Deo virtute ſuperaddita, quæ ſit complementum virtutis activę cauſæ ſecundæ. Ex quibus etiam compertiſſimum relinquitur, nullam fuiſſe factam à S. Doctore retractationem: cùm in hoc opere quod paris authoritatis eſt cum Summa Theologica, idem planè docuerit quod docuerat qu. 3. de Potent. ubi ex omnium aſſenſu conſtat, D. Thomam eam de divina motione prævia ſententiam docuiſſe.

AR-

ARTICULUS II.

Expenditur cap. 67. lib. 3. contra Gentiles & probatur, Deum esse rebus omnibus causam agendi.

PRæcipuus hic locus est, quo S. Thomam in eadem sententia semper perstitisse omninò convinci potest, cùm eandem quæstionem hìc pertractet quam pertractaverat qu. 3. de Potent. art. 7. & 1. par. qu. 105. art. 5. atque eo triplici loco iisdem semper principiis, iisdemque exemplis eam resolvat.

Caput 67. *Quòd Deus est causa operandi omnibus operantibus.*

Apertior hic Titulus est. Aliàs dixerat Deum operari in ipsa natura, quo præviam motionem satìs explicari aliàs diximus, cùm de solo simultaneo concursu id intelligi non possit, qui non in causa recipitur, sed in effectu, aut veriùs ipsemet effectus est, ut à prima causa dependet. At verò cùm dicitur, Deum esse causam operandi omnibus operantibus, planè repugnat non intelligi, quòd Deus causas secundas moveat applicetque ad operandum. Cùm rem unam esse causam directè quòd altera operetur, & illius operationis causa sit, *non contingat*, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 1. *nisi per hoc quòd proprium principium illius actus movet ad agendum*.

Verùm, cùm jam statuisset D. Thomas quòd nihil efficit in rebus rationem entis aut ipsum esse nisi accepta virtute à Deo primo agente; hinc sibi gradum fecit ut ad hanc quæstionem resolvendam deveniat. Unde sic istius capitis cum superiori connexionem ostendit statìm initio.

Ex hoc autem apparet, quòd Deus est causa omnibus operantibus, ut operentur. Omne enim operans est aliquomodò causa essendi, vel secundùm esse substantiale vel accidentale; nihil autem est causa essendi, nisi in quantùm agit virtute divina, ut ostensum est: omne igitur operans operatur per virtutem Dei.

Verùm, cùm multis modis intelligi possit, Deum esse causam cur res omnes operentur, aliisque in locis quatuor modos distinxerit, hìc eosdem omninò refert; quibus & quintum addit, quem indicaverat solùm prima part. in Summa, ubi breviter omnia perstringit, & fusiùs hic explicat, scilicèt Deum causam esse rebus omnibus ut operentur, quatenùs eas ad ultimum finem movet. Alios autem modos sic explicat.

1. *Adhuc: omnis operatio quæ consequitur aliquam virtutem, attribuitur sicut causæ illi rei quę dedit illam virtutem: sicut motus gravium, & levium naturalis consequitur formam ipsorum, secundùm quòd sunt gravia, & levia: & ideò causa ipsorum motûs dicitur esse generans qui dedit formam: omnis autem virtus uniuscujusq; agentis est à Deo sicut à principio omnis perfectionis: ergo cùm omnis operatio consequatur aliquam virtutem, oportet quòd cujuslibet operationis causa sit Deus.*

Hic primus modus est quo Deus est rebus causa operandi, quatenùs scilicèt virtutes agendi eis confert. Atque eo principio abutebatur Pelagius, ut non alio modo Deum in nobis operari velle, & agere existimaret, nisi quia ipsam possibilitatem seu facultatem agendi conferebat, ut constat ex S. Augustino lib. de Natura, & Gratia, potissimùm cap. 3. & 6. cui jam olim viam straverat Origenes, de quo inquit S. Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 89. quòd *quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque prejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates*, Sacræ Scripturæ, quòd scilicèt Deus operatur in nobis velle, & perficere, *malè exponere, ut scilicèt dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi; non autem quòd faciat nos velle hoc vel illud, sicut Origenes exponit 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates predictas*: quod deinde impugnat potissimùm ratione superiori articulo explicata: quia scilicèt agens in cujus virtute agens secundum agit, est causa non solùm virtutis, sed etiam actus: quod in artifice videre est, in cujus virtute agit instrumentum. At verò neque voluntas, neque ulla causa agit nisi in virtute ipsius Dei. Sed

Prętereà, prosequitur S. Thomas, & alterum modum explicat, quatenùs Deus nedùm virtutem agendi confert, sed etiam quatenùs eam conservat, ut ubique summa consensio reperiatur.

3. *Amplius, manifestum est, quòd omnis actio quæ non potest permanere cessante impressione alicujus agentis, est ab illo agente: sicut manifestatio colorum non posset esse cessante actione Solis quæ aërem illustrat. Unde non est dubium quin Sol sit causa manifestationis colorum, & similiter patet de motu violento qui cessat cessante violentia impellentis: sicut autem Deus non solùm dedit esse rebus cùm primò esse inceperunt; sed quandiù sunt, esse in eis causat, res in esse conservans, ut ostensum est; ita non solùm cùm res primò conditæ sunt, ejus virtutes operativas indidit, sed semper eas in rebus causat. Unde cessante influentia divina, omnis operatio cessaret. Omnis igitur rei operatio in ipsum reducitur sicut in causam.*

Idem exemplum de Sole, quo manifestantur colores, retulerat 1. par. qu. 105. Et alterum simile retulerat quæst. 3. de Potent. quòd medicinę quibus illæsa servatur potentia videndi, faciunt videre, seu sunt causa videndi. Sed addit prętereà tertium modum ex applicatione.

4. *Item: quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis; artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut coquus decoctionis quę est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad operationē est principaliter, & primò à Deo.* (Expēde hęc verba quòd applicatio virtutis ad operationem est *principaliter, &*

primò

primò à Deo, & vide nùm hæc ſignificent, Deum priùs movere, *id* eſt ut diximus ſupra, præmovere.) *Applicantur enim virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animæ. Primum autem principium utriuſque motus eſt Deus; eſt enim primum movens omninò immobile, ut ſupra oſtenſum eſt: & ſimiliter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum reducitur in Deum ſicut in primum appetibile, & in primum volentem: omnis igitur operatio debet attribui Deo ſicut primo, & principali agenti.*

Hæc iterùm eadem ratio eſt, quam etiam ubique alibi uſurpat S. Thomas, & nos articulo integro proſecuti ſumus, ac ex D. Auguſtino confirmavimus. Unde non eſt quòd huic rationi explicandæ diutiùs immoremur. Sed unum prætermittendum non eſt, quo retractatio ficta, & Divo Thomæ impoſita refellatur. Ubinam enim hìc particula diminuens *quaſi*, quam velutì retractationis notam, & argumentum quidam objiciunt: hìc enim exertè inquit S. Thomas, *quòd omnis applicatio virtutis ad operationem, & quidem principaliter, & primò eſt à Deo*: ergo ſi prèviæ motionis divinæ ſententia apertè à D. Thoma explicata ſit q. 3. de Potent. art. 7. quòd dixerit cauſam ſecundam à Deo applicari, & reipsà planè repugnet intelligi, cauſam ſecundam à Deo moveri, & ea motione applicari, niſi ea motio, & activa ex parte ipſius Dei applicatio ipſum actum voluntatis, & ipſam ipſius applicationem paſſivam antècedat: ſiquidem conſtituta regula eſt, non tam à S. Thoma, quàm ab ipſa natura, vel naturæ authore, *quòd motio moventis præcedit motum mobilis naturæ, & cauſalitate*, l. 3. cont. Gent. cap. 149. cùm, inquam, D. Thomas etiam hoc poſteriori loco, & cap. 67. cont. Gent. cui explicando incumbimus, ac in eo opere quod ſimul cum Summa Theologica ultimum velutì teſtamentum ſuæ Scholæ relictum Theologi omnes agnoſcunt; cùm, inquam, expreſsè aſſerat applicationem virtutis cauſæ ſecundæ ad operationem eſſe *principaliter, & primò à Deo*, ſeu Deum primò, & principaliter cauſam ſecundam ad operationem applicare: manifeſtum eſt, nullam fingi poſſe Sancti Thomæ retractationem; nec dubitationi locus ullus relictus eſſe videtur, quin S. Doctor ſemper in eadem ſententia perſtiterit.

Verùm in eadem D. Thomæ ratione unum obſervari poteſt quod Joſephum à Vita fefellit, nimirùm quod à S. Thoma dictum eſt, quòd *applicantur virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis, vel animæ; primum autem principium utriuſque motus eſt Deus.* Indè enim Joſephus à Vitâ inferri exiſtimavit, ex ſententia D. Thomæ Deum equidem cauſas omnes movere, ſed movere ſolùm mediis aliis cauſis proximioribus: v. g. movere plantam, ſed mediis ſolùm & cælis, & intelligentiis: movere voluntatem, ſed medio intellectu, & rationis dictamine. Unde & cæteros S. Thomæ Diſcipulos reprehendit, quòd velutì per ſaltum, ex eo quòd cauſæ ſecundæ moveri debeant, prætermiſſis cauſis mediis, ſtatìm ad Deum primam cauſam devenerint, ac dixerint determinari à Deo. Verùm nullus aliorum ſaltus eſt, ſed graviſſimus ipſius lapſus: tum quia difficultas in eo poſita eſt, utrùm ſatìs ſit cauſas ſecundas, ipſamque voluntatem, inſtructas eſſe ſuis facultatibus, an verò prætereà debeant moveri à cauſis ſuperioribus; atque in ea rerum, & cauſarum ſubordinatione tandem ad Deum deveniendum ſit: compendio autem res acta eſt à cæteris S. Thomæ Diſcipulis, à quibus probatum eſt, cauſas omnes ex lege ſubordinationis, vel ob earum impotentiam debere à Deo moveri, & ſuperadditam virtutem ab ipſo recipere. An verò ea motio mediata eſſet, necne, cùm in eo non eſſet poſita controverſia, non erat etiam quòd in eo D. Thomæ Diſcipuli immorarentur. Sed prætereà, quamvìs diſtantia velutì quædam intelligi poſſit, & ſuppoſitorum mediatio; attamen quod ad virtutem attinet divinæ motionis; ea virtus cauſis omnibus ſecundis immediatiſſima cenſeri debet, & reipsà eſt: quia cæteræ cauſæ intermediæ deferunt virtutem cauſæ primæ; & ea divinæ motionis virtus cæteras omnes cauſas cum ſuis effectibus conjungit. Unde neceſſe eſt quòd immediatiſſima ſit, & à S. Thoma diſcere Joſephus potuerat qu. 3. de Potent. art. 7. quòd *ſi conſideremus ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ſuo effectui: ſi autem conſideremus virtutem quâ fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in lib. de Cauſis &c.* Unde liquet, quòd ſi ea divinæ motionis virtus immediatior ſit effectui, quàm virtus cauſæ inferioris, & proximæ, nullus ſaltus fuit, ſi cæteri eam virtutem ſecuti, habitaque ſolùm ratione illius virtutis, cauſas omnes immediatè à Deo moveri dixerint. Sed

Prætereà, alterum etiam à S. Thoma diſcere Joſephus potuiſſet, ſcilicèt aliud longè ſentiendum eſſe de Deo, ac de cæteris cauſis moventibus: atque hoc diſcrimen explicat ibidem q. 3. de Pot. Sanctus Thomas his verbis: *In hoc Cælum* differt, *quia ubicumque eſt virtus divina, eſt eſſentia divina, non autem eſſentia corporis cæleſtis eſt ubicumque eſt ſua virtus; & iterùm Deus eſt ſua virtus, non autem corpus cæleſte: & ideò poteſt dici quòd Deus in qualibet re operatur, in quantùm ejus virtute quælibet res indiget ad operandum, non autem propriè poteſt dici quòd Cælum ſemper agat in corpore elementari, licèt ejus virtute corpus elementare agat.* Hæc S. Thomas: quibus omninò liquet, aliud longè eſſe ſentiendum de Deo ac de aliis cauſis moventibus, & Deum licèt omnium altiſſimam cauſam, eſſe tamen rebus omnibus cauſiſq; ſecundis immediatiſſimum. Atque adeò cæteros Divi Thomæ Diſcipulos Magiſtrum ſecutos fuiſſe, nec per ſaltum à prima cauſa ad ultimam tranſiiſſe; ſed cùm præſentem, & rebus inexiſtentem Deum repererint veriſſimè dixiſſe, cauſas omnes imme-

diatè à Deo moveri : Josephum verò, cùm novam solus ipse tentare viam voluit, *& audaci cepit gaudere volatu, deseruitque Ducem*, graviter lapsum fuisse : de quo plurima aliàs dicenda erunt, ubi ex professo novum Josephi Systema evertemus. Et tandem quamvìs S. Thomas eo loco mediatam solùm motionem divinam docuisset ; non tamen consequitur quin immediatam aliis in locis motionem Dei docuerit ; neque enim ubique omnia refert S. Doctor : sed de his alibi.

Sed præter eos omnes modos quos jam explicuit S. Thomas quartum, & præcipuum addit n. 5. ubi sic ait.

5. *Adhuc : In omnibus causis agentibus ordinatis, semper oportet quòd causæ sequentes agant in virtute causæ primæ ; sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœlestium, & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur secundùm imperium supremi architectoris : in ordine autem causarum agentium Deus est prima causa, ut in primo ostensum est: ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius. Causa autem actionis magìs est id cujus virtute agitur, quàm etiam illud quod agit: sicut principale agens magìs agit quàm instrumentum. Deus igitur principaliùs est causa cujuslibet actionis quàm etiam secundæ causæ agentes.*

Præcipuus hic modus est, & de quo maximè decertant, qui adversam motioni prævìæ sententiam defendunt. Equidem plurimùm eos urget, quòd dixerit S. Thomas, Deum applicare causas secundas dum agunt ; cùm ea applicatio nec explicari nec intelligi etiam possit, nisi quædam prioritas, & antecessio Dei ipsiusque divinę motionis causam secundam applicantis intelligatur. Unde & ad impropriam quandam, & lato modo sumptam applicationem cõfugere compulsi sunt, etsi contextus ipse omni voce vocalior reclamet, nec existimare permittat, aut ferat ipsa D. Thomę scribendi ratio Theologorum omnium exactissimi, & ab his impropriis locutionibus alienissimi, quæ Rhetorem magìs decent quàm Theologum, quem convenit propriissimis uti, &, ut ita dixerim, res ad vivum secare. Attamen si semel exploratum sit, S. Thomam quartum aliquem modum agendi admisisse, quo Deus cum agentibus creatis concurrit, & quæ nedùm applicat, & movet, sed quibus etiam virtutem confert : precluditur sanè omnis effugii locus, nec ulla supererit dubitandi ratio divinam motionem prævìam, seu prævium Dei influxum in causis secundis à S. Thoma admissum fuisse. At verò hac ultimo loco allata ratione eam necessitatem applicationis, & motionis ex altero capite probat, quòd ut aliàs ostendimus, omnium præcipuum est : quòd necesse sit, causas omnes superadditam virtutem sibi impressam à Deo recipere, sicut inferiora corpora à corporibus cælestibus virtutem recipiunt : quæ sanè superaddita virtus non alia est præter ipsam divinam motionem, quâ causæ omnes dicuntur agere in virtute causę primæ. Neque enim intelligi potest aut explicari de virtute agendi initio rei collata, cùm manifestissimè S. Thomas hunc quartum concurrendi modum distinxerit à primo quem retulimus.

Atque in hac etiam ratione advertendum præterea illud est, quod inquit Sanctus Thomas; quòd *Deus principaliùs est causa cujuslibet actionis, quàm etiam causæ secundæ agentes*. Indè enim intelligi potest quod totiès à Sancto Augustino aliisque Sanctis Patribus tanquàm alterum Christianę Religionis ac pietatis fundamentum, assertum est ; omnia hominis justi bona meritaq; in Deum ejusque gratiam semper grato animo esse referenda. Unde illud D. Prosperi, quòd cùm Deus meritis hominumque bonis operibus mercedem rependit, *sua dona coronat*. Hujus enim verissima, & solida ratio est, quam habet hìc Divus Thomas ; quòd causa actionis magìs est id cujus virtute agitur, quàm etiam illud quod agit. Unde cùm omnia hominum merita bonaque opera ex gratia quam Deus confert deriventur ; *principaliùs* in Deum quàm in ipsum hominem referri necesse est, ut nihil habeat homo, quo jure gloriari possit, cui non minùs ipsa merita quàm meritorum merces à Deo conferuntur.

Verùm, ut diximus, præter superiores rationes explicatas, quibus probat S. Thomas, Deum esse causam rebus omnibus operandi : alteram rationem desumit ex ratione causæ finalis, quam qui existimant parùm ad rem facere, longè à Divi Thomæ sententia aberrarunt. Ex eo enim quòd res omnes in finem ultimum tendant, etiam quæ sunt & sensûs & rationis expertes, necesse est à Deo eas ad ultimum finem præmoveri. Quam rationem cùm sæpissimè aliàs sanctus Doctor referat, hìc tanquàm quintum modum concurrendi expressiùs affert, & paucis necesse est confirmari. Ita verò habet, num. 6.

6. Item. *Omne operans per suam operationem ordinatur ad finem ultimum. Oportet autem quòd vel operatio ipsa sit finis, vel operatum quod est operationis effectus. Ordinare autem res in finem est ipsius Dei, ut supra ostensum est. Oportet igitur dicere, quòd omne agens in virtute divina agat. Ipse igitur est qui est causa actionis omnium rerum.*

Et verò adverti hìc potest, à D. Thoma colligi, quòd quia Deus res omnes, & agentia ad finem ultimum ordinet, & permoveat, etiam omne *agens in virtute divina agit* : nimirùm, quia licèt ordinatio, & rerum prędefinitio dumtaxàt in mente divina sit : nihilq; in rebus efficiat ; attamen necesse est, quòd ipsa temporaria executio fiat superaddita agẽtibus virtute : sicut cùm emittitur sagitta in scopum, necesse est imprimi sagittæ impulsum, & virtutem quâ in scopum tendat. Unde liquet parùm attentè fuisse à quibusdam dictum, quòd hic quintus concurrendi modus nihil ad causam motionis prævìæ conferre possit. Atque eo exemplo sagittæ utitur S. Thomas 1. p. qu. 19. ar. 4. ubi probat, voluntatem Dei esse liberrimam rerum causam, neque Deum agere ex necessitate naturæ, quia cùm universìm omnium,

quæ

quæ fiunt aut fieri unquàm poſſunt, duplex dumtaxàt cauſa ſit, aut etiam eſſe poſſit, ſcilicèt intellectus, & natura; nam ad intellectum ars pertinet: neceſſe eſt quòd ipſa natura ab intellectu, qui ſuperior cauſa eſt, dirigatur, alioqui enim caſu res fierent. Unde inquit S. Doctor: *Neceſſe eſt ut agenti per naturam prædeterminetur finis, & media neceſſaria ad finem ab aliquo, ſicut ſagittæ prædeterminatur finis, & certus modus à ſagittante.* Ubi licèt ultrò fatear, *prædeterminationis* nomine intellectam fuiſſe à S.Thoma ordinationem, & prædefinitionem, quæ in Divina mente exiſtit; attamen ex ea neceſſe eſt colligi ipſam temporariam prædeterminationem, quâ Deus agentia omnia in ſuos fines permovet, & perducit, ſicut qui ſagittam jaculatur, impreſſo motu eam ad ſcopum impellit, ut ſcopum attingat. Vide 3. contra gen. cap. 2.

Confirmari hæc poſſunt, ac majoris claritatis gratiâ in hanc formam poteſt hæc ratio reduci. Neceſſe eſt quòd ordo agentium ſit ſecundùm ordinem finium, & vice verſa; & quòd ſuperiùs agens, quodque univerſaliorem finem reſpicit, inferiora agentia ad ſuos particulares fines moveat, quibus ad ultimum finem tendunt: Atquì, Deus eſt ſupremum agens quod ultimum ſimpliciter finem reſpicit; cæteræ verò cauſæ creatæ ſunt agentia inferiora, quæ ad fines particulares tendunt, quibus ad ultimum finem feruntur: Ergo neceſſe eſt, quòd Deus agentia omnia particularia ad ſuos fines permoveat, in quo poſita eſt ratio prævię motionis.

Utraque præmiſſa centies à S. Thoma aſſerta eſt, ac variis exemplis probata. Ut enim inquit 3. cont. gent. cap. 17. *Ad ordinem agentium ſequitur ordo in finibus: nam ſicut ſupremum agens movet omnia ſecunda agentia, ita ad finem ſupremi agentis oportet quòd ordinentur omnes fines ſecundorum agentium: quidquid enim agit ſupremum agens, agit propter finem ſuum: agit autem ſupremum agens actiones omniũ inferiorum agentium, movendo omnes ad ſuas actiones, & per conſequens ad ſuos fines. Unde ſequitur quòd omnes ſecundorum agentium actiones ordinantur à primo agente in ſuum finem proprium: agens autem primum rerum omnium eſt Deus &c.*

Sed prætereà huic rationi ſelecta exempla jungit,& quę nos jam retulimus ſuperiori articulo ex qu.7.de potent.ar.2.ad 10.ubi comparatione Rectoris Civitatis, qui imperat bellum, Ducis exercitûs, qui aciem inſtruit, & ipſius militis qui pugnat,probat eundem eſſe omnium finem ſcilicèt victoriam de hoſte reportãdam, quam primò ipſe Gubernator Civitatis per ſe reſpicit, & ad quam cęteros omnes movet. Parum abeſt ab illo exemplo alterum quod habet 1. 2. qu. 9. art. 1. ubi ſic habet: *Semper ars, vel potentia ad quam pertinet finis univerſalis, movet ad agendum artem, vel potentiam ad quam pertinet finis particularis ſub illo univerſali comprehenſus; ſicut Dux exercitûs, qui intendit bonum commune, ſcilicèt ordinem totius exercitus, movet ſuo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem unius aciei.* Quibus exemplis conficitur, quòd cùm Deus ſit univerſaliſſimum agens, quod ultimum totius univerſi finem reſpicit, ad quem neceſſe eſt cætera omnia tendere; etiam neceſſe eſt quòd agentia omnia ad ſuos fines permoveat, non imperio, cujus capaces non ſunt cauſæ rationis expertes, ſed impreſſa vi quâ eas ad ſuas operationes impellat, quibus ultimum finem ſuo modo attingere poſſunt.

Confirmatur demùm hæc ratio, ac ſimul quæ afferri poſſet reſponſio antevertitur,ac explicatur quod ſupra nos explicaturos polliciti ſumus, ſcilicèt dupliciter Deum res omnes ad ſuas operationes ſuoſque fines particulares, atque iis mediis ad ultimum finem permovere. Primò quòd rebus omnibus inclinationes contulerit, quibus tanquàm ponderibus in ſuos fines ſuaſque operationes feruntur, ut explicat S.Thomas 1.2.quęſt.93. art. 5. & quę ſunt ipſa lex naturalis rebus omnibus impreſſa, de qua dictum eſt Proverb.8. *quando circumdabat mari terminum ſuum,& legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos.* Atque ea ratione, inquit S. Doctor Deus dicitur præcipere toti naturæ ſecundùm illud Pſal. 148. *Præceptum poſuit, & non præteribit*: ſic Job 37.*præcipit nivi, ut deſcendat in terram.* Eſt enim quælibet inclinatio impreſſa naturæ, Divinę & ęternę legis quędam participatio. Unde omnia Divinam legem exequi aut pati dicuntur,& ut inquit egregiè Boëtius, *O ſtelliferi conditor orbis, -- qui perpetuo nixus ſolio, -- rapido Cælum turbine verſas, -- legemque pati ſydera cogis.* Quòd enim, ut poſteà fuſiùs explicat, interdum Luna pleno lucida cornu condat minores ſtellas;quòd nunc pallida,ſolique propior lumina perdat: quòd Sol ipſe ſuos renovet curſus;hæc omnia efficit æterna lex impreſſa rebus,quàm nihil unquàm prętergreditur;quoniam omnia ſerviunt tibi, *nihilque antiqua lege ſolutum linquit propriæ ſtationis opus.*

Verùm non ea ſolum ratione cauſas omnes Deus movet, quòd eis facultates conferat, quibus tanquàm impreſſis inclinationibus ad ſuas operationes feruntur. Sed prætereà etiam cùm agunt, & ut agant, Deus impreſſa motione, & virtute cauſas omnes impellit: ſicut jaculator nedùm primò aptavit ſagittam, ſed etiam cùm eam emittit, imprimit ipſi motum, quô ad ſcopum feratur. Et primo quidem modo à Deo moveri omnia non negant etiam qui Divinis motionibus adverſantur, quique nihil aliud ad agendum requiri exiſtimant, præter facultates activas quibus ſimultaneus concurſus non deeſt. Verùm aliud requirit S. Thomas, ut ipſa comparatio creaturæ cum ſagitta omninò manifeſtat. Atque eâdem ratione dicitur res omnes etiam ſenſu expertes, ac totam naturam duci,regique à ſuperiori intelligentia, ipſumque opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, quæ omnia egregiè explicat D. Thomas 3. contra gentes cap. 24. ubi ita inquit.

Non eſt difficile videre,qualiter naturalia corpora cognitione carentia moveantur, & agant propter

finem: tendunt enim in finem, sicut directę in finem à substantia intelligente per modū quo sagitta tendit in signum directa à sagittante: sicut enim sagitta consequitur inclinationem ad signum, sive ad finem determinatum ex impulsione sagittantis, ita corpora naturalia consequuntur inclinationem in fines naturales, ex moventibus naturalibus ex quibus sortiuntur suas formas, & virtutes, & motus. Unde etiam patet, quòd quodlibet opus naturæ est opus substantiæ intelligentis: nam effectus principaliùs attribuitur primo moventi dirigēti in finem, quàm instrumentis ab eo directis: & propter hoc operationes naturę inveniuntur ordinatè procedere ad finē, sicut operationes sapientis. Hactenùs S. Thomas. Ex quibus intelliges, quàm firma solidaque principia Divinę prævięque motionis sint, quibus & existentia divini Numinis, ut sæpiùs animadvertimus, & divinæ providentiæ circa res omnes creatas cura, & regimen demonstrantur.

Atque inde etiam alterum colligit S. Doctor, quod mirum in modum divinæ motionis efficaciam cum hominis libertate conciliat. Inde enim colligit divinæ providentiæ suavitatem, quòd res omnes moveat juxtà earum conditiones, & inclinationes. Quid enim divinam providentiam efficere existimandum est, cùm res omnes movet, & impellit? Inclinationem actualem tribuit, inclinationi jam naturæ inditæ omninò consentaneam, vel etiam, quę inclinationem à natura inditam perficit: gratia enim naturæ superaddita perfectio est. Quò sanè respexit S. Augustinus, dum toties gratiam, & suavitatem cordibus infusam, & delectationem nuncupavit: ex inclinatione enim delectatio consequitur, dum illud agimus ad quòd inclinamur. Igitur universim cùm Deus creaturas, causasque secundas movet, actu eas inclinat, seu inclinationes tribuit ad suos fines particulares, vel ad ultimum finem, ad quem suo modo consequendum institutæ sunt. Unde quocumque modo creaturas Deus impellat, nullam vim infert, quia *omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis, vel voluntariæ nihil aliud est quàm impressio à primo movente*, 1. par. qu. 103. articulo 8. De quo plura alibi.

Confirmari iterùm superiora possunt, & explicari, Deum dupliciter creaturas movere, applicare, & vim agendi eis tribuere, ex S. Thoma Opusc. 34. de occultis naturæ operibus, ex quo jam plura retulimus. Cùm enim dixisset, quòd quædam *operationes sunt, quæ à virtute elementorum causari non possunt, putà quòd magnes attrahit ferrū, & quòd quædam medicinæ quosdam determinatos humores purgāt in determinatis corporis partibus. Unde oportet tales operationes in altiora principia reducere*: nihil enim fingi potest in elementorum qualitatibus, quod hujusmodi tractionem efficere possit. Addit posteà idem S. Doctor.

Est autem considerādum, quòd aliquod agens inferius secundùm superioris agentis virtutē dupliciter agit, vel movetur; uno modo in quantùm actio procedit ab eo secundùm formam, vel virtutem sibi impressam à superiori agente, sicut Luna illuminata per lumen à Sole receptum: alio modo agit per solam virtutem superioris agentis, nullâ formâ receptâ ad agendum, sed per solum motum à superiori agente movetur; sicut carpentator utitur serrâ ad secandum: quæ quidem sectio est principaliter actio artificis, secundariò verò serræ, in quantùm ab artifice movetur; non quòd talis actio sequatur aliquam formam, vel virtutem, quæ in serra remaneat post motionem artificis.

Igitur ex S. Thoma dupliciter inferior causa à superiore perficitur, vel quia recipit permanentem aliquam formam; vel quia movetur solùm, & applicatur: In qua applicatione non intelligitur collatio alicujus virtutis, scilicèt permanentis, quamvìs non possit non intelligi virtus aliqua superaddita, ipsa scilicèt motio tanquàm virtus artis superioris artificis. At verò, prosequitur S. Thomas, quoties causæ effectus producunt quorum principia nos latent, necesse est, eas alterutrò ex his modis à causis superioribus, & corporibus cælestibus, & intelligentiis, quæ Cælis tanquàm instrumentis utuntur, dependere: Vel *quia* hujusmodi *actiones consequuntur aliquas formas, vel virtutes impressas corporibus elementariis à superioribus agentibus; vel quòd tales actiones consequantur solùm motionem à dictis agentibus*, superioribus scilicèt corporibus cælestibus, & intelligentiis separatis: *ex utrisque enim*, & Cælis, & intelligentiis, *aliquando actiones, vel motus in corporibus inferioribus inveniuntur: quædam enim non procedunt ab aliqua forma inferioribus corporibus impressa, sed solùm ex superiorum agentium motione.*

Atque hoc posterius triplici exemplo manifestat. *Aqua enim fluxûs, & refluxûs motum sortitur præter proprietatem elementi, ex virtute Lunæ, non per aliquam formam sibi impressam, sed ex Lunæ motione, quâ scilicèt aqua movetur à Luna.* Probat deinde ex divinæ operationis effectibus: *Idem* enim inquit, *quandoque contingere credimus Divina operatione: quòd enim ad umbram Petri Apostoli sanarētur infirmi, vel ad tactum Reliquiarum alicujus Sancti, aliqua ęgritudo pellatur, nō fit per aliquam formam his corporibus inditā, sed solùm per operationem divinam quæ his corporibus*, tanquàm instrumentis, *utitur ad tales effectus.* Quin etiā idem probat, quòd interdùm arte Dęmonum factarū *Imaginum quidam effectus* videantur, *qui procedunt, non ab aliquibus formis quas susceperint dictę imagines, sed à Dęmonū actione, qui in dictis imaginibus operātur.* In his enim nullam impressam formam esse inde probat, quia permanentes formę eosdē semper producunt effectus. *At verò constat, quòd non omne os, nec omnes Reliquiæ Sanctorum, tangendo sanant, nec omnis aqua fluit secundùm motum Lunę.* Necesse igitur est, quòd ejusmodi effectus oriantur ex ipsa motione superioris intelligentiæ, quæ utitur Cælo tanquàm instrumento. Neque enim existimandum est, veluti inertes esse Angelos, suaque sola felicitate frui, nullamque sub Deo Principe regiminis mundi partem habere. Certum est, inferiora

riora omnia adminiſtrari per Angelos, ut ex profeſſo explicat D. Thomas, 1. par. quæſt. 110. art. 1. probatque ex S. Auguſtino 3. de Trinitate cap. 4. *Quòd omnia corpora regantur per ſpiritum vitæ rationalem*. Et ex D. Gregorio 4. Dialog. cap. 6. *Quòd in hoc mundo viſibili nihil niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt*. Ac deinde iterum *ex S. Auguſtino lib. 83. qq. quæſt. 79. Unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam. Et S. Damaſcenus lib. 2. Fidei Orthod. cap. 4. dicit, quòd Diabolus erat ex iis Angelicis virtutibus, quæ præerant terreſtri ordini. Et Origenes dicit ſuper illud Numer. 22. cùm vidiſſet Angelus aſinam: quòd opus eſt mundo Angelis, qui præſint ſuper beſtias, & præſint animalium nativitati, & virgultorum, & plantationum, & cæterarum rerum incrementis*.

Ex quibus omnibus conſtat in primis, inter Theologos, ac Chriſtianos etiam Philoſophos in dubium revocari non poſſe eam Angelorum, & intelligentiarum adminiſtrationem, & operationem in rebus; quæ ſi ſemel conceſſa fuerit, non erit admodùm difficile plurimarum rerum occulta principia indagare. Et inde inchoare expediret Chriſtianos Philoſophos, cùm etiam de rebus phyſicis, eorumque effectis pertractant. Conſtituenda enim ſunt certa apud Chriſtianos principia, iiſque principiis non alia quàm quæ conſentanea ſunt adiungi debent. Et ſi ita agatur, ſperare auſim, nullam eſſe certiorem philoſophiam, eâ quam ſequutus eſt S. Thomas. Sed deinde conſtat etiam ex ſuperioribus Deum duobus modis cauſas ſecundas movere, ſcilicet quatenùs virtutem activam eis contulit, & quatenùs ipſis etiam uſum illius virtutis confert, eaſque vi impreſſa, ut agant applicat, & impellit. Sed

Concludit ſuperiùs caput 67. D. Thomas authoritate Sacræ Scripturæ, quâ hactenùs dicta ità confirmat.

Hinc eſt, inquit, *quòd dicitur Iſaiæ 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Et Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et ad Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Et hac ratione frequenter in ſcriptura, naturæ effectus operationi Divinæ attribuuntur: quia ipſe eſt, qui operatur in omni operante per naturam, vel per voluntatem; ſicut illud Job 10. Nonnè ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me. Et in pſalm. Intonuit de Cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis*.

Vidę quæ ſuprà præcedenti quæſt. art. 7. diximus, eundem eſſe operandi modum quem Deus in ordine gratiæ, ac in ordine naturæ ſervat, adeoque communia eſſe principia, quæ S. Thomas uſurpat, ut in utroque ordine, & naturæ, & gratiæ eandem vim habeant.

ARTICULUS III.

Explicatio capitis 70. lib. 3. contra Gentiles. Concluditur nunquàm à D. Thoma priorem ſententiam retractatam fuiſſe.

JUvabit plurimùm hujus capitis explicatio ad eam S. Thomæ principiorum miram conſenſionem, & ſententiæ conſtantiam demonſtrandam, cùm eadem hìc etiam principia uſurpet, & quædam etiam argumenta ſolvat eodem planè modo quo alibi, ſcilicet qu. 3. de potent. ea ſolverat. Ac in primis hæc argumenta proponit, & ita habet.

Cap. 70. *Quomodo idem effectus ſit à Deo, & à naturali agente.*

Quibuſdam autem difficile videtur ad intelligendum, quòd effectus naturales attribuantur Deo, & naturali agenti.

1. *Nam una actio à duobus non videtur progredi poſſe. Si igitur actio per quam naturalis effectus producitur procedit à corpore naturali, non procedit à Deo.*

2. *Item: quod poteſt fieri ſufficienter per unum, ſuperfluum eſt quòd fiat per multa. Videmus enim quòd natura non facit per duo inſtrumenta quod poteſt facere per unum. Cùm igitur virtus Divina ſufficiens ſit ad producendos effectus naturales, ſuperfluum eſt adhibere ad eoſdem effectus producendos etiam naturales virtutes: vel ſi virtus naturalis ſufficienter proprium effectum producit, ſuperfluum eſt quòd Divina virtus ad eundem effectum agat.*

3. *Prætereà: ſi Deus totum effectum naturalem producit, nihil relinquitur de effectu naturali agenti ad producendum. Non videtur igitur eſſe poſſibile quod eoſdem effectus Deus producere dicatur, quos res naturales producunt.*

Hæc ibi S. Thomas: quæ tria etiam alibi argumenta ſibi objecit ut videre eſt ſupra in celebri illo articulo 7. quem pro fundamento totius Diſſertationis ſupra conſtituimus. Ex his verò potiſſimùm obſervandum eſt quod ſecundo loco reponitur. Illud enim idem eſt quo prævia motio impeti ab Adverſariis ſolet, quòd ſcilicet inutilis ac ſuperflua ſit. Cur enim, inquiunt, non ſufficiat virtus activa cujuſlibet cauſæ v. g. ignis, ſi cætera non defuerint, & ſubjectum rectè diſpoſitum ſit, & paratus Divinus concurſus? atque hoc ipſum fuſiùs explicuit loco jam prælaudato; & variis etiam modis propoſuit, quòd veluti præſaga mente animadverteret, id ſępiùs fore ſuis Diſcipulis objiciendum. Propoſitis autem his argumentis, ita quæſtionem reſolvit.

Hæc autem difficultatem non afferunt, ſi præmiſſa conſiderentur. In quolibet enim agente eſt duo conſiderare, ſcilicet rem ipſam quæ agit, & virtutem qua agit, ſicut ignis calefacit per calorem. Virtus

tus autem inferioris agentis dependet à virtute superioris agentis, in quantùm superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat eam ad agendū, sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdùm formam non dat per quam agit instrumentum; nec conservat, sed dat ei solum motum. Oportet igitur quòd actio inferioris agentis non solùm sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium, agit enim in virtute omnium. Et sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum. Nam virtus infimi agentis non habet quòd producat hunc effectum ex se, sed ex virtute superioris proximi; & virtus illius ex virtute superioris; & sic virtus supremi agentis invenitur ex se productiva effectûs, quasi causa immediata, sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum.

Hæc omnia D. Thomas, quæ facilè quisque intelliget ex his quæ alibi satis accuratè explicuimus. Et quidem apertè triplicem modum refert, quo Deus causa est operantibus omnibus ut reipsâ operentur: primò quia confert omnibus virtutem agendi: secundò quia eam conservat: ac tertiò quia *applicat eam ad agendum*. Et verò hic exertè causam secundam à Deo applicari inquit, nullâ adjectâ diminuente particulâ, quam olim cùm adjeciſſet, avidè quidam arripuerunt tanquàm retractationis notam certumque indicium. Atquì nihil adjicit hìc S. Thomas, quo significari possit, se applicationem quandam dumtaxàt impropriam aut diminutam intellexisse. Sed

Observari prætereà non immeritò potest, quòd etiam nec semel alibi observatum est; sub ea applicatione comprehensum fuisse à D. Thoma quartum illum modum quem olim majoris claritatis gratiâ distinxit; quo scilicet Deus causa est omnibus operantibus causis ut agant, quatenùs ipsis virtutem agendi confert: repugnat enim applicari causam secundam, seu moveri à Deo nisi ea applicatione motum quendam à Deo impressum accipiat, qui sit ipsa applicatio passiva, & usus causæ quam adhibet; quod quidem ipsa comparatio instrumenti ob oculos ponit. Repugnat enim instrumentum applicari, nisi motum, & applicationem ab artifice recipiat; unde inquit, quòd *artifex applicat instrumentum, & dat ei motum*: qui motus est ea virtus superaddita, quam aliàs virtutem artis nuncupavit. Unde hìc etiam postquàm de ea applicatione locutus est, inquit quòd *actio inferioris agentis*, puta plantæ florem emittentis, *fit ab eo non solùm per virtutem propriam*, sibique insitam, *sed etiam per virtutem omnium superiorum agentium*, scilicet Solis aut Cœli, cujus influxu fovetur; & substantiarum separatarum, quarum ministerio Deus utitur *in dispensatione, & œconomia rerum terrenarum*, ut inquit Clemens Alexandrinus 7. stromat. ibique sæpiùs repetit. Sicut enim *pars ferri una movetur spiritu lapidis magnetis extensa per multos annulos ferreos*; ita Divinæ motionis virtus per inferiora omnia invicem connexa extenditur: ac demùm actio inferioris agentis fit maximè per virtutem primi, & universalissimi agentis scil. Dei à quo dependet, accepta ab ipso Deo motione, quæ nedùm per inferiores causas diffunditur, sed etiam quâ ipsemet Deus in rebus constituitur: utraque enim ratio & immensitatis & causalitatis jungenda est. Et ut præter superiùs dicta inquit S. Thomas, opus. 3. Compend. Theol. c. 130. *quia causæ secundæ non agunt nisi virtute primæ causæ, sicut instrumenta agunt per directionem artis; necesse est quòd omnia alia agentia per quæ Deus ordinem suæ gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant. Agere igitur cujuslibet ipsorum à Deo causatur, sicut & motus mobilis à motione moventis. Movens autem, & motum oportet esse simul. Oportet igitur quòd Deus cuilibet agenti adsit interiùs quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet.* Igitur actio inferioris agentis est per virtutem omnium superiorum agentium; non per virtutem solùm in institutione naturæ collatam, ut quidam existimant, ac explicari vellent S. Thomam, de quo supra diximus; sed per virtutem collatam à Deo, & impressam causis inferioribus, qua virtute impressa Deus iis causis utitur, easque ut instrumenta applicat. Unde necesse est, in ipsa applicatione virtutem aliquam impressam intelligi. Ideoque & supra advertimus, addidisse D. Thomam quartum operandi in rebus modum, majoris distinctionis, & claritatis gratiâ: nam alioquin in ipsa application[illegible] cesse est virtutem superadditam comprehendi. [illegible] de sup. qu. 3. art. 14. & 15.

Observari iterùm potest quod inquit idem S. Thomas; quòd *sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum*, quæ verba explicuimus aliàs, ubi de ea immediatione virtutis, & agentis fusè satis disseruimus. Necesse enim est quòd ipsa virtus superioris agentis immediatior sit effectui, quàm ipsa virtus agentis inferioris; quia per ipsam virtutem superiorem virtus inferior cum suo effectu conjungitur. Unde quò virtus superior, & altior est, eâque parte remotior esse videtur, eò tamen immediatiorem esse necesse est. Quamvìs præter eam immediationem virtutis, altera etiam suppositi, & inexistentiæ sit Deo eximia, cum ipse Deus *interiùs adsit omni agenti, dum ipsum ad agendum movet.*

His verò ita positis, Respondet D. Thomas argumentis quæ sibi initio obiecerat. Unde sic prosequitur ut ad primum Respondeat.

Sicut igitur non est inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute; ita non est inconveniens quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & Deo, ab utroque immediatè, licet alio, & alio modo. Et ea responsione solvit primum Argumentum, quo dicebatur eundem effectum produci non posse à duobus agentibus. Quo etiam pacto Respondet 1. p. qu. 105. art. 5.

art. 5. ad 2. non poſſe quidem eundem effectum à duobus agentibus produci, ſi ſint ejuſdem ordinis, poſſe tamen ſi diverſi ſint, & alterum ſuperius, alterum autem inferius ſit, quod non agit niſi virtute ſuperioris.

Proſequitur autem S. Thomas his verbis,& ad ſecundum Reſpondet.

Patet etiam quòd ſi res naturalis producat proprium effectum, non eſt ſuperfluum quòd Deus illum producat. Quia res naturalis non producit ipſum niſi virtute Divina. Neque eſt ſuperfluum ſi Deus per ſeipſum poteſt omnes effectus producere, quòd per quaſdam alias cauſas producantur. Non enim hoc eſt ex inſufficientia Divinæ virtutis, ſed ex immenſitate bonitatis ipſius per quam ſuam ſimilitudinem rebus communicare voluit, non ſolùm quantùm ad hoc quòd eſſent, ſed etiam quantùm ad hoc quòd aliorum cauſæ eſſent. His enim duobus modis creaturę communiter omnes Divinam ſimilitudinem conſequuntur, ut ſuprà oſtenſum eſt. Per hoc etiam decor ordinis in rebus creatis apparet.

Hæc ibi S. Doctor, quibus ſolvit ſecundùm argumentum, quod toties nobis objicitur, inutilem ſcilicèt ac ſuperfluam eſſe Divinam motionem, cùm virtus ipſa naturalis cauſæ ſufficiat. Negat enim D. Thomas, eſſe ſuperfluam eam Divinam virtutem ſuperadditam, cauſæquæ ſecundæ impreſſam à Deo; quia nimirùm *res naturalis*, aut ut in objectione dixerat, *virtus naturalis*, non producit effectum *niſi virtute Divina*. Neque prętereà ex alio capite ſuperflua eſt virtus naturalis cauſæ, etſi divina etiam virtus effectum producat; quia licèt poſſet ſola virtus divina, ubi de effectibus naturalibus agitur, effectum producere, *ex immenſitate tamen ſuæ bonitatis* voluit ſibi creaturarum miniſterium adjungere: id enim pertinet ad dignitatem gubernatoris, ut pluribus miniſtris utatur. Quin etiam ut alicubi obſervat idem S. Thomas, ea eſt divina bonitas, ut quidquid relinqui potuit creaturæ, ut major ipſi dignitas accederet, reipsà reliquerit. Sed tandem Reſpondet D. Thomas ad tertium, & ſic habet.

Patet autem, quòd non ſic idem effectus cauſę naturali, & Divinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, ſed totus ab utroque ſecundùm alium modum: ſicut idem effectus totus attribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.

Hæc tertii argumenti ſolutio, quæ etiam ſummè obſervari debet, quâ evertitur quod ab adverſariis ſolet objici, Deum & cauſam ſecundam ut cauſas partiales agere, cujuſmodi ſunt duo trahentes navim. Nihil enim doctrinæ S. Thomæ magis adverſum dici potuerat: cùm è contrà S. Doctor contendat, *non partim à Deo, partim à naturali agente* effectum produci, *ſed totum ab utroque*: diverſa tamen ratione, quod maximè in ordine ſupernaturali verùm habet, ubi laudis, & meriti voluntati locus relictus eſt. *Opus* enim *hoc ſine duobus effici non poteſt, uno à quo fit, altero cui vel in quo fit*, ut inquit egregiè S. Bernardus: ut enim præmiſerat, *tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur; tolle gratiam, non erit unde ſalvetur*. lib. de grat. & lib.arb.

Atque ex his omnibus concludi poteſt argumentum quo probetur, planè fictam eſſe illam S. Thomæ retractationem quæ nobis objicitur. Etenim fingi non poteſt, D. Thomam retractaſſe eam ſententiam quam quæſt.3. de potentia admiſerat, ſi aliis in locis in quibus eandem controverſiam verſat; eandem aſſertionem ſtatuat, iiſdem exemplis illuſtret, eadem argumenta quibus impugnarj poteſt ſibi objiciat, iiſdem ſolutionibus ea argumenta objecta diluat, ac demùm eandem ubique loquendi rationem obſervet. Hanc certè in his omnibus quæ enumeravimus conſenſionem, argumentum eſſe ineluctabile animi ſemper idem ſentientis apertè conſtat: ſi enim illud non obtineat, non video quo alio unquàm argumento ea animi in eadem ſententia permanentis conſtantia, & firmitas demonſtrari poſſit: Atquì, S. Thomas iis locis in quibus eandem quæſtionem verſat, de qua egerat ea quæſt. 3. de potent. eandem aſſertionem ſtatuit, iiſdem principiis eam munit, iiſdem rationibus probat, iiſdem exemplis illuſtrat, eadem argumenta objicit, eodem modo ea ſolvit. Ergo non potuit non eandem omninò ſententiam docere, & eandem motionem prævíam ſemel olim defenſam, aliis in locis non admittere. Et

Confirmatur ex eo quòd tanta exiſtimata fuerit à S. Thomæ diſcipulis hujus doctrinæ iis in locis conſenſio, ut etiam Ferrarienſis olim cùm ante hanc controverſiam ortam ſcriberet, non aliunde meliùs explicari poſſe putaverit ea quæ à D. Thoma hìc referuntur, quàm ex alijs quæ ipſe S. Doctor laudata ſæpiùs qu. 3. de potent. art. 7. docuerat, in qua extra controverſiam eſt, & conſentiunt omnes, à S. Thoma expreſſam eſſe motionis Divinæ ſententiam. Ferrarienſis locum integrum ſupra q. 3. art. 5. retulimus; neque iterum referre neceſſe eſt. Ex quibus colligi poteſt, in primis, agnoviſſe eo in loco Ferrarienſem ac etiam expreſſiſſe veriſſimam prævíæ motionis Divinæ notionem, & qualem cæteri S. Thomæ Diſcipuli agnoſcunt, ut negari non poteſt, & fatentur hi quos Diſſertationis initio retulimus. At verò certum eſt, Ferrarienſem multò antiquiorem Banne fuiſſe: unde immeritò in Bannem veluti authorem hæc ſententia de Divina motione refertur. Deinde colligi etiam poteſt, nullam poſſe hìc fingi D. Thomæ retractationem, cùm in primis nulla in terminis, aut expreſsè facta referatur, nulla enim omninò extat, neque unquàm reperta eſt: ſed neque tacitam intelligi poſſe ipſa principiorum conſenſio demonſtrat.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Divina Motione in ordine morali,

DUBIUM non est quin singularis difficultas sit de creata voluntate, ubi de motione Divina agitur: cùm ipsa hujus conditio eam sui juris liberam, dominamque fecerit, & ipsius libertatis jura lædere videri possit, si dum agit, & ut agat, à Deo moveri necesse sit. Verùm summa esset voluntatis creatæ infelicitas, si divinæ gratiæ jugum ferre non posset. Falsa libertatis species est, nolle suo authori subjici. Divinæ legis, Divinęque gratiæ *agi frænis summa libertas est*, inquit Boët. lib. 1. consolat. Et si jugum sit, suave tamen est, quod suorum cervicibus Christus imponit. Et ut inquit S. Augustinus Epist. 45. Armentario scripta, *non erit asperum nec onerosum, si sub hoc uno jugo quantò minùs tumida, tantò magis libera cervice serviatur. Hæc est una sarcina, quâ ejus bajulus non premitur sed levatur.* Jugum enim duorum est scil. voluntatis, & gratię, quę imponit *sarcinam, non prementem onere ponderum, sed etiam sublevantem vice pennarum* lib. 12. de perfect. just. cap. 10.

In regno, nescio quis olim dixit, nati sumus, Deo parêre libertas est. Nemo sub egregio Principe servitutem unquàm sensit, neque *unquàm libertas gratior extat, quàm sub Rege pio.* Claudian. lib. 3. in stilicon. laudib. qualem nimirùm esse decet libertatem quæ ratione regitur. Et verò cùm voluntas à creaturę conditione nunquàm eximi possit; necesse est quòd eodem jure quo cæteræ causæ ut agant, à Deo moventur, etiam & ipsa voluntas à Deo ut prima rerum omnium causa moveatur. Quin etiam cùm voluntas inferioribus causis multis titulis emineat, etiam singulari ratione à Deo ipsam moveri necesse est: quot enim titulis, causis inferioribus eminet, tot etiam titulis à Deo dependet.

ARTICULUS I.

Probat S. Thomas, voluntatem prævièmoveri à Deo.

ADeò firma sunt, adeôque latè patent ea principia, quibus à S. Thoma probatum est, causas secundas à Deo moveri, & impelli ad suas operationes, cùm agunt; ut ad voluntatem etiam quæ communi causarum agentium genere comprehenditur, ea omnia principia à S. Thoma extendantur. Nec verò deterritus est S. Doctor ab asserenda motione voluntati impressa, vano illo timore, quo plurimi percelluntur, lędendam fore libertatem, si motum ipsius voluntatis sua motione Deus efficeret. Quod periculum olim ut effugerent Origenes aliique, affirmandum esse sentiebant, Deum non alia ratione actum voluntatis humanæ efficere, nisi quatenùs vim volendi permanentem, & ab initio voluntati inditam contulisset. Verùm hunc antiquorum timorem in primis D. Thomas reprehendit, metumque cohibet, quòd Scriptura sacra nedùm virtutem volendi, sed & ipsam voluntatis creatæ operationem Deo adscribat. Unde sic habet S. Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 89. quòd integrum caput hìc referendum est, cùm eam difficultatem de qua hìc agimus expressè resolvat. Ita verò titulus habet.

Quòd motus voluntatis causetur à Deo, & non solùm à voluntate.

Nec verò intelligit solùm de motu quodam indeliberato quem Deus in voluntate efficiat. Nihil enim est quod vel minimùm eam interpretationem significet; sed de omni universim intelligit. Ita verò caput inchoat.

Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque prejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates malè exponere; ut scilicèt dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi; non autem sic, quòd faciat nos velle hoc vel illud; sicut Origenes exponit in 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas.

Eæ verò sunt quas capite præcedenti retulerat D. Thomas, Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, & ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, quibus Sacræ Scripturæ locis non solùm ipsa voluntas, sed etiam ipse voluntatis motus Deo authori tribuitur.

Et verò hoc unum periculum est, quod plurimos ab asserenda Divinę gratię efficacia retrahit. Nemo enim est cui non esset acceptissimum summum in voluntates hominum dominium Deo concedere; cùm ipsi rectæ rationi insitum sit, eô feliciorem fore hominem quò erit Divinæ potestati subjectior, & in ea summa dependentia, ut fides docet, ultimam beatitudinem esse repositam, cùm Deus erit omnia in omnibus. Verùm occurrit statim menti grande illud incommodum, spoliandam fore libertate voluntatem si Deus omnia in voluntate efficiat; quasi ab utroque non posset idem motus voluntatis

fieri,

fieri, nec duplex dominium ſimul jungi poſſet, ſuperius alterum, & alterum inferius; & Divina poteſtas omnem aliam poteſtatem, aut facultatem agendi inutilem, vel inertem redderet; & dominio divino cætera omnia extinguerentur. Atque inde quęſita à variis Authoribus temperamenta: & quod aliàs erit explicandum, plurimi adeò debilem, fragilemque libertatem eſſe putant, ut minuendam eſſe divinæ motionis vim exiſtimaverint, ne illo Divinæ, & Omnipotentis manûs contactu frangeretur. At econtrà fortiorem eſſe cenſuit poſt S. Auguſtinum S. Thomas; adeò ut etiam Divinæ Omnipotentiæ vim ſuſtinere poſſit; quamvis tamen eam ſolùm voluntatis fortitudinem eſſe exiſtimandum ſit, quam ipſa Divinæ gratiæ Omnipotentia efficit. Unde S. Thomas minimè ea difficultate perterritus probat, à Deo voluntatem hominis moveri, & quidem prævièmoveri, cùm repugnet actum, & vim moventis non antecedere motum mobilis.

Atque ut mira ſemper conſenſio, & concordia principiorum D. Thomæ faciliùs animadverti poſſit; obſervari velim triplicem eandem rationem ſæpiùs aliàs repetitam, qua probatum eſt, cauſas ſecundas naturales moveri à Deo, impreſſione quadam aut influentia virtutis divinæ in ipſis cauſis ſecundis receptæ: eandem, inquam, triplicem rationem huc à S. Thoma advocari, ut probet etiam ſine humanæ libertatis lædendæ periculo ipſam voluntatem non minùs quàm cauſas cæteras à Deo impreſſa virtute moveri. Sed in primis voluntatem à Deo moveri, & ea ratione Deum etiam motum voluntatis efficere probat S. Doctor ex Scriptura Sacra his verbis.

Quibus quidem, ſcil. Origeni & aliis, *authoritatibus Sac. Scripturæ reſiſtitur evidenter: dicitur enim Iſaiæ 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Unde non ſolùm virtutem volendi habemus à Deo, ſed etiam operationem.*

Hæc ibi: quibus in eodem ordine voluntatem cum cæteris omnibus cauſis reponit, ut ubique etiam aliàs ſolet: quòd univerſaliſſima principia ſtatuat, & motio divina ſuam efficaciam habeat ex Divina Omnipotentia, & dominio, quod Deus in voluntates hominum, non minùs quàm in cætera omnia exercere toties ab Auguſtino dictum eſt. Sed iterùm altera Scripturæ Sacræ authoritate confirmat S. Thomas his verbis.

2. *Prætereà hoc ipſum quod Salomon dicit, Quocumque voluerit, inclinabit illum, Proverb. 21. oſtendit non ſolùm Divinam cauſalitatem ad potentiam voluntatis extendi, ſed etiam ad actum ipſius.*

Et verò rectè colligit S. Thomas, quòd qui Deus inclinat corda hominum, ac etiam ipſorum Regum, quos nemo dubitat inter mortales eſſe liberrimos, quibus quod libet licet; ideò eorum motuum cauſa eſt: cùm principio lumine naturali cognito cõpertum ſit cauſam unam extendi ad operationem alterius quam movet; quod principiũ uſurpat D. Thomas 1.2.q.80.art.1. Ergo ſi Deus inclinat voluntatem, etiam neceſſe eſt, ut ſit cauſa motus voluntatis.

Verùm præmiſſa Scripturæ Sacræ authoritate, cui ut irreformabili Regulæ rationem ſubjici, & conſentire neceſſe eſt, communia rationis principia ſubjicit: unde ſtatim ita loquitur S. Doctor.

3. *Item Deus non ſolùm dat rebus virtutem, ſed etiam nulla res poteſt propria virtute agere, niſi agat in virtute ipſius, ut ſuprà oſtenſum eſt: Ergò homo non poteſt virtute voluntatis ſibi data uti, niſi in quantùm agit in virtute Dei: illud autem in cujus virtute agens agit, eſt cauſa non ſolùm virtutis, ſed etiam actûs; quod in artifice apparet, in cujus virtute agit inſtrumentum etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, ſed ſolùm ab ipſo applicatur ad actum. Deus igitur eſt cauſa nobis non ſolùm voluntatis, ſed etiam volendi.*

Hæc eadem ratio eſt quam fuſiùs ſuprà cap. 66. proſecutus fuerat S. Thomas, nullam ſcilicet cauſam poſſe uti virtute agendi ſibi congenita, & permanente, niſi accepta ac ſuperaddita virtute Divina, quam ibidem complementum virtutis agendi nuncupavit; quòd neceſſe ſit voluntatem à Deo applicari, & moveri, ſicut inſtrumentum movetur, & applicatur ab artifice. Nec verò quemquam moveat quòd D. Thomas humanam voluntatem cum inſtrumento comparet, ut propterea exiſtimet, timendum eſſe ne libertas voluntatis lædatur: Diſtinximus enim ſuprà ex eodem D. Thoma duplex inſtrumenti genus; alterum ſcilicet inanime, alterum autem rationis, & libertatis particeps. Ita enim agitur, & movetur homo à Deo, quòd etiam ſeipſum moveat; ideoque etiam indiget habitu quem non niſi agens principale ſuis actibus efficere poteſt; cùm tamen habitûs inſtrumentum inanime capax non ſit. Hoc duplex inſtrumenti genus diſtinguit S. Thomas 1. 2. quęſt. 68. art.5.ad 2. & 3. par. quæſt. 7. art. 1. ad 3. & quæſt. 64. art. 8. ad 1. & apertiùs hanc ipſam difficultatem jam præoccupaverat S. Doctor quęſt. 24. de verit.art.1. ad 5. quem locum ſuprà retulimus, nec repetere vacat, ne jam actum agamus.

Confirmatur prætereà hæc ratio ex his, quæ habet idem S. Thomas 1.2. quæſt. 109. art.1. Neque enim hic ubi propriiſſima ſedes eſt, cùm de voluntate agatur, ea prætermittenda ſunt: ex quibus etiam facilè colligi poterit in primis, utrùm quæ olim in quæſtionibus diſputatis docuerat, deindè in Summa retractaverit: ac prætereà etiam obſervari poterit, hæc tria à D. Thoma doceri, quæ omninò inter ſeſe connexa ſunt. Primò uſum cujuſque formæ non poſſe oriri ab ipſa forma, niſi à ſuperiori cauſa ea forma moveatur. Secundò, quòd præter virtutes, & facultates agendi quibus cauſæ ſecundę inſtruuntur, requiritur Divina motio, quæ eſt virtus ſuperaddita, quâ moveantur, applicentur, & agant. Ac tertiò, quòd ultima actualitas ultimaque perfectio nunquàm produci poſſit à cauſa ſecunda, niſi ea virtute ſuperaddita, & motione impreſſa à Deo, qui nedùm eſt primum movens, ſed etiam primus actus. Hæc enim omnia, & breviſſimè colligit, & plani-

nissimè explicat Sanctus Thomas.

Igitur cùm inquireret S. Doctor, utrùm sine gratia verum ab homine cognosci possit? ita habet, quòd idem, & de voluntate intelligi voluit quoad actum volendi, ut constat ex articulo sequenti: *Dicendum quòd cognoscere veritatem est usus quidam, vel actus intellectualis luminis, quia secundùm Apostolum ad Ephesios* 5. omne quod manifestatur lumen est: *usus autem quilibet quendam motum importat, largè accipiendo motum, secundùm quod intelligere, & velle motus quidam esse dicuntur; ut patet per Philosophum in* 3. *de anima.* (*Textu* 18.) *Videmus autem in corporalibus, quòd ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quæ est principium motûs, vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis: primum autem movens in ordine corporalium est corpus cæleste. Unde quantumcùmque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret nisi per motionem corporis cælestis. Manifestum est autem, quòd sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cælestis corporis sicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales, quàm spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus: & ideò quantumcùmque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo: quę quidem motio est secundùm suæ providentiæ rationem, non secundùm necessitatem naturæ, sicut motio corporis cælestis. Non solùm autem à Deo est omnis motio sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut à primo actu. Sic igitur actio intellectûs, & cujuscumque entis creati dependet à Deo quantùm ad duo: uno modo, in quantùm ab ipso habet perfectionem sive formam per quam agit; alio modo in quantùm ab ipso movetur ad agendum.*

Hactenùs D. Thomas, quibus puto vix dici unquàm posse plura paucioribus verbis, & clarioribus. Atque jis expressissimè docet hęc quę observavimus, & quę tanquàm principia immota in D. Thomæ sententia existimanda sunt. 1. Usum formę non oriri à forma. 2. Præter congenitam virtutem agēdi requiri Divinam motionem. 3. Nunquàm ullam actualitatem produci posse nisi virtute superaddita.

Verùm alteram rationem prosequitur S. Doctor hoc cap. 89. contra gent. cui explicando incumbimus, quæ aliquid habet omninò singulare, & observatione dignissimum: ex qua probari etiam potest, tantùm abesse quod efficacia Divinæ motionis libertatem lædat, ut econtrà necesse sit, quo perfectior est libertas, eo etiam efficacior motio sit. Sic igitur habet.

4. *Amplius: Perfectiùs invenitur ordo in spiritualibus quàm in corporalibus: in corporalibus autē omnis motus causatur à primo motu: oportet igitur quòd in spiritualibus omnis motus voluntatis à prima voluntate causetur, quæ est voluntas Dei.*

Hæc S. Thomas; observatione sanè dignissima ratio. Necesse est, perfectiori modo in spiritualibus quàm in corporeis causis ordinem, subordinationem, & dependentiam inveniri; Ergo necesse est: voluntatem nobiliori modo, & efficaciori moveri: Atqueadeò ut omnia rectè congruant, necesse est ipsam etiam prævium motionem Divinam in ipsa voluntate creata etsi libera, multò perfectiorem, imò & efficaciorem esse quàm in causa naturali. Atque id expressiùs asseruit, ac probavit etiam D. Thomas eod. lib. 3. contr. gent. cap. 95. num. 3. his verbis. *Quantò aliqua sunt propinquiora moventi, tantò efficaciùs impressionem moventis assequuntur; nam & quæ propinquiora sunt igni, magìs ab ipso calefiunt: substantiæ autem intellectuales propinquiores sunt Deo quàm substantiæ naturales inanimatæ: efficacior est igitur impressio Divinæ motionis in substantiis intellectualibus quàm in substantiis aliis naturalibus.*

Vide quàm parùm S. Thomas timuerit, efficaciâ Divinæ motionis lædendam fore libertatem creatam, cùm etiam efficaciorem esse existimaverit impressionem motionis Divinæ in substantiis intellectualibus ipsaque voluntate, quàm in aliis substantiis naturalibus. Et verò ita est. Cur enim lędi putetur libertas Divinâ motione, quæ ipsamet libertatem efficit; & ideò perfectior est in Angelo, aut Beato libertas in his, quæ ad libertatem pertinent, quàm in homine; non solùm quia perfectiùs est in Angelo intellectuale lumen, quod est regula libertatis, sed quia etiam *efficacior est impressio Divinæ motionis*, quę ipsam libertatem efficit.

Confirmatur magìs hæc præclarissima S. Thomæ observatio. Ita enim fieri necesse est, perfectiorem esse in rebus spiritualibus ordinem, in iisque efficaciorem esse Divinam motionem. Etsi quis animo perpendat varias Dei operationes, quibus velutì à signo, & effectu, Divinæ motionis efficacia cognosci potest; agnoscet facilè quò sanctiores animæ sunt, & ad actus perfectiores moventur, etiam & perfectiorem esse Divinæ motionis impressionem. Etenim ut inquit S. Thomas quæst. 1. de potent. art. 2. *à Deo moventur quædam efficaciùs, quædam minùs efficaciter*; cùm juxtà suæ sapientiæ leges, & ut voluerit, suam motionem variè temperet: *arbitrio enim suo, non nostro*; inquit D. Cypr. *ministratur virtus Spiritus Sancti*. Aliquandò levi solùm afflatu, & levi contactu animum torpentem movet, & excitat; & tunc sequitur imperfectior quidam actus, cùm homo velutì dormienti similis parumper excitatur, nec omninò erigitur. Econtrà aliquandò velutì vehementi spiritu impellitur, velutì cùm vehementissimus ventus per mare fert navem, & pęne ad sydera tollit. Atque ita præsertìm accidit in his insolitis eximiisque conversionibus, quę in ordine supernaturali miracula sunt, ut de iis verissimè dici specialiter possit; *hæc mutatio dexteræ excelsi*; acciditque etiam in viris spiritualibus, & piissimis, cùm moventur ea motione, quæ pertinet ad dona Spiritus Sancti. Tunc enim non tam moveri quàm impelli, & vehementissimo spiritu rapi dicuntur. Unde illud Isaiæ 59. *Cùm venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit*. Atque ita aguntur, ut vix ipsi agere videantur, ut explicat

D. Au-

D. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagianor. cap. 3. & D. Thomas in epiſt. ad Rom. c. 8. Tunc enim dubitari non poteſt, quin multò efficacior in his quàm in aliis ſit impreſſio Divinæ motionis. Ac tandem ſumma eſt ea efficacia in Beatis, qui nec peccare poſſunt, cùm Deus eſt omnia in omnibus, ut egregiè explicat S. Bernardus ſerm. 11. in Cantica: ſed de his alibi, cùm agetur de variis gradibus libertatis, & efficacia Divinæ motionis ex ratione donorum Spiritus Sancti. Iſta enim ſatis eſſe poſſunt, ut compertum ſit quod à D. Thoma dictum eſt, quòd ſcilicèt *efficacior eſt impreſſio Divinæ motionis in ſubſtantiis intellectualibus quàm in ſubſtantiis naturalibus*.

Sed confirmat D. Thomas, motum voluntatis quamvis liberum effici à Deo, altera ratione quàm compendio contrahit, quamque fusè ſuprà proſecutus fuerat.

5. *Adhuc ſuperiùs oſtenſum eſt, quòd Deus eſt cauſa omnis actionis, & operatur in omni agente: eſt igitur cauſa motuum voluntatis.*

Remittit ſe S. Thomas ad ea, quæ ſuprà explicuerat, & nos etiam ea retulimus, ſcilicèt *Deum operari in omni cauſa operante*, ſeu *eſſe cauſam omnibus operantibus, ut operentur*. Cùm enim etiam in operationibus à voluntate creata elicitis, reperiatur ipſa ratio entis, quæ non minùs voluntatis, quàm cujuslibet alterius cauſæ vires ſuperat, quæque eſt propriiſſimus effectus Divinæ virtutis; repugnat voluntatem eam rationem entis efficere, niſi recepta à Deo virtute, cui eximius eſt hujuſmodi effectus. Præterea, cùm in ipſis voluntatis actibus reperiatur ea ratio ultimæ actualitatis, & perfectionis, ad quam voluntas unquàm ferri poſſit, cùm ea ſuapte natura careat; ad naturam enim, & rei conſtitutionem ſolùm potentiæ pertinent; unde dici ſolet, naturam quam explicat definitio, potentiam ſolùm, & aptitudinem ſignificare, non actum; inde fit non poſſe unquàm produci ullam etiam voluntatis operationem, niſi accepta à Deo virtute ſibi ſuperaddita ſibique impreſſa.

Confirmatur iterùm, non poſſe voluntatis ullum motum, quamvis liberrimùm, à voluntate effici, niſi accepta virtute Divina, ſeu motione impreſſa. Etenim 1.2. quæſt. 79. art. 2. ubi inquirit, *utrum actus peccati ſit à Deo?* quæſtionem reſolvit, affirmando in primis Sancti Auguſtini authoritate; quòd *actus peccati eſt quidam motus liberi arbitrii; ſed voluntas Dei eſt cauſa omnium motionum ut Auguſtinus dicit lib. 3. de Trinitate. Ergo*. Hæc D. Auguſtini verba explicuimus ſuprà quæſt. 4. art. 7. Deinde idem probat duplici ratione. Primò actum voluntatis debere à Deo fieri, quia eſt ens, Secundò, quia eſt actus; In quantùm ens neceſſe eſt fieri ab agente, cujus proprius effectus eſt ens; in quantùm verò eſt actus, & quidem ultimus ultimaque actualitas potentiæ, etiam neceſſe eſt à Deo fieri, qui eſt ſummus, & puriſſimus actus. Unde ſic habet.

Reſpondeo dicendum, quòd actus peccati, & eſt ens, & eſt actus: & ex utroque habet, quòd ſit à Deo: omne enim ens quocumque modo ſit, oportet, quòd derivetur à primo ente, ut patet per Dionyſium 5. cap. de Divinis nominibus. Omnis autem actio cauſatur ab aliquo exiſtente in actu, quia nihil agit niſi ſecundùm quòd eſt actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicèt Deum, ſicut in cauſam, qui eſt per ſuam eſſentiam actus. Unde relinquitur quòd Deus ſit cauſa omnis actionis in quantùm eſt actio.

Vix quidquam addi neceſſe eſt, ut hæc duplex ratio explicetur; Prima ex eo principio derivatur, quòd nulla causa efficere poſſit effectum alterius cauſæ, niſi accepta ab ea cauſa virtute, ſicut nihil calefacere poteſt niſi accepto ab igne calore. Atquì, ratio entis, quę etiam in ipſis operationibus voluntatis reperitur, eſt proprius Dei effectus: Ergo nec à voluntate creata produci poteſt, niſi accepta à Deo virtute. Secundæ verò rationis vis ex eo principio conſequitur, quòd nulla cauſa poſſit ſeipſa id quod eſt perfectiſſimum inter ea ad quæ ſeſe extendere unquàm poſſit. Unde neceſſe eſt, *complementum virtutis agentis ſecundi derivari à virtute agentis primi*. Atquì, quoties voluntas operatur, ipſa operationis actualitas eſt ultima perfectio ad quam aſſurgere unquã poſſit: Ergo neceſſe eſt fieri virtute accepta à Deo, qui eſt ſumma ſua actualitas, ſuaque perfectio, & perfectionis omnis cauſa.

Hactenùs rationes attulit D. Thomas, communes cùm cæteris cauſis ſecundis voluntati. Nec mirum videri debet, cùm ipſa voluntas habeat rationem naturæ, & principii motûs, ſitque creatum agens, qua ratione cum aliis convenit. Verùm cùm aliùndè peculiaris ſit conditio voluntatis, ut eſt rationalis potentia, quæ aliquando prorumpit in actum, & aliquando ceſſat ab actu: ideò peculiaris ratio eſt quâ probat D. Thomas voluntatem debere à Deo moveri.

ARTICULUS II.

Probat S. Thomas peculiari ratione, voluntatem debere moveri à Deo, ex Ariſtotele.

Duplicem diſtinguit S. Thomas voluntatis creatæ dotem, quæ ad naturam ipſius pertinet. Eſt enim rationalis potentia, quæ ab uno ad aliud ſe movet, & quandoque actum exercet, quandoque ab omni actu vacat: unde ut primò actum exerceat, neceſſe eſt voluntatem à ſtatu potentiæ ad ſtatum cauſæ, & agentis actualis transferri. Et quamvis, ut rationalis, ab uno ad alium ſeipſam movere poſſit, & reipſa moveat, ſcilicèt ex intentione finis ad electionem mediorum: attamèn cùm antequàm finem intenderet, omninò eſſet in potentia; debuit ex eo ſtatu po-

tentiæ ad alterum perfectiorem transferri, nec nisi à Deo transferri potuit.

Sed præterea alteram dotem habet voluntas, & quæ ex prima consequitur, scilicèt majorem amplitudinem, quâ & cæteris causis naturalibus eminet, & dum etiam unum actum elicit, alterum elicere potest; neque enim unicus universam ejus capacitatem replere potest. Unde consequitur nedùm ea indifferentia activa superior, & per modum dominii quo suos sibi actus subjicit: sed & altera ordine, & tempore etiam prior, scilicèt indifferentia passiva quam solvi necesse est. Etsi verò hæ duæ dotes voluntati ita conveniant, ut nulla ratione sejungi possint, claritatis tamen gratiâ utramque distinguimus, ut accuratiùs pertractentur; & secundam sequenti, primam verò hoc articulo explicamus.

Igitur eodem lib. 3. contra Gent. cap. 89. ex eo quòd voluntas potentia rationalis sit, seque ipsam movere debeat, nec tamen primò se se movere possit; ita primam motionem, & determinationem ad Deum authorem refert S. Thomas: unde sic habet numerò ultimò.

6. *Item arguit Aristoteles in 7. Eudemicæ Ethicæ per hunc modum: Hujus quòd aliquis intelligat, consilietur, & eligat, & velit, oportet aliquid esse causam; quia omne novum oportet quòd habeat aliquam causam: si autem est causa ejus aliud consilium, & alia voluntas præcedens; cùm non sit procedere in his in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum, hujusmodi autem primum oportet esse aliquid quod est melius ratione: nihil autem est melius intellectu, & ratione, nisi Deus: est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum, & voluntatum.* Hęc ibi: quę ratio in hanc formam reduci potest. Omne quod quandoq; est agens in actu, & quandoq; in potentia, indiget moveri ab aliquo movente: necesse enim est, ut movens quà movens est, sit in actu; quia à potentia sola ut potentia est, nisi aliqua alia actualitate perficiatur, actus nunquàm prodire potest; alioquì enim quod imperfectius est produceret perfectius, quod rerum naturæ repugnat: atquì voluntas est hujusmodi, quandoque enim est in actu, quandoq; est in potentia, nec à se ipsa primò, nec ab alio exteriori principio quàm Deo moveri potest: ergo necesse est, ut primò moveatur à Deo, & à potentia ad actum transferatur. Major est aperta, & jam probata est. Minor quoad secundam partem, scilicèt ab alio exteriori principio quàm Deo, voluntatem moveri non posse, etiam apertior est; à quo enim alio principio moveri physicè posset? Porta hęc omnibus clausa est, neq; alteri quàm Deo patere potest. Quoad primam verò partem, scilicèt voluntatem se ipsam primò movere non posse, probat S. Thomas: quia voluntas non potest se ipsam movere, nisi jam sit constituta in actu, quia ut diximus, necesse est quòd movens in quantùm movens sit in actu. A quo autem voluntas primò constitui potest in actu, cùm supponatur in potentia? Equidem facilè potest intelligi, quòd quando voluntas constituta est in actu per intentionem finis, v.g. cùm sanitatem intendit, possit se se movere ad electionem, & volitionem mediorum, quibus valetudo deperdita recuperanda est: sed antequàm sanitatem ipsam velit, & est omninò in potentia, à quo poterit in actu constitui? Superest igitur, ut primò voluntas excitetur, & moveatur à Deo, & in primum motum seu actum prodeat ex aliquo instinctu, seu ex quadam impressione ipsiusmet Dei, qui voluntatem primò movet, & ex uno in alterum statum transfert, scilicèt ex potentia in actum.

Eandem rationem habet D. Thomas 1.2. qu.9. ubi cùm agat *de motivo voluntatis*, omnia colligit à quibus voluntas moveri possit: (ut agnoscat eruditus lector ea loca à nobis potissimùm deligi in quibus S. Thomas hanc quæstionem ex professo pertractat) hujus verò quæstionis art.4. inquirit, *utrùm voluntas ab aliquo principio exteriori moveatur*? Et ita quæstionem resolvit.

Respondeo dicendum, quòd secundùm quòd voluntas movetur ab objecto, manifestum est quòd moveri potest ab aliquo exteriori: sed eo modo quo movetur quantùm ad exercitium actûs, adhuc necesse est ponere, voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Omne enim quod quandoq; est agens in actu, & quandoq; in potentia, indiget moveri ab aliquo movente: manifestum est autem quòd voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc priùs non vellet: necesse est ergo, quòd ab aliquo moveatur ad volendum: & quidem sicut dictum est, ipsa movet se ipsam in quantùm per hoc quòd vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem: hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante; cùm enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodò hoc consequi possit, & per talem cogitationem pervenit ad hoc quòd potest sanari per medicum; & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quòd inciperet velle sanari ab aliquo movente: & si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate presuppositа. Hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas procedat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam Capitulo Ethicę Eudimicæ. Hæc S. Thomas, quibus nihil à nobis addi potest, cùm jam eadem ratio in communem formam supra à nobis reducta fuerit.

Eandem rationem habet S. Doctor quæst. 6. de malo, quæ unica est de Electione humana, quem locum alibi opportuniùs referemus, sicut & alterum quem habet ad Rom. 9. lect. 3. Sed

Dices, hac ratione minimè urgeri Adversarios, cùm ultrò concedant, ad actus indeliberatos tum intellectum, tum voluntatem immediatè moveri à Deo, secluſa tamen quacumque motione media, quæ sanè ex eo D. Thomæ loco minimè probari potest.

Verùm hæc Responsio multis supra ex S. Thoma impugnata est; quòd nimirùm parùm germanam divinæ motionis motionem Adversarii habeant, & existiment esse per modum cujusdam qua-

qualitatis, & formæ completæ impreſſæ voluntati, quâ conſtringatur ad actum eliciendum; cùm tamen vix ab ipſa voluntate quæ movetur, & à Deo inflectitur, & applicatur ad actum, diſtinguatur; neque magis divina motio à voluntate mota diſtinguatur, quàm motus à mobili, & uſus paſſivus, & applicatio inſtrumenti ab ipſo inſtrumento: atque eo ſenſu, ſi nihil aliud ſentiunt Adverſarii, facilis eſſet omnium concordia. Sed immeritò eam motionem hoc modo diſtinctam à voluntate, ipſoque actu voluntatis, negant. Quo enim pacto intelligi poteſt, aliquid moveri, & applicari, niſi & motum aliquem, & ipſam applicationem recipiat, ipſaque applicatio ſaltem modaliter, ut vocant, ab ipſa voluntate diſtinguatur? Atque indè facilè rejicitur ea reſponſio: quia etiam quòd ad actum indeliberatum attinet, quotiès voluntas ſubitò immutatur, & actum aliquem ſeu timoris, ſeu ſpei, ſeu ſimplicis complacentiæ concipit, totiès ad hunc actum, licèt indeliberatum, eliciendum, à Deo movetur, applicatur, & inflectitur; de quo minimè dubitari poſſe videtur; ſiquidem etiam cùm voluntas actum indeliberatum elicit, Deus facit ut ipſa voluntas faciat, eamque immutat, & inclinat: atquì impoſſibile eſt, voluntatem moveri, applicari, & inflecti, niſi eam motionem applicationem, & inflexionem paſſivam recipiat: quod apertiſſimis S. Thomæ teſtimoniis ſupra demonſtratum eſt. Ex quo ſatis colligi poteſt nulla veroſimili ratione motionem præviam, & phyſicam, etiam & qualem Diſcipuli S. Thomæ admittunt, unquàm negari poſſe videri. Sed de hoc Ariſtotelis loco alibi plura.

Verùm cùm eam rationẽ Ariſtoteli Sãctus Thomas acceptam referat, non erit abs re ipſa Ariſtotelis verba referre, in quibus etiam aliquid ſingulare obſervabimus. Ita igitur habet eo lib.7. ad Eudemum cap.18. ubi inquirit, quo pacto fortuna ſit rerum cauſa: *Queret forſan quiſpiam an fortuna ejus ipſius cauſa ſit, ut quid, & quando oporteat, concupiſcatur: an ſic omnium erit, an & cognoſcendi conſultandique? Neq; enim conſultans conſultavit, & hoc conſultavit, ſed principium eſt quoddam: neq; cogitans cogitavit id priùs cogitare: atq; in infinitum ejuſmodi fiat progreſſio. Neq; igitur conſiderandi junctũ* (in animo) *principium, neq; conſultandi conſilium. Quid igitur aliud niſi fortuna?* (ſeparatum ſcil. principium,) *quocircà à fortuna omnia proficiſcuntur. Et quoddam eſt principium, extra quod aliud nullum reperiatur.*

Hæc ibi, quæ omninò ſuperiorem rationem à nobis explicatam continent; ac prætereà ſignificant, quo pacto nedùm ex principiis Fidei, ſed etiam ex ipſa ratione admitti fortuna poſſit. Et verò à fortuna omnia proficiſci, ſi vero ſenſu intelligatur, ut ſe intellexiſſe Ariſtoteles demonſtrat, non malè dici poſſet, nec falſum haberet, ſi ad Deum authorem referretur, quòd fortuna in rebus omnibus dominatur, & quod inquit Plinius lib. 2. cap. 7. *huic omnia expenſa, omnia tribuuntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit*, & implet.

Verùm errabant Veteres, quòd Fortunam Deam facerent, Cęloq; locarent, quos maximè exagitat S. Auguſtinus lib.7.Civit.cap.3.eorumq; variis gradibus conſtituendis ſupinitatem miratur: quòd cùm Martem mortium effectorem, & Venerem effectricem voluptatis, inter majores, & ſelectos Deos locaſſent; Fortunam tamen in vili Deorum turba reliquiſſent. Si enim, inquit S. Auguſtinus, Fortuna, ut dixit *Vir diſertiſſimus Saluſtius, in omni re dominatur, eaque res omnes ex libidine magis quàm ex vero celebrat obſcuratque*, etiam & ipſos Deos non pro eorum meritis, ſed pro ſua libidine Fortuna alios in alta ſede locavit, alios in inferioribus ſubſelliis repoſuit, alios uſque ad cloacas dejecit; maximè ſibimet adverſata eſt ipſa Fortuna, quòd ſe ſe inter ignobiles Deos reliquit, ipſa quæ cæteris dominatur. *Si tantùm*, inquit Sanctus Auguſtinus, *Fortuna & in Deos valuit, ut temerario judicio ſuo, quos vellet celebraret obſcuraretque quos vellet; præcipuum locum haberet in* Diis *ſelectis, quæ in ipſos quoque Deos tam præcipuę eſt poteſtatis. An ut illic eſſe non poſſet, nihil aliud ipſa Fortuna niſi adverſam putanda eſt habuiſſe Fortunam? Sibi ergo adverſata eſt, quę alios nobiles faciens nobilitata non eſt.* Et verò temerarium fortunæ judicium ſatis Veteres agnoſcebant; unde & totiès ingeminatæ quærelæ: toto quippe Mundo, ut inquit idem Plinius, *& locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus Fortuna ſola invocatur, una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum convitiis colitur.* Sed hic vulgi error: veriùs autem, & altiori ſenſu ab Ariſtotele dictum eſt, omnia à fortuna proficiſci, quòd Deus ipſe fortunæ dator exiſtimandus ſit. Unde poſteà Ariſtoteles inquirit quæ ſit illa fortuna: *quod*, inquit, *perinde eſt ac ſi principium motus in anima quid ſit inquiratur. Patet autem ſic eſſe quemadmodum in Univerſo eſt Deus, & vicißìm cuncta in illo; moventur enim omnia ab inexiſtente in nobis Numine. Rationis autem non ratio, ſed præſtãtius quippiam eſt principium; quid autem ſcientia* (& ratione) *præſtantius eſt niſi Deus?* Nihil ſanè ſublimius nec à Chriſtiano dici potuiſſet, cùm nihil magis Religionis principiis conſentaneum ſit, ut non immeritò à S. Hieronymo in Regul. Monach. dictum fuerit, Ariſtotelem *fuiſſe abſq; dubitatione prodigium, grandeq; miraculum in tota natura, cui penè videtur infuſum quidquid naturaliter eſt cujus eſt capax humanum genus.* Indè igitur vera fortuna eſt, quòd Deus ratione, & intellectu creato altior, cùm libuerit cogitationem menti immittat, aut voluntatem arcano motu impellat ad aggrediendam rem, quâ nihil utilius pro temporis opportunitate fieri poſſit: ſicut Machabeor. 1. 45. dicitur, quòd Sacerdotibus de Altari quod contaminatum fuerat deliberantibus, *incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud.* Quin etiam interdùm nihil tale cogitantibus ſubitò à Deo ſaluberrima cogita-

gitatio immittitur de re aggredienda, cui utilitas summa conjuncta est; ad quam ipse qui impellitur, & movetur, cur eam aggrediatur planè nescit; sed tamen ad eam se impelli præsentit: in quo potissimùm bona illa fortuna reposita est, undè quis benè fortunatus dicitur. Quare iterùm subjicit Aristoteles, *quocircà veteres dixerunt, felices ex fortuna qui irrationabiles* (id est minimè ratione ducti sed superiori instinctu) *ad rectè agendum impellerentur*: quem instinctum equidem ut dixi, & impulsum sentiunt, sed rationem prorsùs ignorant, nec ullo pacto eam consequi possunt, *sed principium habent*, & ratione, *& intellectu, & voluntate præstantiùs*, à quo non tam diriguntur quàm impelluntur, & aguntur. Atque eam deinde bonam fortunam, aut felicitatem divinam vocat, quòd minimè in ea comparanda ratio humana valeat. Unde cùm duplicem felicitatis, & fortunæ speciem distinguat, quâ quis bona consequitur; alteram cùm alicui bona velutì fortuitò, Deo tamen largiente obveniunt, etsi tamen divino instinctu ad agendum non impellatur: alteram verò cùm homo impellitur instinctu divino: de hac inquit egregiè Aristoteles, quòd *divina* est; *ideòque qui felix est, Numine adjutum aliquid feciſſe dicunt; is autem est, qui aliquid juxta divinum impetum facit*.

Atque eodem planè sensu D. Thomas libro 3. contra Gent. cap. 92. explicat, quomodò dicitur quòd aliquis benè fortunatus est, & adjuvatur à superioribus causis, ubi tamen addit; quòd *cùm homo sit ordinatus secundùm corpus sub corporibus cælestibus, secundùm intellectum verò sub Angelis, secundùm autem voluntatem sub Deo*; etiam & in corporum cælestium impressionem, & in illuminationem Angelorum, ac tandem, & maximè in divinam motionem ea bona fortuna referenda est. Cæli enim agunt solùm per modum causæ disponentis, Angeli verò per modum suadentis, sed Deus per modum perficientis, quę unica vera causa est. *Quando igitur*, inquit S. Thomas, *aliquis ex impressione cælestium corporum, & superiorum causarum inclinatur ad aliquas electiones sibì utiles, quarum tamen utilitatem propria ratione non cognoscit; & cùm hoc ex lumine intellectualium substantiarum illuminatur intellectus ejus ad eadem intelligenda; & ex divina operatione inclinante inclinatur ejus voluntas ad aliquid eligendum sibi utile, cujus rationem ignorat, dicitur esse benè fortunatus*.

Ea igitur bona fortuna est, quâ Deus homines ut libuerit, & nihil tale merentes impellit, ac felices efficit: quęque bona ac verè divina fortuna maximè in ordine supernaturali dominari non immeritò dici potest, ubi sorte vocamur à Deo, in cujus manibus sortes nostræ sunt. Psal. 30. Etenim, inquit ibid. S. Augustinus, *sortes dixit, quantùm ego existimo, gratiam quâ salvati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei, quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei, nam ubi merita considerantur, electio est, non sors: quando autem Deus nulla merita invenit, sorte voluntatis suæ salvos nos facit, quia voluit, non quia digni sumus; hæc est sors*.

Cæterùm ut de Fato S. Augustinus, & S. Thomas sæpè monuerunt, & Religio, & pietas jubent, quòd fortunæ nomen nunquàm usurpetur, nè Christiani, etiam communione nominum cum Infidelibus conveniant. Unde rectè observat D. Thomas, Deum prohibuisse dilecto sibi olìm populo: *Non vocabis me ultra Baalim, sed Vir meus*. Quamvìs tamen eadem sit utriusque nominis significatio. Sed Baalim nomine utebantur Infideles, eoque Idolum suum designabant. At verò *cum Infidelibus nec nomina debemus habere communia*.

Hæc de fortunæ vi aut origine annotare placuit ex Aristotele, cùm ea sæpissimè referat Sanctus Thomas, atque his probari motionem præviam demonstraverimus. Videri potest Quodlib. 12.

ARTICULUS III.

Altera S. Thomæ ratio, voluntatem ob suam indifferentiam moveri debere à Deo: quòd Deus in voluntatem imprimit.

INdifferentiam inesse voluntati jam diximus, eòque perfectiorem, quòd cùm voluntas sit inclinatio quæ intellectum consequitur, superioris sit ordinis, scilicèt intellectualis: unde & majorem habet amplitudinem, ex qua consequitur perfectior indifferentia, quam necesse est divina motione, & applicatione solvi, cùm à potentia indifferente nullus determinatè actus oriri unquàm possit. Atque indè probari potest efficaci argumento, voluntatem à Deo determinari oportere, & quidem ea determinatione quæ non potest non esse prævia, cùm antecedat operationem voluntatis, & voluntatem suâ naturâ, & amplitudine ad plura indifferentem, ad unum potiùs quàm ad alterum actum inclinet, & flectat. Ut autem, quod nostri instituti est, ea ratio ex ipsis nedùm S. Thomæ principiis, sed & ipsius verbis desumatur, & explicetur,

Probatur ex D. Thoma 1. par. quæst. 19. art. 3. ad 5. *Causa quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*, quia ut refert S. Doctor ex Commentatore in 2. Physicor. *ab eo quod est ad utrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo inclinetur ad unum*: & hoc eximium esse divinæ voluntati asserit, quòd ob summam necessitatem, & ab omnibus independentiam, determinet se ipsam: atquì creata voluntas, & contingens est, & ad plura indifferens; cùm non sit ad unum determinata ob majorem amplitudinem, quâ rebus inferioribus eminet: ergo necesse est, quòd à Deo determinetur, cui soli

ſoli ipſa creata voluntas ſubjicitur, & ſub quo immediatè ponitur, ut ſtatim dicemus.

Major ſolis D. Thomæ verbis concepta eſt, atque ut faciliùs de ea judicium ferri poſſit, ſi nihil immutetur; eo Articulo quærit S.Thomas, utrùm quidquid Deus vult ex neceſſitate velit; & cùm manifeſtum ſit, Deum non omnia neceſſariò velle, ſed liberrimè circa creaturas verſari; ita objicit ſibi num. 5. *Ab eo quod eſt ad utrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Commentator in 2. phyſic. Si ergo voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad utrumlibet, ſequitur quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum; & ſic habet cauſam.* Hæc ibi: quibus ſtatuit communiſſimum principium, quòd ſcilicèt ex cauſa ad utrumlibet indifferente nunquàm determinatus oriri effectus poſſit, niſi ad unum potiùs quàm ad alterum ab alia cauſa determinetur: & obſervari non immeritò poteſt, quòd cùm primò dixiſſet S. Thomas, non ſequi operationem, niſi cauſa *inclinetur ad unum*, poſteà inquit, *niſi determinetur ad effectum*: quòd reipſa idem ſenſus utrobique ſit, neque ſi veris agatur, intelligi unquàm poſſit, inclinari voluntatem ad unum, niſi ad illud idem determinetur.

Quid autem huic argumento reſpondet S. Doctor? concedit commune principium, ſi de voluntate creata agatur, ſed ab ea communi lege eximendam eſſe, inquit, ſolam Divinam voluntatem. *Dicendum, quòd cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliqua exteriori ad effectum; ſed voluntas Divina quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Hoc igitur Divinæ voluntati eximium eſt, quòd ipſa determinet ſeipſam, cùm nihil imperfectionis, nihilque potentialitatis habeat: ſed excepta voluntate Divina, dicendum, judice S. Thoma, neceſſe eſſe, quòd cauſa omnis quæ circa plura verſatur, & ad plura hinc inde inſtar trutinæ æque propendet, determinari, & inflecti in unam potiùs quàm alteram partem debeat ab altero exteriori, & altiori principio. Et ſanè qui voluntatem à ſeipſa, non ab aliquo exteriori determinari putant, quę ad ſolam voluntatem Divinam pertinent, ad voluntatem creatam transferre videntur.

Neque verò ſatis eſt, ipſam creatam voluntatem determinari à Deo ſolùm moraliter, aut determinari dumtaxàt ad actum indeliberatum: quia ultrò admiſſa ea determinatione, quam nemo negat, manet adhuc voluntas indifferens ad actum liberum, & quidem indifferentiâ phyſicâ, ac in genere cauſæ efficientis. A quo igitur in eo genere, & ad illum actum determinatur? neque enim ſola determinatio moralis inclinat, & flectit voluntatem in genere cauſæ efficientis: erit igitur dicendum, voluntatem ut liberam, minimè à Deo determinari in ordine phyſico, & in genere efficientis cauſæ: atque adeò voluntatem primum eſſe in ſuo genere liberum, ita primum, ut nec ſuperiùs liberum, nec ſuperiorem cauſam agnoſcat, quod ſanè vix credi poteſt. Neceſſe enim foret, voluntatem à conditione cauſæ creatæ eximi, cùm alioquin omnis cauſa creata, etſi in ſuo ordine prima ſeu principalis, ea tamen ratione quod creata ſit, non poſſit, non dependere à cauſa increata, & infinita, ſcilicet Deo: cùm univerſus ille ordo entis creati inferior ſit, nihilque habeat niſi ſola participatione ordinis ſuperioris. Unde neceſſe eſt, liberum agens quodcumque creatum ſola participatione Divinæ libertatis eſſe liberum: atque ita à Deo primo libero dependere, nec ſolùm in actu primo, ſed & in actu ſecundo, & quantùm ad libertatis exercitium: ne quod minus eſt in voluntate creata, Deo dumtaxàt acceptum referatur; quod verò præcipuum eſt, adſcribatur ipſi voluntati creatæ, ut ſæpiùs à S. Auguſtino dictum eſt.

Confirmatur hæc eadem ratio ex indifferentia voluntatis deſumpta iterùm ex S. Thoma, à quo etiam ſuperioris principii altera ratio affertur; nimirùm quòd indifferens ad utrumlibet ſit mera potentia, quæ ſeipſa quidem, & in actu primo, & natura ſua propendet ad certam actuum ſpeciem ad quos eſt inclinatio à natura inſtituta; ſed tamen nunquàm reipſa actum producit, niſi ab eo ſtatu potentiæ ad alium in quo ſit in actu transferatur, & niſi conſtituatur principium activum in actu ſecundo, à quo actus ipſe formalis egrediatur; quia actio formalis ſupponit principium activum, nedùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo conſtitutum. Ita verò inquit D.Thomas in 2. Phyſic. lect. 8.

Sicut potentia motiva quæ eſt ad utrumlibet, non exit in actum, niſi per potentiam appetitivam determinetur ad unum; ita nihil quod eſt ad utrūlibet exit in actum, niſi per aliquid determinetur ad unum: quia id quod eſt ad utrumlibet eſt ſicut ens in potentia: potentia autem non eſt principium agendi, ſed ſolùm actus: unde ex eo quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi per aliquid aliud quod determinat ad unum.

Hæc S. Thomas; quibus ſtatim ſubjunge Minorem per ſe apertam: Atquì voluntas etiam per actum indeliberatum conſtituta, ſeu per intentionem finis, aut volitionem boni in communi, adhuc indifferens eſt, & ad utrumlibet cujuslibet medii aut boni particularis: *Sicut quia forma ab intellectu intellecta eſt univerſalis, ſub ea multa poſſunt comprehendi. Unde quia actus ſunt in ſingularibus, in quibus nullus eſt qui adæquet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa: ſicut ſi artifex cōcipiat formam domus in univerſali, ſub qua comprehenduntur diverſæ figuræ domus, poteſt voluntas inclinari ad hoc quòd faciat domum vel quadratam, vel rotundam, vel alterius ſpeciei*, inquit D.Thomas qu.6.de malo: Ergo ut voluntas actum deliberatum, & ſingularem eliciat, neceſſe eſt ipſam aliunde determinari: alioquin à cauſa indifferente effectus determinatus oriretur: quod ſanè perinde eſt ac ſi quis diceret, frigidum eſſe cauſam calidi, aut unum contrarium ab alio produci.

Con-

Confirmatur iterùm eadem Major in qua est præcipua vis argumenti principio superiori innixa; *quod indifferenter se habet ad multa*, inquit S. Thomas 3. cont. gent. cap. 2. *non magis unum operatur quàm aliud; unde à contingente ad utrumque, non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid determinetur ad unum*. Quod iterùm etiam aut probat, aut confirmat in 2. distinct. 25. art. 1. *Respondeo*, inquit, *Dicendum, quòd nihil agit, nisi secundùm quòd est in actu; & indè est quòd oportet, omne agens esse determinatum, ad alteram partem: Quod enim ad utrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia, respectu utriusque; & inde est quòd, ut dicit Commentator in 2. physic. ab eo quod est ad utrumlibet, nihil sequitur nisi determinetur*. Ideoque ibidem inquit S. Thomas Respons. ad 3. *quòd Deus in rebus naturalibus est sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hôc modò agit; ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante*, in ipso scilicet libero arbitrio, *liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis, & finis, in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti*.

Expende hæc ultima verba, & superioribus junge. Deus universam naturam determinat ad actionem, adeòque & voluntatem, & liberum arbitrium determinat cujus actus non indeliberatus sed liberrimus est, atque eo pacto in ipso libero arbitrio operatur, quia ipsum ad suam actionem determinat. Attamen quia juxtà conditionem liberi arbitrii in eo Deus operatur; ita ipsum determinat, quòd ipsa *determinatio actionis in potestate liberi arbitrii constituitur*, sed *non sicut primo agenti*: necesse enim est ut sub quacumque ratione liberum arbitrium inspiciatur, dumtaxàt secundum agens sit, atque à Deo primo agente dependeat: neque aliter intelligi potest, ut diximus, nisi voluntas humana à conditione creaturæ eximeretur. Cùr verò necesse sit ad talem rationem determinari, ratio ex superiori principio desumitur; quia *ab eo quod est ad utrumlibet nihil sequitur, nisi determinetur*.

Hæc omnia S. Thomas, ex quo satìs multa collegimus. Ex quibus omnibus infert ac probat, nunquàm voluntatem unum determinatè actum producere posse, nisi à Deo determinetur ad unum potiùs actum quàm alterum, & solvatur ea indifferentia passiva quæ conditionem cujuslibet potentiæ consequitur, & maximè voluntatis, quæ cùm majorem amplitudinem habeat, plurium etiam, & diversæ rationis actuum capax esse potest. Verùm hanc eandem rationem aliter versat D. Thomas, &

Confirmat iterùm S. Doctor 3. cont. gent. c. 91. voluntatem ob suam indifferentiam debere moveri à Deo, hâc egregia ratione; quæ sanè prætermitti non debuit, cùm mirum in modum explicet subordinationem inferiorum causarum sub altioribus, & superioribus causis, de qua jam sæpiùs egimus. Atque ut hujus subordinationis, & dependentiæ luculentissimam rationem reddat, explicat quo modo res humanæ ad superiores causas reducantur, nec quidquam fiat fortuitò. Atque ut omnia quæ ad hominem pertinent, complectatur: *Electiones*, inquit, *& voluntates immediatè à Deo disponuntur; cognitio verò humana ad intellectum pertinens, à Deo mediantibus Angelis ordinatur. Ea verò quæ ad corporalia pertinent, sive interiora, sive exteriora in usum hominis venientia, à Deo mediantibus Angelis, & corporibus cælestibus dispensantur*. Atque *hujus*, inquit, *ratio generaliter una est*. Nam *oportet omne multiforme & mutabile, & deficere potens, reduci sicut in principium in aliquod uniforme, & immutabile, & deficere non valens. Omnia autem quæ in nobis sunt, inveniuntur esse multiplicia, variabilia, & defectibilia*: (atque id per partes deinde, & sigillatim ostendit.) *Patet enim quòd electiones nostræ multiplicitatem habent, cùm à diversis diversa eligãtur: mutabiles etiam sunt, tum propter animi levitatem qui non est firmatus in fine ultimo; tum etiam propter mutationem rerum, quæ nos extra circumstant: quòd autem defectibiles sint, hominum peccata testantur: Divina autē voluntas uniformis est, quia unum volendo, omnia alia vult: & immutabilis, & indeficiens est, ut ostensum est in primo: oportet ergo omnium voluntatum, & electionum motus in Divinam voluntatem reduci*.

Idem explicat deinde S. Thomas de intellectu, in quo similes tres defectus animadvertit. Unde ita prosequitur S. Doctor. *Similiter autem intelligentia nostra multiplicationem habet: quia ex multis sensibilibus veritatem intelligibilem quasi congregamus: est etiam mutabilis, quia ex uno in aliud discurrendo procedit, ex notis ad ignota proveniens: est etiam defectibilis propter permixtionem phantasiæ, & sensûs, ut errores hominum ostendunt. Angelorum autem cognitiones sunt uniformes, quia ab ipso uno veritatis fonte, scilicet Deo, accipiunt veritatis cognitionem: est etiam immobilis* (Angelorum cognitio) *quia non discurrendo ab effectibus in causas, aut è converso, sed simplici intuitu puram veritatem de rebus intuentur: est etiam indefectibilis, cùm ipsas rerum naturas seu quidditates intueantur per seipsas, circa quas non potest intellectus errare, sicut nec sensus circa propria sensibilia; nos autem quidditates rerum ex accidentibus, & effectibus cognoscamus. Oportet ergò quòd nostra intellectualis cognitio reguletur per Angelorum cognitionem*.

Demùm res omnes inferiores, quarum etiam hujusmodi defectus sensibus patent, debere superioribus corporibus regi, sic probat D. Thomas. *Rursùs de corporibus humanis, & exterioribus quibus homines utuntur, manifestum est, quòd est in eis multiplicitas commixtionis, & contrarietatis, & quòd non semper eodem modo moventur, quia motus eorum non possunt esse continui; & quod defectibilia sunt per alterationem, & corruptionē. Corpora autem cælestia sunt uniformia, utpotè simplicia absque omni contrarietate existentia: motus etiam eorum sunt uniformes, continui, & semper*

eodem

eodem modo ſe habentes, nec in eis poteſt eſſe corruptio, vel alteratio. Unde neceſſarium eſt quòd corpora noſtra, & alia quæ in uſum noſtrum veniunt per motum cæleſtium corporum regulentur. Hæc omnia D. Thomas, quæ licèt paulò longiora ſint, ea tamen referre viſum eſt, cùm ea exquiſita ſint, ac iis qui veræ Philoſophiæ guſtum habent, acceptiſſima fore non dubitem.

Igitur neceſſe eſt peculiari ratione, & propter eam amplitudinem, & indifferentiam quâ voluntas nulli actui alligata eſt, & plures eligere poteſt, ad unum potiùs quam ad alterum determinetur, ut ea voluntatis mutabilitas veluti in uno firmetur, variique motus Divinæ voluntatis uniformitate regulentur. Unde, inquit S. Thomas in 2. ſentent. diſtinct. 25. art. 2. quòd *Deus ſolus poteſt in voluntate operari, & in ipſam imprimere, & ideò diverſitates humanæ voluntatis in uniformitatem voluntatis Divinæ reducuntur, ſicut in primam regulam.* Obſerva hæc verba; *Deum in voluntatem imprimere*; & vide nùm ea de concurſu ſimultaneo, vel de motione ſolùm morali poſſint intelligi.

Atque idem repetit ſæpiùs S. Doctor, ut qu. 5. de veritate quæ integra eſt de Providentia art. 10. Utrùm actus humani Providentia Divina gubernentur mediis corporibus cæleſtibus: ubi etiam omninò egregiam rationem reddit, cur in eo totius univerſi ordine, quem ab ipſo obſervatum eſſe ſupra retulimus, dixerit, intellectum immediatè ſubjici Angelis, voluntatem verò ſoli Deo. *Oportet* inquit *ordinem mobilium reſpondere ordini moventium. In ordine autem ad finem quem Providentia reſpicit, primùm in nobis invenitur voluntas, ad quam primò pertinet ratio boni, & finis, & omnibus quæ ſunt in nobis utitur ſicut inſtrumentis ad conſecutionem finis; quamvis in aliquo reſpectu intellectus voluntatem præcedat: propinquiùs autem voluntati eſt intellectus; remotiora ſunt corporales vires. Et ideo ipſe Deus, qui eſt ſimpliciter primus providens, imprimit ſolus in voluntatem noſtram: Angelus autem qui eum ſequitur in ordine cauſarum, imprimit in intellectum noſtrum, ſecundùm quod per angelos illuminamur, purgamur, & perficimur; ſed cæleſtia corpora, quæ ſunt inferiora agentia, imprimere poſſunt in vires ſenſibiles, & alias organis affixas.*

En inprimis hunc dependentiæ ordinem quem ſupra ſtatuit, & ejuſmodi dependentię rationem; nimirùm quòd voluntas ea ratione Deo propinquior ſit, quòd ad eam ratio boni, & finis pertineat; ideoque aliquo modo ſit ordinis ſuperioris, ſcilicèt moralis, & liberi, qui ordo ſuperior eſt ordine naturæ. Unde licet Angelus naturam comprehendat, non cognoſcit tamen cognitiones cordium liberas; quia cum liberæ ſint, ad altiorem ordinem pertinent, ſcilicèt moralem; neque ullam cum natura quam Angelus comprehendit connexionem habent, ut docet S. Thomas 1. p. qu. 57. ubi egregiè hæc omnia connectit; quòd ſcilicèt ſolus *Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoſcere poteſt*: quia nimirùm *Voluntas rationalis creaturę ſoli Deo ſubjacet; & ipſe ſolus in eam operari poteſt, qui eſt principalis ejus objectum, & ultimus finis.* Quam rationem paulò fuſiùs explicat qu. 16. de malo art. 8. ubi inquit, *quòd motus voluntatis humanæ dependet ex ſummo ordine rerum qui eſt ſummum bonum, quod etiam ſecundùm Platonem, & Ariſtotelem ponitur altiſſima cauſa: voluntas enim non eſt alicujus boni particularis ut proprii objecti, ſed boni univerſalis, cujus radix eſt ſummum bonum. Id autem quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſæ non poteſt cognoſcere inferior cauſa; ſed ſolùm ſuperior cauſa movens, & ille qui movetur: ſicut ſi aliquis civis eſt ſub præpoſito tanquam ſub inferiori cauſa, & ſub Rege tanquam ſub ſuprema; non poterit præpoſitus cognoſcere circa civem, ſi quid immediatè Rex circa ipſum ordinaverit; ſed hoc ſciet ſolus Rex, & civis qui movetur ſecundùm ordinem Regis. Unde cum voluntas interius non poſſit ab alio niſi à Deo moveri, cujus ordini immediatè ſubeſt; motus voluntatis, & per conſequens voluntariæ cogitationis, non poteſt cognoſci niſi ab ipſo Deo, & ab homine volente, & cogitante.*

Hæc ibi D. Thomas: ubi hæc omnia S. Doctor conjungit: primò voluntatem circa ultimum finem, & univerſaliſſimum bonum verſari, eaque ratione toti univerſo eminere, quam nec ipſum univerſum ſatiare poſſet, cum & ipſum univerſum ad idem ſummum bonum, & univerſaliſſimum ac ultimum finem referatur, circa quem ipſa verſatur. Secundò, cum ad voluntatem ratio boni ac finis pertineat, voluntatem eſſe ea ratione propinquiorem Deo, cæteriſque omnibus potentiis ſuperiorem: quamvis ut notat S. Thomas loco ſuperiùs citato qu. 5. de veritate art. 10. *in aliquo reſpectu intellectus voluntatem præcedat*, nimirùm quoad vim apprehendendi, & poſſidendi obiectum, unde formalis Beatitudo poſita eſt in cognitione. Tertiò, ideòque ſolius Dei eſſe ut imprimat in voluntatem. Et quartò demùm, quòd ſolus Deus cognoſcat voluntatis motus, & quæ ab iis motibus liberis dependent. Hæc enim omnia mirùm in modum ſibi conſentiunt. Non poſſunt cognoſci voluntatis motus, *niſi ab ipſo Deo, & ab homine volente*, ut ſupra dixit; quia intra voluntatem operari non poteſt niſi *ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundùm fidem eſt ſolus Deus* qu. 22. de verit. art. 9. Ea igitur ratio eſt cur in ea connexione, & ordine rerum, cujus varios gradus ſupra S. Thomas diſtinxit, voluntas cæteris emineat, Deoque propinquior ſit, ideoque primo, & ſupremo moventi ſcilicèt Deo immediatè ſubjiciatur, & ab eo dependeat: cum intellectus perficiendi curam, & adminiſtrationem ut ita dixerim Intelligentiis reliquerit. Sed

Prætereà in his etiam verbis quæ ſupra ex D. Thoma retulimus, obſervatione digniſſimum eſt, dictum eſſe à S. Thoma quòd *Deus imprimit in voluntatem*. Quæ ſanè nulla ratione vel de concurſu ſimultaneo, vel de motione ſo-

lùm morali intelligi unquàm possunt. Atquè idem jam anteà dixerat S. Doctor, ea qu. 5. de verit. art. 10. *quòd secundùm sententiam fidei ipse Deus immediatè est finis humanæ vitæ &c. & ideò ipse solus imprimere potest in voluntatem nostram.* Quìn etiam iterùm qu. 8. verit. art. 13. utrum Angeli occulta cordium scire possint, idem repetit, quòd *cum motus voluntatis non habeat dependentiam nec connexionem ad aliquam causam naturalem, sed solùm ad causam Divinam quæ in voluntate sola imprimere potest*: ideò à solo Deo cogitationes cordium cognosci possunt. Adde & illud quod habet idem S. Thomas opusc. 2. cap. 129. ubi consentaneè ad ea quæ jam supra explicuimus, inquit S. Doctor, quòd *in corpus humanum, & vires ejus corporeas imprimere possunt corpora cælestia, sicut & in alia corpora; non autem in intellectum: sed hoc potest creatura intellectualis. In voluntatē autem solus imprimere potest Deus.* An verò cæli non imprimunt physicè? &c.

QUÆSTIO VII.

Præoccupantur à S. Thoma adversariorum solutiones, eæque impugnantur.

NONDUM *satis* à D. Thoma pro defensione suæ sententiæ de motione prævia, & effectrice actum fuisset, si constitutis principijs quibus stabilita est; etiam & quæ ab Adversariis reponi possunt, non præoccupasset, ac de iis suos Discipulos monuisset: eosque validissimis armis muniviſſet, quibus cum opportunum aliquando tempus esset, stabilitam eam sententiam defenderent. Et sanè mirari subit Angelici felicitatem ingenii, à quo nihil omninò prætermissum videtur. *Nulla res consummata est cùm incipit*, olim Seneca dixit, lib 6. quæst. natur. cap. 5. *& longè semper fuerunt à perfecto principia*: sed quod ad hanc in qua versamur controversiam spectat, omnia in Angelico ingenio occupata sunt: explicatio ac defensio difficillimæ licèt sententiæ in ipso Doctore Angelico consummata est cum incipit, non absunt à *perfecto principia, nihilque inveniendum discipulis* providus Magister reliquit. Hactenus à nobis demonstratum est, nihil unquam in hujus schola usurpatū quantùm ad ea principia quibus ea de Divina motione sententia stabilitur, quòd ab ipso acceptum non fuerit. Alterum hac quæstione demonstrandum suscipimus, Argumenta etiam quibus ea quæ reponunt adversarii impugnari & dejici possint, non aliunde quam ex D. Thoma sumenda esse, ut nobis D. Thomas ad omnia unus satis sit.

ARTICULUS I.

Prima Adversariorum Responsio causam secundam non esse primum agendi principium, quamvis à Deo priùs non moveatur, quia non est à se, à D. Thoma impugnatur.

DIximus sæpiùs, exigere rationem primæ causæ, quòd secundas omnes sibi inferiores moveat, & in eo positam esse hanc causarum omnium subordinationem, & inferiorum à superioribus dependentiam, ut causæ ultimæ à mediis moveantur, mediæ à superioribus, ac tandem omnes à prima. Alioquin enim causa prima dicenda non est, nisi aliæ ipsi subordinentur, ac subjiciantur, etiam dum agunt; è contrà verò ipsa causa secunda esset prima; & haberet rationem primi principii, nisi ab altera causa penderet. Sicut enim cùm in aliquo opere artefacto plures causæ v. g. rotæ inter se insertæ agunt, & moventur, si interciperetur motus rotæ superioris, & tamen (si ita fingi possit) media inferiorem moveret; nihil dubium quin illa, quæ ordine suo media erat in eo artefacto, & quantùm ad effectum, prima movens causa evaderet. Ita igitur si quælibet causa in ordine ad suum effectum producendum prævièe à superiori causa, & maximè à prima causa non moveretur, jam ea causa prima censenda esset. Quod quidem Argumentum maximè urgere existimandum est, cùm de voluntate agitur, ac potissimùm in ordine supernaturali. Fide enim certum est, à sola voluntate initium salutis non oriri, nec dici posse *Poeticam illam sententiam, qua dictum est, spes sibi quisque*, ut inquit S. Augustinus lib. de præ-

deſt.Sanctor.c.1.ergo neceſſe eſt quòd ab alio principio, & in eo ipſo genere quo voluntas agit, id eſt phyſico, à Deo moveatur: alioquin eſſet ipſa ſibi voluntas in eodem ordine agendi principium, ac ſubinde non à divina gratia, ſed ab ipſa voluntate initium ſalutis oriretur. Quod argumentum alibi explicandum eſt. Verùm

Reſpondent qui contra ſentiunt, communi huic argumento: cauſam ſecundam non poſſe dici primum ſui actus aut effectus principium, duplici ratione: tum quia cùm agit, & ut agat, dependet à Deo agente, concurſu ſimultaneo: tum quia longè aliud, inquiunt, exigit ratio primi principii: exigit enim non ſolùm quòd ab altero non moveatur, nec dependeat, ſed etiam quòd ſit à ſe; hoc enim habet ratio primi principii; quod cùm nulli cauſæ ſecundæ conveniat, nec convenire unquàm poſſit; etiam nec dici poteſt cauſam ſecundam licèt ab altero non moveatur, primum eſſe ſui actus principium.

Verùm prætermiſſa hìc ea ſolutione quæ ad concurſum ſimultaneum recurrit, de qua ſtatìm erit dicendum, ut ab hoc poſtremo inchoemus; negari non poſſe videtur, quin eandem ſolutionem præoccupaverit S. Thomas, eamque expreſſiſſimè impugnaverit. Etenim in 2. diſt.37. q.2. art.2 ubi inquirit, utrùm actio voluntatis peccaminoſa ſit à Deo? refert inprimìs duplicem opinionem. *Dicendum*, inquit, *quòd circa hanc quæſtionem tanguntur à Magiſtro duę opiniones; una quarum dicebat, omnes actus in quantùm actus ſunt, ex Deo eſſe; ſed in quantùm deformitatem habent, à Deo non eſſe, ſed ab homine vel Diabolo. Alia opinio dicebat quòd actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus, ſunt à Deo, & hæc opinio tangitur in præſenti, quam ad præſens nulli vel pauci tenent, quia propinquiſſima eſt duplici errori.* Hæc ibi Sanctus Thomas.

Ex qua duplici opinione primam amplectendam eſſe cenſet S. Doctor, & ipſe amplectitur, quamque dubio procul docuerat olìm Magiſter Sententiarum, & à D. Auguſtino deſumpſerat eadem diſtinctione 37. ubi inquit Deum non eſſe authorem eorum, quæ mala ſunt, ſed eorum, quę ſunt; quia in quantùm mala ſunt, nihil ſunt. *Quid igitur mirum*, inquit Magiſter Sententiarum, *ſi Deus dicitur non eſſe author eorum in quantùm nihil ſunt, cùm nihili nullus author exiſtere queat.* Hęc eadem S. Thomæ omniumq; noſtrum ſententia eſt: quod enim *nihil* vocat Magiſter Sententiarum, nos deformitatem ac rectitudinis privationem dicimus. Etſi enim in mea quidem ſententia etiam ipſa peccati deformitas entitas poſitiva ſit, cùm ſit poſitivus ordo ad objectum diſſonum regulis morum; attamen cùm hic ordo eaque entitas deformitatem non habeat, niſi proùt habet adjunctam privationem, de illo actu ut ſubjicitur privationi non ſecùs ac de ipſa privatione loquendum eſt. Quid autem privatio eſt? Planè in ſe nihil eſt. Quid igitur mirum ſi deformitatis author dici Deus non poſſit, cùm nihili etiam nulla cauſa eſſe poſſit.

Poſtquàm verò hanc ſecundam ſententiam duplici errori propinquam eſſe dixit D. Thomas, deinde refert quis duplex ille error ſit. *Primò*, inquit, *quia ex ea videtur ſequi quòd ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principii, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus author Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principii haberet: quamvìs ſolvere hoc nitantur, dicentes quòd volũtas, etſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet à ſe eſſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiam per ſe durare non poſſit quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus, & operatio ab alio ſit: & præterea quamvìs per hanc reſponſionem evitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur ſicut in cauſam. Secundò, quia cùm actio etiam peccati ſit ens quoddam, non ſolùm ſecundùm quòd privationes, & negationes entia dicuntur, ſed etiam ſecundùm quòd res in genere exiſtentes entia ſunt, eò quòd & ipſæ actiones in genere ordinantur; ſequeretur, ſi actiones peccati à Deo non ſunt, quòd aliquod eſſe eſſentiam habens, à Deo non eſſet: & ita Deus non eſſet univerſalis cauſa omnium entium, quod eſt contra perfectionem primi entis. Primum enim in quolibet genere eſt cauſa eorum quæ ſunt poſt, ut in 2. Metaphyſ. dicitur: & ideò cum prima opinione dicendum eſt, quòd actus in quantùm actus, à Deo eſt, & ut ſic non habet aliquid quod deformitatem habeat.*

Hæc ibi S. Thomas, quibus nihil interſerere ſatiùs viſum eſt, ut totius Textus connexio faciliùs perciperetur. Hic igitur duplex error, cui proximam eſſe inquit S. Doctor eam ſententiam quæ negat, actum motumque animi, qui in peccato reperitur, eſſe à Deo authore, & quę contra aſſerit, quòd *voluntas per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis.* Sed ut ea, quæ hìc habet D. Thomas faciliùs intelligantur.

Obſervandum eſt, fuiſſe ſemper exiſtimatum à D. Thoma, Deum eſſe cauſam actionis cauſæ ſecundæ ipſiuſque voluntatis, quatenùs *propriu m hujus principium*, ſcilicèt voluntatem, *movet ad actum*, ut ſæpiùs dictum eſt, ex 1. 2. quæſt. 80. art. 1. Atque id apertè hìc ſupponit; & intelligit ab aliquibus negatum fuiſſe, actum voluntatis cui annectitur peccati malitia, eſſe à Deo: ea ratione, quòd negarent, Deum priùs movere voluntatem, ſed exiſtimarent, quòd *voluntas poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis.* Atque ex eo exiſtimat S. Thomas eum errorem, ut vocat, conſequi, *quòd ſint plura principia.* Et ſanè id apertiſſimè probat ratio quam ſubjungit: *hoc enim eſt*, inquit, *de ratione primi principii, ut*

agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus: Ergo si voluntas agat, & sine auxilio, & sine influentia prioris agentis, voluntas erit primum sui actus principium. Atque ea ratio est, quâ toties probatum est, exigere rationem primi principii, quòd inferiores omnes causas moveat, & quidem in eodem ordine, & genere, quo causæ sunt, id est in ordine physico. Quòd si quæ foret, quæ vel in eo, vel quocumque alio ordine non moveretur ab alia superiori causa; jam in eo ordine in quo ab alia causa non moveretur, prima causa dicenda esset: primum enim est quod alterum prius non supponit. Nec minùs ea ratio locum habet in voluntate quantumvis libera sit, cùm non possit non esse liberum secundum, & sola participatione primi liberi, scilicèt Dei. Ideòque & S. Thomas eadem ratione usus, inquit quòd *si voluntas humana aliquem actum posset producere cujus author Deus non esset*, modo scilicèt superiùs explicato, ita *ut agere posset sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus; voluntas humana haberet rationem primi principii*.

Nec verò solùm D. Thomas eam Responsionem præoccupavit, sed quibus etiam argumentis impugnanda esset Discipulos præmonuit. Triplicem enim eamque validam hujus responsionis impugnationem addit. Primò, quia repugnat ut *quod non est à se, à se agere possit*. Enimverò necesse est, eundem esse ordinem eandemque dependentiam inter virtutem agendi, ipsamque essentiam ex una parte, & inter virtutem agendi, & operationem ex altera; *quia omnis virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute*: atquì repugnat, illud quod non est à se, habere ex se virtutem agendi: ergo etiam repugnat, illud quod non est à se, nec à se habet virtutem agendi, habere à se, & ex se operationem. Unde concludit S. Thomas: *Oportet igitur ut cujus essentia ab alio est, etiam ab alio operatio sit*.

2. Id confirmat S. Thomas altera non minùs efficaci ratione, quâ inquit, *quod à se non est, ex se etiam durare non potest*. Etenim non minùs agens creatum in ratione agentis, à Deo ut primo agente, quàm in ratione entis, & existentis in rerum natura à Deo, ut primo, & supremo ente dependet: atquì ut existat, & conservetur, perpetuo indiget influxu Dei: ergo & ut agat simili eget influxu divino, nec quidquam agere potest *sine auxilio prioris agentis, & ejus influentia*.

Atque hìc observari potest, & meritò quæri, num hæc verba *auxilii, & influentiæ prioris agentis*, veram & prævìam motionem significent? Nihil sanè aliud divinæ motionis nomine intelligunt S. Thomæ Discipuli, quàm auxilium, influentiam, seu influxum, & impressionem, quâ causa prima movet, impellit, complet, perficitque causam secundam ad agendum. Quòd si hæc verba divinam motionem prævìam, & influxum prævium non significant, quibus aliis explicari possit, haud scio. Sed præterea

3. Impugnat Sanctus Doctor eandem solutionem hac ratione; quòd quamvìs ea responsione possit, quominùs agens creatum, & causa secunda primum simpliciter, & in omni genere primum principium dici non possit, cùm non habeat esse à se; attamen nunquàm vitari potest, quin agens, quod in aliquo genere dum agit, & ut agat ab alio principio non dependet, in ea ratione, & ordine in quo ab alia causa, & alio principio non movetur, primum suæ actionis principium dici possit, & reipsà sit, *si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam*: ergo si voluntas etiam quoad actum liberum in ordine physico in quo agit, non moveatur à Deo ut priori agente, non potest intelligi quin in eo ordine voluntas humana sit primum liberi actus principium. Et

Observanda insuper sunt hæc ultima S. Thomæ verba; nempè actionem causæ secundæ *in aliquod prius agens*, reduci debere sicut in causam; dubitari enim non potest, quin ea verba, si de S. Thomæ sententia controversia sit, litem omnem dirimant. Qua enim ratione possit intelligi, actionem causæ secundę *in aliquod prius agens, sicut in causam reduci*, nisi priùs ab ipso Deo ut à primo agente moveretur? Neque enim priùs in Deum reduci potest actio causæ secundæ ratione concursus simultanei; cùm ipsum simultanei nomen, simultatem non prioritatem significet; nec efficere unquàm concursus simultaneus possit, quin causa secunda, putà voluntas creata, si à Deo priùs movente non dependeat, sit reipsà causa prima primumque liberi sui actus principium. Sed cùm Deus simul cum voluntate concurrat, duplex dicendum erit primum principium ad eundem actum, & effectum concurrere; quorum alterum quidem esset nobilius, neutrum tamen esset prius, si dumtaxàt simul utrumque concurreret.

Sed præterea impugnat eandem sententiam D. Thomas, & addit quòd si ea actio voluntatis quæ malitiæ subjicitur, non esset à Deo, *sequeretur, quòd aliquid essentiam habens à Deo non esset; & ita Deus non esset universalis causa omnium entium: quod est contra perfectionem primi entis*. Et his verbis significari à S. Thoma, quòd actio in quantùm ens, immediatè à Deo dependeat ratione concursus simultanei, ultrò fatebimur. Sed indè validè confirmantur superiora, & apertissimè convincitur, ea quæ jam superiùs à D. Thoma dicta sunt, non posse intelligi, & explicari de simultaneo concursu Dei. Intelligit enim, & contendit S. Thomas, motum illum animi seu actionem voluntatis cui privatio rectitudinis connexa est, dupliciter dependere à Deo. Primò ratione prioris influentiæ quâ actio voluntatis reducitur in aliquod prius agens scilicèt Deum, sicut in causam. Secundo autem altera, & diversa ratione, quia nempè omnis actio in quantùm ens, etiam dependet à Deo, ut scilicèt est participatio ipsius primi entis: ergo si hæc secunda dependentia intelligatur esse ratione concursus simultanei, necesse est alteram intelligi ratione alterius, scilicèt influxus prævii. Sed tamen præterea

alte-

alteram explicationem hæc verba commodè ferre poſſunt, quòd prævia motio ex duplici capite à D. Thoma ſtabilita ſit. Primò, quia cauſa ſecunda priùſquam agat, in actu ſecundo, & effectivo conſtituenda ſit; etenim à potentia, ut potentia, nunquàm actus egreditur: in eo autem actu ſecundo effectivo per Divinam motionem conſtituitur. Secundò, quia cùm in ipſo effectu, ipſaque voluntatis actione, ratio entis reperiatur, quę à cauſa ſecunda, ipſaque voluntate, nativa virtute effici non poteſt, ideò etiam neceſſaria ſit motio Divina, quia nulla cauſa dat eſſe ſuo effectui niſi virtute accepta ſibique impreſſa à cauſa prima. Sed ex dictis ſæpiùs hæc facilia ſunt.

ARTICULUS II.

Altera Reſponſio eorum, qui ad ſimultaneum concurſum recurrunt, à S. Thoma rejicitur.

HÆc altera, & frequentior ſolutio eſt, qua D. Thomę loca plurima ſuprà à nobis relata excipi, & explicari ab Adverſariis ſolet, ubi à Deo moveri inclinari, & applicari cauſas ſecundas affirmat S. Doctor: ea enim inquiunt intelligenda eſſe de ſolo concurſu ſimultaneo: quam ſolutionem inde veroſimilem magìs videri volunt; quia alioquin inquiunt, concurſum ſimultaneum S. Thomas ignoraſſet, quod de Theologorum Principe exiſtimandum non eſt.

Verùm in primis ſexcenta D. Thomæ loca ſunt, quorum aliquam partem ſuprà expendimus, quæ nunquàm adeò inflecti poterunt, ut cum ſimultaneo concurſu conveniant. Et quamvis cætera deeſſent, quod habet q. 3. *de potentia*, ſaltem probat ut in confeſſo eſt apud omnes D. Thomam de motione prævia, non de ſimultanea intelligendum eſſe; neque unquam eam ſententiam mutaſſe, jam ſatìs comparatione aliorum quę deinde ſcripſit ſatìs demonſtravimus.

Sed in primis concurſum ſimultaneum qualem admittere convenit, nec ignoratum nec prætermiſſum fuiſſe à D. Thoma ſatìs alibi probavimus: imò nec ab ullo unquàm Theologo etiam firmioribus principiis hujus neceſſitatem explicatam fuiſſe. Cùm jis omnibus in locis ubi ratio Doctrinę exigebat, planè demonſtraverit, effectum omnem, & in fieri, & in facto eſſe, perpetuo influxu ſeu concurſu cauſę primę indigere, in quo concurſum ſimultaneum ex parte effectus poſitum eſſe Theologi omnes conſentiunt. Non ergò concurſum ſimultaneum, etiam qualem alii extra S. Thomę ſcholam admittunt ignoravit ipſe D. Thomas. Sed prętер hunc concurſum ex parte effectus, alterum etiam ex parte cauſę admiſiſſe S. Thomam contendimus, quo Deus ſcilicet prima cauſa inferiores omnes cauſas moveat, & applicet ad agendum, & ſimùl etiam dum agunt cum jis concurrat; ſicut & à cauſis ſuperioribus cauſę inferiores moventur. Sol enim v. g. ſuo calore plantam, & movet, & fovet, ut florem fructumque producat: nec enim influxus ſiſtitur, ſed dum planta florem, & fructum emittit, ſimul etiam cauſę ſuperiores concurrunt: ſicut etiam cum artifex utitur inſtrumento, nunquàm manum retrahit quandiù inſtrumentum agit, ſed perpetuò ipſum movet, & cum eo concurrit; qui concurſus non ſolùm prævius, ſed & ſimultaneus eſt. At verò quod attinet ad concurſum ſimultaneum, & ex parte cauſæ dimidiatum, qualem videre eſt in portantibus idem pondus, quorum unus minimè alterum movet, & applicat; fatemur ultrò illum D. Thomæ fuiſſe ignotum: neque alia ratione ejuſmodi concurſum ſimultaneum advocaſſe videntur adverſę ſententię Theologi, niſi ut ipſum concurſui prævio, prævięque Divinę motioni opponerent. Hujus inquàm dimidiati concurſus ne veſtigium quidem ullum in S. Thoma reperire eſt, quamvis prævii concurſus ſæpiùs meminerit; & ſi res ipſa ſpectetur integras quæſtiones inſtituerit; *Utrùm Deus cauſas ſecundas moveat? Utrùm in ipſis cauſis* agentibus, & dum agūt, *Deus operetur?* &c. hoc enim unum erat in controverſia poſitum: hoc erat quod longa inquiſitione, & defenſione egebat propter graviſſimas difficultates quę inde oriri poſſunt, nimirùm utrùm periculum ſit, ne ſi Divina motio præveniat voluntatem, libertatem ipſius lędat, aut ejus malitia in ipſam Divinam motionem, & Deum motionis authorem redundet.

At verò quòd attinet ad concurſum ſimultaneum ex parte effectus, in eo poſitum quòd effectus à Deo in fieri, ſicut & in conſervari dependeat; de quo nullum fingi periculum poteſt, ne lędat libertatem humanam, aut divinam ſanctitatem: quis dubitavit prętер unum Durandum, aut ſi qui alii errantem ſecuti fuerint; quamvis non deſint qui Durandum vindicare voluerint: quòd nulla veroſimili ratione negari poſſit, dependere effectum à Deo in fieri; ſicut neque negari poteſt quòd effectus à Deo ut conſervetur dependeat. In utraque dependentia concurſum ſimultaneum poſitum eſſe, hi quibuſcum agimus arbitrantur, neque nos diffitebimur.

Unica igitur aut certè pręcipua difficultas erat, de qua Theologum ſollicitum eſſe conveniebat, qua ratione Deus moveret agentia creata. Utrùm inferiores cauſę ſine influxu, ſine impreſſione, ſine virtute accepta à ſuperiori, & cauſa prima, ſuos effectus producerent. Hic unus nodus erat à Theologo ſolvi dignus, utrum Deus cauſas omnes moveat, & applicet priuſquàm agant, & cum ipſis eo modo quo ſolet cauſa ſuperior cum inferiori, vel tanquàm cauſa principalis cum inſtrumento concurrat: atque illud exertè pronuncio, & quotquot extra ſcholam S. Thomæ ejus operibus evolvendis aliquod tem-

tempus impendunt, magna fiducia provocare me posse arbitror; nullibi repertum in S. Thoma, cùm causa secunda Deum eo modo concurrere quo partialis una causa concurrit cum altera causa partiali. Et sanè irritus labor esset, si quis divisum hunc inter Deum, & creaturam concursum in S. Thoma quæreret: cùm è contrà hunc concurrendi modum instar partialis causæ, ut parùm Deo dignum ita excludat, ut ipsa etiam exempla quibus usuri essent hi quibus adversa de motione sententia placitura erat, prævidisse videatur.

Probatur itaque, admisso concursu simultaneo ex parte effectus, de quo nulla est apud nos controversia, expressè rejectum fuisse à S. Thoma concursum simultaneum ex parte causæ, quo Deus cum causa secunda concurrere dicitur ad eundem effectum producendum; sicut duæ causæ partiales ad eundem producendum concurrunt. Etenim opusc. 1. quod jussu Urbani IV. Summi Pontificis aggressus est S. Thomas, *contra errores Græcorum*; in quo sanè res magni momenti agebatur, & quam ut perficeret, existimandum est majori lumine à Deo fuisse illustratum, ut pareret imperio S. Pontificis, qui in his quæ propiùs ad fidem accedebant, D. Thomæ auxilio, & opera utebatur. Igitur inter plurima à Patribus Græcis dicta, explicare jussus quæ dubia esse videbantur, aut in errorem incautos inducere possent, illud explicat cap. 23. *Quomodo intelligitur, quòd creatura non potest cooperari creatori*. Ita verò explicat S. Doctor.

Item videtur esse dubium de hoc quod S. Athanasius in sermone Nicæni Concilii dicit: aut quomodo creatori creatura cooperatur intiment nobis. Ex quo datur intelligi, quòd creatura creatori cooperari non possit: quod videtur esse falsum, cùm Sancti dicantur esse Dei adjutores, & cooperatores, secundùm Apostolum. Sed sciendum quòd aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter: Uno modo quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem, sicut Minister Domino, dum ejus præceptis obedit: & instrumentum artifici à quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui, inquantùm operatur eandem operationem cum ipso: sicut si diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quòd unus alteri cooperatur. Secundùm igitur primum modum creatura potest dici creatori cooperari quantùm ad aliquos effectus qui fiunt mediante creatura, non tamen quantùm ad illos effectus qui sunt immediatè à Deo, ut creatio, & sanctificatio. Secundo autem modo creatura creatori non cooperatur, sed solùm tres Personæ sibi invicem cooperantur, quia earum est operatio una: non autem ita quòd quelibet earum partem virtutis possideat per quam operatio completur; sicut accidit in multis trahentibus navem; sic enim cujuslibet virtus esset imperfecta: sed ita quod tota virtus ad operationem sufficiens est in qualibet trium personarum.

Hactenùs S. Thomas. Atque integrum caput, non divisum aut interpolatum exscribere volui, ut faciliùs omnium connexio, & ordo animadverti possint. Quibus verò aliis verbis, aut quibus exemplis optare unquàm D. Thomæ Discipuli potuissent, etiam post exortam hanc controversiam, ut suam sententiam significaret, & adversam rejiceret? Distinguit enim duplex motionis genus, moralis scilicèt, ut cum minister cooperatur Domino ad eundem effectum; & physicæ, *ut cum instrumentum cooperatur artifici à quo movetur*. Atque eo modo inquit S. Thomas, *creatura dici potest cooperari creatori quantùm ad illos effectus qui fiunt mediante creatura, non verò quantùm ad alios effectus qui fiunt immediatè à Deo, ut creatio, & sanctificatio*. Communis enim erat apud veteres sententia, gratiam à Deo creari; creationis autem instrumentum creaturam esse posse negavit D. Thomas. Deinde verò adversam sententiam refert ipsi smet eorum, & verbis, & exemplis, qui eam tuentur, & quæ exempla prævidisse videtur. Ita igitur habet. *Dicitur aliquid cooperari alicui, in quantùm operatur eandem operationem cum ipso; sicut si diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quòd unum alteri cooperatur*. Atquì eo modo S. Thomas negat omninò creaturam cooperari; sed hoc inquit eximium esse Tribus Personis Sanctiss. Trinitatis, quamvìs, & hoc exemplum infinitis partibus sit infra dignitatem ac magnitudinem Trium Personarum, cùm ita communis sit Tribus Personis eadem virtus, ut in qualibet ipsarum integra sit: secùs verò in his qui trahunt eandem navim, quorum virtus dimidiata est, etsi totum effectum producant: Ergo ex S. Thoma, admisso quidem eo concursu ex parte effectus, rejiciendus est alius concursus quo intelligi possit Deum cum creatura agere, sic ut duæ causæ partiales ad eundem effectum producendum concurrunt.

Confirmatur præterea ex S. Thoma, neque enim unicus ille locus est ubi hujus dimidiati concursus meminit, ipsumque rejicit. Non est tribuendus Deo concursus qui ex suo genere omnium imperfectissimus est: jubet enim ipsa quæ de Deo existimatio habenda est, ut non nisi perfectissimus ex suo genere concurrendi modus ipsi adscribatur: Atquì concurrendi modus per modum partialis causæ est omninò ex suo genere imperfectus. Etenim D. Thomas in 1. dist. 37. q. 3. ar. 3. ubi inquirit, *utrùm plures Angeli possint esse in uno loco*, negat fieri posse, aut decere, ut plures Angeli sint in eodem loco. Quia cùm sola operatione loca occupent, ut plures eundem occuparent, necesse foret quòd etiam plures in eodem loco suam operationem exercerent, eundemque effectum producerent. At verò id fieri non potest, aut non decet; quia nunquàm idem effectus à pluribus agentibus producitur, quando unicum agēs effectum integrum producere potest. *Impossibile* enim est, *idem secundùm idem pati, & moveri à diversis agentibus, vel moventibus, si utrumque sit perfectæ virtutis ad inducendum effectum: sed hoc contingit quándo plures movent in virtute* (aut per modum) *unius moventis, quorum*

qui-

quilibet est imperfectus movens, sicut in trahentibus navem. Atque ea ratione negat ut diximus, S. Thomas, plures Angelos ad eundem effectum producendum concurrere : essent enim partiales causę ejusdem effectus, quod parùm eorum dignitatem deceret, cùm quilibet ad integrum effectum producendum satis virium habeat. Ergo ex S. Thoma imperfectus est ex suo genere hic concurrendi modus, in quo quantùm est de se quodlibet agens imperfectum, & partiale est ; & quod inde sequitur, nullum superius est quod sibi alterum subjiciat, neque unum ab altero, ut priùs movente dependet ; sed effectus æquè primò ab utroque dependet, neque magis ab uno principaliter aut immediatè quàm ab altero oritur : quę omnia exemplo trahentium navim satis constant : & manifestissimè ostendunt ex suo genere imperfectissimum esse concurrendi modum : neque satis decere voluntatem primæ causæ, quæ semper ut prima causa, & non solùm ut concausa debet agere. Sed

Confirmatur iterùm quòd multò expressiùs ejusmodi simultaneum, & divisum inter partiales causas concursum S. Thomas rejiciat. Etenim 3. cont. gent. cap. 70. hanc in terminis quęstionem pertractat ; *quomodò idem effectus sit à Deo, & à naturali agente* ? ubi dubio procul opportunissimus locus erat eum concursum inter plures causas divisum explicare, si admittendum existimasset. At verò eo loco non alium Dei concursum admittit præter concursum causæ superioris cum inferiori, & causæ principalis cum instrumentali, aut rei agentis cùm ea virtute quâ agit. Non enim, inquit, difficile est hunc Dei cum causis secundis concursum explicare, si quis hæc duo distinguat, *rem ipsam quæ agit, & virtutem qua agit*, puta ignem qui calefacit, & calorem quo calefacit. Quare sicut nihil repugnat, eundem effectum productum, aut ignem de novo genitum, aut calefactionem tribui & igni generanti, & calori, quo tanquam congenita virtute agendi ignis agit : ita etiam nihil repugnat eundem effectum tribui Deo agenti, & causæ secundæ etiam agenti, quia & causa secunda recipit à Deo virtutem quâ ipsa agit. Locum integrum S. Thomæ quæstione superiori retulimus : hìc autem ea solùm referimus ubi præmissa ea ratione exemplo utitur causæ principalis, quæ applicat movętque instrumentum. Unde tandem concludit,

Patet autem quòd non sic idem effectus causę naturali, & Divinę virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, sed totus ab utroque, secundùm alium modum ; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus. Hæc ibi, quæ pressiùs etiam dixerat, ut solet, in Summa Theologica 1. par. quæst. 105. art. 5. ubi cum sibi objecisset : quòd *una operatio non potest esse simul à duobus operantibus, sicut nec unus numero motus est duorum mobilium*. Respondet breviter : quòd *una actio non procedit à duobus agentibus unius ordinis ; sed nihil prohibet quòd una, & eadem actio procedat à primo & secundo agente*. Quibus mirùm in modum consentiunt quæ à S. Bernardo dicta sunt. *Quod à sola gratia cęptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non singillatim, simul nō vicissim per singulos profectus operentur. Nō partim gratia, partim liberū arbitrium, sed totū singula opere individuo peragunt ; totum quidem hoc, & totū illa : sed ut totum in illo, sic totum ex illa*. l. de libero arbitrio.

Igitur ex S. Thoma hìc unus concurrendi modus Deo dignus ipsi ut primæ causæ tribuendus est, quo sibi inferiores causas subjicit, quas applicat & movet, sicut principalis causa sibi instrumentum subjicit. Neque existimandum est, eundem effectum *partim à Deo, partim à naturali agente fieri* : ita enim dumtaxàt fieret, Deum esse cum creatura concausam, & digniorem quidem ; sed nulla ratione defendi posset, Deum habere rationem causæ primæ, nisi prioritatem habeat, & in eodem ordine in quo causa est, causam secundam priùs moveat quàm agat.

Confirmatur iterùm superior ratio, quòd ut observat S. Thomas ea sententia quę distinguit inter gratiam liberumque arbitrium quasi non possit esse idem ab utroque, fundamentum fuerit eorum opinionis, qui prædestinationem fieri existimabant ex præscientia meritorum quæ ex gratia oriuntur. Etenim 1. par. quæst. 23. rejecto errore tum Origenis tum Pelagianorum, sic inquit : *fuerunt alii, qui dixerunt, quòd merita sequentia prædestinationis effectum* (scil. gratiam) *sunt ratio prædestinationis : ut intelligatur quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia : sicut si Rex dat alicui militi equum, quem scit eo bene usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ab utroque*.

Hæc D. Thomas : ubi manifestè significat, ideò visum fuisse aliquibus, prædestinationem esse posse ex præscientia meritorum, quòd distinxerint inter illud quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio. Si enim nihil esset ex libero arbitrio quod non esset ex gratia ; cùm constet gratiam esse prædestinationis effectum ; etiam & illud, quidquid illud sit quod est ex libero arbitrio, esset ex gratia, atque adeò esset prædestinationis effectus, nec illius motivum esse posset. Unde necesse fuit, ut intellexerit S. Thomas, quòd qui prędestinationem ex meritis ortis ex ipsa gratia fieri existimabant, arbitrarentur aliquid esset à libero arbitrio, quod non esset à gratia, eaque ratione inter illud quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio dividerent : Atquì ea sententia quæ distinguit, & dividit id quod est à libero arbitrio, & quod est à gratia, eadem sententia esse videtur cum ea quæ Deum, & voluntatem causas esse partiales constituit : Ergo non minùs ista quàm illa à S. Thoma rejecta est. Minor Probatur : necesse enim omninò est, ut si Deus, & liberum arbitrium causæ partiales sint, aliquid à libero arbitrio sit quod non est à gratia. Atque

id

id ipso partialium causarum exemplo demonstrari videtur.

Quamvis enim tota integraque navis v. g. tractio à quolibet trahente dependeat ; attamen hoc quod est unum trahere, ea perfectio, ea formalitas aut causalitas, aut quocumque nomine nuncupetur, ita est à quolibet, ut non sit ab altero, cùm inter ipsos trahentes unus in alium nihil influat, neque causa sit quòd alius trahat. Unde hoc ipsum quòd unus trahat, quæ dubio procul perfectio est, non dependet ab altero : quilibet suam peculiarem vim habet trahendi independenter ab altero ; quilibet eam independenter ab altero exerit : quamvis quia ea vis imperfecta est sola non satis sit, ideoque effectus integer seu tractio navis ab utroque dependeat : Ergo similiter si divina gratia, ac humana voluntas, ut partiales causæ agant, neque gratia voluntatem applicet, & determinet ad agendum in eo genere eâque ratione qua causæ partiales sunt ; hoc ipsum quòd est voluntatem agere, hic peculiaris influxus, hæc causalitas voluntatis, ipsa actio sub ea speciali ratione quâ dependet à voluntate, non potest refundi in ipsam gratiam Divinam : cùm in eo genere quo humana voluntas agit, scilicèt physico, gratia non applicet, nec determinet voluntatem, neque sit causa quòd ipsa voluntas agat. Ergo illa perfectio quòd voluntas agat, vel se se determinet, quæ dubio procul formalitas quædam est, & aliqua perfectio, imò & præcipuà perfectio, cùm sit ipsum libertatis exercitium ; illa inquam perfectio ita erit à voluntate, ut ex divina gratia non sit. Quamvis tamen quia voluntas non est nisi particularis causa, neque sola satis sit ; Deus etiam concursum subjungat, & actio integra voluntatis non solùm à voluntate, sed etiam à Deo simul concurrente dependeat. Sed hoc, ut dixi, quòd est voluntatem se se in actum reducere, hæc perfectio, hæc causalitas ita est à voluntate, ut non sit à Deo divinaque gratia. Unde manifestum est, distinctum esse quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio. Quod quamvis ex comunibus principiis adversæ sententiæ aperta consecutione deduci videatur ; apertiùs tamen ab aliquibus expressum est, qui non diffitentur, quòd si sermo sit de aliqua realitate aut formalitate, non quidem quę spectetur simpliciter, sed præcisè ut emanat à libero arbitrio, concedendum est dari aliquid quod sit à nostro libero arbitrio, & non aliter ea præcisè consideratione à Deo nisi tanquàm à naturę ipsiusque liberi arbitrii authore, qui eam facultatem nobis contulit. Vide supra quæst. 3. artic. 8. pag. 45. De ea enim sententia dubitari non posse videtur, quin distinxerit quod *est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio, quasi non posset esse idem ab utroque* : ideſt, quasi non posset ea formalitas, aut realitas, aut perfectio, sive actus sub ea ratione quâ pendet à libero arbitrio, etiam esse á gratia : quod tamen quàm facillimè ex S. Thomę principiis intelligitur. Etenim si divina gratia applicet voluntatem, apertissimum est, quòd ipsum agere, seu hoc ipsum quòd voluntas agat, ex ipsa gratia oritur ; quod comparatione instrumenti omninò liquet. Cùm enim artifex applicat instrumentum, hoc ipsum quòd instrumeotum agat, à causa principali dependet : absurdum enim foret existimare, & principale agens, & instrumentum causas esse partiales. Hæc quàm facillimè intelliguntur : sed necesse est Divi Thomæ principia admitti, ac fateri voluntatem in eo ipso genere quo agit, ideſt physico, à Deo prævièmoveri.

Confirmatur demum hac ratione, sed quæ plures complectitur : opportunum enim erit ut arbitror, quòd rationes quas multis in locis, ut occasio ferebat sparsimus, hìc in fine simul colligantur. Probatur itaque præter concursum simultaneum ex parte effectus, quale jam sæpius explicuimus, & nemo negat, alterum & diversæ omninò rationis admissum esse à S. Thoma, & admitti debere. Admittendus est ex D. Thomæ concursus cui hæ omnes conditiones conveniant. *Primò*. Quòd sit influxus qui in ipsa causa secunda vel voluntate agente, & non solum in effectu recipiatur, in eoque impressus sit : *Secundò*. Sit influxus qui sit ut intentio sola, habens quoddam esse incompletum, in ipsa voluntate receptus, sicut virtus artis recipitur in instrumento artificis. *Tertiò*. Sit influxus, qui conferat voluntati virtutem agendi, aut sit ipsa vis agendi ad attingendam rationem in effectu, quam sine ea virtute, nec ipsa voluntas, nec ulla alia causa secunda posset attingere. *Quartò*. Quòd sit influxus, quem cùm natura recipit, ipsa nondùm intelligitur operari. *Quintò*. Sit influxus quem priùs causa secunda recipiat quàm ad ipsum effectum perveniat. *Sextò*. Sit concursus in causis secundis receptus, sicut influxus Cælestium corporum in inferioribus recipitur, *Septimò*. Sit influxus prioris agentis seu qui priùs ratione, & causalitate antecedat motum, & operationem ipsam voluntatis. *Octavò*. Sit influxus, quo causa prima habeat rationem causæ, & quidem principalis causæ, & non solum concausę, & cui comparetur voluntas, ut causa inferior, seque habeat instar instrumenti. *Nonò*. Sit concursus, ratione cujus causa prima non sit partialis causa, neque se habeat cum voluntate, ut duo trahentes navim. *Decimò*. Sit concursus, ratione cujus Deus habeat rationem causę prioris, non solùm dignitate, sed etiam causalitate. *Undecimò*. Sit influxus qui moveat, & determinet voluntatem, eamque immutet ac inclinet per modum etiam causæ efficientis priùsquam voluntas agat. *Duodecimò*. Sit concursus qui voluntatem indifferentem, & indeterminatam à potentia in actum reducat, & cum actu conjungat. *Decimotertiò*. Sit concursus qui actionem causę secundę efficiat, non quomodocumque, sed prout etiam dependet à causa secunda, & quo actio causæ secundæ dependeat à Deo, etiam sub ea ratione quâ est à causa secunda. *Decimoquartò*. Sit concursus de quo dubitari possit num lædat voluntatis libertatem. *Decimoquintò*. Sit tandem concursus de quo dubitari iterum

rum poſſit, num actus mali deformitas, & malitia in Deum referatur.

Atqui manifeſtiſſimum eſt, concurſum cui ejuſmodi coditiones omnes aſſignatæ conveniunt, non eſſe concurſum prævium: Ergo & authoritate D. Thomæ, & multiplici ipſius ratione, præter ſimultaneum concurſum, etiam & prævius admittendus eſt.

De Majori, ubi præſertim de ſententia S. Thomę agitur, nulla eſſe poteſt difficultas. Res enim eſt facti; conſulenda ſunt ipſius S. Doctoris loca: neque enim id ſemel, aut veluti aliud agendo in tranſitu dixit, ſed quàm ſæpiſſimè ut hæc probaret etiam integras quæſtiones inſtituit; & ſi rationes omnes quas multis modis verſat in unum colligerentur, ſuperaret earum multitudo numerum omnem quem ſupra retulimus: neque enim omnes, ſed eas quæ præcipuę nobis viſæ ſunt, ſolùm collegimus.

De Minori verò nulla etiam controverſia eſſe poſſe videtur; cùm concurſus ſimultanei conſentientibus omnibus diverſiſſimæ ſint conditiones: & quod præcipuum caput eſt, non in cauſa ſed in effectu recipiatur, ſitque ipſe effectus, ut immediatè à Deo dependet. Unde nihil cauſæ imprimit, nullam cauſæ vim ſuperaddit, neque hic concurſus ſimultaneus cauſam ipſam movet, cùm ipſius motionis notione ſemper prioritas aliqua intelligatur, & ſignificetur; neque ſimultaneus concurſus per modum efficientis cauſæ applicat vel immutat voluntatem, aut eam reducit de potentia in actum, aut cum actu conjungit. Licet enim ipſa voluntatis actio dici poſſit, & reverà ſit ipſa reductio ſeu immutatio, & applicatio formalis voluntatis, repugnat tamen eſſe ipſam reductionem effectivam: neceſſe enim eſt hanc præcedere; neque intelligi poteſt quòd ipsa actio in genere cauſæ aut principii efficientis moveat, & applicet voluntatem ac ipſius productionem; ſicut intelligi non poteſt florem aut fructum ab arbore productum movere, & applicare arborem ad ipſius productionem. Et ut ipſum ſimultanei nomen ſatis indicat, hic concurſus non movet priùs voluntatem quàm ipſa voluntas agat, ſed ſimul cum voluntate priùs immutata, & applicata agit. Neque ratione ſolius concurſus ſimultanei Deus prior cauſa, vel prius principale agens nuncupari poteſt, ſed ſolùm concauſa; ita ut cum ipſo voluntas concurſum veluti dividat, ſitque partialis cauſa; & quamvis altior quidem dignitate dici poſſit, cauſalitate tamen prior nec dici poſſit, nec ſit. Unde iterùm dici non poteſt, ratione ſolius concurſus ſimultanei, actionem voluntatis dependere à Deo ſub ea formalitate, & ratione quâ à voluntate oritur: Neque demùm ſimultaneus concurſus eſt, de quo jure dubitari poſſit, num voluntatis libertatem lædat.

ARTICULUS III.

Tertia Reſponſio eorum qui ad motionem moralem confugiunt, à Sancto Thoma rejicitur.

POtiſſima eſt plurimorum Reſponſio, quâ nedùm D. Thomam, ſed & Sanctos Patres, ipſamque etiam Scripturam Sacram, cùm toties actiones hominum, potiſſimùm liberas in Deum, ut Authorem referunt, ſe poſſe explicare arbitrantur. Contendunt enim iis Sacræ Scripturę phraſibus quibus Deus dicitur *omnia in nobis operari*, ipſumque *velle & perficere*, *inclinare hominum voluntates*, *eaſque immutare*, *& transferre*, aliaque ejuſmodi: ſi quid aliud præter concurſum ſimultaneum ſignificent, hoc unum dumtaxat indicare, ſcilicèt quòd Deus actionum voluntatis noſtræ cauſa moralis ſit, & voluntatem ſolùm inclinet aut immutet ſuadendo, & allíciendo, ſola propoſitione objecti: quod tunc contingit cùm objectum, ut ita dixerim, cum iis ornamentis iiſque illiciis à Deo voluntati offertur, ut eam rapiat, etſi tamen nihil Deus interiùs in ipſa voluntate operetur, quo phyſicè ſeu per modum efficientis cauſæ voluntatem ad ejuſmodi objectum proſequendum inclinet. Hæc inquam potiſſima plurimorum Reſponſio, in qua prę-cipuum ſuæ ſententiæ præſidium conſtituunt, quâ pro gladio clypeoque utuntur. Quare operoſiùs probandum eſt, hanc Adverſariorum Reſponſionem à S. Thoma prætermiſſam non fuiſſe, ab eoque ita impugnatam, ut ſi principiorum ipſius ratio habeatur, non inmeritò eam ab ipſo fuiſſe profligatam dici poſſe videatur.

Sed in primis animadvertendum eſſe exiſtimo, neceſſariam quidem omninò eſſe motionem moralem, neque à S. Thoma unquam fuiſſe negatam; cum è contrà toties ſtatuerit, radicem libertatis poſitam eſſe in indifferentia judicii, quæ ſine morali motione intelligi non poteſt. *Quibus enim ineſt ratio, ipſis etiam ineſt volendi nolēdique libertas*, ut inquit Boëtius lib. 5. de conſolat. Phil. Habet enim ſemper libertas comitem rationem, *non quòd*, ut egregiè Sanctus Bernardus inquit lib. de gratia, & libero arbitrio, *ſemper ex ratione, ſed quòd nunquam ſine ratione moveatur: ita ut multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt quaſi per ejus miniſterium contra ipſius judicium.* Ideo enim & liberum arbitrium vocatur: ut liberum referatur ad voluntatem, & arbitrium ad rationem. Convenit igitur inter omnes, requiri indifferentiam rationis quę voluntati repręſentet bonum conveniens, & conſentaneum, quo allecta voluntas ipſum amplectatur. Sed difficultas in eo poſita eſt, utrum ſatis ſit ea moralis motio ad inflectendam voluntatem, & ſola illa morali motione verè ac propriè dici poſſit, Deum cauſam eſſe cur voluntas agat. Negat omninò D. Thomas, & contendit præter eam motionem

moralem, aliam longè majorem, & efficaciorem requiri, quæ sit in genere physico, seu per modum causæ efficientis, quæ causalitas longè diversa est à causalitate solùm morali.

Probatur itaque ex S. Thoma, non satis esse eam Dei motionem, sed longè adhuc potentiorem requiri. Atque ut à quæstionibus disputatis incipiam; in quibus solet S. Doctor fusiùs suam sententiam ac mentem explicare. *Quæst. 3. de Malo art. 3.* ubi inquirit, *utrum Diabolus sit causa peccati?* (quæ difficultas eadem esse potest de Angelo Custode, utrum scilicèt sit causa actus virtutis ad quem suum clientem movet?) Atque ea occasione explicat D. Thomas discrimen quod intercedit inter causam moralem, & physicam, & varias utriusque conditiones distinguit: & Angelum quidem aut Dæmonem causam esse moralem concedit; sed contendit longè aliam, & alteriùs generis esse Dei motionem, quâ voluntas movetur. Atque ut faciliùs Eruditus Lector omnia expendat, integrum fermè Articulum quamvis paulò longiorem referendum esse arbitror. Ita verò habet.

Respondeo dicendum, quòd causa aliquid movens multipliciter dicitur. Quandocumque enim dicitur causa, quod est disponens, vel quod est consiliās, vel quod est perficiens: & hæc propriè, & verè causa dicitur. Quia causa est ad quam sequitur effectus; ad actionē autem perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis; suasio enim non cogit invitum, ut S. Augustinus dicit in lib. 83. quæstionū. Sic ergo dicendum est, quòd Diabolus humani peccati causa esse potest per modum disponentis, vel persuadentis interiùs aut exteriùs; aut etiam per modum præcipientis, ut apparet in his, qui se manifestè Diabolo subdiderunt: sed per modum perficientis causa peccati esse non potest. Sicut enim in formis producendis causa perficiens est, ex cujus actione directè consequitur forma; ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cujus actione agens directè inclinatur ad agendum. Peccatum autem non est forma, sed actus: illud ergo per se potest esse causa peccati, quod potest directè movere voluntatem ad actum peccati. Est autem considerandum quòd voluntas ad aliquid inclinari dicitur dupliciter, uno modo ab exteriori, alio modo ab interiori: ab exteriori quidem sicut ab objecto apprehenso, nam bonum apprehensum movere dicitur voluntatem; & per hunc modum dicitur movere consilians, vel suadens, in quantùm scilicèt facit apparere aliquod esse bonum: ab interiori autem movetur voluntas sicut ab eo quod producit ipsum voluntatis actum: objectum autem propositum volūtati, non ex necessitate movet voluntatem, licèt intellectus ex necessitate assentiatur interdum propositæ veritati. Hactenus D. Thomas.

Explicat deinde discrimen quod inter voluntatem, & intellectum intercedit; quòd quamvis principium aliquod particulare interdùm connexionem necessariam habeat cum primis principiis naturaliter notis, ideoque tunc huic principio licet particulari assentiatur necessariò intellectus: attamen nullum particulare bonum necessariam connexionem habet, (aut habere in hac vita cognoscitur) cum beatitudine, quæ est naturaliter volita; ideoque nullum particulare bonum, seu objectum, movet ex necessitate voluntatem. Unde prosequitur D. Thomas.

Cujus diversitatis ratio est, quia tam intellectus quàm volūtas ex necessitate tendit in illud ad quod naturaliter ordinatur, naturale enim est determinari ad unum. Unde intellectus ex necessitate assentit principiis primis naturaliter notis, nec potest eorum contrariis assentire: & similiter voluntas naturaliter vult, & ex necessitate Beatitudinē, nec aliquis potest velle miseriam. Unde in intellectu contingit, quòd ea quæ necessariam cohærentiā habent cū primis principiis naturaliter cognitis, ex necessitate moveant intellectum, sicut conclusiones demonstratæ, quando apparent: quæ si negentur, oportet negari prima principia, ex quibus ex necessitate consequuntur. Si verò sint aliquę conclusiones, quę non necessariam cohærentiam habeāt cum primis principiis naturaliter notis, sicut cōtingentia, & opinabilia, non cogitur his intellectus assentire. Similiter etiam neque necessariis, quæ necessariò connectuntur cum primis principiis, ex necessitate assentit, antequam hujusmodi necessariam connexionem cognoscat. Sic ergo subdit S. Thomas, *videtur & circa voluntatem: quòd voluntas ad nihil ex necessitate movetur, quod non apparet habere necessariam connexionem cum Beatitudine; quę est naturaliter volita. Manifestum est autem, quòd hujusmodi particularia bona non habent necessariā connexionem cū beatitudine; quia sine quolibet eorum potest homo esse Beatus. Unde quantūcūque homini proponatur aliquod eorū ut bonum, voluntas non ex necessitate in illud tendit. Bonum autem perfectum, quod est Deus, necessariam quidem connexionē habet cum Beatitudine hominis, quia sine eo non potest homo esse Beatus: Verumtamē necessitas hujus connexionis non manifestè apparet homini in hac vita, quia Deum per essentiam non videt; & ideo etiam voluntas hominis in hac vita non ex necessitate Deo adhæret. Sed voluntas eorum qui Deum per essentiam vidētes, manifestè cognoscunt ipsum esse essentiam bonitatis, & Beatitudinem hominis, non potest Deo non inhærere: sicut nec voluntas nostra potest nunc Beatitudinē non velle*: ex quibus ita concludit S. Thomas.

Patet ergo quòd objectum non ex necessitate movet voluntatem: & ideo subdit S. Doctor, *nulla persuasio ex necessitate movet hominem ad agendū. Relinquitur ergo quòd causa perficiens, & propria voluntarii actus sit solùm id quod operatur interiùs: hoc autem nihil aliud esse potest quàm ipsa volūtas, sicut causa secunda, & Deus, sicut causa prima. Cujus,* inquit, *ratio est: quia actus voluntatis nihil est aliud quàm inclinatio quædā voluntatis in volitum; sicut & appetitus naturalis nihil est aliud quàm inclinatio naturę ad aliquid. Inclinatio autē naturæ est & à forma naturali, & ab eo quod dedit formā; unde dicitur quòd motus ignis sursū est ab*

ejus

eius levitate, & à generante quod talem formam creavit. Sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo qui eſt voluntatis cauſa, quì ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit. Deus autem non eſt cauſa peccati, ut ſupra oſtenſum eſt. Relinquitur ergo quòd nihil aliud ſit directè cauſa peccati humani, niſi voluntas. Sic ergo manifeſtum eſt, quòd Diabolus non eſt proprie cauſa peccati, ſed per modum perſuadentis tantùm.

Hæc omnia S. Thomas: quibus plurima ſtatuit diſcrimina inter divinam motionem, ſeu cauſalitatis modum quo Deus voluntatem movet; & modum quo Dæmon dici poteſt cauſa peccati, aut etiam quo Angelus Cuſtos poteſt eſſe cauſa actus virtutis ſui clientis: & ſanè dubitari non poteſt quin S. Thomas duplicem cauſam, ſcilicèt moralem, & phyſicam diſtinxerit. Quod enim ſpectat ad ipſa nomina *moralis, & phyſicæ* cauſæ, hanc invicem veniam, & petimus, & damus, ut fateamur apud Antiquos quæri non debere, ſed ut in cæteris omnibus *utilitas expreſſit nomina rerum*, Lucret.

Igitur ut ea omnia diſcrimina explicentur, & S. Thomæ rationes in communem formam redigantur. Probat primò S. Doctor, divinam motionem non eſſe ſolùm moralem, ſed eſſe longè alterius generis, quod ſanè aliud eſſe non poteſt, niſi motionis phyſicæ, & per modum cauſæ efficientis, hoc pacto: Non poteſt negari quin Deo voluntatem creatam moventi, ejuſque motioni, tribuenda ſit vera, & propria cauſalitas, quæ ſit non ſolùm cauſa diſponens, ſed etiam verè, & propriè dicta cauſa perficiens; & quæ nedùm voluntatem diſponat, ut velit; ſed etiam quæ efficiat ut velit: Atquì ea cauſalitas, quæ nedùm eſt diſponens, ſed etiam perficiens, ſeu quæ eſt verè, & propriè dicta cauſalitas, eſt non ſolùm moralis, ſed etiam phyſica: Ergo & motioni divinæ adſcribenda eſt cauſalitas, & vis agendi phyſica, & non ſolùm moralis. Integer diſcurſus D. Thomæ principiis conſtat: & quamvìs adeò evidens utraque præmiſſa ſit, ut nullam negari poſſe videatur: attamen quod potiſſimùm toto opere agimus, nullo planè modo etiam in dubium verti poteſt, quin ita ſenſerit D. Thomas, cùm ut diximus, integer diſcurſus ipſius verbis contextus ſit. Sed prætereà

Major ſcil. quòd vera, & propriè dicta cauſalitas Deo moventi ejuſque divinę motioni tribuenda ſit, aperta videtur. Tum quia dubio procul parum eſſet pro Dignitate, & Majeſtate primæ cauſæ cauſalitatem impropriam ipſi tribuere: tum quia exiſtimandum eſt, Deum in eodem cauſalitatis genere agere, in quo ipſa voluntas agit: neceſſe enim eſt, *ut motus voluntatis procedat à voluntate, & à Deo qui eſt voluntatis cauſa*: Sicut motus ignis ſurſùm, in eodem genere cauſæ procedit, & à levitate, & à generante quod talem formam cauſavit: Atquì dubitari non poteſt quin voluntas agat in genere phyſico, & voluntatis cauſalitas phyſica ſit non moralis: Ergo in eodem genere motio divina agere cenſenda eſt: alioquin enim parùm appoſitè à S. Thoma modus agendi divinæ motionis cum modo agendi voluntatis conferretur, niſi eſſent in eodem genere: quæ enim diverſi ſunt generis invicem conferri non poſſunt.

Confirmari poteſt hęc ratio argumento, ut vocant, ad hominem, contra Suarem præſertìm, qui 3.par. q.62.diſp.4.ſect.2. cùm de Sacramentis Novæ Legis à Chriſto inſtitutis ageret, rectè monuit, quòd cùm SS. Patres totiès dixerint, Sacramenta efficere, producere, vel cauſare gratiam; ea non niſi de vera, & propriè ſumpta cauſalitate explicanda ſint; de qua Sanctos Patres in re Dogmatica, & quæ propiùs ad Fidem accedit locutos eſſe ſentiendum eſt; quæ cauſalitas verè, & propriè dicta, ut rectè Suarez ſentit, non moralis, ſed phyſica eſt, qua ratione ipſe permotus exiſtimat, cauſalitatem non moralem, ſed phyſicam divinæ Legis Novæ Sacramentis tribuendam eſſe. Atquì ſi ea ratio obtineat ubi de Sacramentis agitur, non minùs obtinere debet de divina gratia, & motione quâ Deus voluntatem movet ad agendum; cùm ea verba, quæ Sacra Scriptura, & Sancti Patres uſurpant, ut divinæ motionis vim explicent, eadem planè ſint, ac ea, quæ Sacramentorum cauſalitatem ſignificant. Quinimò, & plura addunt, quæ multò majorem vim ſignificant. Neque enim ſolùm dicitur quòd Deus operetur in nobis velle, & perficere, quòd inclinet, quòd aperiat cor noſtrum, & quòd faciat, ut faciamus, ſed prætereà *facit ut faciamus, prębendo vires efficaciſſimas voluntati*, ut inquit S. Auguſtinus lib.de Grat.& Lib.Arbit.c.16.adeòq; efficaces, ut *indeclinabiliter, & inſuperabiliter* voluntas agatur, lib.de Corrept.& Grat.c.12.& ita agatur, ut ad divinam Omnipotentiam pertineat, quòd ita Deus moveat voluntatẽ. *Neq; enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſque creaturæ volũtatis Omnipotentis impeditur effectus.* Enchir. c. 91. quibus ſexcenta ejuſmodi addi poſſunt, quę niſi veriſſimè, & propriiſſimè dictam cauſalitatem ſignificent, non dubitabo aſſerere nullis unquam verbis poſſe ſignificari. Quæ enim unquàm uſurpari poſſunt, quæ à Scriptura, & Sanctis Patribus uſurpata non fuerint? Atq; ideò plurima à Sacra Scriptura uſurpata fuiſſe exiſtimo, quæ etiam majorem vim ſignificant, quàm admittere oporteat; ut nemo dubitet veram, & propriè dictam vim agendi divinæ motioni eſſe adſcribendam. Quid enim validiùs, & fortiùs dici poteſt quàm quod dicitur Iſa. 59. *Cùm venerit quaſi fluvius violentus quem ſpiritus Domini cogit.* Quę verba conjungit ſæpiùs S. Thomas cum aliis verbis Apoſtoli ad Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur*: ut enim inquit S. Auguſtinus lib. de Geſtis Pelagian. c.3. *Plus eſt procul dubiò agi quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & ideò regitur ut aliquid agat: quì autem agitur, agere aliquid vix intelligitur. Et tamẽ tantum præſtat voluntatibus noſtris virtus Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere; quotquot*

ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt : & eodem loco notat D. Thomas, quòd *ea dicuntur agi, quæ quodam ſuperiori inſtinctu moventur; unde de brutis dicimus, quòd non agunt, ſed aguntur, quia à natura moventur, & non ex proprio motu.*

Hæc dubio procul apertiſſimè, & ut omnes conſentiunt fortiorem, quàm par eſſet motionem divinam ſignificare videntur; & tamen ut cum S. Auguſtino loquar, Sacra Scriptura *non dubitat* ea dicere, ut ſaltem veram, & propriè dictam cauſalitatem, & vim agendi tribuere divinæ motioni dicamus. Et ſanè niſi in proprio, & germano ſenſu verba Scripturæ Sacræ explicarentur, vix Hæreticos vincere poſſet Eccleſia. Neque enim fortiori argumento Sacramentarios vincit, qui præſentiam realem in Euchariſtię Sacramento negant; niſi ea ratione, quòd ſine tropo, & figura, non metaphoricè, ſed in vero, & propriiſſimo ſenſu inſtitutionis Sacramenti verba explicanda ſint; quæ eo ſenſu explicata veriſſimè præſentiam realem Corporis Chriſti in ſancta Euchariſtia probant.

De Majori igitur nullum dubium eſſe poteſt divinæ motioni, & Deo voluntatem moventi tribuendam eſſe veram, & propriiſſimè dictam cauſalitatem, qualem Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum verba in proprio, & germano ſenſu explicata ſignificant. Quod enim reponi poſſet, id quidem verum eſſe, niſi inde aliud grave ſequeretur incommodum, ſcilicèt extinguendam fore libertatem, ſi ea cauſalitas propriè dicta, id eſt phyſica admitteretur. Id parùm appoſitè reponi videtur. Etenim quòd citrà cujuſque injuriam à me dictum intelligi velim, ſi ea exceptio valeat, nihil unquàm certi ſtatui poterit. Ita enim, & Sacramentarii reponunt, graviſſima incommoda indè oriri, quæ plurima ſibi fingunt, & Eccleſiæ objiciunt, ſi ea inſtitutionis Sacramenti verba in proprio, & non metaphorico ac figurativo ſenſu intelligantur. Neceſſe igitur eſt, apertiſſima eſſe ea incommoda, quale eſt illud quod ſupra retulimus, ſi nimirùm voluntas reipsà cogeretur: alioquin nullo pacto admittenda eſt ea exceptio.

Sed alterum indè colligi facilè poteſt, ſcilicèt parùm germanam eſſe libertatis notionem, quam alii extra Scholam D. Thomę effingunt. Commodiſſimè enim utrumque jungit S. Doctor, & efficaciam gratiæ, & libertatis indifferentiam. Atque indè, ut mihi quidem videtur, ad indagandam in hac graviſſima quæſtione veritatem, inchoandum eſſet: quòd ſcilicèt inprimis Scripturæ Sacræ verba in proprio, & germano ſenſu explicarentur, quæ vim divinæ motionis ſignificant, ac deinde efformanda eſſet creatæ libertatis notio, quæ cum ea divinæ motionis efficacia conjungi poſſet. Quòd ſi aliqua libertatis notio menti occurrat, quæ eam divinæ motionis efficaciam ferre non poſſit, qualis eſt ea notio libertatis pendulæ, in utramque partem æquè verſatilis, & quæ in omni ſenſu diſſentire motioni divinæ poſſit; ea certè ut minùs legitima omninò rejicienda eſt: quandoquidem ſimul cum ea motionis divinæ efficacia, qualem Scripturæ Sacræ verba in proprio, & germano ſenſu accepta explicant, conjungi non poteſt. Hæc de Majori.

Minor autem etiam probatur, quòd ſcilicèt cauſa perfecta ſit dumtaxàt cauſa agens per modum efficientis, ſeu quæ ſit cauſa etiam phyſica, non verò ſolùm moralis: & quod à nobis potiſſimùm hìc inquiri ſępiùs Lectorem monemus de mente S. Thomæ dubitari non poteſt. Diſtinguit enim duplicem cauſam; alteram quę ad producendum actum dumtaxàt diſponit, & *eſt cauſa ſolùm diſponens*: altera verò quæ reipsà actum efficit, & *eſt cauſa perficiens*: & prima quidem ſcilicèt diſponens reſpectu voluntatis ea eſt dumtaxàt, quæ vel præcepto, vel conſilio diſponit voluntatem, allicitque ut velit; & ea non poteſt non eſſe cauſa moralis, ut ſatìs apertum eſt. Altera verò ſcilicèt cauſa perficiens ea eſt, quæ jam poſitis iis diſpoſitionibus prævìis, conſilio, prȩcepto, monitis, aliiſque reipsà actum efficit, & ea non poteſt non eſſe vera cauſa phyſica. Et hęc, inquit D. Thomas, *& propriè, & verè cauſa dicitur.* Atque id etiam probat apertiſſima ratione: *quia*, inquit, *cauſa eſt ad quam ſequitur effectus; ad actionem autem perficientis*, (ſeu efficientis cauſæ) *ſtatìm effectus ſequitur; non autem ad actionem diſponentis, vel conſulentis, vel imperantis.* Neq; enim poſt conſilium, imperium, vel ſuaſionem ſtatìm, & infallibiliter ſequitur effectus, quia *ſuaſio* ex S. Auguſtino *non cogit invitum*; ideſt, non facit ex invito volentem: quòd tamen divina motio efficit, ut totiès inquit D. Auguſtinus. Ergo ex S. Thoma cauſa verè, & propriè dicta, eſt ſolùm cauſa perficiens, ſeu agens per modum efficientis; non verò ſolùm cauſa diſponens, ſeu moralis, quę agit ſolùm moraliter ſuaſione.

Confirmatur, quia licèt dici poſſet, interdùm ex motione morali, cùm ea vehementiſſima eſt, ac validè pulſat animum infallibiliter moraliter ſequi effectum; quo pacto interdùm Dęmon, ſi Deus permittat, cùm varias hominis diſpoſitiones affectuſque cognoſcat, vehementiſſimè inclinat hominem, & ad ſuam ipſius voluntatem, ut inquit Apoſtolus, pertrahit, *ut apparet*, inquit S. Thomas, *in his qui ſe manifeſtè Diabolo ſubdiderunt*, aut in his qui venditi ut facerent malum, interdum à Sacra Scriptura dicti ſunt: de quibus plurima dici poſſent; ſed ut ſolùm quæ habet hìc S. Thomas, referantur; *ut S. Auguſtinus dicit lib. 4. de Trinit. quòd Diabolus ſuæ ſocietati malignos ſpiritus inſpirat; & Beda dicit ſuper Actus Apoſtolorum, quòd animum in affectum malitiæ trahit; & Iſidorus dicit in lib. de Summo Bono, quòd Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus urit*: non negandum igitur quin Dęmon ſuperioris naturę, poſſit hominem, niſi Deus tentationis vim comprimat; adeò urgere tentatione, ut infallibiliter moraliter homo ipſi conſentiat; ideòq; neceſſe eſt ad vincendum graves tentationes hominem divina, & ſpeciali gratia adjuvari: & tamen quamvìs ex ea graviſſima, & comprimente tentatione, & ſuaſione infallibiliter moraliter actus

volun-

voluntatis conſequatur, attamen negat S. Thomas, quòd ex ea perſuaſione infallibiliter voluntatis conſenſus ſequatur. Unde præter ea, quæ jam retulimus, explicat, quæ ex Sanctis Patribus retulit, quòd *Dæmon inſpirat malignos ſpiritus, trahit in affectum malitiæ: &c. per modum perſuadentis: & quamvis inferius natum ſit moveri à ſuperiori, ſicut paſſivum ab activo per exterioremimmutationem, ut aër ab igne: exterior tamen immutatio non infert neceſſitatem voluntati, ut oſtenſum eſt. Unde Diabolus, quamvis ordine naturæ ſit ſupra animam, non tamen ex neceſſitate poteſt voluntatem ejus movere: & ſic non eſt propriè cauſa peccati: nam propriè cauſa dicitur ad quam ex neceſſitate ſequitur effectus.* Ergo cùm S. Thomas de motione divina loquens velit ex ea, ſervata conditione voluntatis, ex neceſſitate ſeu infallibiliter ſequi effectum, quod tamen negat de motione morali; evidentiſſimum eſt intelleXiſſe quòd ea vis divinæ motionis major ſit quam moralis, & quòd ea infallibilitas ſuperet infallibilitatem tentationis; atque adeò phyſica ſit, & infallibilitas, & neceſſitas; quamvis tamen ea ſolùm ſit conditionata, & conſequentiæ. Ut enim aliquando ex S. Thoma demonſtrabimus, nihil vetat quominùs ſumma infallibilitas orta ex divina voluntate, & divina motione, cum ſumma voluntatis creatæ libertate, & libertatis pleniſſima indifferentia conjungatur.

Confirmatur prætereà, quod potiſſimùm in hac difficultate quæritur, ſcilicèt, quòd ſola cauſa perficiens ſive efficiens vera cauſa ſit. Idque probat Sanctus Thomas comparatione productionis formarum. Ad productionem enim formæ, duplex cauſa concurrit; altera quæ diſponit ſolùm, & eſt cauſa diſponens; altera verò quæ reipſa formam introducit, & eſt forma perficiens: Atquì evidens eſt, quòd vera, & propriè dicta cauſa, in generatione formarum non ea eſt, quæ ſolùm diſponit, ſed ea quæ verè efficit: *cauſa enim perficiens*, inquit D. Thomas, *eſt ex cujus actione directè conſequitur forma*, non autem ea quæ ſolùm diſponit. Atque id etiam, inquit S. Doctor, intelligendum eſt de ipſa voluntate: ſic enim proſequitur. *Ita in actibus eliciendis cauſa perficiens eſt ex cujus actione agens directè inclinatur ad agendum.* Ergo ex S. Thoma cauſa verè & propriè dicta eſt ſola cauſa perficiens ſeu cauſa phyſica, & in genere cauſæ efficientis agens. Atque ex his probata jam Majori, & Minori apertiſſimè concluditur, quòd cùm divinæ motioni, ſeu moventi Deo tribuenda ſit vera, & propriè dicta cauſalitas, atque ea ſit ſola cauſalitas cauſæ phyſicæ, ſeu cauſæ perficientis, non autem moralis, ſeu diſponentis tantùm conſilio, vel imperio, vel ſuaſione; etiam divinæ motioni non moralis ſolùm, ſed phyſica cauſalitas tribuenda ſit. Et ſanè parùm conſentaneè, & pro Dignitate, & Majeſtate cauſæ primæ ſola cauſalitas moralis Deo adſcribi videtur: Id enim eſt velle ſolùm à Deo voluntatem noſtram conſilio, præcepto, objectique propoſitione diſponi, ut velit, non autem ab ipſo Deo effici, ut voluntas velit. Et cui dubium eſſe poteſt, dignitatem primæquæ cauſæ Majeſtatem poſtulare, ut cùm Deus voluntatem ad virtutum exercitia pietatiſque opera movere, & inclinare in Scriptura Sacra dicitur, non ſolùm voluntatem ad eos actus eliciendos diſponat, ſed etiam reipſa voluntatem inclinet; ideſt ita ſe gerat, ut nedùm ſit cauſa diſponens, ſed etiam ſit cauſa perficiens, quæ alia eſſe non poteſt præter cauſam phyſicam, & voluntatis actus verè effectricem.

ARTICULUS IV.

Impugnatur iterùm ex S. Thoma ea ſolutio, quæ motionem moralem loco motionis phyſicæ ſupponit.

MAximam cùm ſuperiùs dictis, quæ hìc dicenda ſunt connexionem habent, cùm ex jiſdem principiis dependeant, varia ſcilicèt conditione utriuſque motionis, & phyſicæ, & moralis, ac varia etiam conditione voluntatis; quæ cùm nedùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte potentiæ, indeterminationem habeat, etiam ex utroque capite divina motione, & determinatione eget. Felix enim S. Thomæ ingenium nihil intactum reliquit; & ut ſeſe occaſio offerebat, ea omnia diſcrimina utriuſque motionis, & phyſicæ, & moralis recenſuit.

Probatur itaque iterùm ex D. Thoma, non ſatìs eſſe motionem moralem ad movendam voluntatem, ſed prætereà etiam phyſicam motionem jungendam eſſe. Etenim duplex eſt voluntatis capacitas aut indeterminatio; altera ex parte objecti, altera ex parte ſubjecti: Ergo etiam duplici determinatione aut motione divina indiget creata voluntas; altera ſcilicèt, quæ ſolvat indifferentiam ex parte objecti, & hæc motio non poteſt non eſſe moralis; altera verò, quæ ſolvat indifferentiam ex parte potentiæ, & hæc non poteſt non eſſe diverſæ rationis: atque adeò neceſſe eſt, quòd ſit phyſica. Neceſſe enim eſt, inquit S. Thomas, quòd in quantùm aliquid eſt in potentia, in tantùm etiam reducatur in actum, quia niſi in actum reduceretur, ſemper potentia remaneret otioſa, & iners. At verò ſatis liquet, creatam voluntatem eſſe dupliciter in potentia: eſt enim inprimis in potentia ad plura ex parte objecti, ſicut potentia viſiva poteſt in varios colores ferri: ſed prætereà eſt etiam in potentia ex parte ipſius ſubjecti, quod quandoque agit, quandoque non agit: Ergo ad reducendam in actum hanc utramque potentiam, neceſſe eſt, quòd voluntas utroque modo moveatur: primò

ſcili-

ſcilicet ex parte objecti, ſeu repræſentatione alicujus objecti, quòd voluntatem alliciat, & actui ſpeciem tribuat, quamque motionem nemo, ut puto, negabit eſſe moralem: ac ſecundò moveatur ex parte ſubjecti, ſeu determinetur ad exercitium, & uſum ſui actus: quæ motio quocumque nomine ſignificetur, non poteſt non eſſe diverſæ rationis: unde non eſt moralis, ſed neceſſe eſt quòd ſit verè efficiens, eamque nos phyſicam non immeritò nuncupamus.

Sed nullis meliùs quàm ſuis ipſius verbis explicari poteſt S. Thomas. Sic igitur habet 1. 2. qu. 9. art. 1. Utrùm voluntas moveatur ab intellectu? *Reſpondeo: dicendum, quòd in tantùm aliquid indiget moveri ab aliquo in quantùm eſt in potentia ad plura. Oportet enim ut id quod eſt in potentia reducatur in actum per aliquid quod eſt actu; & hoc eſt movere. Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur eſſe in potentia ad diverſa, uno modo quantùm ad agere, vel non agere; alio modo quantùm ad agere hoc vel illud: Sicut viſus quandoque videt actu, & quandoque non videt; & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente quantùm ad duo, ſcilicèt quantùm ad exercitium, vel uſum actus, & quantùm ad determinationem actus; quorum primum eſt ex parte ſubjecti, quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens. Aliud autem eſt ex parte objecti, ſecundùm quod ſpecificatur actus: motio autem ipſius ſubjecti eſt ex agente aliquo.*

Hæc Sanctus Thomas: quibus manifeſtiſſimum eſt, præter divinam motionem moralem, quæ eſt ex parte objecti, alteram nedùm majorem, ſed & diverſæ rationis à D. Thoma requiri; quæ alia eſſe non poteſt præter motionem phyſicam. Et quidem non immeritò obſervari hic poteſt quod inquit S. Doctor, quòd ſcilicèt *oportet ut id quod eſt in potentia reducatur in actum per aliquid quod eſt actu, & hoc eſt movere.* Inde enim facilè colligi poteſt, quod toties obſervavimus, ipſo motionis nomine prioritatem aliquam ſignificari; quia quod movet aliquod agens, ipſum reducit de potentia in actum: hoc enim eſt, inquit S. Thomas, movere. Atquì impoſſibile eſt, quoties unum agens alterum movet, ac reducit ex potentia in actum, hujus motionem non eſſe priorem cauſalitate, ordine, & ratione; ſiquidem potentiam conjungit cum actu. Unde quamvìs non aliud dixiſſet S. Doctor, niſi quòd cauſa prima movet ſecundam, dubitari non poteſt quin intellexerit, cauſam primam movere ſecundam priùs quàm agat, ſeu motione prævia: cùm omninò impoſſibile ſit, ut expreſſiùs alibi docuit idem S. Thomas, quin *motio moventis præcedat motum mobilis ratione, & cauſa* 3. contra gen. cap. 149. Siquidem agens reducit in actum mobile quod eſt in potentia: hoc enim eſt movere, nec alio unquàm ſenſu ab ullo unquàm Philoſopho intellectum eſt. Unde fit nullo planè modo advocari huc poſſe concurſum ſimultaneum ad ea explicanda, quæ toties de divina motione aſſeruit S. Thomas: Et priùs evertendas fore Philoſophiæ omnes regulas, quàm ut hæc intelligi poſſint de eo concurſu ſimultaneo, qui priùs natura ſupponit potentiam ab agente in actum fuiſſe reductam.

Sed ut ſuperiora proſequamur, cùm *ſecundùm ordinem potentiarum*, ut inquit ſæpiùs D. Thomas, *neceſſe ſit eſſe ordinem moventium*; & cùm diverſiſſimæ ſint potentiæ, aut potentialitates ejuſdem potentiæ, ſeu duplex illa indeterminatio voluntatis ex parte objecti, & ex parte ſubjecti, & principii, ut apertiſſimè conſtat exemplo quod affert S. Thomas potentiæ viſivæ quæ quandoque videt album, & nigrum, quæ eſt potentia ad contraria, & quandoque videt, quandoque non videt, quæ eſt potentia ad contradictoria: quæ duplex potentia aut indeterminatio cùm non poſsit non eſſe diverſiſsimæ rationis; etiam neceſſe eſt ut diverſæ rationis ſit motio. Unde ſicut repugnat, quòd agens, quod agit ſolùm motione phyſica, moveat unquàm moraliter ſeu ex parte objecti, & extrinſecè voluntatem; neceſſe enim eſt, motum recipi in ipſo mobili quod à quiete ad actum tranſit: ita planè repugnat quòd agens quod agit ſolùm motione morali, ſiſtendo intra illud genus motionis moralis, voluntatem moveat motione phyſica, & intra ipſam voluntatem, ſeu ex parte ſubjecti. Sicut etiam ut dictum eſt ſupra ex S. Thoma, repugnat quòd motio dumtaxàt diſponens in formarum productione, ſit etiam perficiens; aut ècontrà perficiens ſit ſolùm diſponens: variæ enim actiones ſunt, aut mutationes, alteratio, & generatio, & varia eſt utriuſque conditio: Ergo præter motionem moralem quæ voluntatem creatam movet ex parte objecti, neceſſe eſt admitti alteram, quæ moveat ex parte potentiæ, quæ alia intelligi non poteſt præter motionem phyſicam.

Confirmatur iterùm ratione ex S. Thoma deſumpta; nimirùm ex eo quòd longè ſit diverſæ rationis, ac diverſi etiam generis ea motio qua Angelus alterius Angeli voluntatem movere poteſt, ab ea motione, qua & hominum, & Angelorum voluntates Deus movet: Atquì Angelus alterius Angeli vel hominis voluntatem movere poteſt motione morali, ex parte objecti, ac per modum perſuadentis: Ergo neceſſe eſt quòd diverſæ rationis ſit motio qua Deus Angeli vel hominis voluntatem movet, ſitque phyſica motio. Integer diſcurſus eſt S. Thomæ 1. par. quæſt. 106. art. 2. quo inquirit *Utrùm Angelus moveat voluntatem alterius?* ubi duplicem diverſam, & diverſi generis motionem diſtinguit; alteram ex parte objecti, quæ fit illuminatione, & repræſentatione objecti, & veritatis manifeſtatione, & quæ moralis eſt motio, ut nemo diſſentit: alteram verò ex parte potentiæ, qua voluntas ipſa movetur, & interiùs inclinatur, quæ motio cùm nedùm efficacior, ſed & intimior ſit, non poteſt ſolùm eſſe moralis, ſed neceſſe eſt eſſe alterius rationis, cùm etiam ſit

alteri

alteri oppoſita, ea lege eoque ſenſu quo unius diviſionis membra inter ſe opponuntur: at verò motio oppoſita motioni morali alia intelligi non poteſt præter motionem phyſicam, quęque ſit per modum cauſæ efficientis. Unde conſtituta priùs hac diſtinctione concedit equidem S.Thomas, poſſe ſuperiorẽ Angelum inferioris voluntatem movere primo motionis genere, ſcilicèt ex parte objecti, ſeu motione morali: negat verò poſſe Angelum quantumvìs ſuperiorem movere inferiorem altera motione ex parte potentiæ, & diverſa à motione morali. Sed hoc contendit S. Doctor, eximium Deo omninò eſſe ut primæ cauſæ, quòd eo genere motionis phyſicæ moveat voluntatem. Sed audiendus eſt ipſemet S. Thomas à quo hæc omnia clariùs explicantur, his verbis.

Reſpondeo: Dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, voluntas immutatur dupliciter; uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte ipſius potentiæ. Ex parte quidem objecti movet voluntatem, & ipſum bonum quod eſt voluntatis objectum; ſicut appetibile movet appetitum; & ille qui demonſtrat objectum, putà qui demonſtrat aliquid eſſe bonum. Sed ſicut ſupra dictum eſt, alia quidem bona aliqualiter inclinant voluntatem, ſed nihil ſufficienter movet voluntatem niſi bonum univerſale quod eſt Deus. Et hoc bonum ſolus ipſe oſtendit ut per eſſentiam videatur à Beatis, qui dicenti Moyſi, oſtende mihi gloriam tuam, Reſpondit, ego oſtendam tibi omne bonum, ut habetur Exod. 33. Angelus ergo non ſufficienter movet voluntatem, neque ut objectum, neque ut oſtendens objectum; ſed inclinat eam ut amabile quoddam, & ut manifeſtans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem, & per hoc inclinare poteſt ad amorem creaturæ vel Dei per modum ſuadentis. Ex parte verò ipſius potentiæ, voluntas nullo modo poteſt moveri niſi à Deo. Operatio enim voluntatis eſt inclinatio quædam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit; ſicut, & naturalem inclinationem ſolùm illud agens poteſt mutare quod poteſt dare virtutem quam conſequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus eſt qui potentiam volendi tribuit creaturæ; quia ipſe ſolus Deus eſt author intellectualis naturæ. Unde Angelus voluntatem alterius movere non poteſt.

Hæc S. Thomas, quibus inprimìs de ipſius mente dubitari poſſe non arbitror. Quænam etenim ea motio eſſe poteſt *per modum ſuadentis*, quâ Angelus alium movere poteſt, niſi motio moralis? Quænam verò alia eſſe poteſt motio à motione morali diverſa, quæ vires Angeli ſuperat, quæque primi ac ſupremi agentis virtutem omnem ſeu omnipotentiam exigit, quæ naturam creatam mutare poteſt, adeò ut non minoris potentiæ ſit inclinationem immutare quàm ipſam volendi virtutem conferre: quænam inquam ea motio eſſe poteſt, quæ tam ingenti diſcrimine à morali remota eſt, præter phyſicam motionem? Ergo authore, & judice Divo Thoma, negari non poteſt, quin præter motionem moralem, etiam phyſica concedenda ſit.

Confirmatur iterùm eadem ratio, quam paulò aliter verſat D. Thomas 1. p. qu. 111. art. 2. *Utrùm Angeli poſſint immutare voluntatem hominis?* Siquidem non poteſt non eſſe diverſæ rationis ea motio quâ Angelus hominis voluntatem movet, ab ea motione quâ hominis voluntatem Deus movet: Atquì prima ſolùm moralis eſt: Ergo neceſſe eſt quòd altera phyſica ſit. Major, & Minor ſimul probantur: quia motio quâ Angelus voluntatem hominis movet, exterior ſolùm eſt, per bonum quod voluntati repræſentat: at verò motio quâ Deus ipſe voluntatem hominis movet interior eſt, & intrà ipſam voluntatem quam immutat: & hæc nulli creaturæ convenire poteſt; quia intrà voluntatem agere, aut ejus inclinationem mutare & transferre, convenire ſolùm poteſt primæ cauſæ, ſcilicèt Deo qui ipſam inclinationem voluntati contulit: Atquì ea motio exterior, & per bonum apprehenſum, non poteſt non eſſe moralis; nec poteſt non eſſe diverſæ rationis ab ea motione quâ Deus intrà ipſius voluntatis ſinum operatur, ejuſque inclinationem transfert. Ergo &c. Sed iterùm audiendus S. Thomas loco jam ſupra citato, ubi ita habet.

Dicendum, quòd voluntas poteſt immutari dupliciter, uno modo ab interiori; & ſic cùm motus voluntatis non ſit aliud quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, ſolius Dei eſt ſic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non eſt niſi à Deo qui dat naturam: ita inclinatio voluntaria non eſt niſi à Deo qui cauſat voluntatem. Alio modo movetur voluntas ab exteriori; & hoc in Angelo eſt quidẽ uno modò tantùm, ſcilicèt à bono apprehenſo per intellectum. Unde ſecundùm quòd aliquis eſt cauſa quòd aliquid apprehendatur ut bonum ſecundùm hoc movet voluntatem ad appetendum. Et ſic ſolus Deus efficaciter poteſt movere voluntatem: Angelus autem, & homo per modum ſuadentis.

Hæc ibi S. Thomas: ex quibus manifeſtum eſt, ſemper exiſtimatum ab ipſo fuiſſe, nedùm motionem quâ Deus voluntatem movet, quomodocumque eſſe majorem, & efficaciorem intrà idem movendi genus; quis enim dubitet efficaciùs à Deo, quàm ab Angelo moveri, & immutari poſſe voluntatem; neque ſanè illud erat quod ut in dubium à Sancto Thoma revocaretur merebatur: aliud ergo docere nos voluit, ſcilicèt non ſolùm motionem quâ Deus voluntatem movet longè velutì quoad gradus intenſionis eſſe efficaciorem, quàm ſit motio Angeli; ſed etiam longè alterius eſſe rationis. Et ſanè quòd ad S.Thomam attinet, nulla fingi interpretatio aut explicatio poteſt, quæ vel minimam de ejus mente dubitationem ingerat. Quòd autem ad rem ipſam ſpectat, parùm dignitati primæ cauſę conſulere, eamque defendere videretur, ſi ejuſdem omninò rationis, & generis motio Angelo, & Deo tribueretur. Et verò ſi ita eſſet, quòd attinet ad animarum regimen, & quantùm ad ſolam

in-

infallibilitatem actuum quibus exercere virtutes possent, ac tentationes vincere; (de sola enim motione, & vi motionis agimus, non de vario ordine in quo esse potest;) satis esset voluntatem ab Angelo moveri; cùm juxta Adversariorum principia, non alia quàm motione morali Deus voluntatem hominis moveat; & Angelus satis virium habeat, cùm sit superioris naturæ, ut eam motionem moralem augeat quantùm necesse est ut infallibiliter voluntas moveatur, si altera, & diversæ rationis motio adhiberi non debeat.

Confirmatur tertiò: cùm enim hęc gravissimi momenti quæstio sit, in qua indaganda nobis est S. Thomæ sententia, quam parùm nobis favere aliqui arbitrantur, & nobis objiciunt; non ęgrè feret, ut arbitror, eruditus, & benevolus Lector, si plura ex eodem S. Doctore referantur, in quibus omnibus summam semper ejusdem principiorum consensionem observare facilè poterit, & in quibus semper à fœcundissimo ingenio aliquid novum, & eximium additum fuisse reperiet. Et sanè singularissimus existimandus est hic locus, qu. 22. de Verit. art. 9. cùm ibi doceat expressè ac in terminis D. Thomas, voluntatem à Deo immutari *per modum causæ efficientis*; quæ quidem motio per modum causæ efficientis non potest non esse motio physica: quæ enim alia fingi potest? Et verò nihil aliud hactenùs intellexit S. Thomæ Schola, & id nobis Adversarii ultrò concedant, à Deo voluntatem priùs natura quàm agat per modum efficientis causæ moveri, nulla erit inter nos de nomine cõtentio, & assentiar ipse ut non alio quàm effectricis motionis nomine, & per modũ efficientis causę agentis unquàm ab alio nostrum nuncupetur. Hunc verò titulũ S. Thomas Articulo inscripsit. *Nũ aliqua creatura possit immutare voluntatem vel imprimere in ipsam.* Et vide in primis, utrùm hæc opportunè cadant in motionem moralem quæ solum objectum voluntati repręsentat quo alliciatur; vel in cõcursum simultaneum, qui nihil voluntati imprimit, sed est ipsemet voluntatis creatæ actus, ut immediatè dependet à Deo. Vide loca quæ supra retulimus, in quibus S. Thomas Deum imprimere in animam, in eamque influere totiès repetit. Ita verò quæstionem resolvit S. Doctor: & licèt quędam prætermitti potuissent ex hoc Articulo sine causæ dispendio, integrum tamen referimus, ut certius de eo judicium eruditus Lector ferat.

Respondeo: Dicendum, quòd voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter: uno modo sicut ab objecto, sicut voluntas immutatur ab appetibili: & sic non quærimus hìc de immutante voluntatem, hoc enim supra ostensum est, quòd aliquod bonum de necessitate movet voluntatem per modum objecti, quamvìs voluntas non cogatur. Alio verò modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo PER MODUM CÂUSÆ EFFICIENTIS: & sic dicimus, quòd non solùm nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat; sed nec etiam potest directè agere in voluntatem, ut eam immutet necessariò vel qualitercumq; inclinet, quod Deus potest. Sed indirectè potest aliqualiter inclinare volũtatem aliqua creatura, non tamen necessariò immutare: cujus ratio est, quia cùm actus voluntatis sit quasi medius inter potentiam & objectum, immutatio actus voluntatis potest considerari vel ex parte ipsius voluntatis, vel ex parte objecti: ex parte quidem voluntatis mutare actum volũtatis non potest nisi quod operatur intrà voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quod secundùm Fidem solus Deus est. Unde solus Deus potest inclinationem voluntatis quam ei dedit, transferre de uno in aliud secundùm quòd vult. Sed secundùm illos, qui ponunt animam creatam ab intelligentiis, quod tamen Fidei contrarium est, ipse Angelus vel intelligentia habet effectum intrinsecum voluntati, in quãtùm causat esse quod est intrinsecum ipsi voluntati. Et secundùm hoc Avicenna dicit, quòd sicut corpora nostra immutantur à corporibus cælestibus ita voluntates nostrę immutantur à voluntate animarum cælestium, quod tamen est omninò falsum. Sed si consideretur actus voluntatis ex parte objecti, sic invenitur voluntatis duplex objectum: unum ad quod de necessitate naturalis inclinatio determinatur: & hoc quidem objectum est voluntati inditum, & propositum à Creatore, qui ei naturalem inclinationem dedit in illud. Unde nullus potest necessariò per tale objectum immutare voluntatem nisi solus Deus. Aliud verò est objectum volũtatis, quod quidem natum est inclinare voluntatem, in quantùm est in eo aliqua similitudo, vel ordo respectu ultimi finis naturaliter desiderati, non tamen ex hoc objecto voluntas de necessitate immutatur, ut priùs dictum est; quia non in eo singulariter invenitur ordo ad ultimum finem naturaliter desideratum: & mediante hoc objecto potest aliqua creatura inclinare aliquatenùs voluntatem, non tamen necessariò immutare. Sicut patet cùm aliquis persuadet alicui aliquid faciendum proponendo ei ejus utilitatem, & honestatem: tamen in potestate voluntatis est ut illud acceptet, eò quòd non est naturaliter determinata ad illud. Sic igitur patet quòd nulla creatura potest directè immutare voluntatem quasi agendo intra ipsam voluntatem: potest autem extrinsecùs aliquid proponendo voluntati eam aliqualiter inducere, non tamen immutare.

Hæc omnia S. Thomas, nec tantæ luci major unquàm lux addi posse videtur. Quorsùm enim hæc tam exacta distinctio motionis ex parte potentiæ? Quò tendit tam accurata conditionum utriusque hujus motionis enumeratio? Quid obtinere potest ea utriusque oppositio, nisi obtineat, alterius rationis, & generis esse motionem ex parte potentiæ, ab ea motione quæ est ex parte objecti? Sed cùm hìc animus sit paucis colligere rationes Divi Thomæ.

Addi hìc velim quod jam dixerat S. Thomas ead. q. 22. art. 8. Utrùm Deus voluntatem possit cogere? Ubi hęc habet S. Doctor: *Si Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis; tunc ferri sursùm, non erit ei violentum: & ita immutatio motus potest esse sine vio-*

violentia. Et per hunc modum intelligendum eſt quòd Deus voluntatem immutat ſine eo quòd volũtatem cogat. Poteſt autem Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur ſicut in natura. Unde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo; ita omnis actio voluntatis in quantùm eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate ut immediato agente, ſed à Deo ut à primo agente qui vehementiùs imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ut ex dictis patet, ita & multò ampliùs Deus.

Adde etiam, & illud quod habet qu. 3. de potent. art. 7. *Quòd ſi conſideremus virtutem qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in libro de cauſis, quòd virtus cauſæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum.*

Denique, & adde id quod habet ibidem ad 7. quòd *id quod à Deo fit in re naturali* (& voluntate) *quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.*

Igitùr his omnibus ita poſitis: Probatur iterùm præter motionem moralem quam nemo negat, majorem alteram, & diverſæ omninò rationis ideſt phyſicam admiſſam fuiſſe à S. Thoma, & reverà admitti debere. Etenim juxtà S. Thomæ doctrinam, & ſi Sanctus Doctor in hac cauſa judex audiatur, neceſſe eſt admitti motionem cui hæ omnes conditiones conveniant. *Primò*: ut ſit motio quæ non ſolùm *ſit cauſa diſponens, ſed etiam cauſa reipſâ perficiens. Secundò*: quòd ſit motio quâ immutetur voluntas *per modum cauſæ efficientis. Tertiò*: ſit motio quæ *directè immutet*, & inclinet voluntatem. *Quartò*: & quidem inclinet, & *immutet neceſſariò* neceſſitate de qua aliàs fusè agemus, quæ eſt infallibilitatis, non moralis ſolùm, ſed etiam phyſicæ quæ ſit tamen non conſequentis ut vocant, ſed conſequentiæ, & quæ ex efficacia divinæ voluntatis, ac præviæ motionis divinæ oritur. *Quintò*: quòd ſit motio non ſolùm ex parte objecti, ſed etiam *ex parte ipſius potentiæ. Sextò*: ſit motio non extrinſeca ſolùm, ſed interior *& intra ipſam voluntatem. Septimò*: ſit motio quâ nulla altera quantùmcumque ſuperior creatura etiam ſupremus Angelus voluntatem movere poſſit. *Octavò*: ſit motio quæ voluntatis inclinationem *ab uno in aliud transferre poſſit*; ſicut Deus gravitatem à lapide auferre poteſt, ipſique levitatem conferre. *Nonò*: quòd ſit motio quæ non inferiorem vim exigat illi quæ *dedit virtutem volendi Creaturæ. Decimò*: ſit motio quâ Deus in voluntate *operetur, ſicut operatur in natura. Undecimò*: ſit motio quâ Deus *imprimat* non ſolùm in ipſius voluntatis actum, ſed etiam *in ipſam voluntatem* in ipſamque influat. *Duodecimò*: ſit iterùm motio quæ ſit virtus ſuperaddita ipſi voluntati, ſitque *intentio ſola, ſicut motus eſt in inſtrumento artificis. Decimo-tertiò*: ſit motio quæ nedùm in voluntatem imprimat, ſed *vehementiùs* etiam quàm ipſa voluntas imprimat, dum *ipſam cum actu conjungit. Decimò-quartò*: unde etiam ſit motio quæ ita voluntatem moveat, ut eam *reducat de potentia in actum*, ideoque etiam ſit prior in ratione moventis quàm voluntas in ratione mobilis. *Decimo-quintò*: tandem ſit motio quæ voluntatem in eodem genere applicet, & immutet, quo ſeipſam voluntas immutat dum agit, & de qua dici poſſit, quòd *ſicut ipſa poteſt immutare actum ſuum, ita & multò ampliùs eam Deus immutare poteſt.*

Atquì ea motio cui enumeratæ omnes conditiones conveniunt, non poteſt eſſe moralis, ſed neceſſe eſt eſſe phyſicam. Ergo ex Sancto Thoma præter motionem moralem neceſſe eſt concedi phyſicam.

De Majori nulla difficultas eſſe poteſt: eſt enim hìc quæſtio facti, ubi de ſola S. Thomæ ſententia agitur; & quæ compendio ſolùm in Majori propoſitione conſtrinximus, fuſiùs retulimus ſuprà, nec alia probatione quam ſola ſuperiùs dictorum lectione opus eſt. Nec verò Minor etiam propoſitio minùs evidens eſt; apertiſſimam enim eam efficit comparatio alterius motionis quæ in omnium ſententia moralis eſt. Ea enim diſponit ſolùm voluntatem conſilio vel ſuaſione, ſed ipſius actum non efficit. Unde nulla ratione intelligi unquàm poteſt eſſe per modum efficientis cauſæ. Eſt etiam ſolùm ex parte objecti non potentiæ: unde eſt ſolùm extrinſeca, non verò intra ipſam voluntatem; ideoque nec ſuperat vim Angeli, ut non diſſentiunt adverſæ ſententiæ authores, qui divinam motionem cum illuminatione Angeli, imò & cum tentatione Dæmonis interdùm conferunt; quòd exiſtiment eſſe ejuſdem modi, & generis. Iterùm motio moralis nihil intra ipſam voluntatem imprimit, nihil influit, nullas vires ſuperaddit, neque eſſe poteſt in eodem genere in quo ipſa voluntas agit. Nec demùm dici poteſt, quòd ſi voluntas poſſit immutare actum ſuum, poteſt & multò ampliùs Deus actum ipſius immutare: cùm ècontrà ſententiæ adverſæ Theologi contendant, nobiſque objiciant, Deum, etſi integra pleniſſimaque ſua Omnipotentia agere vellet, aut agat, non tamen poſſe illæſa libertate voluntatis, eam phyſicè, ideſt in eodem genere in quo ipſa agit, movere; ſed voluntatem ita liberam eſſe, & primum ſui actus principium liberum, ut nullum aliud ſuperiùs movens pati poſſit, aut velit; & ut ſic dixerim, in ea lucta, quâ Deus vellet rebellem ſibi ſubjicere hominis voluntatem, niſi dumtaxàt ipſi blandiatur, & ſi velit manum admovere, & voluntatem phyſicè contingere, & movere, malit ipſa voluntas frangi quàm ſubjici.

Ergo tandem cùm motionis moralis etiam conſentientibus omnibus, conditiones diverſiſſimæ ſint ab his quas Divus Thomas requirit in ea motione quam neceſſariam eſſe exiſtimat; ac expreſsè eas conditiones motionis moralis ipſe recenſeat, eaſque rejiciat ab ea motione quam admittendam eſſe cenſet: evidentiſſimum conſequenter eſt, alteram à motione morali motio-

nem ab ipso S. Thoma admissam fuisse : quæ sanè altera motio nedùm quomodocumque major , sed etiam diversæ rationis intelligi nulla ratione potest nisi sit physica. Et sanè nisi præfata hęc comparatio utriusque motionis vim demonstrationis habeat, ausim omninò affirmare quòd nulla demonstratio unquàm esse potest, ubi de D. Thomæ mente, & sententia agitur, quam explicare in me suscepisse jam sępiùs monui.

QUÆSTIO VIII.

Argumenta quibus motio prævia, & physica impugnatur, objicit sibi Sanctus Thomas, eaque diluit.

HACTENUS argumentum quod suprà à nobis propositum est, fusè satis prosequuti sumus, quo probaretur, D. Thomæ Discipulos nunquàm ab hujus sententia in hac quæstione gravissima de concursu Dei cum causis secundis, nec quantum latus unguis est, recessisse: quòd nimirùm nullam veri similitudinem habeat, & planè repugnet, D. Thomæ Discipulos quidquam in ea disputatione immutasse, si eædem assertiones, eadem principia, eadem argumenta, eadem exempla quibus eas assertiones stabiliant, muniant, explicent, omnibus communia sint. Quî enim fieri possit, eandem omnes calcare viam, easdem esse assertiones; iisdem principiis stabilitas, iisdem argumentis munitas, iisdem exemplis explicatas, & tamen in diversam sententiam abiisse.

Sed jam alterum non absimile argumentum hìc prosequendum est, quod etiam superiora egregiè confirmabit: scilicèt non posse non esse eandem prorsùs, & Discipulorum, & Magistri sententiam, si eadem argumenta quæ sibi objecerat D. Thomas tanquàm suæ sententiæ adversa, eadem omninò objiciant D. Thomæ Discipulis, qui motiones prævias negant: & Divi Thomæ Discipuli iisdem solutionibus ea argumenta excipiant, quibus à S. Thoma excepta fuerant.

Sed unum hìc ab Erudito Lectore obtinere velim, quod etiam nec rogatus efficere debeat, si depositis affectibus, & præjudiciis, veram Divi Thomæ sententiam ac mentem in hac de prævia motione controversia noscere aveat. Non est dubium, quin ex jis argumentis quibus motiones præviæ impetuntur, plurima in eos à quibus objiciuntur retorqueri possint, & soleant, cùm plurima Divinæ voluntatis efficaciam, divinæ prædestinationis,& providentiæ certitudinem impetant: de quibus nedùm à Theologis, sed nec à Catholicis quidem dubitare licet, ne vera Religionis fides & nutet, & pereat.

Ut igitur de certa Divi Thomæ sententia ac mente constare possit, cùm primùm ea argumenta leguntur, perpendendum animo est, qua ratione ea argumenta excipiant qui prævias motiones negant. Ac deinde lecta S. Thomæ Responsione objecto argumento subjuncta, iterùm inspiciendum animo, num vel minimum apud S. Thomam vestigium reperiatur earum solutionum, quibus à Recentioribus eadem argumenta excipiuntur. Ea comparatione facilè intelligi poterit quæ vera sit D. Thomę sententia, quive hujus mentem assequti fuerint: an qui in Bannem motiones previas, ut in primum authorem referunt: an qui Divum Thomam, & Banneſii, & aliorum Magistrum primum motionum assertorem agnoscunt.

ARTICULUS I.

Objicit sibi S. Thomas, lædendam fore libertatem si Deus voluntatem moveret: illudque argumentum diluit.

ANimadverterat D. Thomas, plures esse suæ ętate Theologos, vel antiquiores fuisse, quibus satìs compertum non fuerat, qua ratione Deus efficeret voluntatis actus, nec tamen libertatem lęderet. *Quidam*, inquit lib. 3. cont. gent. cap. 89. *non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates* Scripturę *male exponere; ut scilicèt dicerent quòd Deus causat in nobis velle & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi, non autem sic quòd faciat nos velle hoc vel illud.* De quo videndus etiam in 2. dist. 29. qu. 1. de statu innocentię art. 1. ad 2.

Hęc eadem esse videtur eorum sententia, qui prępmotiones negant, & qui ut suprà retulimus, non aliud exigunt præter solam voluntatis facultatem, objectumque propositum. Verùm postquàm eodem capite, aliisque pluribus

in

in locis quorum aliquam partem ſuprà collegimus, probatum eſt à S. Thoma, Deum voluntatem movere: nec adeò fragilem libertatem eſſe, ut nec ipſum Divinæ manus contactum, ut vocat idem D. Thomas, ferre poſſit, niſi frangatur: objicit ſibi eadem omninò argumenta quę etiam Recentiores objiciunt, ex ea quam timent ruina libertatis.

Objiciunt itaque: voluntas inquiunt, ut libera, eſt Domina ſui actus, ſuique juris, quod jus in eo maximè poſitum eſt, ut ſeipſam voluntas pro libito determinet, & in quam voluerit partem flectat: Atquì, ſi prævia motione voluntas moveatur ac determinetur, repugnat ſeipſam pro libito determinare, & flectere: Ergo ſi admittatur ea motio prævia, nulla ſupererit voluntati vera & germana libertas. Verùm hoc ipſum argumentum objecit ſibi ſæpiùs D. Thomas: & in primis videnda ſunt quæ habet quæſt. 3. de Potentia quæ ſuprà retulimus quæſt. 3. artic. 12. ubi in terminis idem ſibi objicit, quòd *voluntas eſt domina ſui actus*. Sed iis prætermiſſis, idem argumentum objicit ſibi D. Thomas 1. *par. qu.* 83. *art.* 1. & ne quid prætermittat, illud unicum argumentum in omnem partem verſat, & hoc pacto in tria veluti diverſa argumenta diſtinguit, quæ tamen paululùm immutato ordine ita refero.

Objicit itaque ſibi numero tertio. *Liberum eſt quòd ſui cauſa eſt, ut dicitur in* 1. *metaphyſ. quod ergo movetur ab alio, non eſt liberum: ſed Deus movet voluntatem; dicitur enim Proverb.* 21. *cor regis in manu Dei eſt, & quocumque voluerit vertet illud, & Philipp.* 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere: Ergo homo non eſt liberi arbitrii.*

Objicit ſibi prætereà numero quarto. *Quicumque eſt liberi arbitrii, eſt Dominus ſuorum actuum: ſed homo non eſt Dominus ſuorum actuum, quia ut dicitur Jerem.* 12. *non eſt in homine via ejus, ut dirigat greſſus ſuos: Ergo homo non eſt liberi arbitrii.*

Objicit ſibi demum numero ſecundo. *Quicumque eſt liberi arbitrii, ejus eſt velle, & non velle, operari & non operari: ſed hoc non eſt hominis, dicitur enim ad Rom.* 9. *non eſt volentis* (ſcilicèt velle) *neque currentis* (ſcilicèt currere) *Ergo homo non eſt liberi arbitrii.*

Quid verò his argumentis Reſpondet Sanctus Thomas? quod nimirùm Reſpondere ſolent hujus Diſcipuli, quod ex ſolutionibus à D. Thoma datis, & ſtatim referendis exploratiſſimum erit. Sed cùm ab omnibus neceſſe ſit ea Scripturę Sacrę loca, quæ in ſpeciem libertati adverſari videntur, aliquo ſenſu explicari qui libertatem conciliet cum Divina motione, quam fateri neceſſe eſt, quocumque tandem modo hæc loca intelligantur ſcil. Deum, *operari in nobis velle, & perficere, & cor regis*, & voluntatem omnium inter mortales liberrimam, *eſſe in manu Dei*, à quo in quamcumque voluerit partem *vertitur*, & flectitur: animadvertendum eſt quâ ratione ea argumenta, qui motiones prævias negent excipiant: nimirùm confugiunt, vel ad motionem moralem quæ nihil voluntati imprimit, ſed eam allicit ſolùm; vel ad motionem concomitantem, & ad concurſum ſimultaneum quo Deus cum homine volente, & currente concurrit. Sed ſi D. Thomas, è parte eorum ſtetit qui prævias motiones negant, cur eam duplicem ſolutionem adeò obviam, & facilem iis argumentis diluendis, & ut Recentiores arbitrantur omninò neceſſariam, non adhibuit? Longè enim aliter ea omnia explicat Divus Thomas.

Ad primum igitur Argumentum Reſpondet numero tertiò. *Dicendum, quòd liberum arbitriū eſt cauſa ſui motus; quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum: non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc quòd aliquid ſit cauſa alteriùs, requiritur quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis movendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias nō aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem.* Vide quâ ratione à D. Thoma dictum ſit, liberum eſſe quod eſt cauſa ſui, cauſa ſcilicèt non prima, ſed ſecunda, & à prima dependens: neque enim minùs primæ cauſæ quàm ſecundæ jura ſervanda ſunt, neque ita voluntatis creatæ in ſeipſam ſuoſque omnes motus actuſque jura ſervanda ſunt, ut primę cauſæ jura evertantur, cujus eſt in omnes inferiores cauſas ſibique ſubjectas Dominium exercere; cum facilè ſupremum Principis dominium ſimul cum inferiori civis dominio conciliari poſſit. At verò egregiè utriuſque cauſæ, & primę, & ſecundę jura D. Thomas conciliat, cùm inquit, voluntatem eſſe quidem, & ſui juris, & ſui actus cauſam, ſecundam tamen, non primam: & quod ſummè obſervandum eſt, eo unico verbo adverſam ſententiam omnem evertit, non pertinet ad libertatem quòd etiam dum agit ſit prima cauſa ſui, primumque liberum.

Atque eandem ſolutionem ubique alibi repetit S. Thomas, ut 1. 2. quæſt. 6. artic. 1. Ubi ſibi objicit. *Qui voluntariè agit, per ſe agere poteſt: ſed hoc homini non convenit; dicitur enim Joan.* 15. *ſine me nihil poteſtis facere. Ergo voluntariū in humanis actibus non invenitur.* Reſpondet verò quòd *Deus movet hominem ad agendum, non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus, ſed etiam ſicut movens ipſam voluntatē; quia omnis motus tam voluntatis quàm naturę ab eo procedit, ſicut à primo movente; & ſicut non eſt contra rationē naturę quòd motus naturę ſit à Deo ſicut à primo movēte, in quantùm natura eſt quoddā inſtrumentū Dei moventis: ita non eſt contra rationē actus voluntarii quòd ſit à Deo in quantùm voluntas à Deo movetur: eſt tamen cōmuniter de ratione naturalis, & voluntarii motus quòd ſint à principio intrinſeco.* Advertēda sūt ea verba, quòd natura eſt *quoddam inſtrumentū Dei moventis.* Atq; illud in memoriam revocandum eſt, quod dixi-

mus supra quæst. 4. a. 9. ad hoc instituta esse instrumenta, ut deserviant actioni principalis agentis. Unde non est contra naturam libertatis, sed maximè ipsi convenit quòd à Deo moveatur; sic enim *instituta sunt omnia, ut ei deserviant*.

Idem iterùm repetit *opusc. 2. cap. 129.* Ubi cum dixisset, actum voluntatis inclinationem quandam esse similem inclinationi naturæ, ac subinde non minùs eam inclinationem voluntatis in ipsam voluntatis primam causam scilicèt Deum refundendam esse, quàm inclinatio naturæ in Deum à quo natura primò instituta est refundatur: sic concludit in fine capitis. *Unde patet quòd non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet, sicut non est contra naturam, quòd Deus in rebus naturalibus operatur. Sed tam inclinatio naturalis quàm voluntaria à Deo est, utraq; proveniens secundùm conditionem rei cujus est. Sic enim Deus res movet, secundùm quòd competit earum naturæ. Patet igitur ex prædictis, quòd in corpus humanum, & virtutes ejus corporeas imprimere possit corpora cælestia, sicut & in alia corpora, non autem in intellectum, sed hoc potest creatura intellectualis, in voluntatem autem solus Deus imprimere potest.* Hęc de primo argumento cujus solutioni paulò diutiùs immorati sumus, quòd ex ea solutione quæcumque objici possunt de lęsione libertatis, quam ex prævia motione Recentiores metuunt, nullo negotio resolvantur.

Ad secundum argumentũ respondet S. Thomas, & Jeremiæ locum eo sensu explicat, *quòd dicitur non esse in homine via ejus quātùm ad executiones electionum, in quibus homo impediri potest, velit nolit: electiones autem ipsæ sunt in nobis, supposito tamen divino auxilio*. Igitur ex D. Thoma, executio eorum quæ sæpiùs homo agenda disponit, non est omninò in hujus potestate, cùm sæpiùs ea impediri possint: at verò quantùm ad electionem, in qua maximè libertatis potestas elucet; hujus equidem homo Dominus est, sed *supposito divino auxilio*: cùm necesse sit omnem hominis potestatem superiori, & divinæ potestati subjectam esse.

Ad tertium verò argumentum, eadem solutione respondet numero secundo. *Dicendum, quòd verbũ illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, & non currat libero arbitrio: sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens nisi moveatur, & juvetur à Deo.* Hominis quidem est & velle & nolle, sed tamen suppositа divina motione; quæ si desit, non est liberum hominis arbitrium omninò sufficiens, ut velit aut nolit: sufficit equidem in suo ordine, ut aliàs dictum est, cùm non desit expedita voluntatis facultas: sed cùm varii sint ordines rerum quos inter se connecti necesse est, & inferior à superiori dependeat: indè etiam necesse est liberum arbitrium à Deo moveri ut velit. Et hanc eandem solutionem adhibet S. Thomas 1. 2. q. 9. art. 4. cùm sibi objecisset: *quod sufficienter movetur ab uno motore, non indiget moveri ab alio: sed voluntas sufficienter movet seipsam: non ergo movetur ab aliquo exteriori*. Respondet. *Dicendum quòd voluntas quantum ad aliquid sufficienter se movet, & in suo ordine, scilicèt sicut agens proximum: sed non potest seipsam movere quantùm ad omnia, ut ostensum est. Unde indiget moveri ab alio sicut à primo movente.*

Hac una solutione evertitur eorum sententia, qui in causis naturalibus nihil aliud præter facultates nativas agendi, & virtutes activas, subjectumque dispositum; in causis verò liberis solam voluntatis facultatem, objectumque ab intellectu propositum, requirunt. Contra verò Sanctus Thomas in qualibet causa etiam suis facultatibus instructa, in suoque ordine completa, cui non desit, vel subjectum rectè dispositum, vel objectum in sua luce positum, alterum præterea requirit, in argumentum suæ dependentiæ: quia necesse est causam omnem secundam à prima causa dependere, ea lege quòd ubi plurima invicem connexa sunt, & inter se subordinantur, impossibile est inferius moveri nisi à superiori moveatur, ut suprà fusè explicuimus.

ARTICULUS II,

Alterum argumentum objicit sibi Sanctus Thomas, Divinam motionem lædere libertatem, quòd ipsi resisti non possit. Divi Thomæ solutio.

FRequentiùs hoc argumentum objicitur, & ad illud maxima eorum pars quæ solent objici omninò revocatur: unde & hujus argumenti solutioni paulò diutiùs erit immorandum. Sed cum hoc etiam argumentum in omnium sententia solvendum sit; siquidem dictum est, *voluntati enim ejus quis resistit? & non est qui tuæ possit resistere voluntati*. Observandum est quam solutionem Recentiores adhibeant; quam autem usurpent qui in D. Thomæ schola audiunt, ut inde facilè agnosci possit quinam D. Thomam Magistrum sequantur.

Objiciunt igitur iterum qui prævias motiones negant: quæ libertas inquiunt, esse possit, si voluntas quam Deus prævia motione movet, omnino necessariò motioni obsequatur, nec reniti ulla ratione possit, nec Deo moventi resistere: Atqui ita est, voluntas præmota necessariò obsequitur Deo moventi, & quidem prævię, & physicè, & efficacissimè, cui ut resistat vires pares non habet: Ergo nec ullam servat libertatem.

Verùm & illud argumentum ex S. Thoma desumptum est 1. 2. quęst. 10. art. 4. Ubi sic habet. *Omne agens cui resisti non potest: ex necessitate movet: sed Deo cùm sit infinitæ virtutis, resisti non po-*

test, unde dicitur Rom. 9. Voluntati ejus quis resistit? Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem. Quid verò Respondet D. Thomas? non ad præscientiam eventuum exploratricem, sed ad ipsam divinæ voluntatis efficaciam, & Omnipotentiam recurrit.

Respondet igitur S. Thomas. *Dicendum quòd voluntas Divina non solùm se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius: & ideò magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè proüt competit suæ naturæ.* Egregiè omninò: unde liquet quantùm à D. Thomæ sententia alieni sint qui existimant summa divinę motionis efficacia, cui etiam resisti non possit sensu alias explicando, auferri libertatem. Quin imò inquit S. Thomas ex eo quòd voluntas divinæ motioni non possit resisti, libera est, *& magis repugnaret divinæ motioni si voluntas ex necessitate moveretur.* Quia nimirùm hoc efficit divinæ motionis efficacia, *ut nedùm res ipsa fiat, sed etiam eo modo fiat quo rei naturæ*, & conditioni *congruit.* Unde cùm voluntatis conditio ea sit ut libertatem servet, in eo lucet divinæ motionis efficacia, & vis, ut ita voluntatem moveat, quòd libertatem illæsam servet. Atque hujus rationem reddit D. Thomas in corp. art. ubi sic inquit.

Respondeo: Dicendum, quòd sicut Dionysius dicit cap.4.de Div.Nom.ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem. Ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequantur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur. Igitur cùm Deus res moveat juxtà earum conditionem, & voluntatis conditio exigat ut indifferenter ad multa se se habeat; ita Deus voluntatem movet, ut ad unum ex necessitate non determinet, sed integra libertas permaneat. Sed cùm hoc argumentum potissimùm sit, quo dejici posse motionis prævię sententiam quidam existimant, necesse est plura ad hujus lucem afferre.

Itaque hoc ipsum argumentum iterùm objicit sibi S. Thomas 1. par. quæst.19.art.8.quo inquirit. *Utrùm voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat?* Num.2. *Omnis causa quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit, quia & natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat, ut dicitur in 2. physic. sed voluntas Dei non potest impediri; dicit enim Apostolus ad Rom. 6. voluntati enim ejus quis resistit? Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem.*

Respondet verò. *Dicendum, quòd ex hoc ipso quòd nihil voluntati Divinæ resistit, sequitur quòd non solùm fiat ea quę Deus vult fieri, sed quòd fiat contingenter vel necessariò quę sic fieri vult.* Igitur tantùm abest quòd motio Divinaque voluntas cui non potest resisti, auferat libertatem, ut etiam ècontrà, quia non potest ipsi resisti intactam illæsamque servet libertatem.

Atque hujus prima radix est, quòd ut inquit ibidem S. Thomas, in corp. articuli, *hoc contingit propter efficaciam Divinæ voluntatis: cùm enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus cōsequitur causam, nō tantùm secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi vel essendi. Cùm igitur voluntas Divina sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autē quędam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi; & ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit eas contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.*

Quare, & argumento proposito ad cujus explicationem hæc referuntur, sic in forma solutio adhiberi potest: *causa quæ non potest impediri ex necessitate suum effectum producit*: Causa quæ nedum substantiam actus efficit, sed etiam ipsius libertatis modum, & quæ juxtà genium, & conditiones causarum eas movet: Nego Majorem propositionem: Causa quæ solam substantiam actus producit, non verò modum, & cujus virtus limitata, & finita non potest sese capacitati causarum attemperare, ut eas juxtà earum genium, & naturam moveat. Concedo Majorem propositionem. At verò motio divina, divinaque voluntas, cùm sit efficacissima, omnia attingit, & substantiam, & modum libertatis quem efficit: unde tantùm abest quòd perimat libertatem, ut eam perficiat.

Atque eadem solutione alterum etiam argumentum nullo negotio excipitur. Nulla superesse potest libertas, si voluntas quam Deus movet, necessariò Deo moventi obsequatur; eodem modo distinguendum est: si Deus voluntatem ita moveat, ut nedùm substantiam actus, sed etiam modum ipsum libertatis efficiat, voluntas necessariò obsequitur, sitque actus voluntatis necessarius. Negandum est: si Deus efficeret dumtaxàt substantiam actus, nulla habita ratione conditionis voluntatis, & libertatis actus: Concedendum est. Et eodem modo alterius argumenti quod subjungitur nodus facilè solvitur. Agens cui resisti non potest, aufert libertatem; si dumtaxàt substantiam actus efficiat: Concedendum est: secùs, est Negandum. Aliis terminis hæc eadem solutio explicari potest hoc pacto: agens cui voluntas dum eam movet, resistere non potest, libertatem aufert: si moveat per modum naturæ, nec ullam conditionis voluntatis rationem habeat, ut causas naturales

turales movet, Concedendum est: si moveat per modum liberi, seque genio voluntatis accommodet, quæ libertatem exigit: Negandum est. Eadem est solutio cum superiori, & eodem principio fulcitur. Alias solutiones de necessitate secundùm quid & simpliciter; & de utroque sensu composito, & diviso infra referemus.

Sed tamen cùm hoc argumentum maximi momenti sit, prætermittendum non est, quod habet S. Thomas Quodlibeto 11.ar.3. Ubi probat prædestinationem, & certitudinem habere, & tamen nullam necessitatem imponere, idque probat ex triplici capite, scilicèt divina præscientia, divina voluntate, ac ipsa prædestinatione. Omissis verò aliis, scilicèt divina præscientia, ac prædestinatione, hanc utramque dotem divinæ voluntatis, & quòd infallibilem certitudinem habeat, & quòd illæsam libertatem servet, ita explicat. *Quòd autem voluntas divina certitudinem habeat, & tamen necessitatem non imponat, sic patet. Voluntas enim Dei est efficax, & perfecta causa omnium rerum, quia omnia quæcumque voluit Dominus fecit: cujus perfectio, & efficacia apparet ex hoc quòd non solùm movet, & causat res, sed etiam dat eis talem modum causandi; in quantùm cuilibet determinatum modum contulit, quo suos effectus produceret. Unde quia ipse voluit, quædam esse in universo necessaria, & quædam contingentia: constituit quasdam causas quibus contulit ut contingenter causarent, & quasdam quibus contulit, ut necessariò causarent effectus. Unde voluit istum vel illum effectum, non solùm esse, sed etiam tali modo esse, scilicèt vel contingenter vel necessariò; sicut quòd voluit Petrum non solùm currere, sed etiam contingenter currere: & similiter voluit istum hominem vel illum salvare, sed eo modo ut arbitrii libertatem non perderet. Et sic quod Petrus, vel Martinus salvetur, habet duas causas, unam, scilicèt voluntatem divinam, & hæc habet certitudinem: aliam, liberum arbitrium, & hæc habet contingentiam, & sic est in aliis rebus; quia si sint contingentia, provenit eis ex causa proxima; quòd verò sint certa, & necessaria, provenit eis ex causa prima. Unde prima causa rerum scilicèt Divina voluntas etiam de contingentibus certitudinem habet. Ex qua quidem certitudine non imponitur ipsis rebus aliqua necessitas; quia non solùm vult ea esse, sed tali modo esse, scilicèt necessario, vel contingenti, ut dictum est.* Hæc S. Thomas: ubi observari velim, quòd Deus *cuilibet determinatum modum contulit, quo suos effectus produceret.* Id enim omninò convenit cum his, quæ suprà observavimus: ita constituta esse à Deo omnia, & ab eo moveri, ut ipsi libuerit, quia *ita instituta sunt omnia ut ei deserviant*, ac veluti exquisita, sunt in omnes voluntates ejus. Unde tantùm abest, ut divina voluntas, quia efficacissima est, & cui etiam nulla creata voluntas resistere possit, si reipsa, & omninò velit aliquid fieri, auferat libertatem, ut è contrà quia efficacissima est libertatem efficiat.

Cujus etiam iterùm ratio est, quod ut inquit S. Thomas 3. contra gent. capite 72. *ad Divinam providentiam pertinet, ut gradus entium qui possibiles sunt adimpleantur*, ut jam capite superiori probaverat: *ens autem dividitur per contingens* sub quo libertas ponitur, *& necessarium*: *& est per se divisio entis*. Necesse igitur est ut divina voluntas efficacissima, divinaque providentia ad omnes gradus entis sese extendat, ut ipsam libertatem in actibus libertatis efficiat.

Verùm, & hujus forsitan altior ratio esse potest, aut quæ saltem superiorem maximè illustrat, ex ordine divinę providentiæ desumpta; quamvis & hæc etiam ratio superiùs à D. Thoma prætermissa non fuerit. Hãc tamen multo fusiùs prosequitur D. Thomas lib.3.contra gentes, ubi cùm multis probasset cap.66. *quòd nihil dat esse nisi in quantũ agit virtute divina*: cap.67. *quòd Deus est causa operandi omnibus operantibus*; cap.70. *quòd idem effectus sit à Deo, & à naturali agente*: quæ omnia retulimus suprà, ad divinæ motionis, & necessitatem, & efficaciam ex D. Thom. demonstrandam: Deinde ut hujus motionis, & divinæ providentiæ summam suavitatem cum ea summa vi, & efficacia conjunctam demonstret; probat sequentibus capitibus quod divina *providentia non excludit malum totaliter à rebus*, cap.71. quòd *non excludit à rebus contingentiã*, cap. 72. quòd *non excludit arbitrii libertatẽ*, cap.73. At verò cap.hoc 73. inde repetit divinam providentiã quamvis efficacissimam, & cui nemo resistere possit, illæsam tamen, & intemeratam libertatem servare, quòd juxtà innatam inditamque naturæ voluntatis capacitatem eam moveat. Cùm enim voluntas rationis inclinatio sit, quæ intellectum consequitur, & majorem amplitudinem habeat quã causæ naturales: inde etiam Deus ita voluntatem movet, quòd eam amplitudinem, & capacitatem quâ multiformes effectus producere potest, minimè coarctet aut constringat. Unde eodem cap.73.num.2.sic habet: *Ad providentiam divinam pertinet ut rebus utatur secundùm modum earum: modus autẽ agendi cujuslibet rei consequitur formam ejus, quę est principium actionis: forma autem per quã agit voluntariè agens, non est determinata; agit enim voluntas per formam apprehensam ab intellectu; nam bonum apprehensum movet voluntatem, ut ejus objectum. Intellectus autem non habet unam formam effectus determinatam, sed de ratione sua est, ut multitudinem formarum comprehendat; & propter hoc voluntas multiformes effectus producere potest: non igitur ad rationem providentiæ pertinet quòd excludat libertatem voluntatis.*

Verùm cùm ipsa libertas quandam contingentiæ similitudinem ob suam indifferentiam habeat, aut etiam sub ipso contingentis gradu tanquàm superiori reponatur: inde repetenda est egregia ratio quam habet D. Thomas præcedenti cap. 72. ubi ad divinam providentiam quâ universum servatis rerum omnibus gradibus administratur, refert rerum tum necessitatem tum contingentiam, cui ut mox diximus libertas tanquàm aliqua hujus species subjicitur: unde sic inquit num.2. *Ad divinam providentiam pertinet, ut gradus*

dus entium qui poſſibiles ſunt, adimpleantur, ut ex ſupradictis patet: ens autem dividitur per contingens, & neceſſarium, & eſt per ſe diviſio entis. Si igitur Divina providentia excluderet omnem contingentiam, non omnes gradus entium conſervarentur.

Hæc igitur veriſſima, & profunda D. Thomæ ratio, cur ita divina providentia eam motionis vim efficaciſſimam quamvis invictam, & quæ etiam cedros libani cùm libuerit, & confringat, & dejiciat, ita tamen temperet, ut nunquàm vel leviſſimè voluntatis libertatem lædat: quòd neceſſe ſit ad decorem, & complementum univerſi, gradus omnes comprehendi ac ſubinde, & neceſſitatem, & contingentiam, & libertatem ſervari.

Et verò cum D. Thomas ad ſupra dicta ſeſe referat ad cap. ſcilicèt proximum 71. eo capite altiùs adhùc aſcendit, probatque ſervandos eſſe eos gradus in rebus, ut perfecta bonitas ex divina bonitate effuſa eluceat: unde inquit num. 2. *Perfecta bonitas in rebus creatis non inveniretur, niſi eſſet ordo bonitatis in eis, ut ſcilicèt quædam ſint aliis meliora. Non enim implerentur omnes gradus poſſibiles bonitatis, neque etiam aliqua creatura Deo aſſimilaretur quantùm ad hoc quod alteri emineret. Tolleretur etiam ſummus decor à rebus, ſi ab eis ordo diſtinctorum, & diſparium tolleretur: & quod eſt ampliùs tolleretur multitudo à rebus, inæqualitate bonitatis ſublata; cùm per differentias quibus res ab invicem differunt unum altero melius exiſtat, ſicut animatum inanimato, & rationale irrationali*, & liberum contingente. *Et ſic ſi æqualitas omnimoda eſſet in rebus, non eſſet niſi unum bonum creatum, quod manifeſtè perfectioni derogat creaturæ &c. Utrumque igitur gradum perfectio univerſi requirit. Ad providentiam autem gubernantis pertinet perfectionem in rebus gubernatis conſervare: non autem eam minuere &c.*

Ex his igitùr liquet, inde oriri maximè, quòd voluntas libertatem illæſam ſervet, quòd divina voluntas efficaciſſima dum voluntatem movet, & ſubſtantiam actus efficiat, ac modum ipſius libertatis: neceſſe enim eſt gradus omnes entis divinæ providentiæ ſubjici, & à divina potentia effici: atque eò magis etiam liberum ſubjici, quo perfectiùs eſt: *cùm perfectiùs ordo inveniatur in rebus ſpiritualibus*, ut docet D. Thomas de quo vide ſupra quæſt. 6. art. 1. pag. 130. ordinis verò ratio exigit, ut inferiora ſuperioribus ſubjiciantur. Igitùr tantùm abeſt, ut divina voluntas divinaque motio auferat à voluntate libertatem, quòd nec divinæ voluntati, nec divinæ motioni creata voluntas reſiſtere poſſit: ut inde maximè quòd ipſi non poſsit reſiſti efficiat, ſtabiliat, perficiatque libertatem. Sed hæc ex inferioribus majorem lucem accipient, ubi de ſenſu compoſito, & diviſo.

ARTICULUS III.

Quòd voluntas neceſſariò moveretur objicit ſibi D. Thomas, & ſolvit: neceſſitas multiplex, abſoluta, & conditionata.

ALterum argumentum objici ſolet, quod maximam cum ſuperiore affinitatem habet: ſi divina motio antecedat, inquiunt, uſum voluntatis, eamque vim habeat quam ejus defenſores ipſi adſcribunt; voluntas neceſſariò divinæ motioni ita obſecutura eſt, ut omninò impoſsibile ſit, quòd voluntas hac motione Dei præmota, aut non agat, aut aliud agat: quia ſcilicet poſsibile illud dici debet, ex quo nihil impoſsibile ſequitur: Atquì ſi voluntas aliud poſſet præter illud ad quod movetur, ſequeretur nedùm grave incommodum, ſed etiam id quod prævię motionis Authores impoſsibile omninò eſſe ſentiunt, nimirùm quòd divina motio evaderet inefficax, nullumque effectum haberet: Ergo neceſſariò voluntas obſequeretur divinæ motioni. Verùm dubitari non poteſt, quin hoc idem argumentum, & quantùm ad terminos etiam quibus conceptum eſt, ex S. Thoma deſumptum fuerit.

Objicit enim ſibi hoc idem argumentum 1. 2. quæſt. 10. art. 4. *Poſſibile eſt, quo poſito non ſequitur impoſſibile: ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur quòd voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet: quia ſecundùm hoc operatio Dei eſſet inefficax: non ergo eſt poſſibile, voluntatem non velle hoc ad quod Deus eam movet: ergo neceſſe eſt eam hoc velle.* En idem in D. Thoma argumentum, iiſdemque etiam terminis conceptum: & mirum ſanè plurimos argumenta quibus prævias motiones impetant, in S. Thoma quærere, ac reperta uſurpare; & tamen jiſdem etiam in locis ſolutiones quas diluendis jis argumentis affert S. Doctor, prætermittere.

Reſpondet verò D. Thomas his verbis. *Dicendum quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quòd voluntas ad illud non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Hæc S. Thomas: unde in forma ex ea D. Thomæ ſolutione Reſpondeo: negando quòd voluntas divinę motioni prędvię neceſſariò ſimpliciter obſecutura ſit. Cùm verò dicitur: poſsibile eſt quo poſito non ſequitur impoſsibile ſimpliciter, Concedo. Majorem propoſitionem; impoſſibile ſecundùm quid & ex ſuppoſitione, Nego. Eadem reſponſio adhibenda eſt Minori: Atquì impoſsibile eſt quòd voluntas non velit id ad quod Deus eam movet, impoſsibile ſimpliciter, Negandum; impoſsibile ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione divinæ motionis, Concedendum eſt.

Obſervandum enim eſt, hæc duo minimè repugnare; aliquid eſſe ſimpliciter poſsibile, & eſſe

impossibile ex certa quadam ratione, & suppositione. Hæc enim, & similia argumenta in omnium sententia solvi necesse est. Nam cùm nemo dubitet, Angelos hominesque esse à Deo prædestinatos, hoc idem argumentum divinæ prædestinationis certitudini opponi posse videtur: & reverà etiam S. Thomas idem argumentum 1. par. quæst. 23. art. 6. sibi objicit. *Posito possibili nullum sequitur impossibile: possibile est autem, aliquem prædestinatum (ut Petrum) peccare, & tunc occidi: hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari: hoc igitur non est impossibile: non ergo est prædestinatio certa.* Hoc sanè argumentum ab omnibus solvi necesse est, ne fides in periculum veniat. Huic autem argumẽto S. Thomas Respondet eadem adhibita solutione; nimirùm, *quòd licet sit possibile, eum qui est prædestinatus mori in peccato mortali, secundùm se consideratùm, tamen hoc est impossibile, posito proüt ponitur eum esse prædestinatum. Unde non consequitur quod prædestinatio possit falli.*

Hæc igitùr duo rectè inter se consentiunt, aliquid esse reipsa, & ex rei natura possibile, aut contingens, aut liberum; quod tamen facta aliqua suppositione est necessarium. Ut cùm homo media ad sanitatem v. g. recuperandam utilia eligit, quis neget ipsum ea liberè eligere? cùm in electione maximè libertas sit posita, sitque ipsa libertas vis elective mediorum, temperata tamen servato ordine finis, ut dicetur infra ex S. Thoma 1. par. quæst. 62. art. 8. ad 3. & in ipsa electione sit ipsum libertatis exercitium, quo libertatem auferri si quis putaret, perindè esset ac si vellet, actuali rationis discursu auferri, & amitti ipsam discurrendi, & ratiocinandi facultatem: nam etiam rationales potentiæ sunt ad opposita, ut Philosophus dicit 9. metaphys. & D. Thomas loco proximè citato refert: in ipsa igitur actuali electione mediorum est summa libertas, ultimaque, & perfectissima libertatis actualitas: & tamen posita ipsa actuali electione, idest posito libertatis exercitio, impossibile est, voluntatem non eligere. Idem de re qualibet contingente omninò dicendum: contingens enim non minùs quam liberum necessario opponitur. Cùm etenim planta germinat, aut arbor efflorescit, quis dubitet utrumque esse contingens? & tamen cum planta actu germinat, necesse est germinare; quia ut inquit Philosophus, & sæpè repetit S. Thomas, & per se patet, necesse est rem esse cùm est: neque enim existimandum est, effectum contingentem cùm actu est, amittere contingentiam, quòd cuiquam forsitan in mentem venire posset. Contingentia exercita quidem est, sed remanet vera contingentia; neque enim unquàm exercitium rei naturam mutare potest, sed eam perficit: cùm ad actum, & exercitium res quælibet ordinetur: quia natura, quæ motus principium est, otiosa ex se esse non potest, nec otium nisi coacta patitur. Sed de his aliàs. Igitùr illa duo inter se consentire, & conjungi necesse est: aliquid esse reipsâ, & ex rei natura possibile, & tamen facta interdùm suppositione esse impossibile. Sed hæc pluribus ex Sancto Thoma confirmanda sunt.

Objicit itaque sibi D. Thomas 1. par. quæst. 19. art. 8. necessitatem repugnare libertati: quòd enim necessarium est, in nostra non est positum potestate: Atquì divinæ motioni necesse est voluntatem obsequi, & dum voluntas movetur, necesse est ipsam agere: nulla igitur supereset homini libertas si motio prævia & efficax admittatur: verba D. Thomæ ista sunt: *videtur quòd voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponat. Dicit enim Augustinus in Enchirid. nullus sit salvus nisi quem Deus voluerit salvari, & ideo rogandus est ut velit, quia necesse est fieri si voluerit.*

Quid autem huic argumento respondet S. Doctor. *Dicendum*, inquit, *quòd per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim, hanc conditionalem veram esse; si Deus hoc vult, necesse est hoc esse.* Igitur ex D. Thoma verùm quidem est, absoluta necessitate labefactari libertatem, non tamen ea necessitate, quæ conditionata est, quæque oritur ex ipsa motione causæ divinæ; quæ sicut est causa voluntatis, ita potest illæsa libertate voluntatem immutare, & ex uno in aliud transferre, ut aliàs diximus.

Sed ut hæc apertiùs explicentur. Observat idem S. Thomas 1. par. qu. 82. art. 1. multiplicem esse necessitatem. Unde inquit: *Respondeo, dicendum, quòd necessitas dicitur multipliciter: necesse est enim quod non potest non esse; quod quidem convenit alicui uno modo ex principio intrinseco sive materiali, sicut cùm dicimus, quòd omne compositum ex cõtrariis, necesse est corrumpi; sive formali, sicut cùm dicimus; quòd necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; & hæc est necessitas naturalis, & absoluta. Alio modo cõvenit alicui, quòd non possit non esse ex aliquo extrinseco, vel fine, vel agente: fine quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi, vel bene consequi finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam, & equus ad iter; & hæc vocatur necessitas finis, quæ interdùm etiam utilitas dicitur. Ex agente autem hoc alicui convenit, sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quòd non possit contrariũ agere, & hæc vocatur necessitas coactionis: hæc igitur coactionis necessitas omninò repugnat voluntati.*

Hæc S. Thomas, ubi profundissimè Angelicus Doctor variè necessitatis causas scrutatur, & detegit: necesse enim est ipsius necessitatis causam aliquam esse ex qua derivetur. Altera igitur est ex his quatuor, scilicèt materiâ, formâ, fine, vel agente; præter quas nulla alia unquàm reperta est. At verò cùm varium sit agens, cujus in agendo vis, & efficacia virtutis inæqualis est, hinc ex agente varia necessitas derivatur: Altera enim necessitas oritur ab agente increato, scilicèt Deo, qui propter efficaciam infinitæ virtutis ita voluntatem creatam movet, ut necesse quidem sit, voluntatem moveri, sed ea necessitate, quæ absoluta non est, sed solùm conditionata, derivata scilicèt à Deo, seu agente increato, à quo tanquam

quàm à prima radice libertatis, ipsa voluntatis creatæ libertas omnis oritur. Unde inquit S.Thomas, *quod charitas ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum, impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est, hęc duo esse simul vera, quòd Spiritus S. velit aliquē movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*, 2.2. quæst.24. art.11. Eod.sensu dictum est supra ex eod.S.Thoma 1.2.q.10.art.4.ad 3.quòd *si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est quòd voluntas non moveatur*. Attamen cùm non sit impossibile simpliciter, & ex causa intrinseca, sed ex agente increato; non indè sequitur, quòd voluntas absolutè ex necessitate à Deo moveatur, cùm moveatur ab agente infinitæ virtutis, quod utriq; sua jura servat, & suæ motioni, cùm infallibiliter movet, & voluntati creatæ quam etiam liberè movet.

Eandem distinctionem duplicis necessitatis affert S.Thomas, & explicat iterùm q.23. de Verit. art.4.ad 1.his verbis. *Aliquid dicitur necessarium dupliciter: uno modo absolutè, alio modo ex suppositione. Absolutè quidem dicitur aliquid necessariū propter necessariam habitudinem terminorum qui in aliqua propositione ponuntur; sicut, Omnem hominem esse animal, vel, Omne totum esse majus sua parte, aut aliqua hujusmodi: necessarium verò ex suppositione est, quod non est necessarium ex se, sed solummodò posito alio, sicut, Socratem cucurrisse: Socrates enim quantùm est de se, non se habet magis ad hoc quàm ad ejus oppositum, sed facta suppositione quòd cucurerit, impossibile est eum non cucurrisse. Sic igitur dico, quòd Deum velle aliquid in creaturis, utpotè Petrum salvari, non est necessarium absolutè: sed facta suppositione, quòd Deus illud velit vel voluerit, impossibile est eum non voluisse, vel non velle, eò quòd voluntas ejus immutabilis est: unde talis hujusmodi necessitas apud Theologos vocatur necessitas immutabilitatis.*

Et verò quòd hæc necessitas, quæ non absoluta est, sed solùm conditionata ex efficacia divinæ voluntatis, & divinæ motionis, libertatem creatam nihil lędat, probat S. Thomas apertissima ratione, eò quòd ea motio non impediat voluntatis usum, nec eam ita constringat, ut se se ipsam movere, & determinare non possit: quin etiā illud efficiat ut se se moveat seq; determinet. Cùm enim 1.par.q.105.art.4.sibi objecisset, *quòd motus magis tribuitur moventi quàm mobili: unde homicidium non attribuitur lapidi, sed projicienti: si igitur Deus moveat voluntatem, sequitur quòd opera voluntaria non imputentur homini ad meritum vel demeritum; hoc autem est falsum: non igitur Deus movet voluntatem.* Respondet S.Doctor his verbis: *Dicendum, quòd si voluntas ita moveretur ab alio quòd ex se nullatenùs moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum vel demeritum: sed quia per hoc quòd movetur ab alio, non excluditur quin moveatur ex se, ut dictum est, ideò per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.*

Atq; eâdem ratione simile argumentum solvit iterùm idē S. Thomas, quo probari videtur, *nulli imputari debere quod vitari non potest: sed si Deus aliquem reprobat, non potest vitare quin ipse pereat: ergo &c.* Respondet S.Doctor, *quòd reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cùm dicitur quòd reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundùm impossibilitatem absolutam, sed secundùm impossibilitatem conditionatam; sicut supra dictū est, quòd prædestinatum necesse est salvari, necessitate conditionata, quę non tollit libertatem arbitrii. Unde licèt aliquis non possit gratiam adipisci qui reprobatur à Deo; tamen quòd in hoc peccatum vel illud labatur ex ejus libero arbitrio contingit; unde & meritò sibi imputatur in culpam*, 1.par.q.23.art.3. sicut absolutè ipsi imputatur quòd in peccatum se se conjiciat. Potuit enim non peccare, cùm nihil ex potentia amittat, neque illa motio potentiam constringat: posset enim voluntas, si vellet, alium actum elicere, neque universalis potentia uno solùm actu, aut ad unum actum motione constringi unquàm potest, cùm locus semper relinquatur actibus aliis: sicut altera dissertatione fusiùs ex S. Thoma à nobis explicabitur.

Constat igitur ex jam dictis, ex D. Thoma duplicem esse necessitatem, alteram absolutam, quâ ita rem se se habere necesse est: alteram verò conditionatam, quę scilicèt oritur ex efficacia divinę motionis; quæque in primis nihil aufert à voluntatis potentia, & quæ præterea eam indifferentiam voluntati relinquit, ut etiam sub ipsa motione quâ determinatur, se se ipsam determinet, & quæ etiam est ipsius libertatis prima causa, & prima radix; & quæ demùm, ut diximus supra, *omnia movet secundùm rationem mobilium, ut gravia deorsùm, & levia sursùm: & voluntatem etiam movet secundùm ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut se indeterminatè habentem ad multa*. Quęst.6. de Malo in corp.

Sed præterea observandum est, quam suppositionem existimaverit S. Thomas non lædere voluntatem: De hujus enim S. Doctoris mente potissimùm hìc quęritur. Certum quidem est, necessitatem ex suppositione non adversari libertati; id fatentur etiam omnes: at quęnam est ea suppositio libertatis amica? Ea, inquiunt plurimi, quæ ex ipsa voluntate, & voluntatis libera determinatione descendit; si enim voluntas velit, necessarium est ipsam velle; positaque ea determinatione voluntatis, necessitas est ex suppositione, sed necessitas, quæ cum libertate conjungitur.

Sed in primis quis in ea sententia sensus subesse potest, & Philosopho dignus? Si voluntas liberè velit, necessariò quidem, sed liberè vult. An verò illud est tam grande arcanum quòd inter præcipua Philosophiæ arcana reponendum sit, si liberè velit, liberè vult, & illa necessitas ex suppositione libertatis non aufert libertatē? Atquì de ea re nulla unquàm difficultas excitata fuerat, quamvìs gravissima semper fuerit, & in Scholis, & in Ecclesia, circa concordiam libertatis, & divinę providentiæ controversia. In eo enim difficultas est

posita, & hic est nodus vindice dignus, utrùm scilicèt *si divina constitutio humanas præveniat voluntates*, removeatur industria, extinguantur virtutes, pereat libertas? Ex S. Prospero epist. ad Augustinum. Hæc damna consequi ex divina constitutione voluntatem nostram præveniente, existimabant Massilienses; id autem negant Sancti Augustinus, & Thomas, eaque ratione negant, quia ut sæpiùs dictum est, divina constitutio, etsi præveniens, & antecedens libertatem, est tamen causa ipsius libertatis: inauditum autem est quòd in ipsius causæ sinu, in quo res gignitur, & ex ipsius causę influxu res ipsa quę oritur extinguatur.

Sed quod ad S. Thomam attinet, ubinam, vel unicum verbum expressum est, quo significet, se de ipsa suppositione solùm consequente actum, & determinationem voluntatis intelligere? Nam expressè inquit, quòd *ex parte Spiritus Sancti moventis animam, & ex virtute Spiritus Sancti*, voluntas impeccabilitatem habet, aut apertiùs, si ita loqui liceat, impeccantiam: quia *impossibile est, hæc duo esse simul vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere*, & actu moveat, *ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*.

Quis verò dubitet, hæc S. Thomæ verba suppositionem non consequentem eo sensu quo intelligunt Recentiores, sed reipsà antecedentem significare? Et hæc verissima S. Doctoris sententia est, quòd suppositio ex divina constitutione, quæ humanas prevenit voluntates, & ex motione divina, non auferat libertatem: quæ tamen suppositio antecedens, etiam eminenter consequens dici potest; quia divina voluntas ipsam voluntatem creatam ejusque determinationem ac libertatem eminenter tanquàm causa complectitur. Sed de his aliùs plura.

Confirmari potest hæc S. Thomę solutio, quòd aliud sentire non potuerit S. Doctor, cùm clarissimè expressa olim fuerit ea distinctio etiam à Boëtio lib. 5. de Consolatione, paulò ante finem, ubi inquit, quòd *duæ sunt necessitates; simplex una, velutì quòd necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare, scias, eum ambulare necesse est.* At verò subdit egregiè: *sed hæc conditio minimè secum illam simplicem trahit*, quæ scilicèt libertatem interimit: neque enim ideò, quia necesse est ambulare hominem cùm ambulat, ideò necesse est ipsam deambulationem in se se esse necessariam. Atque hujus rationem subjicit; *hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio.* Res in se se immutata manet, deambulatio contingens, & libera est, necessaria verò solùm ex ea conditionis adjectione, nimirùm si ambulet; *nulla enim necessitas cogit incedere voluntariè gradientem, quamvìs tamen cùm graditur, incedere necessarium sit*.

Atque hæc deinde transfert Boëtius ad præscientiam divinam, ac pari jure transferri potest ad gratiæ divinæ motionem præviam, & efficacem; cùm ea quæ prescit Deus, & bona sint, & Deus etiam efficiat. Futura equidē omnia Deus certò prænoscit, & necesse est, id quod Deus prævidet, evenire: sed inquit, *hæc ad intuitum divinum relata, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis: per se verò considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non deficiunt*: & infra addit: *hæc si ad divinam notitiam referantur, necessaria* quidem esse: *si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta*. Et rectè quidem hæc sive prævisa à divina scientia, sive à divina providentia ordinata, sive à divina motione facta, *ab absoluta naturæ suæ libertate non deficiunt*, aut, ut deinde ait, *propriam naturam non amittunt*: quia seu scientia rerum factiva, seu providentia, seu motio rem ipsam constituit, non destruit; efficit enim ut voluntas nedùm agat: sed etiam ut liberè agat. Deus enim hoc utrumq; conjunctum prævidet, præordinat, & efficit, quòd scilicèt voluntas modo naturæ suæ proprio, id est liberè agat; & ut inquit S. Thomas, divina voluntas divinaq; motio attingit substantiam actûs voluntatis, ejusque modum, id est ipsam actûs libertatem: atque ut fusè prosequitur S. Augustinus lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 3. & lib. 5. de Civit. cap. 9. & 10. cùm Deus prænoscat voluntatem hominis liberè esse volituram, necesse est ut liberè volitura sit: utrumq; enim videt, ac sua operatione utrumque conjungit, libertatem scilicèt cum voluntate.

Confirmari iterùm potest, quod etiam à Gratiano ea distinctio usurpata sit, & Canonico Iuri inserta 23. quæst. 4. cap. *Vasis*, ubi tamen error irrepsit, citat enim ex S. Augustino Gratianus, quæ Boëtii sunt, quæque nos jam supra retulimus, scilicèt *duæ necessitates sunt &c.* quamvis etiam, quòd ad sensum attinet, eadem S. Augustinus etiam habeat, aut quisquis est Author libri de Prædestinatione Dei, (constat enim Augustini non esse) ubi expressè distinguit necessitatem *alligationis, & conditionis*: alteram in rebus necessariis, quæque perimit libertatem, alteram in rebus liberis, quæque libertatem earum servat. Sed de S. Augustino statìm plura referemus. Igitur jam ante D. Thomam vulgata erat ea distinctio necessitatis simplicis, & necessitatis conditionis; quod Deus prescit, quod Deus ordinat, ad quod movet, necesse est evenire, necessitate conditionis, quæ relinquit illæsam libertatem, non autem simplici necessitate, quæ libertatem perimeret: atque, ut rectè Glossa ibidem explicat, cùm dicitur, Quod Deus prævidet, aut ordinat, necesse est evenire; verissimum est, *si intelligatur conjunctìm*, vel *si denotet modum consequendi, & non consequentis*: id est debere intelligi in sensu composito, & de necessitate consequentiæ, non autem consequentis, de quo statìm dicendum est. Sunt enim hæc in se se connexa, & eundem omninò sensum habent.

Confirmatur denique ex S. Augustino, à quo hæc duplex necessitas clarissimè expressa est. Etenim lib. 3. de Lib. Arb. cap. 3. probat illud quàm maximè quod ab Evodio dictum fuerat, scilicèt quòd *volùtas illius*, Dei scilicèt, *est mihi necessitas*; quâ tamen minimè lædi libertatem ostendit: sed

fusiùs

fusiùs de ea neceſſitate agit lib.5.de Civit.Dei cap. 10.ubi inquit in primis,*quòd ſi neceſſitas noſtra illa dicenda eſt,quę non eſt in noſtra poteſtate,ſed etiam ſi nolumus efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras quibus rectè*(vel pravè) *vivitur, ſub tali neceſsitate non eſſe.* Hæc prima eſt neceſſitas quam S.Thomas ſimplicem,& abſolutam nuncupavit, adverſamque libertati. At verò ſubjicit S.Auguſtinus. *Si illa definitur eſſe neceſsitas, ſecundùm quam dicimus,neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Hæc altera eſt neceſſitas conditionata, & ex ſuppoſitione,quę minimè libertatem voluntatis noſtræ lędit. Atque hujus exemplum affert idem S. Auguſtinus. *Sicut*, inquit, *cùm dicimus,neceſſe eſt eſſe,ut cùm volumus,libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus,& non ideò ipſum liberum arbitrium neceſsitati ſubjicimus,quę adimit libertatem.* Ergo ex D. Auguſtino aliqua neceſſitas eſt cui liberum arbitrium ſubjicitur, & quæ non adimit libertatem; ea ſcilicèt, quæ conditionata ſolùm eſt,quæ naturam voluntatis non immutat; quæ eſt vel ab ipſa voluntate, vel à prima cauſa, Deo ſcilicèt, qui magis in poteſtate ſua voluntates habet hominum quàm ipſi ſuas.

Et quidem in his S. Auguſtini verbis, in primis obſervari velim, quàm alienum ſit à S. Doctoris ſententia, quod quidam dicunt, quòd cùm actu voluntas reipsâ vult, actumque elicit,cùm neceſſe ſit eam velle, non relinqui libertatem, eò quòd nulla ampliùs volendi, & nolendi indifferentia relicta ſit; ſed ſolùm libertatem intelligi poſſe in eo priori quo voluntas nullum adhuc actum elicit, ſed omninò indifferens eſt, & poteſt & velle, & nolle.Alieniſsima enim dubio procul à Divi Auguſtini mente ea ſententia eſt, cùm expreſsè ab eo aſſertum ſit, quòd quamvis *neceſſe ſit, ut cùm volumus, libero velimus arbitrio, non ideò ipſum liberum arbitrium neceſsitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Ergo ex S. Auguſtino, cùm volumus,neceſſe quidem eſt nos velle;ſed non ideò tamen ea neceſſitas adimit lædítque libertatem. Et rectè quidem, cùm in eo quòd voluntas velit poſitum ſit liberæ voluntatis exercitium, & planè repugnet,exercitio potentiæ perimi aut impediri potentiam. Abſurdum enim eſſet exiſtimare quòd ipſa viſio v.g. impediat potentiam videndi, & ratiocinatio rationem. Nulla quidem tunc adeſt indifferentia paſſiva, potentialis,& cum privatione omnis actus conjuncta; ſed tunc maximè adeſt ipſa indifferentia activa, ſeu ipſum libertatis exercitium, quod nullum intelligi poſſet, niſi eſſet reipsâ actus aliquis voluntatis.

Sed prætereà inde apertiſſimum eſt, duplicem à S. Auguſtino neceſſitatem diſtingui, alteram ſimplicem, & abſolutam, quâ neceſſe eſt hominem mori; alteram verò conditionatam, quâ *neceſſe eſt ut ita aliquid ſit, vel fiat*; ſicut *neceſſe eſt ut cùm volumus, libero velimus arbitrio.* Atque hac ſecunda neceſſitate,*quę non adimit libertatem*, nec eſſarium eſt ut quod Deus futurum præſcivit, futurum ſit. Neque alio pacto ſolvit S. Doctor cõmunem difficultatem,cur divina præſcientia, aut divina providentia libertatem voluntatis non auferat, quamvis neceſſe ſit ut quod Deus præſcivit ac ordinavit, omninò fiat: *non ergo*, inquit, *propterea nihil eſt in noſtra voluntate,quia Deus præſcivit quid futurum eſſet in noſtra voluntate.* Cur verò quamvis neceſſe ſit, fieri id quod Deus præſcivit aut præordinavit,nihil tamen ea præſcientia aut divina Providentia lædat libertatem? nimirùm quia neceſſe eſt fieri non ea *neceſsitate* ſimplici, & abſoluta *quâ morimur*; ſed *ea neceſsitate, quâ neceſſe eſt ut aliquid fiat*, quæque ex divina Providentia conſequitur, quæ non adimit,ſed efficit libertatem. Neque enim hæc ſolùm de ipſa dumtaxàt Divina Preſcientia intelligi voluit S.Auguſtinus, ſed etiam ad divinam providentiam, & divinam poteſtatem retulit, ut patet ex capite immediatè præcedenti cap. 9. ubi contra Ciceronem diſputat, *qui in libris de Divinatione*,inquit, *apertiſsimè oppugnat præſcientiam futurorum: putat enim, conceſsâ ſcientiâ futurorum, ita eſſe conſequens fatum, ut negari non poſsit.* Verùm, ut ſubdit S. Doctor, *quoquomodo ſe habeant tortuoſiſsimæ concertationes, & Diſputationes Philoſophorum, nos ut confitemur ſummum, & verum Deum; ita voluntatem, ſummamque poteſtatem, ac preſcientiam ejus confitemur, nec timemus ne ideò voluntate non faciamus quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt.*

Non ergo de ſola præſcientia loquitur Sanctus Auguſtinus, ſed etiam de divina voluntate; ac ſumma Dei poteſtate, quia neceſſe eſt fieri id quod Deus futurum præordinavit: quæque tamen libertatem humanam non lædit, quia ea neceſsitas eſt ſolùm conditionata, ex ſuppoſitione ſcilicèt divinæ poteſtatis, quæ ſubinde non adimit libertatem. Plura de his alibi ubi ex profeſſo de concordia libertatis cum divina motione.

ARTICULUS IV.

Alterum argumentum,voluntatem, cùm movetur,non poſſe aliud agere,à S. Thoma ſolvitur.De ſenſu compoſito, & Diviſo: & de Neceſſitate conſequentis, & conſequentiæ.

CUm hujus duplicis diſtinctionis, ſeu ſenſus compoſiti ac diviſi, ſeu neceſſitatis conſequentis, & conſequentiæ frequens ſit uſus in ſchola D. Thomæ, aque præcipua argumenta

quæ in hac celebri quæstione adversùs præviam motionem objici unquàm possunt, facilè diluantur; operæ pretium est, ut ostendamus utramque à S. Doctore olim usurpatam, ejusque Discipulos à suo Magistro illius distinctionis usum didicisse.

Objicit itaque sibi S. Thomas, Quæst. 24. de verit. Art. 1. ubi probat hominem esse liberi arbitrii, eaquè omnia colligit quæ ferè objici unquàm possunt tanquàm huic veritati adversa, quam certa fides, evidens ratio, ut inquit, manifestaque indicia extra omne dubium ponunt; sibi inquam objicit num. 13.

Quidquid Deus præscit, necesse est evenire, cùm præscientia Dei falli non possit: sed omnes actus humanos Deus præscit: ergo de necessitate evenient. Respondet verò huic argumento: *Ad decimum tertium dicendum quòd ex præscientia Dei non potest concludi quòd actus nostri sint necessarii necessitate absoluta, quæ dicitur necessitas consequentis, sed necessitate conditionata, quæ dicitur consequentiæ, ut patet per Boëtium in libro de consolat. Philosoph.* Hæc S. Thomas; ubi Boëtium in testem advocat, ut inde intelligi possit vel ipsa antiquitate hanc distinctionem venerandam esse, & penè consecratam.

Sed cùm Boëtio honorem hunc S. Thomas detulerit, ut ab ipso usum hujus distinctionis se didicisse fateatur; æquum est ut audiatur ipse Boëtius ante D. Thomam prædictæ distinctionis author. Ita igitur habet lib. 5. prosâ ultimâ. *Hìc si dicas: quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse; quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere; meque ad hoc nomen necessitatis adstringas: fatebor equidem rem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi divini speculator accesserit. Respondebo namque idem futurum cùm ad divinam motionem refertur, necessarium: cùm verò in sua natura perpenditur, liberum prorsùs atque solutum videri. Duæ sunt enim necessitates; simplex una, velutì quòd necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est.* Hactenus Boëtius. Quæ deinde etiam S. Thomas ita explicat, aut qui D. Thomę nomine Commentarius circumfertur: *Secundùm intentionem Boëtii,* inquit, *quidquid est prævisum à Deo necessariò evenit necessitate conditionata, sed non necessitate absoluta. Alii aliter solvunt; quòd illa propositio, est vera in sensu composito, sed falsa in diviso. Unde cùm dicitur; quidquid prævisum est, necessariò evenit; verum est in sensu composito: sed falsum in sensu diviso; quia eventus rei saltem contingens in se non est necessarius.*

Nec verò solus ille locus est, ubi S. Thomas hanc solutionem sensus compositi, & divisi, cum altera necessitatis consequentis, & consequentiæ conjungit. Hanc utramque iterùm refert S. Doctor lib. 1. cont. gent. cap. 67. ubi sic habet: *Prætereà si unumquodque à Deo cognoscitur sicut præsentialiter visum, sic necessarium erit esse quod Deus cognoscit; sicut necessarium est, Sortem sedere ex hoc quòd sedere videtur. Hoc autem non necessarium est absolutè, vel ut à quibusdam dicitur, necessitate consequentis, sed sub conditione, vel necessitate consequentiæ: hæc enim conditionalis est necessaria; si videtur sedere, sedet. Unde si conditionalis in categoriam trãsferatur, ut dicatur; quod videtur sedere, necesse est sedere, patet eam de dicto intellectam, & compositam, esse veram: de re verò intellectam, & divisam, esse falsam: & sic in his & in omnibus similibus quæ Dei scientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, secundùm Compositionem, & Divisionem falluntur.*

Hęc sanè non immeritò iis qui physicas motiones prævias negant, easque oppugnant, quisquam reponeret, *secundùm compositionem, & divisionem falluntur*: tum quòd non intelligant hoc utrumque dictum, scilicèt, quod præscitum vel præordinatum, & prædefinitum est à Deo, necessariò eveniet, aut voluntas à Deo præmota necessariò aget, divinæque motioni obsequetur: hoc inquam dictum, & compositionem, & sensum compositum efficere; & verum esse, & necessarium necessitate consequentiæ; non ideò tamen verum esse ac necessarium necessitate consequentis: cùm certum sit utrumque in se se, & divisim sumptum, ipsumque consequens, scilicèt ipsum effectum præordinatum, vel actionem voluntatis præmotæ absolutè, & simpliciter necessariam non esse; sed effectum à Deo præordinatum contingentem esse, & actionem voluntatis esse liberam.

Sed prætereà etiam *circa compositionem, & divisionem falluntur*; cùm pravè eam distinctionem explicant, & interpretantur, scilicèt eo pravo sensu quòd voluntas sub ipsa motione divina nullam potentiam servet dissentiendi, vel aliter agendi, sed solùm secluſa, & veluti excussa divina motione. Pravus enim sensus est; & mirum est adeò parùm primis Institutionum, & Summularum, ut vocant, Logicæ principiis imbutos esse qui ita explicant. Ab ipso certè S. Thoma didicisse potuissent, ista duo posse conjungi, non equidem actum dissentiendi cum ipsa divina motione ut efficaci, & ut est ex intentione Dei, actuque quem efficit, in quo positus est sensus compositus: sed ipsam potentiam dissentiendi cum ipsa divina motione, & actu qui ab ejus vi, & efficacia derivatur, quod ad sensum divisum pertinet.

Unde S. Thomas cùm sibi objeciſſet qu. 23. de verit. art. 5. idem argumentum quod nobis objici sæpiùs solet à Recentioribus, nimirùm: *quando effectus est contingens propter cõtingentiam secundæ causæ, primâ causâ necessariâ existente; non esse effectus* (sive non positio effectus) *potest simul stare cùm esse causæ primæ, sicut arborem non florere in vere, potest esse cum motu Solis; sed non esse* (sive non positio) *ejus quod est volitum à Deo, non potest stare cum Divina voluntate; hæc enim sunt duo incompossibilia, quòd Deus velit aliquid esse, & illud non sit: ergo contingentia causarum secundarum non impedit quin à Deo volita, sint*

necessaria propter necessitatem Divinæ voluntatis.

Respondet S. Doctor huic argumento, paucis equidem, sed quæ maximam ratiocinandi materiam suppeditarent, nisi ea quæ ad hujus sensus compositi & divisi explicationem pertinent, his etiam qui prima Philosophiæ limina lustrarunt, satis explorata essent. Respondet igitur, *quòd quamvis non esse effectus Divinæ voluntatis non possit simul stare cùm Divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum Divinæ voluntatis, simul stat cum Divina voluntate. Non enim sunt ista incompossibilia; Deus vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur: quia composita est, & conjungit actum cum actu.*

Sed quamvis ea quæ hactenus dicta sunt, & solvendę objectioni sufficiant, & solutionem à Divo Thoma acceptam esse satis probent: non est tamen prętereundum id quod habet idem S. Doctor 1.p. qu.14. art. 13. ubi plura addit scitu dignissima, tanta erat S. Thomæ ingenii copia in rebus Theologicis planè inexhausta. Objicit itaque sibi. *Omne scitum à Deo, necesse est esse; quia etiam omne scitum à nobis, necesse est esse, cùm tamen scientia Dei certior sit quàm nostra: sed nullum contingens futurum, necesse est esse: ergo nullum contingens futurum est scitum à Deo.*

Respondet autem S. Thomas duplici distinctione, prima est de re, & de dicto, de quâ aliqua jam suprà diximus, quæ frequens erat apud Veteres, & cujus vix quisquam nunc in scholis meminit; sed nihil est ex tota Theologica supellectili quod S. Doctor in suam Summam velut thesaurum nō congesserit. Altera verò, & secunda distinctio est sensus compositi, & divisi, quę reipsà cum priori convenit, & quam explicat satis fusè Sanctus Thomas. Respondet igitur. *Hæc propositio, Omne scitum à Deo, necessarium est esse, consuevit distingui: quia potest esse vel de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est divisa, & falsa; & est sensus; omnis res quam Deus scit, est necessaria: vel potest intelligi de dicto, & sic est composita, & vera & est sensus, hoc dictum, scitum à Deo esse est necessarium.*

Atque hanc etiam distinctionem à quorundam Theologorum argumentis eodem loco defendit idem S.Doctor; unde sic statim prosequitur. *Sed obstant quidam dicentes, quòd ista distinctio habet locum in formis separabilibus à subjecto, ut si dicam, album possibile est esse nigrum, quę quidem de dicto est falsa, & de re est vera; res enim quæ est alba, potest esse nigra: sed hoc dictum, album esse nigrum, nunquàm potest esse verum. In formis autem inseparabilibus à subjecto non habet locum prædicta distinctio; ut si dicam; corvum nigrum possibile est esse album, quia in utroque sensu est falsa: esse autem scitum à Deo, est inseparabile à re, quia quod est scitum à Deo, non potest non esse scitum.* Verum subdit statim S. Thomas. *Hæc autem instantia locum haberet, si hoc quod dico scitum, importaret aliquā dispositionem subjecto inhęrentem: sed cùm importet actum scientis, ipsi rei scitæ (licèt semper sciatur,) potest aliquid attribui secundùm se, quòd non attribuitur ei inquantùm stat sub actu sciendi; sicut esse materiale attribuitur lapidi secundùm se, quòd non attribuitur ei secundùm quòd est intelligibile.*

Hęc D. Thomas, quæ facilè etiam à minùs in Theologia provectis intelligi possunt, si modò cùm otio, & aliqua animi attentione ea perpendant. Nec verò turbare quenquam debet quod ibi inquit S. Doctor, scilicèt *quòd hæc instantia locum haberet, si hoc quod dico scitum, importaret dispositionem subjecto inhærentem.* Unde existimare aliquis forsitan posset, illud adversari sententiæ de Divina motione impressa voluntati. Verùm aperta res est: intelligit enim S. Thomas de dispositione subjecto inhęrente, quæ oritur ex ipsa subjecti natura, & cum ipsa necessariò conjungitur, ut exemplo nigredinis corvi satis liquet, quam separari impossibile est: unde apud veteres frequens pro re impossibili designanda, adagium, albo simillima corvo, aut è contrà, nigro simillima cygno: non autem de dispositione solùm transeunte, quæ ad producendum effectum, non perficiendum subjectum ordinatur. Nam alioquin satis superque suprà ostendimus, admissam fuisse à S. Thoma virtutem Divinam voluntati humanæ impressam, quæ sit complementum virtutis activę ipsius voluntatis, quæque sit ipsa applicatio voluntatis ad actum. Quæ sanè non est dispositio propriè inhęrens, & ut inhæręat maneatque impressa voluntati; sed est per modum virtutis transeuntis quâ solùm movetur ad actum, ut est motio instrumenti, quę instrumentum in se se propriè non mutat ea immutatione quę maneat in instrumento, sed quæ solùm instrumentum movet ut agat. Et sanè cùm S. Thomas de scientia Dei practica agat, & de scientia visionis quæ rem ipsam efficit; excludi non potuit quæcumque dispositio, quæ subjecto inhæreret actumque efficeret; sed ea solùm quæ immobiliter inhęret subjecto: quod satis significat exemplum vel nigredinis corvi, vel albedinis cygni, quod alibi usurpat, scil. in primo dist. 38. qu. 1. art. 5.

Igitur, ut omnia colligam, cùm variis terminis idem argumentum concipi, & nobis à Recentioribus objici sępe soleat, varia etiam adhibenda est solutio. Cùm itaque objicitur: Necessarium esse quòd voluntas agat quæ prævièmovetur à Deo; distinguendum est: necessarium est necessitate conditionata, seu necessitate consequentiæ, verissimum est; necessarium necessitate absoluta, vel necessitate consequentis, negandum est. Idest, ea conditionalis vera est, eaque consequentia legitima: si Deus voluntatem hominis movet, ipsa voluntas movetur, & agit: sed tamen ipsum consequens in se, scilicèt voluntatem agere quæ movetur, nullam absolutam necessitatem trahit; ratione toties repetita, quia scilicèt causas creatas movet Deus juxta earum capacitatem, & ut rerum natura, & conditio exigit. Quòd si his terminis argumentum con-

ceptum

ceptum sit, scilicèt, Voluntas præmota non potest non agere, distinguendum est, in sensu composito, est concedendum; in sensu diviso, negandum est.

Sed præterea aliter idem argumentum excipi potest: & eadem distinctio aliis terminis referri, quibus ratio ipsius distinctionis explicetur. Voluntas non potest non agere, vel non potest aliud agere, distinguendum est: si actus componatur cum actu, vel cum ipsa motione quæ actum efficit, verissimum est; si potentia conjũgatur cum actu, seu cum ipsa motione à qua actus oritur, est negandum. Sicut enim ejusdem lineæ repugnat duos esse terminos (quo exemplo utitur aliquando Sanctus Thomas) ita ejusdem potentiæ repugnat esse simul duos actus. Quare cùm Divina motio voluntatem hominis movet, ejusque actum efficit, repugnat, à voluntate actum oppositum reipsà conjungi. Verùm non repugnat, etiam cùm voluntas movetur, quin ipsa voluntas possit oppositum præstare: quia ut ex Divo Thoma retulimus, ista quidem incompossibilia sunt, & invicem repugnant; Deus hominem ad salutem promovet, & tamen homo à salute excidit: at ista non repugnant, sed inter se consentiunt: Deus hominem movet, impellitque ad agendum, & homo potest vel non agere, vel aliud agere.

Atque similis est ea solutio alteri quam habet Sanctus Thomas qu. 1. de potent. art. 5. Cùm enim statuisset, Deum plura posse facere quæ non facit, objicit sibi: *Deus non potest facere nisi quod præscit se facturum: sed non præscit se facturum nisi quod facit. Ergo Deus non potest facere nisi quod facit.* Eadẽ planè esse potest vis argumenti ubi de prævia motione agitur: cùm enim efficax esse supponatur, non immeritò objici potest; non potest voluntas agere nisi actum ad quem priùs movetur: Atquì non movetur v. g. nisi ad actum Divini amoris: Ergo non potest nisi Divini amoris actum efficere. Respondet autem Sanctus Thomas, & duplicem sensum qui latet in eo verbo *potest*, detegit. *Dicendum* inquit, *quòd hæc locutio, Deus non potest facere nisi quod præscit se facturum, est duplex; quia exceptio potest referri ad potest, vel ad actum qui importatur per hoc verbum* facere. *Si primo modo, tunc locutio est falsa; plura enim potest facere, quàm præsciat se facturum; & in hoc sensu ratio procedebat. Si autem secundo modo, sic locutio est vera, & est sensus, quòd non potest esse, quòd aliquid fiat à Deo, & non sit à Deo præscitum.* Hæc Sanctus Thomas, quæ commune argumentum facilè solvunt. Non potest voluntas efficere actum nisi ad quem movetur, distinguendum est: si exceptio referatur *ad potentiam*, neganda est Major, potest enim voluntas efficere actus omnes qui suæ potentiæ correspõdent, & in sua virtute, & potentia continentur: si exceptio referatur ad illud verbum *efficere*, concedenda est Major. Sensus enim est, nullum à voluntate actum effici ad quem voluntas non moveatur.

Alteram solutionem aliàs afferemus, ne quid argumento omninò profligando desit: scilicèt posse voluntatem etiam cum ipsa motione quâ ad unum actum impellitur, alterum etiam, & oppositum actum conjungere: sed tamen posse solùm potentia antecedente, non consequente; quia ipsa motio secundùm se, & veluti quoad entitatem spectata non pugnat cum altero actu oppositio. Sed de his aliàs.

Ex his ergo manifestè intelligitur, utrùm ista nova sint, aut recèns in scholam invecta, quę ex Boëtio, & S. Thoma desumpta sunt, ut alios præsertim S. Augustinum præteream; vel an ista satìs firma non sint, quæ nedum per quadringentos fermè annos in Schola S. Thomæ adoleverunt, sed quæ etiam à tempore Boëtii, idest à quinto sæculo, in quo vixit Boëtius, perpetuò, etiam cum applausu, à cæteris recepta sunt.

Verùm, non ante hinc discedam, quàm priùs retulero alia ex S. Thoma circa eandem distinctionẽ utriusq; sensus compositi, & divisi quam usurpat in aliis quæstionibus gravissimis. Neque enim ea distinctio solùm necessaria est, & usum habet ubi agitur de illa potestate agendi, & non agendi, quæ sub ipsa Divinę gratię motione in volũtate creata servanda est; sed etiam ubi agitur de eadem omnipotẽtia Divina quæ plura efficere potest quàm reipsà efficiat. Unde S. Thomas q. 6. de veritate ar. 4. ad 8. ubi de Prędestinatione agit, & utrùm numerus prędestinatorum sit certus? cùm sibi objecisset videri quòd huic certitudini opposita sit potentia divina, quę potest eum prędestinare quem nõ prędestinavit: *Respondet quòd de quolibet absolutè dici possit, quòd Deus potest eum prędestinare, vel non prædestinare: tamen supposito quòd prædestinaverit, non potest non prædestinare, vel è converso: & ideò dicitur communiter, quòd hæc, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare: in sensu composito est falsa, in diviso vera: & ideò omnes locutiones illę quę sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter.* Et verò si diceretur, non esse certum numerum prædestinatorum, & posse augeri vel minui: fieret sensus compositus, *quia* inquit S. Thomas *additio præsupponit illud cui fit additio, & subtractio illud à quo subtrahitur.*

Sed fusiùs eundem duplicem sensum explicat S. Thomas opusc. 39. de fallaciis cap. 6. ubi agit de fallacia compositionis, & divisionis, quam oriri inquit ex eo quòd ejusdem propositionis dictiones variè possint inter se componi vel dividi. Hæc tamen cùm ad prima Dialecticæ elementa pertineant, prætermittenda hìc sunt: sed hinc facilè quisque intelliget, à quo Præceptore hanc distinctionem, & distinctionis usum didicerint D. Thomæ Discipuli, nec novum videri meritò poterit, quòd eandem distinctionem usurpent, quam ipse S. Thomas toties usurpavit.

Verùm & ea distinctio antiquiorem adhuc authorem habet, scilicèt Magistrum sententiarum, qui quamvìs in SS. Patribus versatissimus, non alia tamen ratione faciliùs expediri posse existimavit

mavit eas de divina præſcientia quæſtiones deque divina prædeſtinatione conjuncta cum humanæ voluntatis libertate, quàm prælaudata diſtinctione ſenſus compoſiti, & diviſi. Unde lib. 1. diſt. 38. §. ultimo ita habet. *Ad hoc autem quod ſupra dictum eſt, ſcilicèt præſcientiam Dei falli non poſſe, ſolet à quibuſdam ita opponi. Deus præſcivit hunc lecturum, vel aliquid hujuſmodi: ſed poteſt eſſe ut iſte non legat: Ergo poteſt falli Dei præſcientia: quod omninò falſum eſt: poteſt equidem non fieri aliquid; & illud tamen præſcitum eſt fieri; non ideò tamen poteſt falli Dei præſcientia, quia ſi illud non fieret, nec à Deo præſcitum eſſet fieri. Sed adhùc urgent quæſtionē dicentes: aut aliter poteſt fieri quàm Deus præſcivit, Aut non aliter; ſi non aliter; ergò neceſſariò cuncta eveniunt: ſi verò aliter; poteſt ergo Dei præſcientia falli vel mutari: ſed poteſt aliter fieri, quia poteſt aliter fieri quàm fiat; ita autem fit ut præſcitum eſt: aliter ergo poteſt fieri quàm præſcitum eſt. Ad quod dicimus, illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, ſcilicèt, Aliter poteſt fieri quàm Deus præſcivit, & hujuſmodi, ut, poteſt non eſſe quod Deus preſcivit, & impoſſibile eſt non eſſe quod Deus præſcivit, & impoſſibile eſt non eſſe præſcita omnia quæ fiunt, & hujuſmodi: poſſunt enim hæc conjunctim intelligi, ut conditio ſit implicita, & disjunctim: ſi enim ita intelligas, non poteſt aliter fieri quàm Deus præſcivit, ideſt, non poteſt utrumque ſimul eſſe, ſcilicèt quòd Deus ita præſciverit fieri, & aliter fiat, verùm intelligis: ſi autem per diſiunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter non poſſe evenire, quàm evenit, & quomodo futurum Deus præſcivit, falſum eſt. Hoc enim aliter poteſt evenire quàm evenit, & tamen Deus hôc modò futurū præſcivit. Similiter & alia determinatio, ſcilicèt, impoſſibile eſt illud non evenire quod Deus præſcivit, vel cùm Deus præſcierit: ſi conjunctim intelligas, verùm dicis; ſi disjunctim, falſum. Ita etiam & illud, impoſſibile eſt, non eſſe præſcitum omne quod fit: ideſt, non poteſt eſſe utrumque ſimul, ſcilicèt ut fiat, & non ſit præſcitum; hic ſenſus verus eſt. Si verò dicis, Deum non potuiſſe non præſcire omne quod fit, falſum eſt; potuit enim facere ut non fieret, & ita non eſt præſcitum.*

Prætereà diſtinct. 40. §. 1. ejuſdem lib. 1. ubi quæritur. *Utrùm aliquis prædeſtinatorum poſſit damnari, vel reproborum ſalvari?* & utrùm certus, & determinatus ſit numerus electorum? ita eam difficultatem reſolvit. *Prædeſtinatorum nullus videtur poſſe damnari, nec reproborum aliquis poſſe ſalvari. Unde Auguſtinus in lib. de correctione & gratia, In Apocalypſi, inquit, dicitur: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: ſi alius non eſt accepturus niſi iſte perdiderit, certus eſt electorum numerus; ideſt, non poteſt augeri vel minui.* Statim autem deinde ſubjicit oppoſitam quorundam ſententiam, his verbis: *Ad hoc autem quidam objiciunt, nitentes probare numerum electorum poſſe augeri, & minui ſic: Poſſet Deus non apponere gratiam quibus apponit, & poſſet ſubtrahere quibus non ſubtrahit; quod ſi faceret, utique damnarentur; poſſent ergo damnari iſti, qui tamen ſalvabuntur: poſſet itaque minui electorum numerus. Ita etiam poſſet augeri, quia poſſet apponi gratia quibus non apponitur, per quam ſalvarentur; poſſent ergo ſalvari habitâ gratiâ, qui tamen ſine ea damnabuntur: poſſet itaque augeri numerus electorum.* Illud autem argumentum ita ſolvit.

Quibus reſpondemus, ex ea ratione dictum eſſe, & verum eſſe, numerum electorum non poſſe augeri vel minui, quia non poteſt utrumque ſimul eſſe, ſcilicèt ut aliquis ſalvetur, & non ſit prædeſtinatus; vel ut aliquis prædeſtinatus ſit, & damnetur. Intelligētia enim conditionis implicitæ veritatem facit in dicto, & impoſſibilitatem in vero. Si verò ſimpliciter intelligatur impoſſibilitas, non admittitur, ut cùm dicitur; prædeſtinatus poteſt vel non poteſt dānari; & reprobus poteſt ſalvari. In his enim & hujuſmodi locutionibus ex ratione dicti dijudicanda eſt ſententia dictionis: alia namque fit intelligentia, ſi per conjunctionem hæc accipiantur dicta, atque ſi per diſjunctionem, ut ſuprà cùm de præſcientia agebatur prætaxatum eſt. Si enim cùm dicis, prædeſtinatus non poteſt damnari, intelligas ita; ideſt, non poteſt eſſe ut prædeſtinatus ſit, & damnetur; verùm dicis: quia conjunctim intelligis. Falſum autem ſi diſjunctim; ut ſi intelligas iſtum non poſſe damnari, quem dico prædeſtinatum; potuit enim non eſſe prædeſtinatus, & ita damnaretur.

Denique alteram eorundem inſtantiam ſibi proponit & refert. *Veruntamen*, inquit, *adhuc inſtāt, & ſecundùm conjunctionem argumentādo ita procedunt. Non enim, inquiunt, poteſt eſſe ut aliquis prædeſtinatus ſit, & damnetur; utrumque iſtorum ſimul eſſe non poteſt, ſed alterum horum non poteſt non eſſe, ſcilicèt quin iſte ſit prædeſtinatus; ab æterno enim prædeſtinatus eſt, & non poteſt modò non eſſe prædeſtinatus. Cùm ergo impoſſibile ſit, ſimul utramque eſſe; & impoſſibile ſit, alterum non eſſe, videtur non poſſe alterum eſſe, ſcilicèt ut damnetur.* Cui inſtantiæ ita reſpondet.

In hujus quæſtionis ſolutione mallem alios audire quàm docere. Dicimus tamen de præſcientia ſimilē poſſe moveri quæſtionem. Ideoq; tam hìc quàm ibi unam facimus reſponſionem, dicentes, determinandū fore illud cui innititur tota hæc queſtio, ſcilicèt, impoſſibile eſt, alterum iſtorum nō eſſe, ſcilicet quin iſte modò ſit prædeſtinatus, ab æterno enim iſte prædeſtinatus eſt. Diſtinguendum enim eſt cùm ait; Iſte non poteſt modò eſſe prædeſtinatus, vel nō poteſt modò eſſe quin ſit prædeſtinatus. Hoc enim conjunctim vel diviſim intelligi poteſt: nō enim poteſt eſſe ut ab æterno ſit prædeſtinatus, & modò nō ſit prædeſtinatus; nec poteſt eſſe ſimul ut ſit prædeſtinatus, & non ſit prædeſtinatus: ſed tamen potuit eſſe ab æterno, quòd non eſſet prædeſtinatus, & potuit ab æterno nō eſſe prædeſtinatus: & ſicut ab æterno Deus potuit eū non prædeſtinare; ita conceditur à quibuſdam, quòd & modò poteſt Deus eum nō prædeſtinaſſe: ab æterno ergo poteſt Deus non prædeſtinaſſe eum: ergo potuit iſe non fuiſſe prædeſtinatus. Si verò non fuiſſet prædeſtinatus, nec modò eſſet prædeſtinatus: Ergo modò poteſt non eſſe prædeſtinatus. Ita & de præſcitis dicunt: quòd in actionibus, vel in operationibus

bns Dei, & hominum nullatenùs concedunt. Ex quo enim aliquid factum est, vel dictum, non concedunt quòd possit non esse, vel non fuisse quod factum est, vel dictum; referentes possibilitatem vel impossibilitatem ad naturam rei existentis: cùm verò de præscientia vel de Prædestinatione Dei agitur, possibilitas vel impossibilitas ad potentiam Dei refertur, quæ semper eadem fuit & est, quia prædestinatio, præscientia, potentia, unum in Deo est. Hæc paulò fusiùs referre placuit, ut apertum sit quàm necessaria existimata fuerit à Magistro sententiarum ea distinctio, ut non alio planè modo eos omnes nodos, qui in his gravissimis quæstionibus implicari solent, quàm ea distinctione dissolverit.

Sed demùm quod cætera superat, infinita propemodùm sunt in Scriptura Sacra, quæ vix ac ne vix quidem in proprio, & germano sensu explicari unquàm possint, nisi ea distinctione adhibita. Atque ut ex multis hoc unum attingam, hujusmodi est illud 1. Joannis 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare quoniam ex Deo natus est.* Quo sensu enim negari potest, hominem in gratia, vel sub divinæ gratiæ motione constitutum posse peccare, nisi conjunctim ista intelligantur? Atque eo sensu intellexit S. Thomas 2.2. qu. 24. de Charitate artic. 11. ubi cùm inquirit, utrùm Charitas semel habita possit amitti, inquit, quòd si consideretur *Charitas ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum, ex hac parte Charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus S. qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est, hæc duo simul,* (ideſt conjunctim & in sensu composito) *esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum Charitatis, & quòd ipse Charitatem amittat peccando*: & eo sensu inquit ad primum ea Joannis verba esse intelligenda *secundùm potestatem Spiritus Sancti, cujus conservatione à peccato immunes redduntur quos ipse movet quantùm ipse voluerit.*

Quòd ad S. Augustinum attinet, infinita propemodùm colligi possunt, ubi inquit, quòd *voluntas Dei mihi est necessitas* l. 3. de libero arbitrio cap. 3. quòd adjutorium *quo* tale est ut perseverantibus *perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine ipso perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint,* l. de corrept. & grat. cap. 12. & infrà: *si in tanta infirmitate vitæ hujus... ipsis relinqueretur voluntas ut in adjutorio sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.*

Quibus omnibus locis cùm negatur posse voluntatem perseverare, aut asseritur ècontrà non posse non perseverare, ac divina voluntate necessitatem imponi; necesse est ea explicari ut D. Thomas illud ejusdem S. Augustini explicuit in Enchirid. cap. 103. *Nullus fit salvus nisi quem Deus voluerit salvari, & ideò rogandus est ut velit, quia necesse est fieri si voluerit.* Quod S. Thomas de necessitate conditionata, & in sensu composito intelligendum esse asseruit 1. par. quæst. 19. artic. 1. Atque hæc omnia satìs significant, necessarium esse præfatæ distinctionis sensus compositi, & divisi usum: ut etiam quæ ex D. Thoma retulimus evincunt, nedum usurpatam quomodocumque esse à S. Thoma eam distinctionem, sed omninò etiam eodem sensu ab ipsomet S. Doctore fuisse usurpatam ad solvenda eadem planè argumenta quæ ipsius Discipuli ea distinctione solvunt.

ARTICULUS V.

Observatio ex D. Thoma, & Cajetano: quidquid perfectionis in libertate, & necessitate est scil. indifferentiam, & immutabilitatem, simul conjungi, & ex Divina motione oriri.

ETsi ea quæ hactenùs dicta sunt à nobis ex D. Thoma de necessitate tum absoluta, tum conditionata, satìs superque argumentum objectum diluant; non est tamen prætermittenda profunda altera D. Thomæ observatio, quam Cajetanus fusiùs explicuit: & quâ prima radix detegitur, unde oriri possit, necessitatem conditionatam, de qua jam multa diximus, sive quidquid in necessitate perfectionis est, scilicèt immutabilitatem, secluſa alligatione naturali ad unum, cum libertate posse conjungi. Et erit ea observatio eò opportunior quòd Cajetanum reprehendere plurimi soleant, quem tamen maximè suspicere debuissent, in ea quæstione, in qua nihil veriùs, nihil profundiùs, & ad pietatem etiam fovendam nihil accomodatiùs, dici unquàm potuit iis quæ Cajetanus ex D. Thoma observavit.

Observat igitur Cajetanus 1. p. qu. 22. in Comment. art. 4. ex divina providentia dubitationem oriri admodùm arduam, *& fortè humano intellectu insolubilem.* Etsi enim, inquit, non admodùm difficile sit, libertatem voluntatis cum efficacia, & infallibilitate divinæ providentiæ conciliare ex principiis à D. Thoma constitutis, tum quia ea efficacia aut infallibilitas nihil dat potentiæ voluntatis ad utrumlibet, nihilque ab ea aufert, nihil, inquam, quod indifferentiam activam absorbeat, vel constringat, quamvis indifferentiam passivam solvat, & determinet; cùm Deus voluntatem semper moveat juxtà ejus conditionem, & quatenùs est rationalis potentia ad oppoſita, ita ut eam potentiam, & indifferentiam activam semper, & integram, & illæsam servet: attamen, inquit Cajetanus, quantùm ad ipsam re-

rum

rum executionem, & rerum eventum, infallibilitatem divinæ providentiæ cum libero, & tamen inevitabili rerum eventu conciliare, *hoc opus, hic labor eſt. Si enim infallibile eſt*, inquit, *me diluculo proximè futuro ſcripturum*, quamvis potentiam integram habeam, ut ſcribam tunc, vel non ſcribam, imò & eam potentiam integram ſervaturus ſim, etiam cùm actu ſcribam; attamen & inevitabile, & infallibile eſt, quòd ſcribam, etſi liberè ſcribam. Et cùm jam ab æterno ita divina providentia ordinaverit, ac divina præſcientia præſcierit; nec poſsit quod à Deo prædefinitum, & præſcitum eſt, aut retardari aut impediri: inde conſequitur omnia inevitabiliter, omnia infallibiliter eventura, quamvis quædam contingenter, quædam liberè, quædam neceſſariò eventura ſint. Quòd ſi ita ſit, inquit Cajetanus, ut quid conſiliamur, & ad ea potiùs quàm alia, & proſequenda, & vitanda enitimur? nihilo enim minùs ex ea rerum inevitabilitate quam fateri omnes neceſſe eſt, quos illud Apoſtoli non latet, *voluntati ejus quis reſiſtit*? & illud Eccleſiæ, *Deus cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur*: ex eo inquam infallibili, & inevitabili rerum eventu, non minùs quàm ſi nulla eſſet in rebus contingentia, & omnia neceſſariò evenirent; & Philoſophia moralis & Chriſtiana, & conatus omnis, aut oratio Eccleſiæ, omniſque exhortatio ad bonum funditùs everti videntur. *Nullus enim*, inquit Cajetanus, *conſiliatur de inevitabili, nec aliquis conatur, aut hortatur, aut orat circa inevitabilia*. Nec verò quidquam juvat, ſi quis dixerit, & eam exhortationem, & eum conatum, & alia ejuſmodi tanquàm futura media, ad futurum eventum tanquàm finem conſequendum, eſſe & præſcita, & præordinata: recurrit enim, & ultrò ſe ſe ingerit eadem difficultas: cùm illa oratio, & ille conatus, & eadem omnia inevitabilia ſint. Ut quid igitur conſiliamur, aut ad unum potiùs quàm alterum proſequendum enitimur, nec nos ſinimus in eam partem ferri, in quam nos ſors tulerit, rejectis conſiliis, neglectaque omni nos regendi induſtria?

Hæc ferè Cajetanus, in quibus animadverti facilè poteſt, præcipuam, & fortè ab humano intellectu inſolubilem difficultatem verſari, non circa aliquam ſingularem D. Thomæ, & ejus ſcholæ ſententiam, ſed circa ipſa fidei ac religionis principia. Facilè enim alioquin intelligi hęc duo poſſunt quę habet D. Thomæ ſententia: alterum, divinam providentiam conciliari cum humana libertate, quia Deus movet voluntatem juxta ejus conditionem, & ſubſtantiam actûs, & modum ipſius, libertatem ſcilicèt, efficit: alterum verò, etiam libertatem cum ipſa infallibilitate eventûs conjungi: quia ut egregiè Cajetanus ex D. Thoma obſervat, inevitabile ſuperius, & altius eſt contingente, neceſſario, & libero; atquè adeò rectè colligi non poteſt, eventum rei neceſſarium eſſe, ex eo quòd inevitabilis ſit, cùm utrumque eſſe poſsit; ſi quidem inevitabile tanquàm quid communius cætera infra ſe poſita comprehendit, ſcilicèt liberum, neceſſarium, & contingens.

Non igitur præcipua hujus controverſię difficultas in eo poſita eſt, quod docuit D. Thomas, ſummam eſſe divinę providentiæ efficaciam, ex qua & actus voluntatis infallibiliter, & tamen contingenter ac liberè conſequitur: ſed hujus graviſsimæ difficultatis cardo in eo volvitur, quòd ſi infallibiliter, & inevitabiliter eventurum ſit quidquid divina providentia ordinaverit, & conſilium omne, & ſtudium virtutis everti videantur. Quantumvis enim, & conſilium, & virtutis ſtudium in poteſtate hominis poſitum ſit; eveniet tamen dubio procul, & infallibiliter eveniet quidquid divina providentia eventurum eſſe conſtituit. Atque ea ſanè difficultas eſt, quam neceſſe eſt à Theologis omnibus cujuſcumque ſententię ſint, ſolvi, cùm præcipuum religionis caput impetat, & ex qua olim omnium Philoſophorum ingenia velut è cruce pendebant; quorum aliqui hujus difficultatis pondere oppreſſi, ut homines facerent liberos, ut inquit D. Auguſtinus fecere ſacrilegos, negata omni divinæ providentiæ efficacia.

Non me latet equidem, quid in ea difficultate reſolvenda Theologi afferre ſoleant, ut fidem ac religionem defendant, & totius Chriſtianæ Philoſophiæ, ac moralis primum fundamentum ſtabiliant: ſed omninò egregia viſa eſt Cajetani obſervatio quàm ex D. Thoma deprompſit; & quam his quę ſuperiùs dicta ſunt plurimùm lucis allaturam exiſtimavi.

Obſervat igitur Cajetanus ex ſumma eminentia divinæ providentiæ ac divinæ prędefinitionis (quod & idem ſentiendum eſt de divina motione, quę divinę prędefinitionis executio quędam eſt, ut ſępius diximus:) aliquid altius, quàm ſit evitabilitas aut inevitabilitas oriri, & modo quodam eminentiori utrumque reperiri, neque ex negatione unius, alterum poſſe colligi: unde ſi quis rectè perpendat, nunquàm inferri poſſe v. g. quod divina providentia conſtituit eſt evitabile: Ergo non eſt inevitabile. Utrumque enim eſt, & evitabile, & inevitabile, modo quodam ſuperiori, quàm in rebus ſi in ſeipſis ſpectentur reperiri poſſit. Atque etiam pari ratione nunquàm hujuſmodi conſequentię admittendę ſunt: Eventus à Deo proviſus eſt liber: Ergo non eſt neceſſarius, ea neceſſitate qua diximus, & quàm D. Thomas vocat immutabilitatis, qualis nec Deum dedecet: aut ècontrà: Eventus à Deo proviſus eſt neceſſarius eadem neceſſitate: Ergo non eſt liber; neutrum enim ſeorſim ſumptum aut negandum, aut affirmandum eſt, ſed utrumque ſimul affirmandum, propter ſummam illam, & infinitam tum diuinæ providentiæ, tum divinę motionis efficaciam quę utrumque comprehendit.

Idque etiam probat Cajetanus ratione ex Divo Thoma deſumpta. Cùm enim certum ſit, Deum eſſe cauſam ſuperexcedentem, & infinitam, & quę eminenter prębabet, & contingentia, & neceſſaria; inde neceſſe eſt concedi, utrumque à Deo

effici posse, & utrumque rebus productis imprimi, contingentiam scilicèt, & necessitatem; modo quodam eminentiori, ut divinæ providentiæ subjiciuntur, quàm si in seipsis seorsim spectarentur. Atque ea ratione, ut notat Cajetanus, solvit Divus Thomas argumentum quod sibi objecerat 1. par. quæst. 22. art. 4. nimirùm, *omnis effectus qui habet aliquam causam per se, quæ jam vel est, vel fuit, ad quam de necessitate sequitur; provenit ex necessitate, ut Philosophus probat, in 6. Metaphys.* Ita enim hoc argumentum solvit D. Thomas. Quòd licet ita se res habeat in causis particularibus, & limitatis, quæ cùm utrumque non habeant, & contingentiam, & necessitatem, utrumque etiam efficere non possunt: At verò secùs se res habeat in causa infinita, quæ rerum modos omnes superexcedit, & continet: hæc enim utrumque pro varia cujusque rei conditione efficere potest, & contingentiam in rebus contingentibus, & libertatem in liberis, & necessitatem in necessariis.

Sed audiendus est Cajetanus, in cujus etiam verbis magna vis posita est. Ita verò habet, & difficultatem explicatam resolvit. *Ego autem non ut opponam me contra torrentem, nec asserendo, sed stante semper captivitate intellectûs in obsequium Christi, suspicor, quòd quemadmodûm esse provisum, nec contingentiam nec necessitatem ponit in eventu proviso, ut in littera* (Articuli D. Thomæ) *dicitur, quia scilicèt Deus est causa superexcedens, eminenter præhabens necessaria, & contingentia: per hoc enim evadit S. Thomas ab illa ratione 6. Methaphys. hìc allata* (eamque solvit, scilicèt effectus qui habet causam per se, quæ jam est, vel fuit, ad quam de necessitate sequitur; etiam provenit ex necessitate:) *Intendit enim quòd propositiones Aristotelis verificantur in causis particularibus, quarũ aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes, aliæ per se, aliæ per accidens; non autem in causa universalissima excedente necessarias, & contingentes per se, & per accidens; quoniam ad eam spectat producere effectus electos, non solùm res, sed etiam omnes rerũ, & eventuum modos: ita elevando altiùs mentis oculos, ipse Deus ex sua altiori quàm cogitare possumus excellentia, sic rebus eventibusque providet, ut esse provisum ab eo sequatur aliquid altiùs, quã evitabilitas, & inevitabilitas; ut sic ex passiva provisione eventûs, neutrius combinationis alterum membrum oporteat sequi.*

Fallit igitur hìc ea communis Philosophiæ regula, quâ dicitur, quòd ex duobus oppositis, si unum negetur, alterum affirmari necesse est: ex quo consequi videtur, quòd si eventus rei præviſus aut prædefinitus sit necessarius, non possit esse liber, aut contingens. Fallit, inquam, ea regula: quia utrumque concedendum est, nec propriè liberum, & necessarium opponuntur in effectibus prædefinitis. Quamvìs enim in rebus seorsim sumptis, & secundùm se spectatis in quibus ea Philosophiæ regula obtinet, liberum, & necessarium opponantur: attamen ut res divinæ providentiæ, aut divinę præscientiæ subsunt ac subjiciuntur; utrumque habent modo quodam altiori, ea lege, quâ ea quæ sunt dispersa in rebus inferioribus, aut inferiori ordine, in rebus superioribus, & altiori ordine colliguntur: cujus plura exempla infrà subjicienda sunt. Sed in primis ea omnia ex D. Thoma confirmanda sunt.

Confirmatur itaque ex D. Thoma, ex quo Cajetanus ista desumpsit, tum 1. par. quæst. 22. art. 4. tum etiam quæst. 39. art. 1. Ut enim vera, & quæ, quantùm quidem fieri potest, summam divinitatis eminentiam non dedeceat, cogitatio habeatur; existimandum est unicam esse in Deo rationem formalem, non purè absolutam, nec purè relativam, nec communicabilem, aut incommunicabilem tantùm, sed quæ eminentissimè utramque rationem habeat, & absoluti, & relativi, communicabilis, & incommunicabilis, & quę juxtà Dionysii loquendi modum, non tam absoluta quàm superabsoluta, & superrelativa dicenda sit; & perfectiones omnes simpliciſsimè, & unitiſsimè comprehendat, juxtà ejusdem Dionysii regulam, quæ in inferioribus divisa sunt, intimiùs perpetuò, & magìs ac magìs uniri, quò altiùs evehuntur. Etenim inquit D. Thomas in 1. dist. 2. quęst. 1. art. 3. *Ut dicunt Dionysius, & Anselmus, in Deo præeminenter existit quidquid perfectionis in creaturis est. Et hæc eminentia attenditur, quantùm ad tria: scilicèt quantùm ad universalitatem; quia in Deo sunt omnes perfectiones adunatę, quæ non congregantur in aliqua una creatura: item quantùm ad plenitudinem; quia est ibi sapientia sine defectu, & similiter de aliis attributis, quod non est in aliis creaturis: item quantùm ad unitatem; quę enim in creaturis divisa sunt, in Deo sunt unum. Et quia in illo uno habet omnia: ideò secundùm illud unum causat omnia, cognoscit omnia, & omnia sibi per analogiam assimilantur.* Hæc præclarè D. Thomas, quibus simillimum est quod inquit Clemens Alexandrin. 4. strom. quòd *Deus est circulus omnium potestatum, quę in unum circumvolvuntur, & uniuntur.* Igitur ex hac triplici dote, *Universalitate, Plenitudine, Unitate*, consequitur perfectiones omnes esse in Deo non tam unìtas, quàm unum; & in Deo unicam esse rationem quæ instar centri indivisibilis omnia comprehendit; quæque simul, & Trinitas, & Unitas, & absoluta, & relativa, & communicabilis, & incommunicabilis sit. Quin etiam, quod propiùs ad nostrum institutum accedit, sed quod magnitudine ingenia omnia penè opprimit; eadem unica, & simplicissima ratio, aut entitas actûs, est & libera simul, & necessaria, seu simul necesitas est, & libertas: & quod dubio procul magìs mirum videri potest, eadem unica, & simplicissima ratio, aut res, est & volitio, & nolitio, quantumvis ea opponi videantur: ita enim necesse est *Universalitate* omnes perfectiones comprehendi, *Plenitudine* nihil ipsis deesse, *Unitate* esse unum.

Atque inde fit eas omnes rationes, quæ in rebus aut scientiis inferioribus distinguuntur, nec simul jungi posse videntur, cùm circa Deum versantur veluti in mutuum fœdus coïre, seque mutuò, com-

complecti. Ita enim ſpeculatio, & praxis quę, ut docet D. Thomas, Ariſtotelem, & rationem ducem ſequutus, ſcientias dividunt; cùm primùm ad Deum, & Divina evehuntur, amiſſa limitatione quæ oppoſitionem efficit, ſimul conveniunt: unde & Beatifica viſio, ipſaque Theologia, ac Fides utrumque munus exercent, ſpeculativi, & practici: nam & Fides intellectum purificat, & per dilectionem operatur.

Quin etiam adeò D. Dionyſii principium obtinet, adeoque conſtans eſt ea eminentiæ prærogativa, ut quoties altior aliquis ordo reperitur, toties ea quę in ordine inferiori nullum conſortium ferre poſſunt, nullumque fœdus inire, in ordine ſuperiori jungantur. Ita enim in ipſis ſpeciebus quas intentionales vocant, ſeu in ipſis rerum imaginibus ſimul album, & nigrum, calidum, & frigidum præſentantur, quæ ſe ſe potiùs deſtruunt, quàm conjungi poſſint. Cujus rationem reddit D. Thomas 1. part. quæſt. 14. art. 1. *quòd coarctatio formæ ſit per materiã*, quæ imperfectiſſima eſt, & primus veluti naturæ, & rerum è nihilo emergentium gradus: *unde quò formę ſunt magìs immateriales, ſecundùm hoc magìs accedũt ad quandam infinitatem.* Quod potiſſimùm etiam obſervat D. Thomas in ſpeciebus quibus utuntur Angeli. *Talis* enim eſt, inquit D. Thomas 1. par. quęſt. 57. art. 1. idem principium ſuprà conſtitutum aliter verſans: Talis *eſt ordo in rebus, quòd quę in inferioribus continentur deficienter, & partialiter, & multipliciter; in ſuperioribus continentur eminenter, & per quandam totalitatem, & ſimplicitatem.* Et ut iterũ addit ſequenti Articulo: *Hoc habet ordo rerum, quòd quantò aliquid eſt ſuperius, tantò habet virtutem magìs unitam, & ad plura ſe extendentem; ſicut in ipſo homine patet, quòd ſenſus communis qui eſt ſuperior quàm ſenſus proprius, licèt ſit unica potẽtia, omnia cognoſcit quę quinque ſenſibus exterioribus cognoſcũtur, & quędam alia quę nullus ſenſus exterior cognoſcit, ſcilicèt differentiam albi, & dulcis.* Unde fit, ſpeciebus quibus utuntur Angeli, res omnes diſparatas, & diverſorum, etiam generum, oppoſitaſque, poſſe ſimul repręſentari, plantas, animalia, univerſalia, & ſingularia: unde cõtingit in ordine intelligibili omnia in una ſpecie uniri, & illius beneficio eſſe unũ, ſicut una ſpecie repræſentantur.

Atque ex his omnibus quæ fusè ſatìs enumeravimus, compertiſſimum eſt, quod ſupra ex Cajetano notavimus, ex unius affirmatione, alterius negationem non poſſe colligi. Neque enim, ut exempla ſuperiùs uſurpata hùc advocem, unquàm inferri poteſt: Eſt in Deo veriſſima unitas; Ergo nulla Trinitas eſt: Et vice verſa, eſt Trinitas; Ergo non eſt unitas. Ac ſimiliter Divinæ voluntatis actus ſummè neceſſarius eſt; Ergo non eſt liber: aut contrà; eſt actus ſummè liber; Ergo non eſt neceſſarius. Imò quod, ut notavimus ſuprà, magìs mirùm videri poteſt, nec etiam ea conſequutio obtinere poteſt: Eſt volitio; Ergo non eſt nolitio: aut è contra, Eſt nolitio; Ergo non eſt volitio. Utrumq; enim eſt, cùm ſit unica ſimpliciſſima ratio in Deo quâ ex ſumma *Univerſalitate, Plenitudine, Unitate*, omnia comprehendit, omnia unum ſunt, Unitas & Trinitas, libertas, & neceſſitas, volitio & nolitio, & quæcumque perfectiones unquàm poſſunt intelligi; quod de his etiam quę ſpeciebus intelligibilibus repræſentantur dici poteſt.

At verò, quòd de his quæ jam retulimus dictum eſt, de rebus omnibus prævisis, præordinatis, ac præſcitis omninò dictum puta. Cùm enim res omnes, ut Divinæ providentiæ, ac Divinæ præſcientiæ ſubjiciuntur, ad altiorem ordinem pertineant, quàm ſi in ſeipſis, & ſeorſim ſpectarentur; fit inde, ut amiſſa ea limitatione, & oppoſitione, quâ inter ſe ſe pugnant, quamvìs eadem res in ſe, & neceſſaria, & contingens aut libera eſſe non poſſit: attamen vt Divinæ providentiæ ſubjicitur, ad altiorem ordinem evecta, eminentiori quodam modo utrumque ſit. Unde non ſequitur, Eventus præordinatus aut præſcitus evitabilis eſt, aut contingens, & liber: Ergo non eſt inevitabilis aut neceſſarius: utrumque enim eſt, & evitabilis ſeu liber & contingens, & inevitabilis ſeu neceſſarius. Cùm enim Divina voluntas utramque dotem habeat, & neceſſitatem, & libertatem, aut contingentiam eminentiſſimo quodam modo, & ſecluſis imperfectionibus: ita etiam, & neceſſitatem, & libertatẽ voluntati imprimere poteſt, cùm eam movet; aut veriùs, quod perfectionis eſt in neceſſitate ſimul, & libertate voluntati imprimit, ut diximus, ſcilicèt immutabilitatem neceſſitatis ſecluſa alligatione naturali ad unum, & amplitudinem libertatis excluſa potentialitate indifferentiæ ad omnia.

Unde & Cajetanus iterum 1. par. quæſt. 14. art. 13. omninò ad ſuperiora conſentaneè, ita inquit, *Cùm regulare ſit quòd ſuperius præhabet in ſe unitè, quæ in inferioribus ſunt ſparſa, conſequens eſt ut cauſa prima ſuperior neceſſariis, & cõtingentibus præhabeat in ſe non formaliter, ſed eminenter naturam, & modum cauſarum neceſſariarum, & contingentium; & ſit cauſa utrorumq; & cooperetur utriſque ad earum proprios effectus ſecundùm modum earum. Et propterea nos quibus omnis cauſa videtur neceſſaria aut contingens, ſtupemus non prævalentes videre, quomodò una cauſa ſit communis neceſſariis, & contingentibus immediatè. Sed ſi elevemus mentis oculos in excellentius genus cauſæ, eminentioremq; cauſandi modũ, ceſſat ſtupor, & omnia conſonant; quamvìs remaneamus in caligine, non intuentes illum modum, quo omnibus intrinſecè illabens, cunctis juxta ſuos modos cooperatur. Et hoc eſt valde attendendum in hujuſmodi materiis.* Huc uſque Cajetanus.

Hactenus pro defendenda non tam Divi Thomæ ſententia, quàm ipſa religionis Chriſtianæ fide, & Divinæ providentiæ aut præſcientiæ certitudine, cui videtur vehementer opponi, quòd ſi eventus rerum quæ præſciuntur certò futurus ſit, & inevitabilis; inutilis ſit omnis conatus, inutile conſilium, omniſque Moralis deſtrui, & everti funditus videatur. *At verò ſi ſic*

est, inquit & piè, & solidè Cajetanus, loco superiùs citato ex quæst. 22. in eam altitudinem, & eminentiam Divinæ providentię quę omnia complectitur, omnia quantumvìs adversa, & oppositа conjungit, facitque concordiam in sublimibus, oculos conjiciamus, *quiescet intellectus, non evidentiâ veritatis in specie, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ.* Et hoc, prosequitur Cajetanus, *ingeniolo meo satis rationabile videtur: tum propter rationem prædictam*, ex ea eminentia, quę triplicem dotem, Universalitatem, Plenitudinem, & Unitatem complectitur: *tum quoniam, ut ait Gregorius, minùs de Deo sentit, qui hoc tantùm de illo credit, quod suo ingenio metiri potest. Nec propterea negandum est*, inquit, *aliquid eorum quæ ad Divinam immutabilitatem, actualitatem, atque universalitatem spectare scimus, aut ex fide tenemus*: sed occultum aliquid latere existimandum est, quod nos fugit, aut summâ evidentiâ percipi non potest: & aliquem esse opportet, ut loquitur Cajetanus, *glutinum* inter eventum, & esse provisum, quo eventus altiùs attrahitur, & evehitur, ut simul & liber, & contingens esse possit. *Et Janè*, inquit laudatus author, *intellectum animæ nostræ oculum noctuæ esse considerans, in ignorantia sola quietem illius invenio.* Quę verba licèt plurimi ex Recentioribus reprehendant, pietatis tamen plenissima sunt, quibus ex Augustino plurima simillima referre promptissimum esset: & ex ipso etiam Apostolo, cùm ad Divinæ prædestinationis arcana penè attonitus exclamat. *O Altitudo! In sola enim admiratione* inquit Augustinus *fundum reperit ubi pedem figeret.* Neque enim hìc de cujusque scholæ singulari sententia agitur, sed de ipsa fide Ecclesię, & communi omnium sententia, quæ si prędefinitiones neget, ipsam tamen providentiam, & prescientiam infallibilem esse, & eventum omninò inevitabilem esse agnoscit.

Hæc pro explicanda illa non tam Cajetani quàm D. Thomę observatione, quę mirum in modum ea quę superiùs dicta sunt illustrat. Ita enim libertas, & species quædam necessitatis, seu immutabilitas, in eodem actu voluntatis humanæ conciliantur, ut idem actus liber dici possit absolutè, & necessarius conditionatè: liber simpliciter, necessarius ex suppositione; liber secundùm se spectatus, & ut est à voluntate humana, necessarius, ut subjicitur Divinę providentię; quamvìs etiam ex Divinę providentię efficacia libertas, ut diximus, in actum voluntatis humanæ derivetur. Unde tandem liber dumtaxàt dicendus sit, si spectetur in ordine rerum inferiori; liber verò simul & necessarius aut immutabilis, si in ordine superiori, & altiori spectetur.

Cæterùm, ex his omnibus unum animadverti velim, quòd ad Cajetani veram sententiam in hac de prævia motione controversia intelligendam summè necessarium est: illud enim ab Erudito Lectore observari velim: utrùm ea omnia quæ hactenus ex Cajetano retulimus, cùm principis Recentiorum consentiant. Perpetua enim, & constans est Recentiorum sententia, infallibilitatem eventus liberi in Divinam præscientiam, & humanam voluntatem, refundendam esse, quę se se pro suo arbitrio in quamcumque partem voluerit flectit. At verò ubi vel unicum verbum in hac benè longa Cajetani observatione, quod Adversariorum sententiam, vel minimùm innuat, vel eorum principiis è diametro non repugnet: cùm infallibilitatem eventus liberi non in ipsam præscientiam referat, sed in ipsam Divinę providentiæ efficaciam; tantam certè, ut in ea concilianda cùm libertate plurimùm laborandū esse existimet, & intellectum fidei esse captivandum. Neque alterum hujus concordiæ nexum ac vinculum reperit, nisi summam illam Divinę providentiæ, & Divinæ voluntatis eminentiam, quę quidquid esse potest perfectionis in libertate simul & necessitate, prehabet, & voluntati etiam imprimit, dum eam movet, & immutabilitatem necessitatis, cum amplitudine, & dominio, ac indifferentia etiam activa libertatis conjungit. Sanè mirùm esset si ista Recentiores admitterent. Unde mirari subit facilè quorundam ad omnia ingenium, qui Cajetanum hìc reprehendunt, quòd ex Divina providentia dubitationem oriri existimaverit arduam, & *fortè ab humano intellectu insolubilem*, & quòd in concilianda libertate cum Divinæ voluntatis efficacia mysterium tantum agnoverit, ut in sola altitudine inaccessibili veritatis occultæ; & in ignorantia intellectùs, quem similem inquit oculo noctuæ, dumtaxàt quietem repererit: & tamen alibi Cajetanum impensè laudant, tanquàm gravissimum suę sententiæ patronum, & à quo prævia motio negata sit. Sed de Cajetani mente inferiùs iterùm erit agendum.

Verùm, antequàm huic Articulo finem imponam, libet superiori Cajetani observationi alterā ejusdem Cardinalis non inferiorem adjungere, quam habet in Commentario Epistolæ D. Pauli ad Romanos, cùm explicat nonum caput, ubi de Prædestinatione, & Reprobatione agitur.

Observat igitur, reverà mysterium esse, quod viatorum hominum cognitionem omnem superat, quodque cùm Mysterio Sanctissimæ Trinitatis comparare non dubitat, quo glutino, quo vinculo Divina gratia, & Divina prędestinatio cum hominum libertate junguntur. Sed priùs quæ habet referenda sunt.

Occurrit inquit Cajetanus, quem paucis resectis contraho: *Occurrit continuè curiositati hominum de Prædestinatione, & Reprobatione respondere. Aiunt enim, Si ego sum de numero electorum, tandem ita erit in re, quòd salvus ero. Et tollendo responsiones Theologorum subjungitur: Non est mihi curæ an necessariò, an liberè, & contingenter sit eveniet: satis est mihi quòd sic erit, quocūque tandem modo id erit.* Neque enim, ut etiam animadvertimus suprà, admodùm arduum esset absolutè libertatem humanorum actuum cum efficacia, & immutabilitate Divinæ voluntatis conciliare: sed infallibilitatem, & ut pressiùs loquar, inevi-

inevitabilitatem eventûs, ut eſt ex parte divinæ voluntatis, & evitabilitatem ejuſdem eventûs, ut eſt ex parte voluntatis creatæ, conciliare, *hoc opus, hic labor eſt*. Neceſſe enim eſt invicem hęc duo conjungi: Neminem poſſe divinæ voluntati, & divinæ motioni obſiſtere, cujus parem eſſe poteſtatem ultrò agnoſcimus, cùm ſit divinæ voluntatis executio: & tamen poſſe divinæ voluntati, & divinæ motioni voluntatem creatam reſiſtere: Omninò inevitabile eſſe, quod divina voluntas ſtatuit, & tamen à voluntate creata reipsâ eſſe evitabile: tandem, Divinę voluntatis aut divinę motionis vim ineluctabilem, & inſuperabilem eſſe, omnia domare, omnia ſubjicere: & tamen voluntatem creatam nunquàm cogi poſſe, nunquàm ita poſſe vinci, & ſubjici, ut non etiam ſummam indifferentiam, & ſummam agendi, & non agendi poteſtatem retineat, poſſitque divinæ motioni, & reſiſtere, & obluctari. Verùm, huic quæſtioni quam curioſam magis quàm neceſſariam Cajetanus exiſtimavit, ita reſpondet.

Reſpondeo, quòd dupliciter poſſumus in hac curioſa queſtione loqui: vel inchoando ab his quæ ſe tenent ex parte Dei, & deſcendendo ad nos; vel è converſo inchoando ab his quæ ſe tenent ex parte noſtri, & aſcendendo ad Deum. Si inchoamus à Deo: profitemur primò: quòd Deus ab æterno elegit ſingulariter hunc & illum, quia ſic ei placet. Secundò: quòd electio hujus infallibiliter, etſi non neceſſariò, habebit effectum. Inchoando verò à nobis profitemur primò, quòd quilibet eſt liberi arbitrii ad bonum, & malum eligendum. Secundò: quòd quilibet faciens quantùm in ſe eſt ad ſalutem æternam conſequendam, ſalvus erit per Divinam gratiam. Quo pacto autem ſeu quo vinculo, & quo glutino aſcenſus, & deſcenſus jungantur non apparet. Nam aſcendendo deficit gradus conjungens hanc noſtram libertatem, & ſecuritatem, quod faciendo quantùm in nobis eſt, non deerit Divina gratia, cum æternitate, & immutabilitate divinæ electionis, quæ habet quòd ſoli electi ſalventur. Et ſimiliter deſcendendo ab æterna, immutabili, & efficaci Divina electione, deficit gradus conjungens cum noſtra libertate, atque ſecuritate &c. Quo circa ad curioſitatem dico, illa eſſe vera ex parte Divinæ electionis, ſed non eſſe vera ſola, ſed aſſociata aliis veritatibus ex parte noſtri, ſcilicèt quòd ſumus liberi arbitrii, quòd noſtris meritis ſalvamur &c. Et cùm objicies, Conjunge hæc vera ſimul: Reſpondebo me neſcire hęc jungere, ſicut neſcio Myſterium Trinitatis, ſicut neſcio Verbum caro factum eſt, & ſimilia, quę tamen credo: & ſicut credo reliqua myſteria fidei, ita credo, & hæc Myſteria Prædeſtinationis, & Reprobationis. Meum eſt tenere, quod mihi certum eſt, uti me libero arbitrio &c. & expectare ut videam in patria Myſteriũ Divinæ electionis mihi ignotũ. Hactenùs Cajetanus: in quibus, & ſoliditatem, & pietatem Theologo dignam, qui intellectum captivat in obſequium fidei, meritò laudare licea. Et verò ſi quis iſta rectè expendat, ita contingere animadvertet. Video, ut ità dixerim, vim quandam è cælo lapſam, divinam ſcilicèt electionem divinamque motionem inſuperabilem, ineluctabilem, cui nihil obſiſtere poſſit; Sed video etiam è corde hominum veluti in occurſum aſſurgentem vim quandam, ſcilicèt libertatem, aut liberrimam voluntatem, ipſamque ineluctabilem, infrangibilem, inſuperabilem; cùm nunquàm ſpoliari libertate voluntas poſſit, impoſita neceſſitate agendi: ſed qua ratione hæc duo jungantur: eam vim cæleſtem divinæ gratiæ ineluctabilem eſſe, & tamen voluntatem creatam poſſe reſiſtere: vim, etiam eam inferiorem, ſcilicèt voluntatis libertatem, ineluctabilem eſſe, & tamen poſſe ſubjici, & vinci, omninò me latet. Utramque hanc vim, cùm ſibi invicem occurrunt, ſeque mutuo complectuntur, & velutì manus conſerunt, invicemque pugnant, & altera vincit, altera victa eſt; ne videam, nubes cæleſtis involvit, & veluti ab oculis ſubmovet, & ſurſum attrahit. Atque hujus rei, aiebat olim ſcholæ noſtræ vir egregii ac feſtivi ingenii, imaginem quandam, etſi rudem, infimiſque ex rebus deſumptam, ut ſolebant veteres olim, Mythologi ſuis fictionibus adumbraſſe videntur: cùm ab his dictum eſt olim Cephali egregii venatoris cani hanc fuiſſe vim à Jove collatam, ut nullum unquàm animal foret, quod curſu non aſſequeretur: Atque eam etiam, cuidam lepori vim à Diis fuiſſe collatam, ut nullum unquàm animal foret, quod velocitate, & fugâ poſt ſe non relinqueret. Cum verò caſu accidiſſet ut eum leporem Cephali canis inſequeretur, ne Dii vanam utrique vim, alteri omnia aſſequendi, alteri omnia effugiendi, contuliſſe viderentur, in cælum à Diis uterque translatus eſt, & inter ſydera collocatus: Ut docerentur homines quæ à Dijs fiunt non eſſe curioſiùs indaganda; & ſi quæ in ſpeciem adverſa, & contraria viderentur, ea virtute cęleſti ac divinâ fieri quæ nos lateat, & à noſtris ingeniis ſubmota ſit. Hęc pro Cajetani obſervatione pia, & ſolida, & D. Thomæ principiis omninò conſentanea.

ARTICULUS VI.

Comparatio Divinæ Motionis cum vinculis, rejicitur: Divina motio voluntatem non impedit.

VIx ulla quæſtio eſt, in qua magìs ludere viſi fuerint plurimi, quibus prævię motiones minùs probantur, quàm ubi de vera ſenſus compoſiti, & diviſi interpretatione agitur. Ita enim quidam eam diſtinctionem explicant, ut velint nullam remanere in voluntate potentiam agendi,

&

& non agendi in sensu composito, idest, quandiù voluntas movetur, seu quamdiù prævia motio in voluntate posita est; ea verò sepposita & excussa redeat potentia agendi, & non agendi, aut expedita fiat: sicut homo, inquiunt, constrictus catenâ, & vinculis in sensu composito, idest, quandiù catenâ constringitur, nullam habet fugiendi potentiam; quæ tamen soluta erit & expedita in sensu diviso, idest si catenâ soluatur.

Vix ea interpretatio, & quæ inde objectio conflatur, responsionem meretur, & qui ita intelligunt, amandandi in scholas essent, ut cum tyronibus inter prima Dialecticæ rudimenta veram hujus distinctionis sensus compositi, & divisi interpretationem addiscerent. Compertum enim satis est ex superioribus eam interpretationem à vero Divi Thomæ aliorumque veterum sensu remotissimam esse, nec ulli unquàm ex D. Thomę Discipulis venisse in mentem, neque enim ullus unquàm repertus est: sed dumtaxàt ab hæreticis usurpatur, quos dubium non est, eo modo distinctionem sensus compositi, & divisi intellexisse; cum perpetuò Calvinus negaverit, remanere in voluntate sub ipsa gratia constituta, ullam agendi, vel non agendi potentiam, quem errorem Tridentinum damnavit, ut aliàs demonstrabimus.

Cæterùm, quòd ad eam comparationem attinet gratiæ Divinæ cum vinculis; ea certè usurpari à Theologis non debuisset, cùm simillima sit alteri, quam prævidebat olim David adhibituros fore aliquando Reges, & Principes, qui Christianæ legis præcepta essent aversaturi, & qui in ejus contemptum, hujusmodi præcepta quasi *vincula*, *funes* nuncupaturi essent. Unde Cajetanus in psal. 2. ad ea verba *dirumpamus vincula eorum*, rectè, inquit: *Nota, Ex Regum populorumque fastidio ac contumelia in Christum appellari præcepta fidei, & Religionis Christianę vincula, & funes, tanquàm sint animorum ligamina tollentia libertatem humani arbitrii.* Non existimasset, ut arbitror, Cajetanus, futuros aliquando Theologos qui eadem dicturi essent de motione Divina.

Sed prætereà, olim etiam Pelagiani eâdem comparatione *vinculorum* D. Augustini sententiam traducebant: quò respexit S. Doctor lib de correpț. & grat. cap. 14. ubi cùm divinæ gratiæ omnipotentiâ Israëlitarum corda immutata, & pertracta fuisse ostenderet, ut Davidem Regem sibi constituerent, observat dictum esse 1. Paralip. 12.38. *& ambulabat David proficiens; & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo.* Unde subjicit S. Augustinus: *Ac per hoc Dominus Omnipotens qui erat cum illo, adduxit istos ut eum Regem constituerent: & quomodò adduxit? nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorùm quas ipse in illis operatus est, traxit.* Hujus verò rationem statim subjungit S. Doctor; *Quia*, inquit, *Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

Parùm igitur oportuna est hæc vinculorum cum Divinæ gratiæ motione comparatio: nulla enim vis, nulla coactio hìc intervenit, nec voluntati ulla infertur, nisi eo sensu quo dictum est, vincula injicere eum qui beneficia confert: intus enim in ipsa hominis voluntate omnia à Divina gratia peraguntur, intus corda tenentur, intus voluntas trahitur, victrici delectatione: & ut inquit Senonense Concilium Decreto 15. de libero arbit. *Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi, non unco raptamur*: sed eo modo trahimur quo trahit sua quemque voluptas, de quo S. August. in Joan. Tract. 32. *Dominus* enim (ut legit ac refert centies S. Doctor) *dabit sua vitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Et verò, si eâ comparatione uti vellent, qui ista objiciunt, possent eam commodissimè ac legitimo sensu usurpare; cùm etiam à D. Paulo dictum sit Actor. 20. vers. 22. *Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem.* Alligatus igitur non vinculis ferreis, sed Divino spiritu, ejusque Divinæ gratiæ motione, quæ non externas potentias, sed ipsam Pauli voluntatem, ejusque mentem veluti alligabat. Et jam antea cap. 18. vers. 5. ubi vulgata habet, quòd Paulus prædicans Judæis *instabat verbo*, expressè Græcum habet συνείχετο τῷ πνεύματι *constringebatur spiritu*: ita scilicèt Divino spiritu ad prædicandum urgebatur, ut veluti constringi, nec aliud posse videretur, quàm prędicatione Evangelii impositum sibi ministerium implere,

Sed prætereà, si cui lubeat ea comparatione, non ad invidiam nobis conflandam, sed in commendationem Divinæ gratiæ, eodem sensu eam intelligat, quo à Sapiente dictum est, Eccl. cap. 31. de divina Sapientia, *Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis; decor enim vitæ est in illa, vincula illius alligatura salutis.* Hoc namque propriissimum divinæ gratiæ ac motionis munus est, quòd mutabilem hominis voluntatem firmet, eique fortitudinem conferat, non ejus libertatem lædat, sed liberę voluntatis in prępcipitium ruentis lapsum prohibeat. *Quoniam opitulationes Divinæ gratiæ, sunt stabilimenta voluntatis humanæ*: ut inquit D. Prosp. contra Collator.

Unde verissimè à S. Augustino dictum est, Epistol. 105. quòd qui ea motione gratiæ Divinæ, quam Omnipotentissimam ipse S. Doctor vocat, putant auferri sibi liberum arbitrium, *non intelligunt, non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquàm in petra stabili collocetur.* Agnoscenda est naturæ infirmitas, aut voluntatis contumacia, suam necesse est interdum durius tractari: adeò ut Ecclesia à Deo postulet; *nostras ad te propitiu rebelles compelle voluntates.* Divinę gratię munus hoc est, quę si consummata fit, *voluntatem taliter ligat cum Deo*, ut inquit D. Thomas qu. 2. de verit. art. 8.

Quòd si cui iterùm eâ comparatione uti libuerit,

rit, eam adhibeat, non ut voluntatem divina motione impediri, ultrà objiciat; sed potiùs ut eâ trahi ad Christum hominum corda existimet. Et verò satìs hæc duo cognata sunt, & vinciri vinculis, & trahi. Neq; adeò forsitan invidiosum esse poterit vinculorum nomen, si trahendi nomen sacrum sit. Cùm olìm dixisset S.Augustinus lib.1. ad Bonifacium c. 19. *Quàm multi inimici Christi quotidiè subitò Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum*, adjicit statìm, ut quam impegisset Julianus calumniam, aut invidiam conflasset, amoliatur: *Quòd verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset, cùm etiam, & nunc obluctetur, non mihi, sed ei qui clamat: „Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.„ Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat: Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intùs in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Felicia sunt hæc vincula; atque utinam his vinculis, aut *funiculis charitatis*, voluntas in casum prona cohibeatur: non sunt *dura, quia dulcissima, nec mollia, quia firmissima*, inquit idem S. Augustinus epist.39. Licentio juveni nobili scripta, quâ eum vehementer hortatur, *nè compedes sapientiæ* formidet; nec enim quidquam indè timendum est nè vera libertas lædatur, cùm eò liberior futura sit voluntas quò sanior: eòque sanior, quò divinæ gratiæ subjectior. Ipsa enim animæ sanitas est perfecta libertas, ut inquit iterùm D.Augustinus libro de Perfectione Justitiæ.

Sed ut ad nostra redeamus, cùm hæc distinctio sensus compositi, & divisi clarissimè à Magistro Sententiarum tradita sit, quo sensu à Viro sapientissimo, & in Sanctis Patribus, potissimùm Divo Augustino, versatissimo intelligi potuit? Neq; enim existimare potest ipsum straviſſe viam hæresi Calvini. Legitimo ergo sensu eâ distinctio à Magistro usurpata est, neque malè ea distinctione efficaciam divinæ prædestinationis, & divinæ gratiæ cum libertate humana conciliavit: atquì non alio sensu à Sancto Thoma, & deinde à suis Discipulis usurpata est, ut satìs ex superioribus liquet: ergo nihil mali habet, nec habere potest ea distinctio ubi de concordia gratiæ ac divinæ motionis cum libertate creata agitur.

Prætereà, quo pacto intelligi potest, eam distinctionem sensus compositi, & divisi, ducere in errorem Calvini, cùm ut diximus, divinæ prædestinationis, & divinæ gratiæ efficaciam Magister Sententiarum cum libertate nostra conciliet; & tamen expressè Calvinus l. 2. Institut. c.2.§.6. ut aliàs fusè referemus, ab ipso Petro Lombardo se dissentire fateatur, eamq; concordiam reprehendat, quòd sub ipsa motionis & gratiæ divinæ efficacia cooperationem voluntatis, id est potentiam obtemperandi vel dissentiendi, ea concordia voluntati relinquat: ergo omninò falsum est, & dumtaxàt ad invidiam divinæ gratiæ motionibus prævis, & efficacibus creandam, dictum à Recentioribus, eam distinctionem partes Hæreticorum juvare.

Demùm, parùm opportuna est hæc vinculorum & divinæ gratiæ motionis comparatio, cùm planè nihil simile habeat, eo sensu quo ab Adversariis intelligitur. Vincula enim impediunt gressum ligati hominis; è contra verò divina gratia inertem, & nihil agentem hominis voluntatem excitat, movetque ut agat. Unde multò veriùs gratiæ divinæ motio similis diceretur turbini quo olìm Elias raptus est in Cælum, cùm Reg. 4. 2. *ascendit per turbinem in Cælum*: aut spiritui ventoque vehementi, quo Apostoli *Spiritu Sancto repleti sunt*: vel denique fluvio aut torrenti, qui impetu secum omnia rapit, eo sensu quo dicitur Isaiæ 56. *Cùm venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Dei cogit*, quem locum jungit D. Thomas alteri quo *filii Dei esse* dicuntur qui *Dei spiritu aguntur*, ad Rom. 8. Hæc enim omnia impressam à gratia divina hominis voluntati vim significant, quâ ipsa voluntas agat, non quâ torpeat instar hominis ferreis vinculis constricti. Ideòque apertissimum discrimen vincula inter, & divinæ gratiæ motionem est; quòd vincula ex parte potentiæ, & actus primi omninò se habeant; divina autem motio ex parte actus secundi. Unde hoc pacto divina motio oppositam omninò rationem habet: vincula enim impediunt potentias nè agant: divina autem motio expedit hominis voluntatem, & peccato ligatam solvit ut agat, sicut expressè inquit S. Thomas statìm referendus.

Sed dices, Ut ut sit de ea vinculorum cum divinæ gratiæ motione comparatione; negari non potest, quin hæc motio divina saltem impedimentum sit voluntatis, & quidem impedimentum ineluctabile, cùm ipsa voluntas motionem divinam excutere nunquàm possit, & sub ea motione ita determinetur ad unum, ut nunquàm potentia cum actu conjuncta oppositum actum elicere possit: atquì id non potest non adversari veræ libertati, quam necesse est in omnem partem solutam, & expeditam esse ut illæsa sit: ergo ea divinæ gratiæ motio physica, & prævia graviter libertatem semper lædet.

Verùm impugnatur inprimìs ea objectio, quòd idem olìm S. Augustino objectum à Juliano esse videatur. Ut enim opere posteriori in Julianum ipse S.Doctor refert lib.3.c.122. ita objiciebat Julianus. *Quid esset, quòd visus diceretur oculorum, idq; sic definires hoc modo: visus est, vel effossos habere oculos, vel impedimentis quibusdam tempore videndi nihil posse conspicere, atq; hanc definitionem putares visui convenire: ferres ne eam? &c.* Cujus objectionis vis est, quòd sicut objecta impedimenta ipsi visui officiunt, ita divinæ gratiæ motio futura sit impedimento voluntati.

Quid autẽ respõdet Juliano S.Augustinus? *Nolo*, inquit, *ut definias, sed ut finias cecitatẽ, ut videas rectè dici à Christo non potuisse; sine me nihil potes-*

flis

stis facere, si ad benè agendum sine gratia Christi liberi esse potuissent. Id est, tantùm abesse quòd Dei gratia officiat voluntatis libertati, ut etiam ipsam efficiat, ipsamque perficiat, cùm à Christo dictum sit; *sine me nihil potestis facere.* Nec illud à Christo dici potuisset, si libertas ad benè agendum, id est, vera perfectaque esse posset sine gratia. Certissimum enim esse supponimus, quòd ex Sanctis Augustino, & Thoma fusè infra probabitur, divinâ gratiâ perfici voluntatis libertatem: multisque ex capitibus, præsertìm autem, quòd vera libertas posita sit in vi electiva mediorum, servato, non prætermisso ordine finis: sicut vera ratiocinatio est cùm omnia ad prima principia intellectus reducit. At verò proprium est divinæ gratiæ munus efficere quòd voluntas hominis media eligat, creaturas vel amet, vel respuat prout exigit ratio finis: unde fit, ut propriissimè divina motio perficiat libertatem, & verissimè à S. Augustino dictum sit, *rectè dici à Christo non potuisse: sine me nihil potestis facere, si ad benè agendum sine gratia Christi liberi esse potuissent.* Sed præterea etiam alio sensu gratia non officit libertati, non solùm quòd eam perficiat, sed etiam quòd verissimè eam efficiat. Non solùm eo sensu quo jam à D. Thoma dictum est, Deum efficere actum libertatis, ipsumque libertatis modum: sed etiam eo sensu, quòd divinæ gratiæ motio efficiat exercitium ipsius libertatis; quòd exercitium est ipsa actualis libertas voluntatis: sicut demonstratio, cùm sit scientiæ exercitium, est ipsa scientia actualis. Unde iterùm, interprete Sancto Augustino, eo sensu à Christo dictum est: *sine me nihil potestis facere*, quia sine divina gratia nulla vera libertas, nullumque libertatis exercitium esse potest.

Impugnatur etiam secundò præfata objectio, ex S. Thoma à quo hæc omnia in nos conjecta tela, & prævisa, & depulsa sunt. Fatemur equidem, ad libertatem voluntatis pertinere, quòd nullo impedimento ligetur: ut enim advertit S. Doctor q. 24. de Verit. art. 4. libertas dicitur à D. Augustino *facultas rationis, & voluntatis*: facultas autem dicitur quasi *facilis potestas*. At verò, inquit D. Thomas, *facilè aliquid dicitur dupliciter; uno modo propter remotionem impedimenti; alio modo propter appositionem adjutorii: facilitas igitur pertinēs ad habitum est per adjutorii appositionem, nam habitus inclinat potentiam ad actum: hanc autem facilitatem non nominat liberū arbitrium: quod quantùm est de se non inclinatur in unum magis quàm in aliud*: (si videlicèt sumatur quantùm ad solam, & nudam potentiam, non autem quantùm ad perfectionem vel exercitium:) *sed nominat facilitatem, quæ est per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente à propria operatione.*

Liquet igitur, judice D. Thoma, ad voluntatis nostræ libertatem pertinere remotionem impedimenti agendi. Unde & quæst. 1. de Potent. art. 3. observat, aliquid dici impossibile, non solùm propter defectum potentiæ activę, quæ illud efficere non potest; non solùm propter defectum illius quod fieri deberet, & quod non potest esse terminus actionis; sed etiam propter aliquod impediens; *sicut cùm potentia alicujus impeditur, & ligatur.* Convenit ergo inter nos nemine discrepante, ad libertatem pertinere remotionem omnis impedimenti. At verò quodnam censendum est aut esse potest ejusmodi impedimentum, quo voluntas ligatur, quodque ejus libertatem adimat, vel lædat? Est ne motio gratię divinæ? Atquì è contra per divinam gratiam accedit humanæ voluntati nova facilitas *per appositionem adjutorii*, & major vis agendi, quæ exercitium libertatis ultimamque perfectionem ei tribuit; ideòq; ea facilitas non pertinet ad naturam libertatis: quia nuda, & sola libertas secundùm se non includit ultimam perfectionem, cujus ope, & beneficio gratiæ divinæ, est capax. Quodnam igitur est libertatis impedimentum? Egregiè id explicat S. Thomas in 2. dist. 24. quæst. 1. art. 1. ad ult. ubi inquit, *quòd omnis potentia in suo actu vigoratur, vel debilitatur per habitum supervenientem, vel impedimentum adveniens. Unde liberum arbitrium non dicitur liberum, quia ipsa potentia in se intendatur vel remittatur, sed quia vel impeditur per corruptionem peccati, vel expeditur per habitum gratiæ, & gloriæ.*

En sanè quid libertati voluntatis creatæ impedimento sit, aut quid è contra eam expediat. Eam impedit peccatum, quod summa libertatis infelicitas est: sed expedit divina gratia, quæ ipsam voluntatem fortiorem efficit, ea scilicèt ratione, quia voluntatis *potentia in suo actu vigoratur per habitum gratiæ, & gloriæ.* Absit igitur quòd divinæ gratiæ motio physica prævia que censeatur unquàm impedimentum esse voluntatis nostræ libertati, cùm eam è contra expediat, & solvat, ipsamque firmet atque perficiat.

Unde observari hìc potest, quàm aliena sit Adversariorum sententia à mente D. Thomæ, cùm divinæ gratiæ motione libertatem impediri putent; cùm è contra S. Doctor eam tunc expediri expressissimè asserat. Et quidem quis diceret, sessorem impedimento esse equo quem regit? Atquì ex S. Augustino quem refert D. Thomas loco proximè citato; gratia comparatur ad liberum arbitrium, *ut sessor ad equum.* Ergo &c. Quis iterùm diceret, pennas esse impedimento avi? Atquì iterùm ex Sanctis Augustino, & Thoma, gratia & charitas divina idem prę stat voluntati, quod avibus pennæ. Ergo &c.

Sed dices: Quodnam igitur esse potest impedimentum libertatis? Respondeo ex S. Thoma: si de perfectione libertatis sermo sit, peccato, & habitibus vitiosis impediri libertatem, *impeditur enim per corruptionem peccati*, quo scilicèt prætermisso ordine finis ad bona sensibilia fertur: si autem intelligatur de exercitio libertatis; respondeo libertatem impediri cùm ratio ipsa ligatur, quod contingit cùm passiones vehementiores sunt: quia tunc *ligant usum rationis*; nam *quid deceat non videt ullus amans*: *Et aliquando*

cùm

cùm passiones multùm intenduntur, homo amittit totaliter usum rationis: multi enim propter abundantiam amoris, & iræ sunt in insaniam conversi, 1.2. quæst.77. art.2. quòd desumptum est ex Aristotele lib.7.Ethic. cap.5. Neque enim fieri potest ut soluta perfectè ratione impediatur libertas, ut ex professo aliàs explicabimus: impediri autem libertatem ipsa divinæ gratiæ motione, quâ excitatur, fovetur, firmatur, ac perficitur; perindè est ac si quis diceret, influxu radicis plantam impediri nè florem emittat, vel ipso influxu animæ voluntatis libertatem impediri.

Verùm antequàm his finem imponam, fatendum est, plures etiam inter eos qui adversam sententiam tuentur, æquiores esse SS. Augustini, & Thomæ Discipulis, ubi agitur de vera explicatione sensus compositi, & divisi. Quos inter Ægidius Estrix Societatis Theologus non ita pridem hoc de ea distinctione judicium Lovanii tulit: *Ad corrigendas*, inquit, *quorundam intelligentias quæ possunt pacem turbare; ego infrascriptus declaro, nec esse, nec fuisse unquàm opinionem meam, aut meorum Professorum Lovanienſium, sensum compositum, & divisum S.Thomæ Aquinatis esse eundem ac sensum compositum, & divisum Calvini in materia gratiæ, & libertatis: sed priorem sensum S. Doctoris esse Orthodoxum, posteriorem verò Calvini esse hæreticum. In quorum fidem libens subscribo. Antuerpiæ 12. Novembris 1686. Ægidius Æstrix Provincialis Societatis.* Ita referùt Theses Theologicę de sensu composito, & diviso defensę Lovanii in Collegio Atrebatēsi A. 1687. 31. Julii.

Optandum fuisset ut idem olim sensissent plures motionibus infensi, de quibus conqueritur P. Lemos, ab iis explicatam fuisse eam distinctionem eodem sensu quo explicata fuerat à Calvino aliisque Hęreticis, quos satiùs fuisset, inquit idem Lemos tom.3. de sensu composito, & diviso c.10. ad eam intelligentiam suo arbitrio, & contra Philosophiæ omnia principia confectam alligatos, & concatenatos relinquere.

ARTICULUS VII.

Non posse imputari homini, si divina Præcepta non impleat, objicit sibi S. Thomas, & solvit.

NUlla gravior est difficultas in hac de physicis, & præviis motionibus sententia, quàm ea, communis licèt etiam apud Theologorum vulgus, quâ objicitur non posse imputari homini, si Dei prçceptum non impleat, cùm implendi tempus urget; siquidem non potest non deesse motio, quæ si adesset hominemque impelleret, reipsà prçceptum impleret. Enimverò, inquiunt, non potest non esse impossibilis præcepti impletio, si ea motio prævia desit; cùm ex principiis supra constitutis adeò necessaria sit, ut nisi ea adsit, hominemque moveat, & impellat, homo iners perpetuò futurus sit, ac subinde præcepta divina implere non possit: ex quo consequitur, homini qui motione caret imputandum non esse si præcepta non impleat, sed Deo potiùs imputandum fore, qui motionem subtrahit prçcepto implendo omninò necessariam.

Sed inprimìs necesse est, quòd eruditus Lector advertat, non tam Scholæ S. Thomæ singularem sententiam, quàm communem totius Religionis ac Fidei Doctrinam eo argumento impeti. Certum enim est, nec negari unquàm potest, nisi, ut S. Augustinus inquit, everso priùs illo Symboli Fideique articulo, quo Deum Omnipotentem confitemur, potuisse Deum salvare omnes homines potioribus auxiliis cumulatos, quocumque tandem modo ea potiora auxilia explicentur. Compertum enim est ex S. Concilio Tridentino, non eodem modo Dei opus esse, & confessionem Petri, & traditionem Judæ, & potiorem esse Dei concursum cùm homines ad bonum impellit, aut cùm, ut Evangelium loquitur, homines *compellit intrare*, & ut indè Ecclesia desumpsit, *rebelles compellit voluntates*, quàm cùm peccare hominem permittit. Cur ergo ea potiora auxilia denegat, hominesque perire sinit? *Posset*, ut inquit S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad litter. cap. 9. *posset ipsorum voluntates in bonum convertere, quoniam omnipotens est, posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluit, penès ipum est, debemus enim non plus sapere quàm oportet sapere.* Nec verò juvat, si quis dixerit, hominem posse cum solo auxilio sufficienti, quod nunquàm deest, etiam iis potioribus auxiliis non adjutum implere præcepta. Enimverò recurrit eadem difficultas, etsi enim homo minoribus, & solùm sufficientibus auxiliis adjutus possit præcepta implere, cur Deus majora, & potiora deneget, quibuscum multò certiùs est, non solùm posse hominem præcepta implere, sed reipsà etiam & multò perfectiùs impleturum. Et prætereà, non possunt non esse necessaria ejusmodi potiora auxilia ad implenda præcepta, quibuscum semper, & infallibiliter implentur, quæ si desint nunquàm implentur, sive major eorum vis ex concursu circumstantiarum, sive ex attemperatione ad genium oriatur.

Prætereà, cùm ex Sacra Scriptura certum sit, Deum excçcare homines, eosque obdurare, quod equidem fit non malitiam impertiendo, sed gratiam non largiendo, ut ex S. Augustino sçpiùs refert S. Thomas: indè plurimi qui suorum criminum patrocinium quærunt, homines ad omnia scelera projecti, divinam bonitatem, ac providentiam divinam calumniandi ansam arripiunt. Cur, inquiunt, Deus deneget eam gratiam adeò necessariam, ut si ea desit, homo aut nunquàm possit præcepta implere, aut reipsà nunquàm impleat? Perindè enim est, aut possit aut non possit implere, si reipsà non impleat: quod enim solatium ægro affers, si dixeris, posse quidem pristi-

nam, & amissam valetudinem recuperare, nunquàm tamen recuperaturum. Nec verò etiam loquentium iniqua os obstruetur, si quis dixerit, Deum æquissimè propter antecedentia peccata gratiam denegare. Reponent enim, cur Deus in ea peccata hominem labi permisit, quibus divina gratia privari meretur, cùm reipsà sicut Deus potest hominem lapsum erigere, ita potuerit hominem stantem, nè laberetur confirmare? Vides igitur idem planè objectum argumentum esse, quo perditi homines sæpiùs divinam providentiam calumniantur, eoque argumento non tam impeti singularem D. Thomæ sententiam, quàm totius Ecclesiæ Fideique Christianæ doctrinam in discrimen adduci.

Sed demùm, cùm duplex sit inter Societatis Theologos diversa sententia; prima eorum qui efficaciam divinæ gratiæ ex effectu, & cooperatione liberi arbitrii derivant, ita ut illud idem auxilium sive majus sive minus, efficax dicatur, cum quo homo pro sua libertate convertitur, nullo ex parte actus primi facto discrimine, ut v. g. cùm duo æquali gratia prœveniuntur, quòd unus consentiat gratiæ divinæ, & convertatur, alter verò non consentiat; proveniat à voluntate, & ab innata, & propria, & intrinseca libertate utrisque bonis, & malis, reprobis ac prædestinatis communi, cùm alioquin gratia præveniens ex parte sua æqualiter utrumque moveat.

Altera verò sententia sit, discrimen aliquod esse statuendum non solùm in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii etiam cooperantem gratiam habentis effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso etiam actu primo discrimen esse; hoc saltem, quòd hominem in his vel illis circumstantiis Deus reponat, in quibus eum consensurum certò prœvidet, eaque auxilia eligit, & eo tempore, & loco confert, quo effectum infallibiliter habitura certissimum sit.

Hâc secundâ sententiâ constitutâ, quam communiorem esse inter Societatis Theologos arbitror; compertissimum omninò videtur, recurrere eandem omninò difficultatem. Quoties enim homo prœceptum divinum non implet, certum est eam ipsi gratiam deesse, quæ potior sit majorque in ratione beneficii, neque eo loco, & tempore auxilia divina conferri, quibuscum Deus prævideret hominem consensurum: si enim opportuno tempore, & congrua conferrentur, certum est voluntatem consensuram, & præceptum impleturam. Cur ergo negatur à Deo ejusmodi gratia ad agendum necessaria, aut cur imputatur homini si non agat, cùm ipsi ea gratia major in actu primo desit, adeò necessaria, ut quoties adest, impleatur præceptum, nunquàm autem impleatur, si desit.

An verò Deus existimandus sit insidiari saluti hominis quem in his circumstantiis reponit, in quibus gratiæ divinæ non consensurum certissimè prævidet? Sed cur eo tempore ac loco majora quomodocumque saltem moraliter, & in ratione beneficii, & quæ infallibiliter habitura effectum prænoscit non impertitur? Neque verò eorum causam juvat si reponant, nullam superesse homini conquerendi causam, quòd sufficiens gratia non desit quâ possit implere præcepta, etsi ea non impleat. Recurrit enim idem quod nobis objiciunt argumentum, atque eandem vim habet, si quam adversùs nos habeat, immò multò majorem, ut posteà ostendemus. Non sufficit ea ipsa quæ sufficiens dicitur gratia, siquidem præter illâ requiritur altera quomodocumque nuncupetur in ratione beneficii major. Esto enim eadem sit entitas gratiæ, & addenda sit solùm gratiæ opportunitas; quid refert? Idem enim efficit illa opportunitas, quod efficit in nostra sententia ipsa gratiæ efficacia: neque enim aliud efficacia addit; si potissimùm is explicandi modus usurpetur quem multi cæteris anteponunt, de quo aliàs erit dicendum, præter solam applicationem; ita ut tota, & integra vis agendi posita sit in sufficienti auxilio; efficax verò non aliud addat præter ipsam determinationem, & applicationem, seu usum ipsius gratiæ sufficientis: eadem igitur erit ratio, & gratiæ opportunitatis, & efficaciæ; & idem recurret argumentum quo illa opportunitas impeti possit, quo posset impeti efficacia.

Sed prætereà, quamvis major vis addenda sit, attamen quidquid fingi possit ad agendum necessarium, maximè verò quod ad actum primum pertineat, si illud desit, neque in potestate sit voluntatis, ut illud obtineat, recurrit iterùm idem argumentum, eademque omninò difficultas. Nec verò id mirum videri debet, cùm ut diximus, hoc argumentum ipsam fidem impetat, & quocumque tandem se se humana ratiocinatio vertat, necesse sit illud Apostoli audiat, *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Cur enim uni gratiam tribuat, seu opportuniorem seu efficaciorem (nihil enim refert) quia præcepta sibi imposita, & implere possit, & reipsà impleat, alteri verò non tribuat, altitudo est divinæ sapientiæ, & divinorum judiciorum abyssus.

Et verò quàm plurima alia sunt, quæ nedùm ad vitæ communem usum, aut conditionum variam distinctionem, sed ad ipsam etiam salutem pertinent, in quibus necesse est ad eam humilem Apostoli confessionem confugere, ut ad securam anchoram, quę animum firmet, nè ejusmodi variæ ratiocinationis humanæ sapientię à confessione divinę gratię ipsum dimoveant. Altissima Dei judicia sunt, *nec vituperari possunt*, inquit S. Augustinus lib. 16. de Corrept. & Gratia c. 8. *nec penetrari*. Et sanè juvare poterit plurimùm si quę ibidē colligit S. Doctor referantur, ubi multis exemplis hominis jactantiam confundit, ac potissimùm gratię perseverantiæ exemplo, quod negari non potest specialissimum esse. *Nec miremur*, inquit, *nos vestigare non posse investigabiles vias ejus. Ut enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non est acceptio personarum, nec*

tri-

tribuuntur iſta meritis voluntatum, ſicut ſunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium; vel quæ accidunt extrinſecùs, ut eſt opulentia, nobilitas, honores, & cætera hujuſmodi, quæ quiſque, ut habeat, non niſi in Dei eſt poteſtate: ut non immorer etiam in baptiſmate parvulorum, quod nullus iſtorum poteſt dicere, ſicut illa, ad regnum Dei non pertinere, cur illi parvulo detur, illi non detur, cùm ſit utrumq; in poteſtate Dei, & ſine illo Sacramento nemo intret in regnum Dei? Ut ergo hæc taceam vel relinquam; illos ipſos intueantur de quibus agitur; de his enim diſſerimus, qui perſeverantiam bonitatis non habeant, ſed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur: reſpondeant ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſcivit? nempè nihil horum niſi perverſiſſimè atque inſaniſſimè dicitur. Cur ergo non fecit? Reſpondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, Quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Hæc Divus Auguſtinus. Quibus ſatìs conſtat in altitudinem divini conſilii omnia eſſe referenda. Neceſſe eſt homini rectè vivat, etiam & ipſi præceptum eſt, nec tamen ſine gratia rectè vivere poteſt. Cur verò Deus uni gratiam tribuat, alteri deneget, & quâ poſſit rectè vivere, & quâ reipsà rectè vivat; neque enim unum ſine altero ſatìs eſſet, quìs novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?

Et verò ut apertiùs ſit, vetus hoc eſſe argumentum contra S.Auguſtinum, aut veriùs contra defenſam ab ipſo D. Auguſtino Fidem Catholicam objectum; hoc fermè unicum eſt quòd Celeſtius ſuis definitionibus aut ratiocinationibus quas refert S.Auguſtinus lib. de perfectione Juſtitiæ perpetuò verſat. Etenim hæc prima ratio cap. 2. quam objicit, ut probet, hominem eſſe poſſe ſine peccato, ſeu poſſe vitare peccatum. *Ante omnia*, inquit, *interrogandus eſt qui negat hominem ſine peccato eſſe poſſe: quid ſit quodcumque peccatum quod vitari poteſt, aut quod vitari non poteſt? ſi quod vitari non poteſt; peccatum non eſt: ſi quod vitari poteſt; poteſt homo ſine peccato eſſe quod vitari poteſt. Nulla enim ratio, vel juſtitia patitur ſaltem dici peccatum, quod vitari nullo modo poteſt.* Et poſteà ratione 5.cap. 3. *Iterum quærendum eſt utrumne debeat homo ſine peccato eſſe? proculdubio debet; ſi debet, poteſt; ſi non poteſt; ergo non debet.* Et deinde ratione 6. *Iterum quærendum eſt, utrùm præceptum ſit homini ſine peccato eſſe? aut enim non poteſt; & præceptum non eſt: aut quia præceptum eſt, poteſt; nam cur præciperetur quod fieri omninò non poteſt.* Poſteà ratione 11. cap. 5. *quærendum eſt, quot modis conſtat omne peccatum? duobus ni fallor: ſi aut illa fiant quę prohibentur, aut illa non fiant quę jubentur: tam certè illa quę prohibita ſunt, vitari poſſunt, quàm quæ præcepta ſunt perfici. Nam fruſtra aut prohiberetur, aut juberetur, quod vel caveri vel impleri non poſſet: & quomodo negabimus poſſe eſſe hominem ſine peccato, cùm confiteri neceſſe ſit eum tam omnia illa quæ vetantur poſſe cavere, quàm quę imperantur poſſe efficere.* Hæc ibi aliqua plura Celeſtius quibus eandem rationem magno acumine in omne latus vertit. Unde conſtat communem fidem eo argumento impeti, neque novum eſſe argumentum quod S. Thomæ ſcholæ objici ſolet.

Quid verò S. Auguſtinus his Celeſtii cavillationibus reſponderit, poſteà referemus, eaſdem enim ſolutiones adhibitas eſſe à S. Auguſtino, quas ab ipſo S. Thomas deſumpſit poſteà monſtrabimus, neque enim potuit argumentum hoc prætermittere D. Thomas, cujus unicum ſtudium erat, ut fidei res illuſtraret, nec minùs à calumniis perditorum hominum, quàm ab hæreticorum verſutiis, & philoſophorum argumentis vendicaret. Hoc igitur argumentum objicit ſibi D. Thomas, & ut omnia colligam quæ variis in locis docuit, multiplicem à S. Thoma ſolvendo huic unico argumento adhibitam ſolutionem reperio.

Reſpondet in primis S.Thomas, æquiſſimè imputari homini quòd præcepta non impleat: quia etſi Divina gratia, ſeu motione prævia, vel auxilio quo impleat, aut ſine quo implere non poſſit divina præcepta, ideſt tum ſufficiente tum efficaci immediatè careret; ex eo tamen vel ſolo capite quòd quiſque gratiam quâ præcepta impleat habere poſſit, veriſimè dici poſſe, quòd homo poteſt implere divina præcepta, & æquiſsimè ipſi imputari ſi ea non impleat cum gratiam habere poſsit ut ea impleat, & ejus culpa ſit quod non habeat.

Reſpondet ſecundò idem S. Thomas, quòd quamvis efficax illud & majus auxilium deſit quo præcepta divina impleat, attamen nunquam deeſt aliquo pacto, auxilium ſufficiens quo reipsà poſsit, & completiſsima ſit potentia ad agendum in ratione potentiæ, & quantùm neceſse eſt, ut æquiſsimè imponatur præceptum, & ut ad agendum, & implenda præcepta teneatur.

Reſpondet tertiò, idem S. Thomas; quæ ſolutio primam magis explicat; imputari homini ſi non impleat divina præcepta, quia ſi aliquando auxilium adimplenda præcepta neceſſarium homini deſit, non deeſt tamen niſi ex hominis culpa antecedente, in cujus pœnam interdùm gratia eaque divina motio à Deo ipſi ſubtrahitur. Sed demùm,

Reſpondet quartò univerſim S. Thomas, nunquàm divinam, & phyſicam motionem deeſſe, niſi quia homo objicit præſens, ac concomitans impedimentum, & motionem divinam repellit, ipſique aditum præcludit.

Hanc quadruplicem ſolutionem huic unico ſolvendo argumento adhibuiſſe Divum Thomam demonſtrandum eſt, quam ex Divo Auguſtino deſumpſit. Atque hìc etiam, cùm hæc difficultas potiſsima ſit, & in his verſemur quæ perpetuò in uſum veniunt, ex his quæ quiſque in ſe experitur, & perſentit, omnia explicanda, & reſolvenda ſunt, ut quiſque animadvertat S. Thomæ principia, quamvis omninò recondita, & ſoli-

dissima, cum his tamen, quæ vel ipsum vulgus experiri potest, convenire, cùm etiam verum vero convenire necesse sit.

ARTICULUS VIII.

Prima D. Thomæ solutio teneri hominem ad implenda præcepta Divina, quòd Divinam gratiam ad ea implenda habere possit.

HÆc prima, ut diximus, D. Thomæ solutio, quæ excipit commune argumentum, quod statim menti occurrit, cùm fides docet, non posse sine gratia impleri præcepta divina. Objicit itaque sibi S. Thomas 1.2.q.109. art. 4. Utrùm homo sine gratia *per sua naturalia, legis præcepta implere possit*? Num.2. *Præterea, S. Hieronymus dicit in expositione Catholicæ Fidei, illos esse maledicendos, qui Deum præcepisse homini aliquid impossibile dicunt: sed impossibile est homini quod per seipsum implere non potest: Ergo homo potest implere omnia præcepta legis per seipsum*, sine ulla motione, & gratia superaddita, quâ ad ea præcepta implenda juvetur. En planè idem argumentum quod objectum est semper: & reverà non potest non objici, cùm attingat præcipuum fidei caput, ubi de Divina gratia, & justificatione hominis agitur. Sed tamen

Observandum, quòd hęc ex D. Hieronymo referre soleat D. Thomas, etsi ea Epistola, unde ista desumpta sunt, minimè S. Hieronymi esse existimetur; ideoque in ultimum D. Hieronymi tomum rejecta sit, ubi est ordine 17. inter eas quæ S. Hieronymo anteà falsò adscriptæ fuerant. Paululùm etiam diversa sunt, quæ in ea Epistola habentur, ita enim dicitur: *Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt, aliquid impossibile homini à Deo esse præceptum*. Sed cujuscumque authoris ista sint, certa est ea fidei regula quam statuit Sac. Concilium Trident. sess. 6. de justificatione cap. 11. *Nemo tem erariâ audeat illâ, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis &c.*

Respondet itaque S. Thomas. *Dicendum, quòd illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò impossibile, secundùm illud Philosophi in tertio Ethicorum, Quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos possumus. Unde S. Hieronymus, ibidē confitetur, sic nostrum esse liberum arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere divino auxilio.* Hæc S. Thomas, ubi inde repetit, possibilia esse divina præcepta, quòd homo possit gratiam à Deo recipere, quâ possit & ea implere, & reipsà ea impleat; adeòque reus sit, nisi ea impleat.

Eadem etiam est solutio quam habet 3. cont. gent. cap. 159. ubi eandem in terminis quæstionē resolvit, nimirùm *quòd rationaliter homini imputatur si ad Deum non convertatur, quamvis hoc sine gratia non possit*. Ita enim; & commune argumentum refert, ipsumque dissolvit. *Cùm autem, sicut ex præmissis habetur, in finem ultimum aliquis dirigi non possit nisi auxilio divinæ gratiæ, sine qua etiam nullus potest habere ea quæ sunt necessaria ad tendendum in ultimum finem, sicut est fides, spes, dilectio, & perseverantia; potest alicui videri, quòd non sit homini imputandum, si prædictis careat, præcipuè cùm auxilium Divinæ gratiæ mereri non possit, nec ad Deum converti nisi Deus eum convertat. Nulli enim imputatur quod ab alio dependet. Quòd si hoc concedatur, plura inconvenientia consequi manifestum est. Sequetur enim quòd ille qui fidem non habet, nec spem, nec dilectionem Dei, nec perseverantiam in bono, non sit pœnâ dignus; cùm expressè dicatur Joannis 3., Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum ,,. Et cùm nullus ad beatitudinis finem sine præmissis perveniat; sequetur ulteriùs quòd aliqui homines sint, qui nec beatitudinem cōsequantur, nec pœnam patiantur à Deo; cujus contrarium ostenditur ex eo quod dicitur Matt. 25. quòd omnibus in Divino judicio existentibus dicetur: ,, Venite, possidete paratum vobis regnum, vel, Discedite in ignem æternum ,,.* Ita difficultatem proponit, cui statim ita Respondet.

Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit; potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat; dicitur enim de quibusdā Job.21.,, Dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus: ,, & Job.24.,, Ipsi fuerunt rebelles lumini ,,. Et cùm hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinę gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare: ,, Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionē veritatis venire: ,, ut dicitur 1. ad Timot. 2. sed illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit, nisi lumine solis præveniatur.

Hactenùs S. Thomas. Ubi iterum inde repetit, posse hominem ad Deum converti, & præcepta fidei, spei, & dilectionis implere, quòd Deus paratus sit omnibus gratiam dare, quam nemini denegat, nisi se eâ indignum præstiterit. Quam sanè indignitatem nemo jure ut excusationis causam, obtendere potest: magis enim inde reus evaderet.

Similis etiam solutio est, quam habet 2.2. quæst. 2. art. 5. Utrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè? objicit enim sibi primo loco. *Nullus tenetur ad id quod non est in eius potestate. Sed credere aliquid explicitè, non est in hominis potesta-*

.

teſtate: Dicitur enim Roman. 10. *Quomodò credent in illum quem non audierunt? quomodò autem credent ſine prædicante? quomodò autem prædicabũt, niſi mittantur? Ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur*. Hoc commune argumentum: quod alioquin ſpecialem difficultatem habet; ex eo quòd ſit minùs in poteſtate hominis credere res fidei, cùm neque etiam earum rerum ulla ſuſpicio haberi poſſit, niſi prædicatione doceantur.

Reſpondet autem S. Thomas: *Dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante; ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei; ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuſcũque Divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autẽ non datur, ex juſtitia non datur, in pœnã præcedentis peccati, aut ſaltem originalis peccati, ut S. Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & gratia.*

Hæc D. Thomas. Quæ omnes S. Doctoris ſolutiones eo collimant, ut doceat, eâ ſolùm ratione hominem poſſe ſervare Divina præcepta quia poteſt gratiam recipere, quâ ea impleat. Ideòque tranſgreſſionis reum eſſe, ſi ea prætermittat, quia Deus paratus eſt omnibus gratiam conferre; quam ſi interdùm denegat, ſolùm denegat in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis: unde nullam habere homo poteſt juſtam conquerendi cauſam, cùm jam filius iræ, omnique gratiâ poſitivè indignus ſit, quique etiam ex ſolo peccato originali in nihilum redigi mereretur, ut poſteà ex S. Thoma referemus.

Verùm, cùm hac Divi Thomæ ſolutione plures abuti ſoleant, ipſeque etiam Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti Salvatoris fermè per totum, operæ pretium erit in ea explicanda paululùm immorari, & quibuſdam obſervationibus eam illuſtrare. Et obſervari in primis velim, quod ſæpiùs obſervandum occurrit, inde plurimos, & à S. Auguſtini, & à S. Thomæ ſententia receſiſſe videri, quòd cùm unius veritatis plures probationes eſſe poſſint, & apud Sanctos Auguſtinum, & Thomam rationem unam repererint, eam exiſtimaverint eſſe ſolam, huic uni innixi, ſuæ ſententiæ veluti machinam omnem, aut ſyſtema ſuperextruxerint. Atque ut hoc exemplum quod occurrit uſurpem, cùm Janſenius animadverteret S. Auguſtinum neceſſitatem gratiæ ex infirmitate naturæ repetere, cujus infirmas fractaſque vires neceſſe eſt & reparari & augeri; hanc avidè rationem arripit, cæteraſque prætermittit: atque huic veluti unico fundamento ſuam de gratia veluti machinam ſuperextruxit: negat, ullam motionem efficacem neceſſariam eſſe, ubi nulla infirmitas eſt, ideoque in ſtatu innocentiæ nullam fuiſſe niſi ſubditam humanæ voluntati gratiam, & ſi ita loqui liceat, totum Pelagianiſmum, aut veriùs errores quos poſterioribus ſæculis amplexus eſt Pelagius, in eum ſtatum transfert, iiſque, & Adamum, & Angelos inficit. Non diſſimili fermè modo, cùm naralem gratiam Divinamque vocationẽ adhibitis etiam externis ſignis, & occurrentibus viſis, alii in D. Auguſtino repererint, quæ hominis voluntatem moraliter movent, & alliciunt ut conſentiat, ſed cujus conſenſum non efficiunt; hinc etiam anſam arripiunt exiſtimandi, non aliam eſſe gratiam præter moralem ex S. Doctoris ſententia, neque majorem ullam prævenientem gratiam eſſe admittendam, quæ efficiat per modum efficientis cauſæ ut faciamus. Plurima alia ejuſmodi, ubi de concordia libertatis cum gratia agendum eſt, infrà referemus.

Sed ut ad ſuperiora redeam, idem ſcopulus eſt, ubi de gratia ſufficiente agitur. Cùm ſufficiens illud eſſe in D. Thoma aliquando repertum fuerit, præter quod non requiritur aliud; quamvis animadverti debuiſſet, maximam in eo latitudinem eſſe, & aliquid eſſe ſuo in ordine ſufficiens quod in alio, & ſuperiori ordine minimè ſatis eſſet; ſicut ſufficit ſua ruſtico ſupellex, quæ admodùm curta eſſet ſi ad altiorem ordinem nobilium transferretur: attamèn inde colligunt alii, quòd cùm negari non poſſit, dari à Deo auxilium virtute ſufficiens, nullum aliud virtute majus ſeu efficax admitti debere: alii verò è contrà, cùm ſatis intelligant, longè difficilius ac nobilius eſſe agere, quàm ſolùm poſſe; inde colligunt, nullum eſſe reipsà ſufficiens, niſi tribuat ipſum agere: ac ſi quis diceret, quòd quia ad ſplendorem nobilitatis ſuſtinendum ſuppellex ruſtici non ſufficit; ea etiam ruſtico pro re domeſtica, & familiari non ſufficeret; aut quia in eo gradu, & ordine ruſtici ſufficit, ea etiam pro quocumque altiori ordine ſufficeret.

At verò S. Thomæ Diſcipuli, cùm ipsâ rerum experientiâ doceantur, varios eſſe, & gradus, & ordines qui varia exigant, & ſufficiat aliquod auxilium rudi, ut ita dixerim, potentiæ, præter quod tamen aliud pro altiori, & nobiliori gradu, & ordine actualis operationis neceſſariò eſt addendum; inde duplex auxilium diſtinguunt, alterum præcisè ſufficiens, ab operatione ſcilicèt præciſum; alterum verò abſolutè ſufficiens, utpotè cum operatione ipſa conjunctum; quod ultimum ſi quis ſufficiens vocari vellet, addendum foret, eſſe abſolutè, & in omni ſimpliciter ordine ſufficiens, & cum actione conjunctum. Sed cùm uſus apud omnes jam habeat ut primum dumtaxàt ſufficiens, alterum efficax nuncupetur: non licèt eum uſum immutare, quia loquendum eſt cum multis, ut Ariſtoteles monet, & ut inquit S. Auguſtinus *Ubi res convenit, quis non verba contemnat?* lib. 2. de ord. c. 7. *Cùm res à nobis non ſola verba quærantur*, De Gratia Chriſ. c. 32.

Ad hunc etiam lapidem Janſenius aliique ipſi plus nimio affecti, offendiſſe videntur. Reperiunt in S. Thoma, quòd *ea dicimur poſſe per nos ipſos, quæ poſſumus per amicos*: reperiunt, ideò homini imputari quòd non agat, impoſitaque præcepta non impleat, quia hæc implere *poteſt cum auxilio gratiæ*, & quia poteſt *impedire gratiæ receptionem vel non impedire*: Atqui, inquiunt,

nulla

nulla hìc à S. Thoma mentio facta eſt gratiæ, quam actu homo habeat, & quâ poſſit implere Divina præcepta, antequàm ea impleat, quæque ſit dumtaxàt ſufficiens gratia: ſed ex D. Thoma eâ ſolùm ratione homo poteſt implere præcepta Divina, & reus eſt niſi ea impleat, quia poteſt gratiam Dei recipere quâ ea impleat: Ergo vel ipſo S. Thoma judice, nulla neceſſaria eſt ſufficiens gratia, quâ homo implere præcepta poſſit; ſed eâ ſolùm ratione quòd homo poteſt recipere à Deo gratiam, quâ præcepta impleat (quæ procul dubio ipſa efficax gratia eſt,) dicitur poſſe implere ea præcepta, & reus eſt niſi ea impleat.

Præpoſtera ſanè aut male deducta, ſicut in cæteris, conſecutio: quid enim vetat ad eundem terminum duplici via perveniri, aut eandem veritatem duplici ratione probari? duplici de cauſa imputatur homini quòd non agat, alterâ communiſſimâ, altera ſpeciali: cùm enim varii ſint hominis ſtatus in quibus variis auxiliis ornatus eſſe poſſit: cùm interdùm veluti nudus in ſola natura reperiri poſſit, & interdùm peccatis gravatus ſit, indutus maledictione; cùm maxima ſit latitudo potentiæ in communi, interdùm proxima ſit, interdùm ſolùm remota: cùm interdùm in homine auxiliis evecto potentia intrinſeca conſtituta ſit, interdùm verò ea auxilia in ſola divina potentia, ſeu potentia extrinſeca ſint: & tamen in his omnibus gradibus, & ſtatibus, in ea quacumque conditione ſemper verum ſit, poſſe hominem implere Divina præcepta fidei, ſpei; & dilectionis, ac poſſe hominem ad Deum converti, & meritò imputari homini ſi ad Deum non convertatur, vel cùm ad uſum rationis pervenerit, vel poſtquàm in peccatum lapſus fuerit: cùm, inquam, hæc communis omnibuſque impoſita lex, omnes omninò homines comprehendat, debuit à S. Thoma communis reſolutio afferri; atque de his omnibus in communi aſſerit, poſſe eos omnes Divina præcepta implere, quia poſſunt gratiam recipere, ſive illa dumtaxat ſufficiens ſit, ſeu etiam cum actu conjuncta: an verò deinde illa dumtaxàt ſufficiens, vel etiam efficax ſit, ex conditione illius cui confertur eſt judicandum. V. G. dubitari non poteſt quin puer cùm ad uſum rationis pervenit, etiam pro eo inſtanti, quo nullum adhuc actuale auxilium recepiſſe intelligitur, poſſit ad Deum converti; quia nimirùm poteſt gratiam recipere ſeu efficacem, ſeu ſufficientem ab efficaci ſejunctam, ſeu ſufficientem cum efficaci conjunctam, in eaque virtualiter incluſam, ut poſteà dicemus: & quidem ſi cum actu miſericordiæ Divina convertat, unicum actuale auxilium ei tribuit, quod ſimul, & potentiam ſeù voluntatem ejus evehit, & ſufficientis munus exercet, & ſimul potentiam applicat, & eſt efficax motio, & gratia efficax. Quòd ſi Divina juſtitia filium iræ ac perditionis in maſſa corruptionis, ſuaque corruptione relinquat, in pœnam originalis peccati; ſufficiens dumtaxàt auxilium confert ab efficaci diſtinctum, quo poſſit converti ſi velit, modo inferiùs explicando; & prætereà poteſt etiam habere efficax auxilium, quo nedùm poſſit converti, ſed & reipsà convertatur: quod quidem auxilium efficax poteſt puer recipere, quia Deus illud conferre poteſt. Quòd ſi illud Deus deneget, duplici de cauſa denegat, tum ſcilicèt propter originalem culpam, tum quia actu obicem ponit. Unde duplici de cauſa reus eſt niſi reipsà convertatur. Primò quia ſufficienti auxilio poteſt converti. Secundò quia poteſt ipſum auxilium efficax recipere quo reipsà convertatur, niſi obicem poneret ut fuſiùs infra eſt explicandum.

Eo igitur ſenſu, quæ ex S. Thoma retulimus explicanda ſunt: intelligit S. Doctor de auxilio actuali in communi, quod ad agendum neceſſarium eſt, quodcumque tandem illud ſit. Conſentiunt enim omnes, non perpetuò aut ſingulis momentis auxilia actualia conferri: quod enim à Concilio Senonenſi in Decreto fidei cap. 15. dictum eſt: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet*: conſentiunt, ut arbitror, omnes, illud intelligendum eſſe pro loco, tempore, & opportunitate, & quoties urget præceptum Divinum implendum: Nam alioquin nec ullam veri ſimilitudinem habet, quòd cùm omnes v. g. ingenii nervos certis negotiis pertractandis aliquis intendit, actuale etiam habeat auxilium, cogitetque de eliciendis actibus fidei, vel contritionis quibus ad Deum convertatur. Loquimur enim, ut diximus, & omninò obſervari volumus, ut locutus eſt D. Thomas de auxiliis actualibus, quibus homo ad Divina præcepta implenda movetur, & quæ duplici veluti parte conſtant, alterâ ex intellectûs illuſtratione, alterâ verò ex aliqua excitatione voluntatis. Ipsâ autem experientiâ perſentimus, non ſemper adeſſe ea auxilia actualia quibus ſemper actu moveamur, & cogitemus de ea in Deum converſione. Cum v. g. aut Mathematicus ſuis demonſtrationibus, aut etiam Theologus ſuis ſpeculationibus vehementiſſimè intendit; quis putet, tunc auxilia actualia ipſum à Deo recipere, quibus ad alia excitetur. Imò, & virtuti adverſaretur, ſi quis nollet ad ea quæ ſui muneris ſunt, & quantùm negotii gravitas exigit, attendere. Unde & S. Thomas egregiè advertit, 2. 2. qu. 158. non ſemper iraſci prohibitum eſſe. Nam *ſi aliquis iraſcitur ſecundùm rationem rectam, tunc iraſci eſt laudabile.* Cùmque ſibi objeciſſet, quòd ex D. Dionyſio cap. 3. de Divinis nominibus, *Malum animæ eſt, ſine ratione eſſe: ſed ira ſemper eſt ſine ratione; dicit enim Philoſophus 7. Ethicor. quòd ira non perfectè audit rationem*, Reſpondet: quòd ira quæ laudabilis eſt, conſequitur rationem, *proùt ſcilicèt appetitus ſenſitivus movetur cõtra vitia ſecundùm ordinem rationis; & hæc ira eſt bona, quæ dicitur ira per zelum &c. hæc autem ira, etſi in ipſa executione actûs judicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinẽ rationis tollit &c. Non*

eſt

eſt autem contra rationem virtutis ut intermittatur deliberatio rationis in executione ejus quod eſt à ratione deliberatum ; quia etiam ars impediretur in ſuo actu, ſi dum debet agere, deliberaret de agendis.

Ita igitur explicandum eſt, homini conferri à Deo auxilia, non per ſingula momenta, ſed tempore opportuno, & cùm divina præcepta implenda occurrunt: quamvis & intelligi poſſit, Deum perpetuò ad oſtium ſtare, & pulſare per creaturas ſenſibiles: non enim, inquit S.Paulus act.14.16.Deus *ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de Cælo dans pluvias, & tempora fructifera.* Quod teſtimonium eſt, ut eleganter proſequitur D. Proſper lib.2.de Vocatione Gentium c.4.*Totius Mundi inenarrabilis pulchritudo & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis, & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur. Cælum ergo cunctaque cæleſtia, Mare, & Terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſq; concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur authoris.* Atque eo ſenſu ſunt hominibus *lapides, & ligna magiſtri*, ut inquit S. Paulinus. Igitur eo pacto dici non immeritò poteſt, nunquàm nec ullo quidem momento deeſſe divinum auxilium, quo homines ad ſe Deus attrahat. Sed quod attinet ad actuale auxilium, quo ipſam Deus mentem ac voluntatem hominis perpetuò ac ſingulis momentis moveat, nullam, ut dixi, veriſimilitudinem habet.

Igitur, quod ad illud actuale auxilium in communi attinet, rectè à S. Thoma dictum eſt, neque aliter dici potuit, homines poſſe divina præcepta implere, quia poſſunt divinum auxilium recipere, & in culpa eorum eſt quòd illud non percipiant. An verò ſufficiens auxilium an vero efficax percipiant, ex varia cujuſque conditione deinde diſcernere oportet. Quiſquis tenetur præceptum implere, ſi reipsà impleat, efficax auxilium tunc percipit, quod ſimul potentiam & complet, & applicat; & utriuſque, ſufficientis ſcilicèt ac efficacis, vim habet. Si verò præceptum non impleat, neceſſe eſt ut ſaltem recipiat auxilium ſufficiens. Neceſſe enim eſt quòd advertat ſaltem præcepti implendi obligationem; atque ea interna admonitio eſt effectus ſufficientis auxilii: nam alioquin ſi præceptum non impleret, inadvertentiâ aut ignorantiâ excuſari poſſet, ſi ea ſit invincibilis; ſi enim vincibilis eſt, jam ſupponitur præceſſiſſe ſaltem ſufficiens auxilium, quo vincere illam ignorantiam aut inadvertentiam potuiſſet, ut ſtatìm exemplis demonſtrabimus; arbitror enim, hæc exemplis eſſe manifeſtanda, quæ interdùm ſi adhiberentur, facillimè quæſtiones ejuſmodi reſolvi poſſent, quæ nimiis Theologorum ſpeculationibus quàm ſæpiſſimè intricantur. Indè enim explicari, & percipi etiam facilè poteſt, an ſufficiens an efficax auxilium homo à Deo recipiat. Cùm enim, ut diximus, nullum actuale auxilium ſine admonitione interna, aut excitatione eſſe poſſit (ſi enim actuale ſit, actum habeat neceſſe eſt,) conſulat quiſque ſeipſum, & indè facilè percipiet, & quodnam auxilium, & cujus generis, aut cujus efficaciæ reipsà ſit. Si urgente præcepto ſentiat, & mentem admoneri, & voluntatem ſuam excitari, ut excitanti, & admonenti Deo obtemperet, non dubitet, efficax auxilium eſſe ex quo ſequitur præcepti impletio: ſi verò ita ſe & admoneri, & excitari perſentit, ut tamen ſuâ malitiâ vocationem divinam repellat, ipſius culpa eſt, quòd efficaci auxilio privetur; poſſet enim ſi vellet Deo obtemperare; neque deeſſet efficax auxilium, ſi ſuâ malitiâ obicem non objiceret. Unde nec deeſt ſufficiens auxilium, quô intùs à Deo admonetur, & excitatur. Quòd ſi interdùm, ut in obduratis hominibus accidere ſolet, intùs quidem admoneatur, adeſſe tempus implendi præceptum, obdurata tamen hominis voluntas nullo vel levi motu excitari ſe ſentiat ad præceptum implendum, ſufficiens aliquod auxilium eſt, ſed imperfectum, quod ſolùm mentem illuſtrat, ſec tamen cor ejus non emollit. Quod ſi interdùm, cùm ipſum judicium rationis abſorbetur paſſione, ut inquit S. Thomas infra referendus, nequidem mens ipſa interiùs admoneatur, in pœnam præcedentis peccati, etiam ipſo ſufficienti auxilio proximo, ut ita dixerim, privatur: illud tamen habere poteſt, habuitque etiam quô paſſionem comprimere potuiſſet. Unde & tunc etiam aliquod, quamvis non proximum, ſed tamen remotum ſufficiens auxilium habere, ſeu habuiſſe dici poteſt. Quæ omnia ex infra dicendis apertiora fient.

Quiſquis ergo ſuæ mentis cordiſque motus, & quæ inter homines accidere ſolent animadverterit, facillimè graviſſimas quæſtiones reſolvet, quæ, ut dixi, ſæpiſſimè nimiis Theologorum ſpeculationibus magìs involvuntur, & implicantur, quàm explicentur: *Ex motu* enim *cordis*, inquit D.Bernardus ſerm. 74. in cant. *intellexi præſentiam ejus*, & divinæ gratiæ operationem. Neque enim aliter intelligi poteſt, Deum actu movere voluntatem, niſi voluntas moveatur, & ſuos quemlibet motus percipere inter naturæ manifeſtiſſima D. Thomas aliquando repoſuit, quæ neminem latere poſſunt. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt.* 1. ad Ch. 2.

Dices: Hac explicatione, quam jam attulimus, inverti omninò aut corrumpi, & textum, & ſenſum S.Thomæ: apertè enim intelligit S.Doctor de ſufficienti, non de efficaci auxilio. Objecerat enim ſibi: *Nullus tenetur ad illud quod non eſt in ejus poteſtate; ſed credere aliquid explicitè, non eſt in hominis poteſtate, dicitur enim ad Rom.*10. *Quomodò credent in illum quem non audierunt*: atquì illud manifeſtè non ad efficax auxilium, ſed ad ſufficiens ſpectat: qua enim ratione dici poſſit, homini ſufficiens auxilium ineſſe ad credendum,

ad

ad quem nihil unquàm de Evangelio pervênit: ergo S. Thomas apertè intelligit non de efficaci auxilio, ſed ſufficienti. Et tamen reſpondet S. Doctor. *Quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid ſecluſo divino auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia operante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos Fidei, ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ.* Ergo intelligit Sanctus Thomas, ideò teneri hominem ad diligendum Deum, & ad credendum articulos Fidei, quia poteſt habere ſufficiens auxilium, ad quod etiã pertinet Evangelii prædicatio. Et addit D. Thomas, *Quod quidem auxilium, quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autẽ non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam precedentis aut ſaltem originalis peccati, ut S. Auguſtinus dicit.* Ergo etiam intelligit, quòd hi etiam quibus in pœnam originalis peccati auxilium ſufficiens non datur, nihilominùs tamen, & credere tenentur, & rei ſunt ſi non credant.

Verùm reſpondeo, ex ſuperioribus vix ullam ſupereſſe difficultatem; diximus enim, nec de ſufficienti ſolùm in ſingulari, neque ſolùm de efficaci, ſed de actuali quocumque ad agendum neceſſario, D. Thomam intelligendum eſſe. Et quid vetat communi ſolutione uti, quando hæc etiam ſingulari argumento occurrit. Compendio res fit. Quodcumque auxilium deſit, ſive ſufficiens, ſive efficax, *ex juſtitia non datur*, & in culpa hominis eſt quòd non habeat; & præcepta non impleat. Sed prætereà

Reſpondeo, hìc etiam fieri quod fieri ſæpiùs ſupra animadvertimus, dividi ſcilicèt ac ſejungi S. Thomę principia, quę ſi conjungantur, nulla vel difficultatis umbra ſupererit. Expreſsè enim inquit S. Doctor eadem 2. 2. q. 10. art. 1. reperiri poſſe Infideles negativè, quibus non credere ea quę Fidei ſunt, ad culpam non imputetur. Etenim, inquit, *Infidelitas dupliciter accipi poteſt: uno modo ſecundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo quo non habet fidem: alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem, quia ſcilicèt aliquis repugnat auditui Fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundùm illud Iſaię 53.* „ *Quis credidit auditui noſtro* „? *Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis: & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis qui nihil audiverunt de Fide, non habet rationem peccati, ſed magìs pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine Fide remitti non poſſunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15.* „ *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* „ *Quod exponens S. Auguſtinus dicit, quòd* „ *loquitur de illo peccato quo non crediderunt in Chriſtum* „ Hæc ibi S. Thomas.

Eadem habet S. Doctor ad Rom. 10. lect. 3. ubi obſervat, dictum eſſe ab Apoſtolo, *quòd Judæorum caſus non erat excuſabilis ex toto, quia eorum ignorantia fuit inexcuſabilis.* Verum equidem eſt, ut jam Apoſtolus dixerat, *Quomodò credent ei qui non audierunt?* Sed indè oſtendit Divus Paulus, nullam ſupereſſe Judæis excuſationis cauſam, ex eo quòd jam Evangelii prædicationem audierant. *Sed dico*, inquit Apoſtolus, *nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum.* Quibus verbis oſtendit S. Paulus, Judęos minimè excuſari potuiſſe, cùm nedùm ad ipſos, ſed etiam ad omnes Orbis partes, quamvìs non ad ſingulos homines, Evangelii prædicatio perveniſſet. Sed addit S. Thomas, ut magìs difficultatem explicet. *Nunquid ergo illi ad quos non pervenit* (Evangelii prędicatio) *utpotè ſi fuerunt nutriti in ſylvis, excuſationem habent de peccato infidelitatis?*

Reſpondet ad hoc S. Doctor. *Dicendum, quòd ſecundùm ſententiam Domini, quę habetur Joan. 17. Illi qui loquentem Dominum per ſe, vel per ejus Diſcipulos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei conſequuntur, ut ſcilicèt juſtificentur ab aliis peccatis, vel quæ naſcendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt, & pro his meritò damnabuntur. Si qui tamen eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecũdùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem Fidei; ſicut Petrum Cornelio act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur actor. 16. Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, cõvertendo ſe ſcilicèt ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum. Threnor. 5.* „ *Converte nos Domine ad te, & convertemur* „. Hactenùs S. Thomas. Vide etiam q. 14. de Verit. art. 11. ad 1.

Ex quibus facillimum eſt, quæ objecta ſunt diſſolvere, & quæ ex D. Thoma retulimus explicare. Omnibus impoſita eſt communis lex credendi aliqua, etiam explicitè in Lege gratiæ, & poſt impletum humanæ Redemptionis Myſterium: ſed non in omni ſtatu rerum, & conditione hominum eadem lex eandem habet obligandi vim. Duplex enim Infidelium genus diſtinguendum eſt, ut S. Thomas diſtinxit; ad alios prædicatio Evangelii pervênit, alii nihil de Evangelio audierunt. Quantùm ad eos qui nihil de Fide audierunt, quorum infidelitas negativa eſt, & quorum ignorantia eſt per ſe invincibilis, eâque prędicatione, & ſubinde ſufficienti auxilio, in pœnam originalis peccati, privantur; tenentur equidem credere, neque enim à lege communi excipiuntur, ſed tenentur non neceſſitate præcepti, ſed medii: quia *in his qui nihil audierunt de Fide* Infidelitas *non habet rationem peccati, ſed pœnæ, & excuſationem habent de peccato, neque damnantur propter peccatum Infidelitatis.* At verò, quantùm ad eos ad quos Evangelii prædicatio pervenit, neque tamen Evangelio credunt, quique ſunt infideles contrariè, & privativè, in pœnam equidem peccati originalis, & aliorum, quibus ſe macularunt, privantur efficaci auxilio quo credant; recipiunt tamen ſufficiens auxilium, neque

igno-

ignorantiam poſſunt obtendere. Unde & tenentur credere non ſolùm neceſſitate medii, ſed etiam neceſſitate præcepti. At verò cujus vis aut latitudinis ſit auxilium quod recipiunt, penès Deum eſt, neque certò definiri poteſt. Alii etenim ex parte voluntatis etiam à Deo excitantur, alii ſolùm ex parte intellectûs admonentur. Et ſiquidem aliis peccatis graventur, alterius velutì generis ſufficiens auxilium percipiunt, remotum ſcilicèt quo potuerunt legem naturæ ſervare. Ut enim inquit S. Thomas, ſi qui eorum facerent quod in ſe eſt, Deus ex ſua miſericordia potiora deinde auxilia conferret: quamvìs *tamen*, ut meritò obſervat S.Doctor, *hoc ipſum quòd aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertēdo ſe ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum*. Quod verò non faciant quod in ſe eſt, non in defectum gratiæ referendum eſt, ut diximus ſupra, ſed in ipſam eorum malitiam; quia *perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum*. Oſeæ 13.

ARTICULUS IX.

Major explicatio ejuſdē ſolutionis Sancti Thomæ; juſtè imputari homini, quòd non agat, etſi careat efficaci auxilio neceſſario ad agendum.

EXplicuimus jam, nihil eſſe in ea D. Thomæ ſolutione quod Janſenii ſententiæ faveat, à quo negatum eſt verum ſufficiens auxilium. Verùm, cùm Sancti Thomæ ſententia medium teneat inter eos qui auxilium ſufficiens negant, & alios qui prēter ſufficiens auxilium, aliud majus & efficacius non requirunt, aliud neceſſariò addendum eſſe videtur, quo reſponderi poſſit argumento quod objiciunt qui præter ſufficiens auxilium, efficax negant. Revocant enim hoc pacto ſuperius argumentum. Si aliud, inquiunt, prēter ſufficiens auxilium ad agendum neceſſarium ſit, quo pacto dici poterit, hominem juſtificatum, & quantumvìs ſufficientibus auxiliis inſtructum, reipsà poſſe agere? Siquidem ipſi deeſt efficax auxilium, quod ut habeat, in ejus poteſtate poſitum non eſt, quodque adeò neceſſarium eſt, ut ſi illud deſit, nunquàm contigerit, neque continget unquàm quòd reipsà homo agat. Atque ea ratione, ſi verum fateri velint Thomiſtę, inquiunt, quandiù illud deeſt, dici non poteſt, hominem poſſe prēcepta divina implere: neceſſarium enim ex S. Thoma, immò & ex communi Philoſophorum conſenſu, illud eſſe dicitur, ſine quo res non poteſt fieri: ergo quandiu efficax auxilium deerit, dici non poteſt, poſſe impleri divina præcepta, neque imputari poterit homini quòd non agat. Verùm ex jam admiſſis probatiſque Sancti Thomæ principiis facilè argumentum illud diſſolvi poteſt: & ut apertior ſolutio ſit.

Reſpondeo: Dupliciter dici poſſe juſtificatum hominem, & ſufficientibus auxiliis inſtructum poſſe implere præcepta divina quando deeſt efficax divinum auxilium. *Primò*, quia ſupponitur adeſſe ſufficiens auxilium quo poſſit agere. *Secundò*, quia poteſt habere auxilium efficax quo agat. Prima ſolutione ſejungimur à Janſenio, altera verò ab aliis: de prima jam dictum eſt, & plura infra dicentur; de ſecunda magìs in particulari iterùm infrà dicemus. Hic verò in communi dicimus ex D. Thoma, hominem rectè dici, poſſe implere divina præcepta, quia illud *quod poſſumus cum divino auxilio, non eſt nobis omninò impoſſibile. Quę enim poſſumus per amicos, aliqualiter per nos poſſumus* 1.2. quęſt.109. art. 4. *& quia ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo ad quæ non poteſt ſine gratia: ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ*. 2. 2.quęſt.2.art.5. Ergo quantumvìs efficax auxilium deſit, adhuc tamen ea ratione communi dicimur poſſe implere præcepta divina, quia poſſumus habere divinum auxilium, quo præcepta hæc impleamus.

Et verò ideò exiſtimo, nihil iis locis quæ citavimus, dixiſſe S. Thomam de ſufficienti auxilio, quòd ſatìs animadvertit, idem argumentum inſtaurari poſſe etiam de efficaci auxilio. Unde communi ſolutione, eaque expeditiori, cùm omnia comprehendat; Reſpondet, quodcumque auxilium illud ſit, aut quocumque nomine nuncupetur, quod deeſt; non ideò tamen dici præcepta impoſſibilia, quia ea poſſumus divino auxilio implere. Ideòque difficilia potiùs quàm impoſſibilia dicenda ſunt, ſi exactum loquendi modum uſurpare velimus. Unde & conſultò à D. Thoma dictum eſt, quòd illud quod poſſumus cum divino auxilio, *non eſt nobis omninò impoſſibile*; quod enim abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile eſt, nulla ratione fieri à nobis poteſt.

Confirmari poteſt inprimìs; quia cùm multiplicis generis, & variæ rationis auxilia eſſe poſſint, alia proxima, alia verò remota; certum quidem eſt, nulli homini ad ſupernaturalem finem vocato, in totum negari divina auxilia: ad divinam enim providentiam, & æquitatem pertinet, ut cùm hominem ad altiorem gradum, ordinemque vocat, & ad nobiliorem finem conſequendum evehit, ea etiam conferat ſine quibus eum finem obtinere non poſſet. Ut enim 1. par. quæſt.21. refert S. Thomas ex D. Dionyſio cap.8. de divinis nominib. *Oportet videre, in hoc veram eſſe juſtitiam, quòd omnibus tribuat propria ſecundùm uniuſcujuſq; exiſtentiū dignitatem, & uniuſcujuſque naturam in proprio ſalvat ordine, & virtute*. Et ut inquit S. Doctor quęſt.14.de Veritate, ubi de Fide art.11. *Ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutē, dummodò ex parte ejus non impediatur*. Unde cùm certum ſit, hominem non poſſe ſuis viribus ad finem ſupernaturalem aſſurgere, quęq; ſibi impoſita ſunt in illo ordine, & ſtatu, præcepta divina implere; æquitatis divinæ erat, ut ſupernaturales vires, & auxilia conferret, quibus &

ea præcepta impleret, ac sibi merita compararet, quibus eum finem obtineret, quo sensu intelligi illud potest: *Justum adjutorium meum à Domino*, Psal. 7.

Quòd si quibusdam interdùm denegata fuerint, aut reipsà denegentur hujusmodi divina auxilia in pœnam præcedentis culpæ, iis tamen etiam aliquando ad eam culpam vitandam, & implenda divina præcepta quæ prætergressi sunt, collata fuerunt; ideòque velutì retrocedendo semper reperiri poterit, nemini unquàm fuisse denegata ea auxilia sufficientia, ac in ipsis sufficientibus auxiliis collata fuisse remotè auxilia efficacia, de quo infra. Ergo semper verissimè à S. Thoma dictum est, posse hominem implere præcepta divina, quia & ea implere potest cum auxilio divino, etiam efficaci, quod semper vel proximè, vel saltem remotè confertur, vel, quod idem est, saltem offertur.

Confirmari adhuc apertiùs potest, ex eo quòd cùm actualis gratia confertur, quâ homo reipsà præcepta divina impleat, non est existimandum conferri duplicem gratiam, alteram quæ solùm sufficiens sit, alteram verò quæ sit efficax. Unica satìs est quæ utrumque munus exercet, eadem complet potentiam, & simul eam applicat, & sub priori quidem munere sufficiens est, sub posteriori autem efficax: & universìm idem eodemque modo de omni actuali auxilio sentiendum est (de altero enim quod est permanens, & per modum habitûs, quô evehitur homo ad ordinem supernaturalem, aliud est longè dicendum) quoties homo implet præceptum, toties recipit auxilium efficax, quod simul, & semel sufficiens est, & complet potentiam, & simul potentiam applicat ad agendum. Ergo vel ex eo capite eaque communi ratione non immeritò dici potest; hominem antequàm præcepta impleat, ea implere posse, eò quòd possit habere gratiam quâ ea impleat. Enimverò si quid obstare posset, illud esset maximè, quòd etiam antequàm præcepta impleat, necesse est ut possit ea implere, quia efficax auxilium debet supponere sufficiens: efficax enim potentiam applicat, & necesse est antequàm applicetur potentia, & voluntas, eam compleri, ipsique supernaturales vires superaddi ad producendum actum virtutis, cùm maximè ipsius habitu carere intelligitur: Atquì ea ratio non satìs convincit. Agitur enim de actuali, non de permanente auxilio, & parùm opportunè duplex admitteretur; alterum actuale sufficiens quo voluntas compleretur; alterum actuale efficax quo applicaretur, quod sanè vix satìs commodè posset intelligi, & saltem in Angelo ac primo homine admitti necesse est, in quo duplex entitate diversum auxilium planè absurdum videretur: imò & ad quemlibet primum tum intellectûs tum voluntatis actum, unicum dumtaxàt auxilium esse potest quod utrumque complectitur: Ergo vel ex ea ratione communi, quòd homo possit gratiam recipere quâ impleat reipsà præcepta divina, verissimè dici potest ea posse implere, ex ea regula à S. Thoma, & olìm ab Aristotele constituta, scilicèt *quod possumus per amicos, dicimur posse per nos ipsos*.

Confirmatur iterùm ex eo quòd multis modis quis posse dicatur. Ut enim, inquit S. Thomas q. 6. de Veritate, art. 3. ad 7. *Aliquid potest dici posse dupliciter, uno modo considerando potentiam quæ in ipso est; sicut dicimus quòd lapis potest moveri deorsùm: alio modo considerando id quod ex parte alterius est: sicut si dicerem quòd lapis potest moveri sursùm, non nisi per potentiam projicientis.* Igitur eodem planè modo, & sensu quis etiam posse implere mandata dicitur, per potentiam quę in ipso est, cùm habitibus virtutũ instructus; aut etiam sufficienti auxilio roboratus, proportionem ac velutì primam adæquationem habet cum actu vel impletione præcepti. Sed præterea communi alia ratione, quòd à Deo suę salutis authore, & adjutore in opportunitatibus recipere, & obtinere gratiam possit, quâ nedùm perfectam ultimamque adęquationem cum impletione præcepti habeat, sed etiam reipsà prę̀ceptum impleat; communi, inquã, illa ratione rectè meritòq; dicitur posse implere divina præcepta. Quod sanè exemplis familiaribus explicari potest. Cùm v.g. Christum in solitudinem secutę turbę, ejusq; prædicationis dulcedine, & miraculorum multitudine pertractæ non haberent quod manducarent, eorumq; indigentiâ Christus commotus jussit eos discumbere, & panes piscesque apponi: planum est quòd quamvìs apud se nihil haberent unde satiari possent, satiari tamen absolutè poterant, quòd iis Christus Dominus panes apponi juberet, atque in eorum potestate esset panes recipere. Idem contingeret si quis v. g. mihi ut librum emerem suaderet, ac etiam unde emerem pecuniam offerret; culpa mea esset, si quæ foret, quòd librum non emerem: perinde enim esset, utrùm pecuniam numeratam reipsà haberem, aut oblatam recipere possem. Ergo eodem modo cùm nullum adhuc auxilium actuale recepisse intelligitur, quô præcepta impleat; communi illa ratione quòd homo illud habere possit, nec id cuiquam Deus deneget, illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum, nec nisi rebelles divino lumini, quique suam cœcitatem amant, & sponte obicem ponunt, eo privantur, ut posteà dicemus: hac, inquam, ratione quòd quisquam auxilium divinum habere possit, verissimè dici potest, eum divina præcepta implere posse, & violatæ Legis reum esse, nisi ea impleat.

Confirmatur iterùm, quòd necesse sit aliquando saltem eam solutionem usurpari. Etenim communis sententia est inter S. Thomæ Discipulos, quos inter potissimùm fusè id prosequitur sapientissimus P. Lemos Tom. 4. à Deo denegari obduratis, & excœcatis, ac Infidelibus, qui nihil unquàm de Fide audierunt, etiam sufficientia auxilia quibus converti aut credere possint: & tamen certum est, neminem esse qui non possit salutem consequi, & resipiscere à peccato: quod

adeò

adeò indubitatum viſum eſt D. Thomæ, ut 3.par. quæſt.86. art. 1. *Utrùm per pœnitentiam omnia peccata deleantur*? oppoſitum gravi cenſura notaverit. *Dicere*, inquit, *quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt*. Quo autem pacto iſta conjungi poſſint, obduratum hominem, & poſſe, & non poſſe? nimirùm, quia *aliquid poteſt dici poſſe dupliciter, uno modo conſiderando potentiam, quæ in ipſo eſt; alio modo conſiderando id quod ex parte alterius eſt*. Si conſideretur potentia intrinſeca in Infideli qui de Religione Chriſtiana nihil audivit, nulla eſt, cùm careat auxilio ſufficienti ad fidem. Si conſideretur potentia alterius, & Divina clementia, quæ poteſt vel prædicatione, vel interna illuſtratione de Religione inſtruere, poteſt Infidelis, & credere, & ad Chriſtum converti. Ita etiam à S. Thoma dictum eſt 3. par. quæſt. 8. art. 3. *Utrùm Chriſtus ſit caput omnium hominum*? Infideles quicumque illi ſint, qui nihil unquàm de fide audierunt, qui penè ferinis moribus vivunt, corruptioni naturæ omninò immerſi, licèt *actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia: quæ quidem potentia in duobus fundatur: primò quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis, ſecundariò in arbitrii libertate*.

Atque eodem ſenſu intellexit ſuprà loco citato S. Thomas, nullum eſſe *peccatum in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit. Primò*, inquit, *quia per hoc tolleretur libertas arbitrii: ſecundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſque peccatoris ad pœnitendum, ſecundùm illud Proverbiorum 21. Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit vertet illud*. Vide quo pacto certum ſit & indubitatum, nullum peccatum eſſe in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit; non quidem ſemper *conſiderando potentiam, quæ in ipſo eſt*, ſeu vires ſupernaturales ex auxilio ſufficienti ortas; cùm interdum eò privati, & nudati obdurati quidam homines, ut olim Pharao, ſupponantur: ſed reſipiſcere quiſquam à peccato poteſt, conſiderando id quod ex parte alteriùs eſt, ſcilicèt efficaciam Divinæ gratiæ, quæ obduratiſſimum etiam cor, ut libuerit, & cùm libuerit, emollire poteſt.

Confirmatur prætereà: Quia quamvis certum ſit, omnibus omninò hominibus offerri Divina auxilia, & pro omnibus parata eſſe ex voluntate Dei antecedente, quæ circa omnes omninò ac nemine excepto verſatur; ac demùm Redemptionis myſteria pro omnibus ſufficere, & Sanguinem à Chriſto fuſum infiniti pretii eſſe, cujus vel unica gutta ſcelera omnia delere, & denigratos ſuper carbones homines dealbare poteſt: attamen ſi *dare* ſumatur ut correlatiuũ eſt ad *accipere*, communis eſt ſententia, non omnibus dari etiam ſufficientia auxilia. Et ut cætera prætermittam, de excœcatis omninò affirmat Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arbitr. cap. 6. Idque probat ex Eccl. 7. v. 14. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poteſt corrigere quem ille deſpexerit*. Quibus verbis ſtatim ſubjungit. „ Certè qui hoc dicit, pro compertò videtur habere, aliquos à Deo interdum „ ita deſpici ac deſeri ut converti nequeant. Item „ Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia „ iterùm dixit Iſaias, Excœcavit oculos eorum, „ & induravit cor eorum*. „ Quo loco, in quit notandum eſt illud *non poterant*; cauſa enim redditur cur non crederent, nimirùm quia nec poterant in ſua excœcatione. *Porrò*, inquit, *excœcati non ſolùm non vident, ſed etiam durante excœcatione non poſſunt*. Quamvis enim ea excœcatio gratiâ Divinâ removeri poſſit; attamen non ſemper adeſt ea gratia quâ poſſint. Atque idem probat ex S. Auguſtino lib. 4. contra Julian. cap. 8. *Qui jam utuntur libero voluntatis arbitrio, niſi eo volente ac ſubveniente à quo præparatur voluntas, velle non poſſunt. Ubi ſi quis dixerit mihi, cur ergo (Deus) non convertit omnium voluntates? Reſpondebo, cur non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis*?

Quæ verba ſtatim ita expendit Bellarminus: „ Vides, inquit, hìc S. Auguſtinum affirmare, „ non poſſe hominem ſine gratia præveniente, „ velle converti; & ſimul admittere, non ſemper dari gratiam iſtam prævenientem. „ Plurima tum ex eodem capite, tum ex pluribus aliis, & quidẽ apertiſſima referri poſſent: vix enim arbitror dubitari poſſe, S. Auguſtinum in ea ſententia fuiſſe, ſi ipſius mens ſincerè requiratur, de quo multa apud prælaudatum Thomam Lemos videat qui voluerit.

Sed pergit Bellarminus, & probat tandem hac ratione: „ Quia non poteſt ullus converti ſine gratia prævenient, cùm ſcriptum ſit Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me „ traxerit eum*: gratia verò iſta prævenians non „ ſemper adeſt, ut experientia ipſa teſtatur, non „ enim ſentimus aſſiduè nos illuminari à Deo, „ aut immitti nobis bona deſideria quibus excitemur ad converſionẽ: „ Non igitur ſemper habemus auxilium ſufficiens ad converſionẽ. Atque hæc ratio multò efficacior eſt, tum de hæreticis, quibus nunquã etiam in mentem venit ulla cogitatio de mutanda Religione, quę ſi interdùm incideret, eam ut gravẽ tentationem repellerent: tùm de excęcatis, & obduratis, aut etiam de hominibus voluptatibus immerſis, qui nõ magis quàm ſilices moveri ſolent: quique ſponte cęci ſunt ex ignorãtia affectata, quæ, ut inquit S. Thomas, *effectum peccati conſequitur, quando ex concupiſcentia peccati, quã voluntas non reprimit, abſorbetur judicium rationis in particulari operabili ſecũdùm quòd dicitur in 6. Ethicor. quòd delectatio, corrũpit exiſtimationẽ prudentię* in 2. diſt. 2. quęſt. 2. art. 2. quiq; volutari in cęno inter delitias computant, & pro ſumma felicitate habent, quibus ſapit caro, & deſipit ſpiritus, inſtar illius animalis ſtolidi, quod, ut inquit Ariſtoteles, mavult ſtramentũ quã aurũ.

„ Reſpondent autem aliqui huic rationi, inquit „ idem Bellarminus, Deum quidẽ perpetuò pulſare ad oſtium cordis, & peccatores vocare, ſed „ eos rebus aliis intẽtos minimè vocationem Dei

„ percipere. „ Sed hæc, inquit, Reſponſio cum „ ipſo experimento apertiſſimè pugnat. Nam „ cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei „ ſit actio noſtra, quamvis non libera, nimirùm „ bona cogitatio bonumque deſiderium, repen- „ tè, ac Divinitùs immiſſum; quomodò poteſt „ fieri, ut non ſentiatur à nobis, ſi non ſolùm „ ſit in nobis, ſed etiam à nobis. „

Denique adeò certum exiſtimavit Bellarminus, Deum in pœnam præcedentium peccatorum poſſe divina auxilia etiam ſufficientia denegare, ut ibid. cap. 4. hunc etiam titulum capiti inſcripſerit; *Non poſſe Deum injuſtitiæ accuſari, ſi non daret auxilium ſufficiens ad ſalutem*, quod deindè, & ex Sacra Scriptura, & ex D. Auguſt. probat.

Hæc ex Bellarmino retulimus, prætermiſſis his quæ ex noſtris deſumi potuiſſent, ne ſuſpectum aliis authorem hac in re laudaſſe videremur. Vide tamen quæ infra referemus, ob præcedentia peccata gratiam denegari. Igitur nihil vetat, pro comperto haberi, & ſupponi, excæcatis, & obduratis hominibus nulla à Deo concedi auxilia, etiam ſufficientia, eoſque, ut loquitur S. Auguſtinus, *per malum velle amiſiſſe bonum poſſe*. Et tamen, ut ſuperiùs dixit S. Thomas, *erroneum eſt*, exiſtimare, aliquem quantumcùmque in profundum venerit, non poſſe emergere, & reſipiſcere: Atquì iſta conjungi non poſſunt, niſi adhibita ea diſtinctione: eos quidem pro eo excæcationis, & obdurationis ſtatu, non poſſe reſurgere, potentiâ intrinſecâ, & ex auxilio ſufficienti, quô carere ſupponuntur; poſſe tamen divinâ potentiâ ac Divino auxilio quòd etiam immeritis conferri poteſt. Nunquàm enim major eſt iniquitas hominis quàm Dei clementia. Licèt enim quiſquis peccat mereretur omni auxilio divino privari, imò & vitâ ſpoliari, ac in nihilum redigi; non ideò tamen in nihilum qui peccant rediguntur; quia in multa patientia Deus ſuſtinet etiam vaſa ignominiæ, & ut inquit S. Auguſtinus, *Deus patiens, quia æternus eſt*, ac interdùm in homine, ut olim in Univerſo, cùm *completa eſt malitia, dimiſſa eſt iniquitas*, ex abundantia, & plenitudine bonitatis, quæ ſuper juſtos, & injuſtos ex ſua voluntate, non ex hominum meritis, quæ nulla ſunt, gratiæ, & Divinorum auxiliorum celeſtem pluviam largitur. Ergo vel ex eo ſolo capite quòd homo gratiam Divinam recipere poteſt, poteſt etiam & reſipiſcere à peccato, & pœnitendi præceptũ, ut & alia Dei præcepta implere.

Confirmatur demùm, quòd ut plurimùm Celeſtio hoc idem argumentum toties, ut vidimus, objicienti S. Auguſtinus non aliter reſpondeat. Neque enim reſpondere ſolet, ab homine vitari peccatum, vel impleri præceptum poſſe, quòd gratiam jam habeat, quâ vel vitare poſſet peccatũ, vel præceptum implere, ſed reſpondet, poſſe impoſitum præceptum implere, quia poteſt gratiam habere, quæ nemini niſi ejus culpâ denegatur. Unde cap. 2. de perfectione juſtitiæ; *Reſpondemus*, inquit, *vitari poſſe peccatũ, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: in tantùm enim ſana non eſt, in quantum id quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet.*

Eâ igitur, authore S. Auguſtino, vel ſola ratione infirmus ſanari poteſt, quòd medicinam ſumere poſſit quâ ſanetur. Unde idem S. Doctor cap. 3. cùm objeciſſet Celeſtius, hominem poſſe eſſe ſine peccato: etenim *proculdubio debet; ſi debet; poteſt; ſi non poteſt, ergo non debet. Reſpondetur*, inquit S. Auguſtinus, *eâdem ſimilitudine qua ſuperiùs jam reſpondimus: cùm enim videmus claudum qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus, debet homo iſte eſſe ſine claudicatione; & ſi debet, poteſt; nec tamen cùm vult, omninò poteſt, ſed cùm fuerit adhibita curatione ſanatus, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc fit in interiori homine, quod ad peccatum attinet, tanquàm ad ejus claudicationem, per ejus gratiam.*

Claudicationis exemplo ſuperiori capite uſus fuerat S. Auguſtinus, explicaturus peccati defectum qui in Deum authorem referri non debeat; quod exemplum ab eodem S. Auguſtino deſumpſit S. Thomas, de quo alibi plura dicenda ſunt. Sed eadem cujuſque infirmitatis ratio eſt: poteſt infirmus curari: qua verò ratione? quòd jam medicinam ſumpſerit? Atquì tunc non ſolùm poteſt, ſed reipſa curatur: poteſt igitur curari, quia poteſt medicinam ſumere quâ curetur; quam ſi projecerit, illius culpa eſt, ſi maximè ea medicina offeratur, neque petenti unquàm denegetur. Atquì ita de interiore infirmo ſentiendum eſt; nunquàm enim, niſi ſe indignum præbuerit, hæc cœleſtis medicina, & ut loquitur S. Auguſtinus lib. de correptio. & grat. cap. 5. *Occultiſſimæ, & potentiſſimæ medicinæ poteſtas* denegatur. Unde ibidem de perfectione juſtitiæ c. 6. cùm ſibi Divus Auguſtinus illud Celeſtii objeciſſet: *Certè juſtus eſt Deus, negari enim non poteſt: imputat autem Deus homini omne peccatum; & hoc quoque confitendum puta; quia neque peccatum eſt quidquid non imputabitur in peccatum, & ſi eſt aliquod peccatum quod vitari non poſſet, quomodò juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuiquam creditur quod vitare non poſſit.*

Reſpondet S. Auguſtinus, vitari poſſe peccatum, quòd voluntas juvari poſſit: quòd ſi interdùm vitari non poſſit, adeòque auxilium quo juvetur deſit; illud à Deo homini in pœnam præcedentis ipſius peccati denegari. *Peccatum* inquit, *eſt cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.* Ergo ex S. Auguſtino eâ vel ſolùm ratione, quòd voluntati conferri gratia poſſit, quâ ſanetur, & quâ juvetur, vitari peccatum poteſt, præceptumque homini à Deo impoſitum impleri. Plurima ejuſmodi ex eodem S. Auguſtino referri poſſent. Sed, ut inquit Concilium Arauſicanum in fine, *Cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt.*

Atque

Atque hinc facilè reſponderi poteſt communi argumento, quod initio propoſitum eſt, & objicere ſolent qui negant, majus auxilium præter ſufficiens requiri ad Dei præcepta implenda. Deus, inquiunt, non præcipit impoſsibilia, ut à Concilio Tridentino definitum eſt: Atquì ſi præter ſufficiens auxilium, aliud majus requiretur, divina præcepta homini etiam ſufficientibus auxiliis inſtructo, & ornato, eſſent impoſsibilia.

Reſpondetur enim primò, impletionem divinorùm præceptorum eſſe poſsibilem homini juſtificato, per ipſa ſufficientia auxilia quæ ei non deſunt; quia obligatio præcepti fundatur in ipſis viribus ſuperadditis voluntati, ex ſufficientibus auxiliis quibus ea implere poſsit, quæ vires ſi permanentes ſint in ordine ſupernaturali, tribuuntur ab ipſis habitibus, qui in ordine ſupernaturali correſpondent naturalibus potentiis: Si verò hæ ſupernaturales vires ſuperadditæ non ſint, eas tribuunt actualia auxilia, quæ ita potentiam complent, ut nihil aliud in ordine potentiæ ad agendum deſit, ut ſequenti articulo explicandum eſt.

Reſpondeo ſecundò communiori magiſque expedita ſolutione, & quæ omnes omninò ſtatus comprehendit, ex Sanctis Auguſtino, & Thoma deſumpta, poſſe abſolutè quemcumque hominem implere divina præcepta, quia poteſt recipere à Deo gratiam quâ ea impleat. Et verò ultrò fatemur, teneri hominem, non ſolùm poſſe implere divina præcepta, ſed teneri etiam ea implere, in eoque poſitam difficultatem omnem eſſe, & controverſiam, in qua ſolvenda S. Auguſtinus, & S. Thomas ſolliciti præſertim fuere, nimirùm quo pacto homo poſsit implere præcepta, non quomodocùmque, ſed etiam potentiâ cum actu conjunctâ, de ea etenim D. Auguſtinus perpetuò ſe loqui ſignificavit; atque eam potentiam conferri homini per divinum adjutorium quô, ſeu per efficaciſsimam gratiam, quæ in homine operatur non ſolùm poſſe velle, ſed etiam ipſum velle, ut contendebat S. Auguſtinus. De altera enim quæ confert ſolùm poſſe, parùm ſe ſollicitum eſſe ſæpiùs ipſe expreſsit. Ut enim inquit lib. de gratia Chriſti cap. 14. *Si ſolùm poſſe noſtrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me; non autē ita dixit; ſed, Omnis, inquit, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me; non enim eſt conſequens,* ſubdit idem S. Doctor, *ut qui poteſt venire, etiam veniat.* Unde diſtinctam ac majorem gratiam, eamque efficaciſsimam, omninò concedendam eſſe contendit, ut verum habeat id quod à Chriſto Domino dictum eſt, *Omnis qui didicit à Patre,* nō ſolùm poteſt venire, ſed *venit*: ubi iterùm ſubjicit S. Auguſtinus, *Jam poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt*: & ut infra cap. 25. etiam obſervat S. Doctor, non dixit Apoſtolus, *Ut poſſitis nihil mali facere, ſed ne quid faciatis mali; nec ut poſſitis bonum facere, ſed ut bonum faciatis,* quamquàm dubiò procul utrumque auxilium à Deo ſit. Unde cùm multis egiſſet Celeſtius, ut probaret, hominem poſſe eſſe ſine peccato, inducit aliquem qui ab ipſo petat; *Da mihi hominem ſine peccato*: & reſpondet verſipellis hæreticus, & quæſtionem mutat, *Do tibi qui poſſit.* Quibus deinde ſubjungit S. Aug. cap. 7. *Nos reſpondemus, nullum cum eis de his verbis eſſe debere conflictū, quia non eſt auſus dicere, hominem eſſe ſine peccato, vel aliquem, vel ſeipſum, ſed tantummodò eſſe poſſe reſpondit; quod neque nos negamus. Quandò autem poſſit, & per quem poſſit, hoc quæritur.* Poſſit inquàm potentiâ cum actu conjunctâ, de qua, cùm ad conſequendam ſalutem omninò neceſſariâ ſit, totius negotii cardo volvebatur: de altera verò, quæ ipſum velle, & ipſum agere non conferebat, nulla erat ipſi diſputandi ratio, quamvìs & illa, vt diximus, neceſſaria ſit. Unde & iterùm lib. de natura, & gratia cap. 45. cùm dixiſſet Pelagius, quòd *etſi omnes homines peccatores poſſint probari, definitioni tamen noſtræ nequaquàm id obeſſet, qui non tam quid homines ſunt, quam quid poſſunt eſſe defendimus,* ſubjicit D. Auguſtinus; *Non ibi eſſe quæſtionem, ſed in ipſa nō peccandi poſſibilitate contendit* (ſcilicèt Pelagius) *in qua nec nos adversùs eum certare opus eſt*: de hac enim potentia agendi quæ cum actu conjungitur, ſicut ſalutis, ita & cauſæ ac controverſiæ ſumma erat, quam potentiam ibidem vocat poſsibilitatem cum effectu.

Fatemur igitur, teneri hominem nedum poſſe implere Divina præcepta, ſed ea de facto implere teneri, neque illud aut S. Auguſtinus, aut S. Thomas in dubium revocarunt. At verò quo pacto ab utroque reſponſum eſt, hominem teneri Divina præcepta implere, eaque eſſe poſsibilia? nimirùm quia poteſt recipere gratiam quâ ea impleat. Unde & illud in terminis objicit ſibi D. Auguſtinus, ſolvitque lib. de corrept. & gratia, cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt; non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri: quis hoc neſcit?* inquit S. Doctor, *ſed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus, quæ ab illo petere debeamus*: nimirùm, quia ut ita poſſimus quòd agamus, majori gratiâ, & efficaciſſimâ etiam præparanda eſt, & adjuvanda voluntas, quæ gratia vi ſua efficiat ut faciamus. *Certum enim eſt*, inquit infra, *nos ſervare mandata ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantū velimus quantum ſufficiat, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus; ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet; de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere. Certum eſt, nos facere cùm facimus; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.*

Igitur ex D. Auguſtino D. Thomas reſpondet: Ideò poſſumus Divina præcepta implere, quia poſſumus gratiam percipere, quâ ea impleamus. Atque ea communior ſolutio, & compendioſior eſt quâ difficultas omnis veluti obtruncatur. De gratia etenim efficaci, quęque præter ſufficientem, ad agendum requiritur, potiſsima difficultas eſt. Et quamvìs in ea notione ſufficientis auxili

maxi-

maxima controversia esse possit, & reipsà sit, contendentibus aliis, sufficientis auxilii nomine illud intelligendum esse, præter quod ad operandum non requiratur aliud: nobis autem adversantibus, ex S. Thoma sufficientis auxilii nomine illud intelligi solùm, præter quod in suo quidem ordine, ideſt potentiæ, non requiritur aliud, quamvis in alio ordine, scilicèt operationis, alterùm superaddendum sit: potissima tamen difficultas est de gratia, non possibilitatis meræ, & simplicis, sed actionis, ideſt *possibilitatis cum effectu* seu operatione conjunctæ. Et de ea gratia quæritur, quo pacto dum deest, possit homo implere præcepta Dei: quæ difficultas sanè à Sanctis Augustino, & Thoma minimè prætermissa est, atque eam eo veluti compendio, & solutione, quam jam retulimus, explicarunt, posse scilicèt hominem servare divina præcepta, quia potest recipere gratiam quâ ea impleat, & quæ homini nunquàm à Deo denegatur, nisi homo ipse obicem gratiæ ponat. Et si quis intelligi velit sufficiens auxilium in omni genere, quod nedum complet potentiam, sed & actionem efficit: non aliter responderi potest, quàm ut diximus, posse hominem etiam cùm sufficiens auxilium deest, Divina præcepta implere: quia potest illud homo à Deo obtinere, sine quo nihil possumus, quique dat pro sua voluntate, & velle, & agere.

ARTICULUS X.

Æquissimè imputari homini quòd non agat, quia habet auxilium sufficiens, quô agere possit.

HIC alius explicandi modus, quô commune argumentum excipi, & solvi possit, quique communior esse solet inter S. Thomæ Discipulos, quamvis alteri minimè adversetur.

Dicendum igitur, ex D. Thomæ sententia homini æquissimè imputari quòd Divina præcepta nõ impleat, quamvis efficax auxilium desit, quo præcepta impleret si adesset: quia Deus nedum efficax auxilium offert eo sensu quo diximus suprà, & posteà magis explicabimus; sed etiam quia reipsà auxilium sufficiens confert; cùm semper ex sua erga hominem benevolentia, & ut loquitur Apostolus φιλανθρωπία ad Titum 3. aut lege ac debito suæ providentiæ conferat homini, quæ necessaria sunt, ut finem ad quem destinatus est obtinere possit, cujusmodi est auxilium sufficiens. Hoc enim, ut inquit D. Thomas 1. par. quæst. 21. art. 1. sibi ipsi suæque providentiæ debet, ut nunquàm creaturis desit, sed omnia juxtà cujusque naturæ conditionem necessaria ad agendum tribuat. Atque eo sensu etiam justitiæ est quòd sufficientia auxilia tribuat; ad justitiam enim pertinet, & ex S. Dionysio cap. 8. de divinis nominibus, refert ibid. S. Thomas, quòd *omnibus tribuit propria secundùm uniuscujusque existentium dignitatem, & uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute.* Vide D. Thomã in illud Apost. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*; ad Cor. 10. ubi S. Doctor observat, Dei fidelitatem conveniri. *Non enim*, inquit, *Deus videretur fidelis, si nos vocaret ad societatem Filii Dei, & nobis denegaret, quantùm in ipso est, ea per quæ ad eum pervenire possumus.*

At verò inter ea quæ homini necessaria sunt ad consequendum ultimum finem, primo loco reponendum est sufficiens auxilium; adeò sanè necessarium, ut nunquàm citrà miraculum efficax auxilium tribuatur, nisi sufficiens præcesserit: quia cùm hæc duo naturâ suâ conjuncta sint, posse & agere, actus & potentia, potẽtia naturæ congenita, actus à potentia elicitus; & prætereà, cùm potentia agendi, quam efficax auxilium perficit, & complet, actum antecedat quem efficit; inde consequitur, nunquàm citra miraculum, tribui efficacem, & præviam motionem, nisi auxilium sufficiens antecesserit.

Sed cùm hæc ex S. Thoma probanda sint, celebris locus est 1. 2. quæst. 106. art. 2. ubi inquirit, *Utrùm lex nova justificet?* & inter alia num. 2. ita sibi objicit. *Prætereà, Apostolus probat ad Romanos, quòd lex vetus non justificabat, quia eâ adveniente prævaricatio crevit; dicitur enim ad Rom. 4.* „ *Lex iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio:* „ *sed multò magis lex nova prævaricationem addidit; majori enim pœna est dignus qui post legem novam datam adhuc peccat, secundùm illud Hebr. 10.* „ *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* „ *&c.* Hæc ibi Sanctus Thomas. Cujus argumenti ea vis est, non magis sed minùs videri legem novam justificare quàm veterem; quia tantùm abest, ut lex vetus justificaret, ut contrà hominem efficeret dignum pœnâ: nisi enim imposita lex fuisset, nulla etiam fuisset legis transgressio, quę transgressio efficit hominem dignum pœnâ. Atquì lex nova efficit hominem magis pœnâ dignum si legem novam transgreditur. Ergo &c.

Respondet S. Thomas, latissimum esse discrimen, quòd lex nova gratiam secùm ferat, quę hominem implendæ legi parem faciat. Unde negat, legem novam iram operari, aut præuaricationem augere, aut majorem damnationem accersere: quia quantùm ad ipsam attinet, Deus auxilium sufficiens dat homini ad non peccandum; ideòque in culpa est hominis, ac ipsi æquissimè, non legi imputatur, si ipse præcepta divina non impleat; quòd si majori pœna dignus sit si novam legem transgrediatur, hoc indè accidit, quòd magis culpandus sit, si majoribus beneficiis cumulatus, ac validiori auxilio instructus, unde facillima legis impletio evadit, eam nihilominùs transgrediatur. Ita verò habet D. Thomas.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd gratia Novi Testamenti etiam adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideò si quis post acceptā gratiam Novi Testamēti peccaverit: majori pœna est dignus, tanquàm majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens: nec tamen propter hoc dicitur, quòd Lex Nova iram operatur; quia quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.

Hactenùs S. Thomas ubi observanda sunt ultima verba: *quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum*: quibus & auxilii ipsius sufficientis nomen usurpat, & propriissima ipsius officia muneraque duo designat. Primum enim munus est quòd tribuat posse, & quidem quantùm est de se, completissimè, & expeditissimè posse agere. Atque ideò Lex Nova iram non operatur, id est, non faciat homines reos; sed ea parte Lex Nova Veteri opponitur, quòd Lex Vetus iram operabatur, idest, data occasione efficiebat homines magìs reos, quatenùs jubendo non juvabat, quod toties repetit S. Augustinus, indeque necessitatem, & efficaciam gratiæ repetit: *Jubet enim*, inquit S. Doctor lib. de Gratia Christi c. 8. *magìs quàm juvat. Docet morbum esse, non sanat; imò ab eo potiùs quod non sanatur augetur, ut attentiùs, & sollicitiùs gratiæ medicina quæratur: quia littera occidit, spiritus autem vivificat.* Et verò ideò Lex præcessit ut superbia hominis tumidi comprimeretur, & agnosceret se imparem ferendo jugo sibi à Veteri Lege imposito. *Ad hoc enim*, inquit idem S. Augustinus lib. de Perfectione Justitiæ c. 5. *Lex ita præcipit, ut cùm in his implendis homo defecerit, non se extollat superbiâ tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic eum Lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.* At verò è contra Lex Nova ideò non operatur iram, nec facit hominem magìs reum, quia etsi jubeat, pluraq; præcepta imponat; attamen & sufficiens auxilium dat ad ea præcepta implenda. Unde & egregiè ibidem D. Augustinus cap. 10. inquit, non esse gravia divina mandata, quia cùm plenitudo Legis sit dilectio, *non est grave quod diligendo fit, non timendo*: charitas enim & gratia divina *facit præcepti sarcinam, non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum.* Hoc igitur primum sufficientis auxilii munus, quod S. Thomas explicuit, nimirùm quòd det posse agere, & potentiam in ratione solitariæ potentiæ completissimè perficiat.

Verùm, alterum etiam sufficientis auxilii munus, quo ab efficaci distinguitur, significat Divus Thomas, si tamen munus vocari debeat quod ex ejus limitatione oritur, scilicèt, quòd non det ipsum agere, sive sui ipsius usum; cùm nunquàm auxilio sibi dato, quisquis sufficiens solùm recipit, & secluso efficaci, utatur: aliunde enim potentia, ut potentia, debet reduci in actum, ac priùs in actu constitui.

Non equidem negaverim, hæc S. Thomæ verba etiam de ipsa habituali gratia posse intelligi, cùm etiam D. Thomas aliquando aliis in locis expressè ipsam habitualem gratiam auxilium nuncupaverit: ut 1.2.q.109. art.9. ubi inquit, *Dicendum, quòd homo ad rectè agendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quantùm ad habituale donum, per quod natura corrupta sanatur, & alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.* Atq; ipsius articuli de quo agitur titulus, scilicèt, *Utrùm Lex Nova justificet*? habitualem, & sanctificantem gratiam, quæ est justificationis forma, significare videtur.

Verùm, dubitari non potest, quin multò rariùs habitualem, & sanctificantem gratiam D. Thomas auxilium nominet: pauciissima enim ea loca occurrunt. At verò frequentissima sunt, ubi auxilii nomine divinam motionem significat, ut videre est fermè in omnibus ejusdem quæstionis 109. articulis, unde supervacaneum foret ea referre. Et expressè q. 22. de Verit. art. 14. gratiæ nomen, non verò auxilii, sanctificanti, & habituali gratiæ, ut proprium, & eximium vendicat. *Si gratiam*, inquit, *velimus dicere, non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem, sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei: sed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali justificante.* Ac demùm levis conjectura est ex Articuli titulo, cùm etiam ad justificationem ipsa auxilia tum efficacia conducant tum sufficientia. Etenim inquit S. Thomas 1.2. q.113. art.6. *In quolibet motu quo aliquid ab altero movetur, tria requiruntur, primò quidem motio ipsius moventis, secundò motus mobilis, tertiò consummatio motûs, sive perventio ad terminum*: necesse enim est quòd justificationem præcedant varii actus liberi arbitrii, scilicèt fidei, spei, timoris &c. tanquàm varii motus mobilis, quos efficiunt hæc auxilia divina.

Veriùs igitur explicatur hic S. Thomæ Articulus, ut intelligatur tum de habituali gratia, tum etiam de sufficiente; utrique enim conveniunt hæc duo munera quæ observavimus. Atque inter sufficientia auxilia, ipsa habitualis gratia recensetur, primumque locum obtinet, cùm ea primam efficiat & proportionem, & connaturalitatem cum actu eliciendo. Sed cùm de sufficienti auxilio alibi accuratiùs agendum sit; hìc solùm ea solutio explicanda est, quâ S. Thomas superius argumentum diluit; rectè scilicet imputari homini, si divina præcepta non impleat; quia nimirùm nunquàm *sufficiens auxilium* deest, quo ea implere possit, nisi interdùm propter graviora peccata quibus induratus evadat, eò etiam privetur. Sed ut difficultas omnis exhauriatur, addenda argumenta sunt, quibus impeti solet hæc solutio.

Dices igitur: Qua ratione imputari poterit homini, quòd divina præcepta non impleat, quantumvis sufficienti auxilio adjutus sit, si præter illud, alterum requiratur? Atquì ea omnia

quæ

quæ hactenùs dicta sunt, eò tendunt, ut probent, in causis naturalibus, præter facultates activas naturæ superadditas, & in superiori ordine, præter auxilium sufficiens, quod facultatibus naturalibus correspondet, requiri motionem physicam, aut efficax auxilium: Ergo quantumvis sufficiens auxilium antecedat, non potest homini imputari quòd divina præcepta non impleat, quandiu deerit motio Dei prævia, & efficax, si ea motio reipsà ad agendum necessaria sit.

Sed præterea, non potest non immeritò, falsoque titulo dici sufficiens auxilium præter quod aliud requiritur; cùm ea videatur communis Sapientium omnium notio, illud dici sufficiens, præter quod nihil ultra requiritur: Ergo si præter ejusmodi auxilium sufficiens, alterum requiratur, omninò immeritò, & falso titulo dicetur sufficiens. Idque

Confirmatur, quia ex S. Thoma 3. p. quæst. 1. statim initio ubi agitur de necessitate Incarnationis: *Necessarium*, inquit, definitur illud esse, *sine quo aliquid esse non potest*. Quod ex Aristotele sumptum est 5. Metaphys. & apud S. Thomam lib. 6. Atquì ad producendum virtutis actum, necessaria supponitur divinæ gratiæ motio prævia, auxiliumque Dei efficax: ergo sine auxilio efficaci non solùm non producitur, sed nec produci potest virtutis actus; atque adeò *minimè* sufficiens esse potest auxilium quod dicitur sufficiens.

Respondeo. Et ut ab ea notione, eoque nomine auxilii sufficientis incipiam, dubitari non potest, quin æquivocatio sub eo sufficientis nomine lateat. Interdùm enim etiam à S. Thoma sufficiens illud sumitur, ut significet quod ita, omnique ex parte sufficiens est, ut nihil aliud omninò requiratur; quo sensu supra animadvertimus, D. Thomam sufficientis causæ definitionem intellexisse *ad quem de necessitate effectus consequitur*. Eodem sensu intellexit S. Doctor 2. 2. qu. 188. art. 8. cùm inquit, quòd *sufficiens est cui nihil deest*. Quod pertinet ad rationem perfecti, præter quod scilicèt aliud non requiritur. Verùm, & alio etiam sensu intellexisse S. Thomam aliquid esse sufficiens in suo ordine, licèt tamen alterum in alio ordine requiratur, nulla ratione negari potest. Ita enim qu. 3. de Potentia celebri illo Articulo 7. cùm sibi objecisset quòd ad actionem naturalem sufficiat virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis: Respondet, quòd virtus activa, & passiva rei naturalis *sufficiunt ad agendum in suo ordine, requiritur tamen virtus activa, ratione dicta in corpore Articuli*, nimirùm ut virtus agentis applicetur. Et 3. p. qu. 61. art. 1. ubi de necessitate Sacramentorum agit, cùm sibi objecisset quòd, *positâ causâ sufficienti nihil aliud videtur necessarium esse ad effectum*: *Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis*: *Ergo*. Respondet, *quòd Passio Christi est sufficiens causa salutis humanæ; nec propter hoc sequitur, quòd Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem; quia Passio Christi quodammodò applicatur hominibus per Sacramenta*.

Qui uterque locus aptissimus est, ut explicetur quæ sit vis gratiæ sufficientis. Sufficit equidem ut voluntas in suo ordine completa sit, possitque agere: attamen ut agat, & ut velutì applicetur, & ut ab eo ordine potentiæ ad alterum ordinem actualem extrahatur, altera & major gratia, scilicèt efficax, requiritur. Atque ut alia S. Thomæ loca prætermittam: dum explicat ea verba Apostoli, 2. ad Cor. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est* &c. addit lect. 1. in fine: *habemus tamen aliquam sufficientiam, quâ scilicèt bonum possimus velle, & credere incipiamus, & hoc à Deo est*. Manifestum autem est, quòd cùm ea sufficientia quâ solùm possumus bonum velle, & credere incipimus, non possit non esse imperfecta, necesse sit alteram esse perfectiorem, quâ non solùm voluntas possit, sed etiam agat. Verùm de his alibi fusiùs; hæc enim satìs sunt, ut indè facilè colligi possit, verissimè primum illud auxilium sufficiens dici, quamvìs præter ipsum, aliud requiratur. Est enim & sufficiens, & sufficientissimum in suo ordine, & quatenùs complet potentiam intra ordinem potentiæ velutì solitariæ, quamvìs aliud necessarium sit, scilicèt efficax, quod etiam perficit potentiam, cùm sit complementum actus primi, sed non perficit nisi per ordinem ad actum; ita enim complet actum primum ut extra se se exeat, ac prorumpat in actum secundum. Unde nihil vetat dici, voluntatem sine efficaci auxilio posse, & non posse actum producere: potest sine auxilio efficaci, potentiâ velutì solitariâ; non potest autem potentiâ cum actu conjunctâ. Quinimò ita videtur necessariò affirmandum, cùm expressè à S. Concilio Tridentino utrumque eodem loco, ubi de implendis præceptis agitur, conjunctum fuerit, & posse, & non posse; sess. 6. de Justificatione c. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Aliquid ergo est quod homo cui præcipitur potest, & aliquid quod non potest. Et ideò non potest, inquit S. Augustinus lib. de Perfectione Justitiæ cap. 10. *ut intelligat, se nondùm accepisse vires quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur, levia scilicèt atque suavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis*. Et verò, ut aliàs ex D. Augustino in Psal. 34. aliò intenti retulimus. *Quid est anima nostra quamvìs splendida, quamvìs producta, quamvìs uncta, quamvìs luce sapientiæ, & coruscationis vibrata; quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa*. Equidem anima virtutum apparatu, auxiliisque etiam sufficientibus instructa, & ornata, & splendida est, & ad pugnandum, vincendumque aptissima, seu pugnare, & vincere potest: & tamen adhuc neutrum potest, nisi Deus ipsam teneat, moveatque, & de illa pugnet, efficaci scilicèt auxilio, & *subministratione spiritûs*, & virtutis,

quæ

quæ effectum cum possibilitate conjunctum tribuat.

Idem repetiit sæpiùs S. Thomas, sine motione divina, quæ est ipsum auxilium efficax, aut ipsi correspondet, nullam creaturam quantumvìs suis facultatibus instructam quidquam posse agere. Etenim 1. 2. q. 109. art. 1. ubi de gratia agere incipit, statim inquit, *quòd quantumcumq; natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur à Deo*. Et tamen ibidem inquit, quòd quælibet forma *habet efficaciam respectu alicujus actus determinati*; ideſt, habet virtutem agendi; sicut intellectus *est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda*. Et sequenti Articulo inquit, *quòd homo in statu naturæ integræ, quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat operari bonum suæ naturæ proportionatum*; & tamen indigebat prætereà ad operandum Divino auxilio, & sine illo operari non poterat. Potest igitur homo, & non potest *in diverso* veluti ordine: si enim solius, & veluti solitariæ potentiæ ordo attendatur, potest: si verò alterius ordinis, & potentiæ cum actu conjunctæ, non potest. Unde & Sanctus Thomas quàm sæpissimè hæc duo loca cõjungit, *Deus operatur in nobis velle, & operari: & Sine me nihil potestis facere*: ut v. g. 3. contra gentes cap. 67. ubi probat, quòd *Deus est causa operandi omnibus operantibus*: postquàm id sex rationibus probasset, id demùm confirmat ex S. Scriptura. Hinc est inquit, quòd dicitur Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. *Joan.* 15. *Sine me nihil potestis facere*; & *ad Philipp.* 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*: Ergo ex S. Thoma de eodem auxilio de quo dictum est, Deum operari in nobis velle, & perficere, quod negari non potest in S. Thomæ sententia esse, ipsum auxilium efficax quo Deus est causa omnibus operantibus cur operentur; de eodem etiam dicitur, sine ipso voluntatem operari non posse. Et ut mihi quidem videtur, nemo est qui ista negare possit: quantumcùmque enim sufficiens auxilium completissimum intelligi possit, attamen si deesset simultaneus Dei concursus, quem nemo negaverit necessarium esse ad agendum, nulla esset operatio seu voluntatis, seu alterius cujuscumque causæ. Ergo etiam posito illo auxilio sufficienti quod completissimum supponeretur, adhuc dici posset voluntatem cum illo solo auxilio operari non posse: aliquid enim deesset. Neque solvi hoc argumentum posset, nisi ea ratione quòd concursus simultaneus semper paratissimus sit, & in promptu habeatur. Atqui, & eadem ratio locum habet de efficaci auxilio, cùm illud etiam semper paratissimum sit, & nedùm à Deo offeratur, sed & conferatur, nisi obicem voluntas aut obduratione aut peccato opponat. Verùm quod hic maximè, ut observandum, & usurpandum velim, ut æquivocationis, & deceptionis causa omnis amoveatur: nunquàm negandum est voluntatem posse agere, nisi addita explicatione, scilicèt si intelligatur de potentia conjuncta cum actu: alioquin cùm negatio, ut dicunt, sit malignæ naturæ, & omnia destruat, sensus esse posset quòd sine efficaci auxilio voluntas nullam potentiam, nullumque alterum auxilium sufficiens habeat quo possit; quod saltem de justis volentibus, & conantibus planè hereticum esset.

Ex his igitur solutum omninò est Argumentum ex notione auxilii sufficientis desumptum. Æquissimo enim jure, & titulo, quòd potentiam perficit, ejusque vires auget, sufficientissimum vocatur in suo scilicèt ordine, & ex parte potentiæ; quia alterum quod necessarium est, ad alterum ordinem pertinet, non solitariæ potentiæ, sed potentiæ conjunctæ cum actu, ut satìs explicuimus. Unde cùm dicitur, necessarium est sine quo aliquid esse non potest, distinguo: necessarium tum ex parte potentiæ, tum ex parte actûs, Concedo; ex parte soliùs potentiæ, Nego. Sine efficaci enim auxilio adhuc si sufficiens adsit, agere potest voluntas: imò ut diximus, etiam si sufficiens deesset auxilium, adhuc tamen non immeritò diceretur voluntas posse, ut supra explicuimus.

Ad alterum verò, quâ ratione possit imputari voluntati quòd non agat; quamvìs ex dictis solutio manifesta sit: Respondeo tamèn ex S. Thoma supra: quia scilicèt lex nova, & Deus novæ legis author, *quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Et sanè absurdum foret, si quis existimaret, ut posset homini præceptorum transgressio imputari necessarium fore quòd conferretur ipsi à Deo illud auxilium efficax quo reipsà ageret: quia cùm hujusmodi auxilium efficax conjunctum semper sit cum ipsa præceptorum Divinorum impletione, nulla unquàm esset præcepti transgressio.

Et explicari potest ea solutio, ex eo quòd de sufficienti auxilio idem planè sentiendum sit in superiori ordine gratiæ, ac de facultatibus naturalibus in ordine inferiori naturæ: confertur enim sufficiens auxilium, ut potentia eo instructa proportionem habeat cum eliciendo actu supernaturali, & ad eum inclinetur, & propendeat, sicut lapis v. g. sua gravitate deorsùm propendet, homo intellectu ad verum, & voluntate ad bonum inclinatur, & ignis suo calore potest agere, ut apertè colligitur ex S. Thoma 1. 2. qu. 109. ubi de divinæ gratiæ necessitate agit. At verò quis dubitet principiis D. Thomæ imbutus, de causa qualibet naturali suis facultatibus instructa verissimè dici, posse suos effectus producere, quamvìs certum sit, nunquàm eos effectus esse producendos, si physica motio desit, ut ex S. Thoma aliàs explicuimus. Unde, & D. Thomas jam citatus qu. 3. de potentia art. 7. rectè inquit, quamlibet causam esse quidem *in suo ordine completam*, ideſt in ratione potentiæ, & in ratione principii effectivi in actu primo constituti, quamvìs tamen aliundè, ut reipsà agat, egeat vi superaddita, quâ compleatur in ratio-

ne principii effectivi in actu secundo : Ergo , & pari ratione etiam cùm deest physica , & efficax motio , verissimè dici potest , hominem solùm sufficientibus auxiliis instructum posse divina præcepta fidei , & charitatis implere ; & æquissimè imputari homini si ea non impleat : cùm æquitas divini præcepti posita sit in eo quòd voluntas cui præcipitur reipsa possit , & in ratione principii in actu primo constituatur , etsi in ratione principii in actu secundo effectivi constituta non sit . Nam qui potest , tenetur, & non agit, culpabilis est .

Atque hujus præterea ratio est , quia actus continetur virtute in potentia instructa auxilio sufficienti ; sicut fructus continetur in semine, multoque perfectiùs : neque aliquid deest ex parte potentiæ , sed integra reperitur proportio , & commensuratio inter potentiam sufficienti auxilio præditam , & ipsum actum, tanta quanta esse potest inter potentiam , & actum , causam & effectũ quem reipsa virtute continet , etiam cùm actu non producit : ergo voluntas sufficienti auxilio prædita verissimè potest implere præcepta , & nisi impleat culpabilis est . Sed

Dices disparem esse rationem inter facultates , & sufficientia auxilia , quòd facultates activæ naturalium agentium , putà calor ignis , gravitas lapidis , & hujusmodi , cùm sint etiam proprietates naturæ , non sunt augumenti, & intensionis capaces : at verò auxilia sufficientia latitudinem habeant,cùm sint instar dispositionum, quarum aliæ propiores, aliæ remotiores sunt , ut nos etiam explicabimus infra : Atquì non est verosimile , neque ordo rerum patitur , inter eam auxiliorum sufficientium latitudinem quodlibet omninò complere potentiam , & integram commensurationem efficere cum actu qui præcipitur , maximè si sit actus perfectæ charitatis , vel cum ipsa forma justificationis , cùm homo ad Deum converti tenetur ; Ergo .

Respondeo in primis nulla habita ratione dispositionum , quòd quoties occurrit præceptum implendum , urgetque tempus illud implendi , toties confertur à Deo auxilium sufficiens , quod omninò complet potentiam , ita ut nihil omninò ex parte actus primi , & ex parte potentiæ desit ad implendum præceptum , & possit voluntas eo auxilio uti si velit , & implere præceptum . Et sanè quòd possit voluntas , si velit, præceptum implere , & ipsius culpa sit quòd non impleat , quisque secùm facilè experiri potest . Cùm enim V. G. urget præceptum audiendi sacrum , & quis voluptate ludi tenetur , & ab audiendo sacro retrahitur ; experitur secùm , ac etiam persentit, posse equidem,si velit,à ludo abstinere , & sacrum audire , & solam pravitatem voluntatis , aut pravam consuetudinem , quâ penè captivus tenetur , causam esse cur voluptatem ludendi,aut lucrandi cupiditatem impletioni præcepti anteponat . Unde certum est quocumque modo res ista explicetur , potentiam satis completam esse , saltem eo sensu , quòd si velit, possit auxilio sufficienti uti , & culpa ipsius sit quòd eo auxilio non utatur . Et rectè hìc advocari posset quod à Seneca alicubi dictum est , *Non posse prætenditur, in causa nolle est.*

Unde ad argumentum in forma Respondeo , prætermissa Majori propositione , quòd de sufficientibus auxiliis , aut aliud , aut idem sentiendum sit ac de dispositionibus : Ad Minorem Respondeo , quòd in ordine ad ea quæ jubentur , & quoties urget tempus implendi præceptum , auxilium sufficiens quod confertur , seu dispositio sit , seu non sit , ita complet potentiam , & voluntatem , ut possit voluntas , eo auxilio uti si velit , & culpa illius sit , si eo auxilio non utatur, & impositum præceptum non impleat, de quo dicendum est magìs infra .

Respondeo secundò : quòd etiamsi earum dispositionum ratio habeatur , & de sufficienti auxilio ac de dispositionibus idem sentiendum sit ; quoties aliquis vel minimam eam dispositionem habet , minimoque auxilio sufficienti percellitur , penes ipsum esse , ut ultimam dispositionem habeat , & majus sufficiens auxilium , quo potentia omninò compleatur : unde semper vel immediatè, vel mediatè omnem potentiam , & ultimò completam habet ad implendum præceptum , ita ut nihil ex parte potentiæ desit . Ratio hujus solutionis est, quòd cùm primùm movetur à Deo , pulsaturque animus ; si homo motioni obtemperet , Deus vim hujus motionis auget, majusque auxilium confert ; unde & voluntatis vires augentur , & gravioribus stimulis excitatur , & percellitur animus , ac tandem his variis motibus , quos gratia efficit , ita movetur , excitatur , & concutitur , ut abruptis omnibus impedimentis præceptum implere penè compellatur . Atque ut id etiam ex his quæ quisque persentit penè ob oculos ponam : hoc etiam majori veluti sensu percipiunt, qui pietatis viam ingressi , adhuc reliquiis pravorum habituum se detineri persentiunt . Sæpiùs enim experiuntur, quòd quoties præceptum implendum urget , vel pietatis opus exercendum occurrit , se esse veluti in bivio constitutos , hinc divinâ gratiâ vocari, & excitari , inde pravis habitibus , qui supersunt, quamvìs languidiores sint , detineri . Quòd si dum ita veluti in medio positi , & anxii inter utrumque hærent , aures , ut ita dixerim , cordis vocationi admoveant , & ad divinæ gratiæ partes se convertant , ac vocationi respondeant ; persentiunt statim voluntatis vires augeri , grandiorem vocem divinæ gratiæ auribus cordis insonare , acriores ignes accendi , tandem ex divina gratia submotis omnibus impedimentis , & superatâ voluntatis resistentiâ , tantùm augeri vires , ut non solùm possint , sed etiam velint præceptum implere . Quòd si è contra dum ita à Deo vocantur , & moventur , animum à vocatione avertant , nec sinant se ea motione flecti , sed eam repellant , aut ut loquitur D. Thomas , *negligenter se habeant* : persentiunt statim majores difficultates objici , tentationem graviorem

eva-

evadere, magìs ac magìs cupiditatem accendi, & ſe majori pondere pravorum habituum premi; ac tandem ita cupiditatis accenſæ vires augeri, ut jam anteà languens voluntas victa, & ut Scripturę Sacrę verbo utar, omninò *proſtrata* (Jerem. 3.) tentationi ſuccumbat, & præceptum implendum tranſgrediatur. Dixi verò eos qui jam pietatem colere incipiunt, cum divinæ gratiæ progreſſum eamque velutì luctam inter cupiditatem, & charitatem faciliùs perſentire: nam in his qui aut vitiis adhuc immerſi ſunt, quorum *velutì ex adipe prodiit iniquitas*, & ex malitiæ plenitudine *tranſierunt in affectum cordis*, vi pravæ conſuetudinis penè in ipſam malitiam converſi; aut è contra in his *qui perfectos habent ſenſus*, ut inquit Apoſtolus, longa exercitatione virtutum omnium perfectis habitibus acquiſitis: in his, inquam, omnibus contra accidit. Qui enim vitiis adhuc immerſi ſunt, etiam leviſſima tentatione dejiciuntur, & ut inquit D. Auguſtinus in lib. Retractation. *Cogenti cupiditati voluntas reſiſtere non poteſt*, quod ita explicat D. Thomas q. 24. de Verit. art. 12. *Non quidem quòd cupiditas poſſit intelligi eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium, quia ſemper eſt liberam à coactione: ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate.* Atque his maximè orandum eſt: *De neceſſitatibus meis eripe me Domine*: quod de pravis habitibus quibus premuntur intelligit ibidem D. Thomas. At verò contra, qui virtuti ſtudent, eamque colunt, nullam vel minimam difficultatem perſentiunt, nec neceſſe eſt eos aculeis compungi, cùm ita timoris Domini clavis configantur, ut penè *libertatem vagandi*, & divina præcepta tranſgrediendi, *cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat*, ut inquit D. Ambroſius in ea verba, *Confige timore tuo carnes meas*. Atque his omnibus Deus concurſum conſentaneum eorum diſpoſitioni tribuit, quòd ex D. Thoma eæ ſint divinæ providentiæ leges, ut rebus juxta earum prædominantem formam concurſum tribuat, & ut variæ earum conditiones exigunt, eas regat, & moveat. Hęc omnia ex his quæ quiſque etiam ſecùm experitur, & perſentit, explicare libuit, ut D. Thomę principia quamvìs ſolidiſſima ſint, nec etiam vulgi captum ſuperare demonſtrarem, ſi rectè explicentur, & ſuos animi motus interdùm quis conſulat.

Verùm his alterum addendum eſt, nè quis erret forſitan, & nimium libero arbitrio tribuat, aut pravè intelligat quod à nobis dictum eſt, interdùm animum velutì in medio poſitum, inter divinam vocationem, & cupiditatis illecebras anxium, & dubium hærere. Quoties enim divinæ vocationi reſpondet, & ſinit ſe divina motione, & gratiâ flecti, ipſius gratiæ, & Dei opus eſt: quoties verò impedimentum objicit, & divinam motionem repellit, ex pravitate ipſius voluntatis oritur. Hanc enim regulam D. Thomas ſtatuit 1. 2. qu. 112. art. 3. quòd cujuslibet defectus gratiæ, atque adeò, & pravi operis *prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ* (& impletionis præcepti) *prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum*. Et in Epiſt. ad Hebręos c. 12. lect. 3. cùm explicat hæc Apoſtoli verba: *Contemplantes nè quis deſit gratię Dei*: egregiè quis modus tenendus ſit, quid divinę gratię, quid libero arbitrio tribuendum, ita explicat. *Gratia*, inquit, *etſi non habeatur ex meritis, alioquin gratia non eſſet gratia; tamen oportet quòd homo faciat quod in ſe eſt. Deus autem voluntate ſua liberaliſſima dat eam omni prœparanti ſe. Apoc. 3. „ Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis aperuerit mihi intrabo ad eum. „ Et ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec Sol deeſt cœcis oculis. Ideòque dicit Apoſtolus: Contemplantes &c.* Verùm ſtatim objicit D. Thomas: *Sed contra*, inquit, *ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc quòd aliquis non ponit obſtaculum: Ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagii*. Sed ſtatim eam difficultatem reſolvit.

Reſpondeo dicendum: quòd hoc ipſum quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam. Hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Ut intelligas loqui Divum Thomam de auxilio actuali: unde tamen concludit. *Quòd ergo à quibuſdam removetur hoc obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei: quòd autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus.* Hic ſanè verus medium tenendi modus. Atque id habet etiam omnium Fidelium ſenſus, quod infra etiam ex certiſſimis Philoſophiæ regulis deſumendum eſt; quidquid in nobis eſt gratiæ, perfectionis, boni operis, Deo adſcribendum eſſe: quidquid verò defectûs, & peccati, dumtaxàt nobis eſſe tribuendum. Perditio enim noſtra ex nobis eſt, tantummodò in Deo auxilium noſtrum.

ARTICULUS XI.

Imputari homini ſufficientibus auxiliis adjuto quòd non agat, cùm in culpa ipſius ſit quòd auxilio ſufficienti non utatur, & non habeat efficax, ad quod ſufficiens ordinatur.

ALtera ſolutio quâ argumentum ſuperìus, & quod in hac controverſia præcipuum eſt, ſolvitur, ita explicari poteſt: nimirùm homini adjuto ſufficientibus auxiliis, etſi deſit auxilium efficax, & divina motio, meritò tamen imputari ad culpam, quòd non agat: ex eo quòd,

cùm potentia semel completa est, & supponitur perfecta commensuratio inter potentiam, & actum, possit reipsà agere si velit, eoque auxilio uti, & si eo auxilio sufficienti non utatur, culpa ipsius sit: & ut ex D. Thoma diximus, *Majori pœna sit dignus tanquàm auxilio sibi dato non utens.* Atque hujus ratio est, quòd cùm jam potentia completa supponitur, & virtute actum continet, si reipsà non agat, oriri non potest ex defectu ipsius potentiæ vel auxilii, quo potentia completur; sed necesse est ex alio capite oriri, nimirùm ex ipsa pravitate voluntatis, quę auxilio sibi dato uti non vult. Unde hæc certa constansque regula statuenda est, non ideò peccare hominem, & auxilio sibi dato non uti, quia caret majori illo auxilio quo ageret: sed contra ideò carere majori illo auxilio, & efficaci, quia peccat: neque alteram hujus causam quærendam esse cur auxilio sufficienti non utatur, præter ipsam voluntatis pravitatem, quæ est primum principium deficiens. Sed hęc egregio D. Thomę testimonio comprobanda sunt. Ita igitur inquit in primo dist. 40. quęst. 4. art. 2. *Hominem carere gratiâ ex duobus contingit. Tum quia iste non vult accipere, tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult ipsi infundere. Horum autem duorum talis est ordo ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cùm enim Deus non velit nisi bonum, non vult Deus istum carere gratiâ nisi secundùm quòd bonum est. Sed quòd iste careat gratiâ, non est bonum simpliciter, unde hoc absolutè consideratum non est volitum à Deo. Est tamen bonum ut careat gratiâ, si eam habere non vult, vel ad eam habendam negligenter se præparet, quia justum est: & hoc modo est volitum à Deo. Ex quo patet quòd hujus defectus absolutè causa prima est ex parte hominis qui gratiâ caret.* Aurea planè verba quęq; difficultatem omnem exhauriant. Sed cùm hęc solutio fusiùs infra explicanda sit, nihil est hic prętereà addendum.

Non prętermittam tamen luculentam observationem quæ ex D. Thoma occurrit q. 1. de Malo, art. 4. ubi cùm alia discrimina inter pœnam, & culpam referret, hoc etiam egregium inter cętera discrimẽ refert. *Quòd culpa est malum ipsius actionis, pœna autem est malum agentis.* Ut enim jam anteà dixerat, alterum malum distingui potest, quod est in agente, quod privatur vel formâ, vel habitu, vel quocumque quod necessarium est ad agendum, sicut cœcitas, vel curvitas tibiæ est aliquod malum, quod privat agens vel lumine ad videndum, vel rectitudine tibiæ ad rectè incedendum. Sed prætereà alterum etiam malum distingui potest, quod est in ipso actu deficiente, sicut si dicamus, claudicationem esse aliquod malum. Nemo enim dubitat quin claudicatio ipsius gressus defectus quidam sit, & quoddam malum. At verò addit D. Thomas, si hæc duo mala inter se conferantur, aliter hæc duo mala ordinantur in naturalibus, & voluntariis. Nam in naturalibus ex malo agentis sequitur malum actionis, sicut ex tibia curva sequitur claudicatio: in voluntariis autem è converso: ex malo enim actionis quod est culpa, sequitur malum agentis, quod est pœna, divinâ providentiâ culpam per pœnam ordinante. Cujus rationem jam præmiserat: quia inquit: *Habet hoc traditio fidei, quòd nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantùm ad animam, neque quantùm ad corpus, neque quantùm ad aliqua exteriora, nisi peccato præcedente, vel in persona, vel saltem in natura. Et sic sequitur, quòd omnis talis boni privatio quo uti quis potest ad benè operandum in hominibus pœna dicatur: & pari ratione in Angelis.* Ergo ex D. Thoma privatio gratiæ quæ pœna est, supponit culpam ratione cujus infligitur: Ergo non privatio gratiæ quæ est malum agentis, antecedit, sed è contra antecedit culpa quæ est malum actionis, & inordinatio actûs. Ergo non ideò dicendum est, hominem peccare aut divina præcepta non implere, quia caret gratiâ; sed potiùs ideò hominem privari gratiâ quia peccat, & pravè agit, & præcepta non implet: quamvis utrumque, & pravè agere, & privari gratiâ, simul & eodem temporis instanti contingat. Sed de his fusiùs infra, cùm enim magni momenti ista sint, necesse est ea sæpiùs usurpari, ut ea faciliùs Lector animadvertat, ac magis memoriæ affixa maneant.

Probatur insuper altera ratione, superiori maximè affini, meritò imputari homini sufficientibus auxiliis adjuto, si non agat, ex eo quòd in potestate ipsius sit physicam præmotionem, seu ultimum auxilium actionis, & efficax habere; & si illud non habeat, in culpa illius sit. Affinis est, ut dixi superiori hæc postrema solutio. Sicut enim potest homo auxilio sufficienti prædito, eo auxilio uti, & si eo non utatur, in culpa ipsius est; ita etiam in potestate ipsius est, post acceptum sufficiens auxilium, etiam & efficax seu physicam motionem obtinere; & si eam non habeat, in culpa ipsius est; ideòque soli dumtaxàt homini imputandum est si non agat, & præcepta divina non impleat; quia si præter sufficiens auxilium, alterum ad agendum requiratur, etiam penès ipsum est ut illud habeat.

Et inprimìs nemo est qui non possit efficax auxilium obtinere, ea ratione quòd Deus titulo benevolentiæ, & amicitiæ quâ prosequitur homines, hujusmodi auxilium omnibus offerat, & ex se paratus sit conferre, ut ex S. Thoma jam supra diximus: *Quod possumus cum divino auxilio non est nobis omninò impossibile, secundùm illud Philosophi in 3. Ethicor. Quæ possumus per amicos, aliqualiter nos possumus.* Unde & idem D. Thomas, tum alibi sæpiùs, tum in cap. 6. Ioannis, quem locum ex integro infra referemus, rectè infert: *Ex quo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non imputatur ei si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.* Quid enim aliud requiratur ut homo agere possit, & reipsà agat, cùm per auxilium sufficiens potentia agendi completa sit ad agendum in ratione principii

in

in actu primo, nec minùs agere poſſit, quàm poſſit ignis ſuo calore calefacere; & prętereà offeratur ipſum auxilium ultimũ & efficax, quo potentia compleatur etiam in ratione principii effectivi in actu ſecundo: Ergo ſi homo non agat, in culpa ipſius eſt, & juſtiſſima eſt ea Dei querela, *Quid ultra potui facere vineæ meæ, & non feci?*

Sed prætereà, alio etiam modo, & alio ſenſu quiſquis habet ſufficiens auxilium, poteſt habere & efficax, nimirùm quia ſufficiens ſemper ordinatur ad ipſum efficax, & ut ita dixerim, rectâ viâ ad ipſum tendit, neque habenti auxilium ſufficiens negatur efficax, niſi quia ipſius efficientis auxilii veluti curſum ſiſtit: Ergo quiſquis habet auxilium ſufficiens, ſi non agat, nec divina præcepta impleat, culpa ipſius eſt, cùm poſſit ratione ſufficientis auxilii agere; & ſi alterum deſit ut reipsà agat, penès ipſum ſit quòd illud habeat. Antecedens probatur ex eo quòd quoties Deus homini auxilium ſufficiens confert, eo fine confert, & tribuit, ut hominem ulteriùs promoveat, & diſponat ad alterum majus auxilium ab ipſo Deo recipiendum: & reipsà etiam illud Deus conferret homini, niſi hunc velutì divinum influxum homo ſiſteret, & interciperet: ſicut cùm agens naturale diſpoſitiones ad formam producendam inducit, niſi hic velutì diſpoſitionum curſus intercipiatur, tandiù agens influit, donec ea ultima diſpoſitio ad quam forma conſequitur, producta fuerit. Sed cùm hæc ſolutio maximi momenti in hac controverſia exiſtimanda ſit:

Confirmatur hac obſervatione, quòd divinæ ſapientiæ, ac divinæ providentiæ leges ita habeant, ut nunquàm forma introducatur niſi diſpoſitiones anteceſſerint: & prætereà, ut inquit D. Thomas 3. contra Gent.cap.150. *Movens continuè mutat, quouſque mobile per motum finem ſortiatur.* Unde propriiſſimum auxilii ſufficientis munus eſt, ut hominem ad perfectam converſionem, & juſtificationem diſponat, & velutì *continuè* per gradus promoveat, ut *finem*, vel perfectam converſionem, vel majus gratię incrementum *ſortiatur.* Unde S. Thomas 1.2. qu.112. ubi inquirit art.2. *Utrùm requiratur aliqua prępara-tio, & diſpoſitio ad gratiam ex parte hominis*; expreſsè inquit, *quòd pręexigitur ad gratiam aliqua gratię prępara-tio, quia nulla forma eſſe poteſt niſi in materia diſpoſita*: & cùm ſibi D.Pauli exemplũ objeciſſet, qui gratiam conſecutus eſt dum *eſſet ſpirans minarum, & cędis in Diſcipulos Domini*, ut dicitur Act.9.Reſpondet: *Dicendum, quòd cùm homo ad gratiam ſe prępara-re non poſſit, niſi Deo eum pręveniẽte, & movente ad bonum; non refert utrùm ſubitò, vel paulatìm aliquis ad perfectam prępara-tionem perveniat: dicitur enim Eccleſiaſtici* 11. „ *Facile eſt in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem.* „ *Contingit autem quandoq; quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis prępara-tio præcedit gratiam. Sed quandoque ſtatìm perfectè movet ipſum ad bonum, & ſubitò homo gratiam accipit, ſecundùm illud Joan.6.* „ *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: „ *& ita contigit D. Paulo, quia ſubitò cùm eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo, audiendo, & addiſcendo, & veniendo; & ideò ſubitò eſt gratiam conſecutus.*

Hæc D. Thomas: ubi obſervandum eſt, hęc duo à S. Doctore diſtingui, quòd ſcilicèt *quandoque Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam.* Quibus certè verbis propriiſſimum ſufficientis auxilii munus explicuit, cujus pręcipuum munus eſt, quòd ad actus quoſdam imperfectos moveat, quibus voluntas ad perfectam juſtificationem diſponitur. Ita enim hunc ordinem ſervari quotidiè experimur, & conſpicimus, cùm homines ad Deum convertuntur: & cùm, ut inquit S. Thomas 1.2.qu.113.art.1. *Juſtificatio fit ſecundùm motum, qui eſt de contrario in contrarium*: quo modo juſtificatio importat tranſmutationem quandam de ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ. Nemo enim eſt qui ſecùm expertus non ſit, quod apud D. Auguſtinum in libris Confeſſionum legere etiam potuit: cùm ad Deum convertitur, paulatìm diſponi in actibus quos juſtificationem antecedere Sacrum Concilium Tridentinum definit, & ferè numerat S. Thomas 1. 2. quæſt. 113. ſcilicèt timore aliquo ſupernaturali pœnarum, quas Fidei lumine illuſtratus ſe commeruiſſe non dubitat, concuti; ſpe divinæ miſericordiæ, quæ ſub peccatorum pondere preſſo atque jacenti manus porrigit, paululùm erigi; aliquo Dei amore initiali ſenſìm accendi: nec certè ad *ſexcentos gradus* pervenire neceſſe eſt, ut Janſenius parùm conſultò dixit, cui ſufficiens auxilium etiam monſtrum viſum eſt; donec interìm minuitur cupiditas, ſimplexque illa erga Deum complacentia, & tenuis aliquis erga ipſum amor, tandem compreſſa cupiditate perfecta charitas evadit. Unde non immeritò dixerim, ſufficientem gratiam ſpiritum ſalutis concipere, efficacem verò parturire. Hos enim imperfectos actus voluntatis paululùm emergẽtis varia auxilia ſufficientia actualia efficiunt, quæ ad ulteriorem quidem actum, perfectiſſimæ ſcilicèt charitatis, & perfectæ converſionis in Deum ordinantur, quem licet non efficiant, ad eum tamen efficiendum diſponunt, quod etiam expreſsè Concilium Tridentinum ſeſs.14. cap. 4. docet.

Verùm addit S. Thomas, *quandoq; Deus movet perfectè hominem ad bonum, & ſubitò homo gratiam recipit, & ita contigit Paulo: quia ſubitò*, cùm eſſet in progreſſu peccati, *perfectè motum eſt cor ejus à Deo, & ideò ſubitò gratiam eſt conſecutus.* Unde liquet (quod ſumma obſervatione dignum eſt contra eos quibus ſufficientis auxilii, etiã illius pręter quòd aliud requiritur, vel ipſum nomen exoſum eſt) illud adeò neceſſariũ eſſe: ut poſt ſanctificantem gratiam, totius ſupernaturalis ordinis primum fundamentum exiſtimandum ſit: cùm ut ſupra animadvertimus, & hoc D. Pauli exemplo compertum eſt, nunquàm citra miraculum, perfectum auxilium efficax conferatur

quo

quo homo perfectè in Deum convertitur; nisi longa illa series auxiliorum sufficientium tanquàm dispositionum antecesserit. Quamvis etiam si aliquando hominem subitò & momento converti contingat, etiam & momento dispositiones inducantur, & conferatur ejusmodi efficax auxilium, quod virtute sufficientia omnia contineat, ut de S. Paulo inquit D. Thomas, quòd *perfectè motum est cor ejus à Deo, audiendo & addiscendo, & veniendo: & ideò est subitò gratiam consecutus*. Et ut idem S. Doctor ibidem addit 1. 2. quæst. 113. art. 7. *Deus ad hoc quòd gratiam infundat animæ, non requirit aliam dispositionem, nisi quam ipse facit: facit autem hujusmodi dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiæ, quandoque quidem subitò, quandoque autem paulatìm, & successivè*. Quod ultimum, ut diximus, contingere solet, cùm homines convertuntur in Deum, servato solito ordine, qualem in conversione S. Augustini fuisse servatum, in ejus Confessionibus ab ipsomet didicimus. Constat igitur propriissimum auxilii sufficientis munus esse, hominem ad perfectam conversionem disponere, vel ad majus gratiæ incrementum: cùm existimandum sit, Deum in ordine gratiæ non minùs quàm in ordine naturæ eandem servare legem, quâ nunquàm forma nisi post longam dispositionum seriem in subjectum inducitur.

Igitur liquet ex dictis, eas esse Divinæ Sapientiæ leges, ut per gradus hominem ad altiora semper evehat, sicut movens quodlibet subjectum in quod agit perpetuò immutat quousque finem sortiatur: Atquì indè manifestissimè probari potest æquissimè imputari homini si non agat: unde instauratur superius argumentum. In culpa est hominis sufficienti auxilio instructi, quòd non agat, si possit habere ipsum efficax quô reipsà agat, & præcepta divina impleat: Atquì ita est, quisquis habet sufficiens auxilium, nisi per ipsum steterit, potest habere efficax. Ergo &c. Probatur Minor: quia Deus eo dumtaxàt fine auxilia sufficientia homini confert, ut eum ad perfectam conversionem promoveat, & ad majus auxilium, & efficax obtinendum, quô perfectam conversionem, & justificationem consequatur; neque unquàm nisi propter culpam hominis Deus ipsi, dato jam sufficienti auxilio, efficax negat, nisi propter ipsius hominis culpam: neque enim ex defectu divini auxilii sufficientis oritur, quòd qui habet auxilium illud sufficiens, non habeat etiam efficax, ad quod sufficiens ordinatur; sed oritur dumtaxàt ex culpa ipsius hominis, qui peccato sufficientis auxilii cursum sistit, & intercipit. Nisi enim homo divino influxui peccatum tanquàm obicem objiceret, & nisi hominis resistentiâ, cordisq; duritiâ, Dei influxus sisteretur, cùm Deus sola sua bonitate permotus conversionis opus inchoat, & sufficientia auxilia tribuit, quibus hominem ad conversionem movet ac disponit, deinde etiam ipsum efficax auxilium homini tribueret, cujus vi perfecta integraque hominis conversio sequeretur, ad quam ut ad terminum tota illa series auxiliorum sufficientium, & efficacium ordinatur: Ergo si illa auxiliorum sufficientium series intercipiatur, si perceptis jam primis sufficientibus, ultimum & simpliciter efficax, quo præceptum divinum impleat homo non recipiat, culpa illius est qui obicem objicit: Ergo etiam & culpa illius est quòd præceptum non impleat.

Confirmatur ex S. Thoma 1.2.quæst.113.art.2. ubi cùm explicuisset, primam justificationis causam esse divinam dilectionem, quâ Deus pacatur homini, eique gratiam infundit, ita inquit: *Dilectio autem Dei, quantùm est ex parte actus divini, est æterna, & immutabilis: sed quantùm ad effectum quem in nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout scilicèt ab ipso quandoque deficimus, & quandoque iterùm recuperamus*. Ergo ex S. Thoma, cùm Deus hominem diligere incipit, & velut prænuncia pacis, ad quam hominem vocat, varia auxilia immittit, & ad eos actus quibus justificatio inchoatur, hominem movet, & impellit; nisi per ipsum hominem staret, ac nisi quod Deus in homine imprimit ipse homo interrumperet, Deus inchoatum opus perficeret, efficeretque integram ac perfectam hominis justificationem. Siquidem *Dilectio Dei quantùm ad effectum quem in nobis imprimit*, nunquàm *interrumpitur*, nisi quia nos *ab ipso deficimus*. Ergo æquissimè homini imputatur quòd præcepta divina non impleat, cùm divinę dilectionis primam illam impressionem in ipsius voluntate à Deo factam sistat, & coërceat, ac impediat, nè infusa jam animæ lux, quamvis initio tenuis, in diem perfectum evadat. Quæ ratio

Confirmari potest ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 11. à quo sanctissima hæc regula statuta est, quòd Deus justos, sive, ut inquit Tridentinum, *suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*: quod ex S. Augustino desumptum est lib. de Natura, & Gratia cap. 26. cui & illud simillimum est quod inquit lib. 4. Confess. cap. 29. ubi veras in Deo leges amicitiæ esse demonstrat, quia, inquit, *Te nemo amittit, nisi qui te dimittit*. Quod non immeritò nedùm ad eos qui jam à Deo justificati sunt, perfectamque charitatem consecuti, sed ad eos etiam quos Deus ad justitiam, & charitatem adducit extendi potest. Atque id comparatione lucis faciliùs explicari potest, dum primo manè Sol oritur, & tenebras dispellit, & paulatìm evehitur, donec effuso pleno lumine exiguas jam facit Altissimus umbras; evidens est quòd quisquis Soli expositus fuerit, majori semper luce perfundetur, & accendetur majori semper calore, nisi obicem opponat; eò quòd jam ortus Sol perpetuò lucem effundat; neque unquàm nisi objecto obice luminis illa effusio impediatur. Unde proculdubiò æquissimè illi imputabitur qui obicem opposuerit, si luce careat, & luce privatus impingat, & in abyssum peccati cadat: unde inquit S. Thomas 3. contra Gent. cap. 159. *Non immeritò imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, in quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam da-*

re;

re; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur. Atque eodem plane ſenſu explicat idem D. Thomas illud Joan. 1. *Erat lux vera quę illuminat omnem hominem.* Ubi egregiè advertit, quòd ſi qui erroris, aut ignorantiæ tenebris involvantur in mundo, id non oritur ex parte Divini Verbi, ac divinæ lucis, & gratiæ: idque oſtendit D. Joannes, inquit S. Thomas, *ex tribus*, 1. *ex ipſius Divinæ lucis efficacia, quia erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*, 2. *ex ipſius divinæ lucis præſentia, in mundo erat*, 3. *ex ejus evidentia, quia mundus per ipſum factus eſt.* Atque ea deinde diffundit, ut probet, nulli juſtam eſſe conquerendi cauſam, neque ullum excuſationi locum eſſe, cùm nemo ſit ad quem hujus lucis radius aliquis non perveniat. Sed tamen

Objicit ſibi idem S. Thomas: Videtur enim, inquit, id eſſe falſum, cùm multi adhuc in mundo ignorantiæ & erroris tenebris involvantur. Sed reſpondet, quòd Divinum *Verbum omnes illuminat quantùm de ſe eſt, quia ex parte ſua nulli deeſt, imò vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quòd ſi aliquis non illuminetur, ex parte hominis eſt avertentis ſe à lumine illuminante.*

Sed hæc fermè D. Thomas à D. Auguſtino Magiſtro didicerat tract. 2. in Joan. ubi hæc omnia conjungit, & efficaciam, & præſentiam, & evidentiam divinæ lucis, quæ ſemper præſens adeſt omnium mentibus, cordibuſque. Unde ad hæc verba; *In mundo erat*: ita inquit. *Ecce hic eſt, & modò, & hic erat, & ſemper hic eſt, & nunquàm recedit &c. Opus eſt ut tu nunquàm deſeras, & non deſereris; noli cadere, & non tibi occidet: ſi tu feceris caſum, ille tibi facit occaſum; ſi autem tu ſtas, præſens eſt tibi.* Atque etiam apertiùs Tract. 1. cùm ea verba explanaret, *& lux in tenebris lucet &c. Ergo*, inquit, *quomodò homo poſitus in Sole cœcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli abſens eſt; ſic omnis nequam cœcus eſt in corde: præſens eſt illi ſapientia, ſed cùm cœco præſens eſt, oculis ejus abſens eſt, non quia ipſa illi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt &c.*

Ex quibus omnibus liquet, neminem eſſe qui meritò excuſationem habeat de peccato ſuo, quique poſſit immeritam divinæ gratiæ lucis abſentiam, aut privationem obtendere. Cùm, ut iterùm addit S. Thomas loco ſuprà laudato lect. 5. ſemper animorum Sol Verbum Divinum, aut luminoſiſſima, & flagrantiſſima lux *efficax ſit, cùm ſit lux vera; præſens ſit, quia in mundo erat; evidens ſit, quia mundus per ipſum factus eſt.*

ARTICULUS XII.

Altera ex S. Thoma, imputationis cauſa: ſi deſit efficax auxilium, illud non denegari, niſi propter peccatum antecedens, ſaltem originale.

COnnexæ ſunt ſolutiones quas ex D. Thoma afferimus, eaſque majoris dumtaxàt claritatis gratiâ ſejungimus, tanquàm diverſos explicandi modos; quos inter hìc non poſtremus cenſendus eſt, cùm eô, & S. Auguſtinus, & S. Thomas ad propoſitum ſuperius argumentum ſolvendum frequentiùs utantur. Et verò quocumq; pacto res iſtę explicentur, quantumcùmque ſufficiens auxilium ſatìs eſſe in ſuo ordine intelligatur; dubium non eſt quin poſſit ſuperius argumentum revocari. Negari enim non poteſt; quin etiam efficax auxilium omninò neceſſariò requiratur ad agendum: quo pacto igìtur, & qua æquitate à Deo imputari homini poterit ſi non agat, & non impleat præceptum divinum, quandiu deerit auxilium efficax; quod ſi neceſſarium fuerit, rectè aliquo ſenſu dici poteſt, ſine illo fieri nihil poſſe, neque poſſe impleri præceptum, cùm neceſſarium illud ſimpliciter ſit, ſine quo res fieri non poteſt, eo ſcilicèt modo quo neceſſarium eſt. Non dicam argumentum hoc in eorum omnium ſententia ſolvendum eſſe, à quibus diſcrimen aliquod inter ſufficiens, & efficax auxilium etiam ex parte actûs primi conſtituitur, ut diximus ſupra: ſed quid reſpondeat, ſentiatque D. Thomas, quod unicum operæ pretium à me ſuſceptum fuiſſe ſępiùs monui, inquirendum eſt.

Objicit igìtur ſibi hoc idem argumentum, ut jam retulimus ſupra, D. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 3. ubi quærit: *Num homo teneatur credere explicitè articulos Fidei?* & ſic habet: *Nemo tenetur ad illud quod non eſt in poteſtate ejus*; neq; culpari quis poteſt, ſi quod ejus vires ſuperat, non efficiat. *Sed credere aliquid explicitè non eſt in poteſtate hominis: dicitur enim Rom. 10.* „ *Quomodò credent in illum quem non audierunt?*, *Ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur*: neque gravari poteſt ſi præceptum Fidei non impleat, quod reipsà implere non poteſt. Reſpondet S. Thomas, *quòd ſi in poteſtate hominis eſſe aliquid, excluſo divino auxilio dicatur, ſic ad multa tenetur homo, ad quę non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendũ Deum, & proximum, ſimiliter ad credendos articulos Fidei; ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratię: quòd quidem auxilium quibuſcumque datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, ut S. Auguſtinus dicit in lib. de Corrept. & Gratia.*

Hæc ibi D. Thomas, quibus duplicem denegationis

tionis gratiæ cauſam refert, ſcilicèt peccatum antecedens actuale, & peccatum originale. Et de peccato quidem antecedente ſeu actuali poſteà erit agendum, hìc autem de originali. Meritò igitur, inquit S. Thomas, imputatur homini ſi non impleat Divina præcepta; quia licèt homini auxilium (efficax ſcilicèt) deſit, quô poſſit ea implere, potentiâ, inquàm, cum actu conjunctâ, eaque reipsà non impleat; in culpa tamen hominis eſt, quia ſi homini à Deo denegetur auxilium efficax, quod ſi adeſſet ea præcepta homo reipsà impleret; ejuſmodi efficax auxilium *quibus non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis*.

Et ſanè dubitari non poteſt, hanc eſſe D. Auguſtini ſententiam, cùm eam ex ipſo S. Auguſtino referat S. Thomas, & reipsà lib. de corrept. & gratia cap. 11. expreſsè aſſerat D. Auguſtinus, *quòd nunc quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt*: ubi quamvìs de adjutorio ſine quo id ibi affirmare S. Doctor videatur, eâdem tamen ratione, & multò potiori, de adiutorio quô dici poteſt. Simile eſt quod habet S. Doctor Epiſt. 107. ubi inter fidei regulas quas refert, hanc nu. 7. ſtatuit: *Scimus, eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari*. Atque eo pacto argumenta ſolvit, quæ Celeſtius opponebat lib. de perfectione juſtitiæ, ut poſteà opportuniùs referemus. Et quidem de parvulis quibus ipſa collatio S. Baptiſmatis, adjutorii quo ſeu efficacis auxilii locum tenet, quàm ſæpiſsimè id repetiit idem S. Auguſtinus, illos ſcilicèt hoc unico ſalutis æternæ remedio ex juſtitia privari, quòd ex maſſa corruptionis divinâ prædeſtinatione diſcreti non fuerint. Neque verò id duriùs videri poteſt his quibus gravitas originalis peccati ſatìs comperta eſt. Ea enim tanta eſt, ut dixerit Sanctus Thomas in 4. diſt. 46. qu. 2. art. 2. Utrùm Deus, & puniat citrà condignum, & remuneret ultrà meritum: quòd *Pro peccato originali ſecundùm rigorem juſtitiæ, non ſolùm debetur naturæ pro pœna, carentia viſionis Divinæ, ſed etiam ipſius annihilatio; & ideò ex hoc quòd conſervantur pueris non baptizatis naturalia bona, citra condignum puniantur; Unde Trenor. 3.,, Miſericordie Domini, quia non ſumus conſumpti.*,, Hæc Divus Thomas quibus certè quàm gravis ſit ea originalis macula ſatìs probat, quam quidam nimirùm attenuare videntur.

Unde & obſervat alibi idem S. Thomas, ſcilicèt 3. par. quæſt. 71. art. 2. in ipſos pueros nondùm baptiſmo regeneratos poteſtatem aliquam Dæmones habere. *Diabolus*, inquit, *hoſtis humanæ ſalutis, quæ per baptiſmum acquiritur, habet poteſtatem aliquam in hominem, ex hoc ipſo quòd ſubditur originali peccato. Unde & convenienter ante baptiſmum expelluntur Dæmones per exorciſmos, ne ſalutē hominis impediant, quam quidem expulſionē ſignificat exſufflatio*, quæ inter ritus baptiſmi ex Eccleſiæ præcepto uſurpatur. Qua de cauſa non immeritò forſitan obſervant aliqui, ideò potiſsimùm pueris nondum regeneratis ſtriges inſidiari: quod periculum imminere pueris à ſtrigibus etiam ipſi veteres obſervarunt; quas ſtriges mali ominis aves eſſe dicebant, *quòd horrenda ſtridere nocte ſolent*. Eas verò inhiare dicebant puerorum ſanguini: *nocte volant puerosque petunt nutricis egentes*, quorum *Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris*. Faſto. 6. Quin etiam à ſuis Magiſtris ſibi preceptum Judæi dicunt, ut antè octavum diem quo circumciſio confertur, quæ olim Baptiſmi loco erat, puerorum ſaluti majori cura invigilent. Quòd iis potiſſimùm *Lilith*, לילית inſidias tendat: de qua plurima referunt Judæi, quæ tamen inter fabulas recenſenda eſſe dubium non eſt; ut enim referri ſolet ex libro Benſira. בשברא הקבה" אדם הראשון יחיד אמר אל טוב היות אדם לבדו ברא לו אשה מז האדמה במותו וקראת לילית *Quando creavit Deus Sanctus benedictus, ipſe hominem Adamum primum ſolum dixit, Non eſt bonum, Adamum eſſe ſolum*: (&) *Creavit illi vxorem de terra ſecundùm ſimilitudinem ipſius, & vocavit eam Lilith*. Ita refert Clariſſimus vir D. de Voiſin in obſervationibus quas Proemio Pugionis Raymundi Martini Ord. Præd. addidit: quam Judæorum ſpuriam traditionem non fuiſſe incognitam D. Auguſtino conſtat ex hujus opere cõtra Adverſarium legis, & Prophetarum capit. 1. Atque ex ea deformi, & infami pellice inquiunt Adamum cùm per annos centum triginta poſt Abeli cædem ab Eva quæ continentiæ votum emiſerat, ſeparatus eſſet, ſpecies omnium Dęmonum genuiſſe. In quod illud Geneſ. 5. verſ. 3. pravè inflectunt; *Et vixit Adam triginta, & centum annos, & genuit adſimilitudinem ſuam*. Sed hæ putidæ fabulæ ſunt. Attamen Iſai. 34. ubi Idumeæ, vel ſecundùm Gloſſam, Jeruſalem deſtructio deſcribitur, adeòque ingens deſolatio, ut non hominum, ſed omnis generis ferarum, aviumque mali ominis, ac Dęmonum ſedes futura eſſet; ubi dicitur, quòd *Ibi cubabit lamia*, hebræum habet *Lilith*. ut notat etiam S. Hieronymus, & quam quidam, inquit, hebræorum ἐφιννν, ideſt furiam, ſuſpicantur. Exiſtimatur tamen avis quædam immunda, & rapax, cujuſmodi ſunt quæ loca deſerta, & delubra, & collapſarum ædium ruinas quærunt. De lamia vide apud Clement. Alexand. in Exhort. ad gent.

Sed ut ad ſuperiora redeam, liquet inde, æquiſſimè à Deo denegari homini poſſe efficax auxilium, in pœnam præcedentis peccati originalis; quantumlibèt illud auxiliùm ad agendum neceſſarium omninò requiratur: cùm etiam in pœnam peccati originalis conceſſa ſit Dæmoni in hominem poteſtas, ac poſſit etiam in nihilum redigi: neque ulla conquerendi cauſa eſſe poteſt, cùm alioquin, ut diximus, ſupponatur collatum homini, vel ſaltem oblatum à Deo auxilium ſufficiens quo divina mandata homo implere poſſit. Atque id multò potiori jure affirmari poteſt de his qui nondùm Sacro Baptiſmatis fonte abluti, adhuc primi illius peccati maculâ inficiuntur; quibus dubium non eſt, in pœnam hujus peccati quo filii iræ naſcuntur, denegari à Deo poſſe efficax auxilium, quo impoſita ſibi Divina præ-

cepta

cepta implerent, ſi adeſſet, cùm ad uſum rationis perveniunt. Sed de aliis quid ſtatuendùm erit?

Dices enim, qua ratione, qua æquitate defendi poterit, auxilium illud efficax ad implenda præcepta divina omninò neceſſarium, negari aut ſubtrahi à Deo propter peccatum originale, iis quibus peccatum originale deletum eſt? alioquin enim in regeneratis aliquid damnationis ſupereſſet, quod Apoſtolicæ Doctrinæ omninò adverſatur: Ergo iis ſaltem jure imputari nunquàm poterit, ſi præceptum Dei non impleant, cùm ipſis deſit motiò efficax qua moveantur, & quæ ut deſit, in culpa eorum non eſt, cùm culpa deleta ſit.

Verùm, non eſt hæc nova difficultas. Eadem planè objici poteſt eorum ſententiæ qui reprobationem factam eſſe exiſtimant ex præſcientia ac prævisione originalis peccati, quam ego veriſſimam Sanctorũ Auguſtini, & Thomę ſententiam eſſe non dubito. Etenim neceſſe eſt primi effectus reprobationis, ſeu denegationis gratię idem eſſe motivum ac ipſius reprobationis, cùm inde inchoetur hujus Decreti executio. Igitur ſi reprobatio facta ſit propter originale peccatum, erit & ex eodem motivo denegatio primæ gratiæ quæ primus eſt reprobationis effectus. Unde inſtaurari poterit idem argumentum. Qua ratione, qua æquitate denegari poterit adultis prima gratia in pœnam originalis peccati, quibus tamen originale peccatum remiſſum eſt.

Plurima dici poſſunt ſolvendo huic argumento, & nos aliàs diximus in hujus ſententiæ defenſionem: præſertim, aliud eſſe in ſententia Divi Auguſtini, & D. Thomæ, remitti alicui originale peccatum, aliud verò ipſum extrahi ex communi corruptionis luto, ut toties vocat S. Auguſtinus. Primum equidem fit baptiſmô, quô eluitur ea peccati macula: ſed alterum ſola prædeſtinatione fieri poteſt. Unde in iis etiam quibus illa labes eluitur S. Baptiſmatis aquæ ablutione, remittitur quidem reatus culpæ, ſed tamen remanet reatus pœnæ; non ſecùs ac in ipſo Adamo, in quo culpa ut inficiebat perſonam, & deleta, & condonata eſt; ſecùs verò ut inficiebat naturam. Remanet igitur in homine etiam Baptizato ea naturæ corruptio, qua veluti pondere deorſum deprimitur, & in voluptates aliaque ſenſibilia bona, etiam & præter, & contra rationem trahitur. Et cùm divinæ providentiæ leges habeant, ut juxta diſpoſitiones cauſarum, & prędominantem formam eas agere ſinat; poteſt Deus ſinere ut homo pondere illo naturę corruptæ, ſeu fomitis, & cõcupiſcentiæ gravatus, & deorſum pertractus cadat; poteſt ſuam ab illo gratiam retrahere, quæ ipſius caſum, & peccatum prohiberet; cùm alioquin, ut dictum eſt, Deus non deneget homini auxilium ſufficiens quod ejus potentiam in eo ordine potentię ſatis compleat: aliud enim eſt poſſe, aliud agere; nec ſemper quiſquis poteſt rectè agere, etiam rectè agit.

Confirmatur ea ſolutio, quòd ea S. Auguſtinus argumentum à Celeſtio propoſitum, ſeu hujus ratiocinationem excipiat. Cùm enim Celeſtius contenderet, ut refert ipſemet D. Auguſtinus lib. de perfect. Juſtit. cap. 4. peræque voluntatem ſua libertate poſſe & ad bonum ferri, & ad malum tendere: *Quærendum eſt*, inquit Celeſtius, *à quo ipſam arbitrii libertatem* homo *acceperit: proculdubio à Deo. Deus autem quod dedit certè bonum eſt; negari enim non poteſt. Qua igitur ratione bonum probatur, ſi magis ad malum quàm ad bonum pronum eſt. Magis enim ad malum quàm ad bonum pronum eſt, ſi homo per illud poteſt eſſe cum peccato, & non poteſt eſſe ſine peccato.*

Reſpondet S. Auguſtinus, longè aliùd ſentiendum eſſe de homine poſt amiſſam innocentiam, & primi ſtatus felicitatem, ſeu ut ſæpiùs vocat, libertatem à miſeria. Facta enim eſt, niſi divina gratia ſubveniat, quædam infauſta peccandi neceſſitas. *Reſpondetur*, inquit S. Doctor, *per arbitrii libertatem factum ut eſſet homo cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem*: niſi eam naturæ infirmitatem in malum prępcipitem divina gratia Chriſti ſanet, ac coërceat. *Unde ad Deum fides clamat: De neceſſitatibus meis educ me; ſub quibus poſiti, vel non poſſumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere.* Si autem eam lapſæ, & corruptæ naturę infirmitatem ſanet, & adjuvet gratia Divina; etiã quod ipſe homo voluerit bonum implere valebit, reſtituta ipſi plena illa (ſaltem ex parte) libertate à miſeria. *Ipſa enim*, ſubdit egregiè S. Auguſtinus, *ſanitas eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia verò peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas.* Inde igitur ęquiſſimè gratia efficax homini à Deo denegari poteſt, imò ſi ſoliùs ęquitatis ratio haberetur, negari deberet. Atque ideò omnibus titulis gratia dicenda eſt; quia non ſolùm non merentibus, ſed etiam longè aliud merentibus datur. Remanet enim ſemper naturę infirmitas, qua homo in lubrico conſtitutus diu ſtare non poteſt, dum ignorantiâ veri, & difficultate recti perpetuò premitur. Impletum enim eſt quòd à Davide dictum eſt: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Ideòq; *Salvatorem* iterùm *expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*; unde colligit D. Bernardus. *Infelix ego homo, & miſerabilis caſus meus, cui duplex eſt neceſſaria regeneratio. Cecidi totus ſimul, ſimul totus reſurgere non poſſum: ſed prior reficiatur quæ prior corruit, præſertim quòd ab ejus culpa alterius pœna prodierit.* Vide plura in Declamationibus.

Confirmatur demùm, quòd hoc argumentum ſimile ſit alteri quo probari poſſet, hominem regeneratum baptiſmo, non poſſe generatione peccatum originale trasfundere. Cur enim peccatum transfundat, reddatque filium iræ quem generat, cùm in ipſo qui generat nihil damnationis relictum ſit? Verùm, reſpondet D. Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 52. *Conſiderandum eſt quòd licèt aliquis per gratię Sacramẽta ſic ab originali*

nali peccato mundetur, ut ei non imputetur ad culpam, quod est personaliter ipsum à peccato originali liberari, non tamen totaliter sanatur: & ideò secundùm actum naturæ peccatũ originale trãsmittitur in posteros. Quibus similia habet 1.2. quæst. 87. art. 3. aliisque in locis. Igitur, quamvis in quolibet homine, quod attinet ad personam, originale peccatum baptismo deleatur; remanet tamen communis reatus naturæ, peccato primi parentis corruptæ, nondùmque reparatæ; unde & in posteros originalis culpa, sive privatio justitiæ originalis, & innocentiæ, omnibus, nisi per Adamum stetisset debitæ, transfunditur.

Idem omninò in hac causa de denegatione, & privatione gratiæ sentiendum est. Etsi enim *Aliquis per gratiæ Sacramenta sic ab originali peccato mundetur*, ut nihil sit damnationis, *& ei non imputetur ad culpam, quod est personaliter ipsum à peccato originali liberari; non tamen totaliter sanatur: & ideò secundùm reatum*, & conditionem *naturæ*; gratia interdum Divinaque motio denegatur. Constat enim hujus communis reatus naturæ effectum superesse, scilicèt fomitem, & concupiscentiam, & incentivum omnium malorum. Neque enim hominis reparatio absoluta est. Licèt gratia prœditus homo, *initium est* dumtaxàt aliquod *creaturæ Dei*. Qua de re plurima afferre ex Sanctis Patribus promptissimum esset. Sed nemo meliùs vnquàm, & solidiùs D. Thomâ explicuit. Ut enim egregiè omninò inquit 3.par. qu. 69. art. ad 3. *Peccatum originale hoc modo processit, quòd primò persona infecit naturam, postmodùm verò natura infecit personam. Christus verò converso ordine priùs reparat id quod personæ est, & postmodùm simul in omnibus reparabit id quod est naturæ*. Remanet igitur etiam in regeneratis hominibus communis hic naturæ reatus, omnium peccatorum fomes concupiscentia, quâ tanquàm gravissimo pondere aggravatur anima, & instar lapidis deorsum fertur: aut quæ, ut inquit D. Thomas quæst. 24. de veritate art. 12. ex Divo Augustino, quædam *est curvitas animæ*, gravis infirmitas, lethalis languor, nec unum dumtaxat inflictum animæ vulnus, sed profundissima quatuor inflicta vulnera, quibus acceptis homo dumtaxàt semivivus, & tantùm non omninò extinctus relictus est. Hæc & alia hujusmodi plurima referunt passim Sancti Patres, ac inprimis Divus Thomas, quibus etiam nec satìs explicari potest ea pravitas naturæ, & pronitas ad malum, quam etsi regeneratus homo persentit, at verò inde consequitur, quòd cùm, ut docet D. Thomas, & satìs etiam compertum est, eę sint Divinæ sapientiæ, & Divinæ providentiæ leges, ut juxta prædominantem formam, & causarum dispositiones concursum tribuat; Deus æquissimè possit permittere, hominem in peccatum labi, & veluti deorsum ea pronitate naturę, tanquàm gravissimo pondere depressum, ruere. Et quamvis etiam ea sit naturę rationalis conditio, ut se habeat ad oppositа, atq; ideò quędam exigentia sit, ut eâ etiam ratione regatur: attamèn nulla injuria infertur homini, cùm Deus ei eam motionem negat, & in peccatum labi permittit.

Hanc D. Thomas regulam, & legem causis omnibus constitutam observat quæst. 3. de Malo art. 2. *Attendendum est*, inquit, *quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundùm modum proprium*, seù juxta dispositionem, & genium ipsius: quod his exemplis manifestat. *Alio modo causatur à motu cœli motus corporum inanimatorum, quæ non movent seipsa: & alio modo motus animalium, quæ movent seipsa. Rursumque alio modo consequitur ex motu cœli pullulatio plantæ, in qua virtus generativa non deficit, sed producit perfectum germen: alio modo pullulatio plantę cujus virtus generativa est debilis, & producit germen inutile*. Atque hujus statim rationem maximè observandam refert; *quia cùm aliquid est in debita dispositione ad recipiendã motionem primi moventis consequitur actio perfecta, secundùm intẽtionem primi moventis: sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta*.

Atque ex eo principio à D. Thoma constituto, planissimè ratio reddi potest eorum omnium in quibus diversa ratio aut forma Divini regiminis esse videtur. Hanc etenìm Divinæ sapientiæ, & Divinæ providentiæ servatam legem in omnium creaturarum intellectualium regimine videre est. Quia beati sunt *in recta dispositione*: ideò semper sequitur perfecta operatio: quia è contra damnati homines dæmonesque non sunt *in recta dispositione*, ideò sequitur actio imperfecta. At verò, quò major vel minor est in reliquis dispositio, quò magìs compressa cupiditate augetur charitas, vel è contrà extincta charitate accenditur cupiditas; eò etiam majus vel minus confertur auxilium, & sequitur perfectior vel imperfectior operatio: ut etiam quò perfectior est habitus, eò perfectiùs auxilium confertur ad actionem perfectiorem eliciendam: & ut inquit Divus Thomas in 2. dist. 34. art. 3. ad 2. *Voluntas si accipiatur completa causa, quæ est voluntas per habitũ perfecta, vt in minori parte deficit*: habitu scilicèt voluntatem in bonum inclinante, & eum concursum exigente, quo in actum virtutis moveatur.

Verùm, cùm nunquàm firmata esse possit ea defectibilitas arbitrii, *Ex hoc enim*, inquit Divus Thomas ibidem ad 4. *Quod ex nihilo est, potest deficere peccando secundùm vertibilitatem electionis*: quod ex Damasceno desumptum est, lib. 2. fidei Ortod. ubi inquit, *Quòd mens hominis est mutabilis voluntate, quia creata est*: & cùm nunquàm ligata esse possit omninò ea concupiscendi vis, quę etiam remanet post baptismum, inde satìs liquet, quòd Deus semper gratiam negare possit. Unde, ut inquit D. Thomas ex D. Augustino, *Quibuscumque datur misericorditer datur, quibus autem negatur ex justitia denegatur in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis*. Alia tamen ratione, quâ denegatur his in quibus originale

pecca-

peccatum deletum non eſt. His enim immediatè, directè, & proximè propter peccatũ originale denegatur; & vera eſt privatio gratiæ, ſicut negatur his qui eâ ſe ſe indignos exhibent: aliis verò indirectè, & remotè ſolùm, aut proximè, propter conditionem naturæ, illudque concupiſcentiæ pondus, quo perpetuò homo in malum urgetur ac premitur, unde ea carentia gratiæ, veriùs negatio, quàm privatio dicenda eſt.

ARTICULUS XIII.

Altera D.Thomæ ſolutio: Denegari gratiam propter præſens impedimentum. Non ideò voluntatem peccare, quia caret gratiâ.

VErùm, præter hanc duplicem D.Thomæ ſolutionem, quam ea ratione explicui, tùm quòd interdum ejus Diſcipuli unâ aut alterâ utantur, tùm quod in me demonſtrandum receperim, nullam à D. Thomæ Diſcipulis ſolutionem uſurpari, quam à ſuo Magiſtro non acceperint; Altera tamen & tertia ſolutio eſt, quam frequentiùs uſurpat D. Thomas, & quam planiorem eſſe arbitror: quâ, nulla habita ratione vel peccati originalis, vel actualis antecedentis; facillimè explicatur, æquiſſimè homini imputari ad culpam, ſi præcepta divina non compleat, quia ſi motio deſit, quâ poſſit Divina præcepta implere, ipſius culpâ deeſt, non propter antecedens peccatum, ſed propter concomitans, aut præſens impedimentum quod objicit, & quo divinam motionem repellit.

Objicit itaque ſibi D. Thomas lib. 3. contra Gent.cap.159.hoc ipſum argumentum, cui ſolvendo hìc incumbimus, & quod integrum ſuprà retulimus. *Cùm autem ſicut in finem ultimum aliquis dirigi non poſſit, niſi auxiliô Divinæ gratiæ, ſine qua etiam nullus habere poteſt ea quæ ſunt neceſſaria ad tendendum in ultimum finem, ſicut eſt fides, ſpes, dilectio, & perſeverantia: poteſt alicui videri quòd non ſit homini imputandum, ſi prædictis careat, præcipuè cùm auxilium divinæ gratiæ mereri non poſſit.* En in terminis hoc idem argumentum quod toties, & toties revocatur, ſibi à Divo Thoma objectum à quadringentis ferme annis, & ſequenti ſolutione omninò contritum.

Reſpondet igitur D.Thomas. *Quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinã gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam Job.21.„Dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſciẽtiam viarum tuarum nolumus:„ & Job.24.„ Ipſi fuerunt rebelles lumini.„ Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionẽ, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.„ Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire„ ut dicitur ad Timoth. 2. Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentũ præſtant: ſicut Sole illuminante in culpã imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.* Hæc Sanctus Thomas, quibus ſæpius aliàs ſimillima habet, ut in 2.diſt.28.quæſt.1. art. 4. Ubi illud planè aureum ex D.Anſelmo refert. *Quòd aliquis non habeat gratiam, non eſt ex hoc, quòd Deus non velit eam dare, ſed quia homo non vult accipere.*

Quod verò inquit D. Thomas, *hoc eſſe in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire*: non ita accipiendum eſt, ut æquè utrumque in poteſtate liberi arbitrii poſitum ſit. Impedire equidem receptionem gratiæ per ſe poteſt, ſed per ſe non impedire non poteſt. Revocanda enim hic regula eſt, quam habet D. Thomas 1.2. quæſt.111. art. 3. ubi pauciſſimis quidem verbis, ſed planè decretoriis quid ſentiendum ſit in hac graviſſima controverſia, & quem modum nos tenere conveniat ita reſolvit: *Defectus*, inquit, *gratiæ prima cauſa eſt in nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſee 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum.* Unde impedire homo poteſt receptionem gratiæ per ſe, quia ex ipſo prima eſt perditionis cauſa: ſed non poteſt non impedire, niſi ex divina gratia, quia ex Deo oritur tantummodò ejus auxilium. Unde etiam altera à D. Thoma conſtituta regula hùc advocari poteſt ex 2. Sent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1. Nimirùm, quoties de rectis operibus, ac ſtudioſis actibus agitur: Ly *per ſe*, ſive in poteſtate liberi arbitrii poſitum eſſe, *non excludit divinam cauſalitatem, ſecundùm quòd ipſe Deus in omnibus operatur, ut univerſalis cauſa boni, ut dicitur Iſai. 26.„ Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.„* Hæc obiter dicta ſint ad explicandam D. Thomæ phraſim, quæ interdum aliquos fallit.

Igìtur ex D. Thoma, etſi homo nec rectè agere, nec implere præceptum impoſitum, nec ad Deum ſeſe convertere poſsit, niſi Divino auxilio præveniatur: attamẽ cùm hoc auxilium à ſe repellere poſſit, ac reipsà repellat, quoties in peccatum labitur: fit inde, ut æquiſsimè & homini hoc auxilium negetur, & tamen imputetur ad culpam, ſeu cùm pravè agit, ſeu cùm præceptum non implet: cùm utrumque conſequatur ex eo quòd ſuo peccato ſe ſe Divino auxilio indignum præſtitit, eamque motionem repreſsit,

Sed dices, recurrit iterũ adhuc eadem difficultas, idemq; argumentum, cùm ideò voluntas impedimentum objiciat, quia ipſa motione caret. Conſtat enim, quòd ſi adeſſet ea motio, voluntas & rectè ageret, & præceptum impleret, ſublato omni obice, omnique impedimento. Ergo in culpa hominis non eſt, quòd præceptum non impleat, cùm implere præceptum, & motionis obicem ſine ipſa motione amovere non poſsit. Ante-

cedens probatur : quia non potest non esse recta hæc consecutio : Ideò homo rectè agit , & præceptum implet, aut impedimentum omne removet , quia à Deo movetur , & motione impellitur : ergo è contra ideò præceptum non implet homo , & impedimentum objicit , quia Deus voluntatem non movet , & eam motionem subtrahit . Oppositorum enim necesse est eandem esse rationem : & si affirmatio sit causa affirmationis , etiam & negatio erit causa negationis ; Ergo si motio sit causa impletionis præcepti , etiam motionis subtractio erit causa , cur præceptum non impleatur .

Hoc vno sanè argumento potissima difficultas , & tanta quanta esse potest, comprehenditur. Verùm fateor , penè admiratione defixus sum , cùm hoc idem argumentum atque hujus omnem vim , quantam habere potest, in D. Thoma reperi . Ita igitur objicit sibi D. Thomas Quæst. 3. de Malo Art. 1. ubi inquirit, *Utrùm Deus sit causa peccati?* & num. 8. ita habet: *Augustinus dicit in lib. de natura , & gratia, quòd gratia in anima est sicut lux per quam homo operatur bonum , & sine qua bonum operari non potest : Si ergo gratia est causa meriti : Ergo per oppositum subtractio gratiæ erit causa peccati.* Hoc reipsa idem argumentum , quòd oppositorum eadem est ratio , quòd si gratia causa sit meriti , & impletionis præcepti ; etiam & subtractio gratiæ causa erit cur præceptum non impleatur .

Confirmat hoc idem argumentum in 2. dist. 37. q. 2. artic. 1. *In eandem* inquit *causam reducitur salus & periculum alicujus : idem enim nauta est causa salutis & periclitationis navis , ut secundò physicor. dicitur : sed Deus est causa salutis humanæ , quæ est per bona opera : ergo & cùm periclitatio animæ sit per peccatum, & subtractionem gratiæ , videtur etiam quòd Deus sit peccati causa;* nec possit justè homini imputari , cùm hoc ipsum quòd divinæ motioni obicem objiciat , ex negatione , & subtractione hujus motionis oriatur . Alterum deindè argumentum , *quòd si affirmatio est causa affirmationis* , &c. infrà ex D. Thoma referemus .

Verùm , non alia solutione præter eam quam supra retulimus , argumentum hoc excipiendum esse D. Thomas existimavit . Neque enim alia causa esse potest denegationis gratiæ , sicut nec ipsius peccati , præter ipsam voluntatem , quæ sola est principium deficiens , & ut inquit D. Augustinus : *Ad malum sufficit , ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Lib. de corr. & gra. cap. 11.* Respondet itaque D. Thomas . *Dicendum quòd Deus quantùm est in se omnibus se communicat pro captu eorum. Unde quòd res aliqua à participatione bonitatis ipsius deficiat , est ex hoc quòd invenitur aliquod impedimentum participationis divinæ. Sic ergo quòd gratia aliqua non apponatur, non est causa ex Deo, sed ex hoc quòd ipse cui gratia apponitur, impedimentum gratiæ præstat, in quantùm avertitur à non avertente se lumine, ut Dionys. dicit.* Hæc ibi ; ubi observa hæc verba : *Quod Deus omnibus se communicat pro captu eorum* : idem enim est quod suprà retulimus , *quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus* . Quare quòd aliquis à participatione divinæ bonitatis deficiat , & arceatur , seu quòd divinâ gratiâ privetur , oritur ex eo quòd divinæ gratiæ impedimentum apponat. Cur verò impedimentum objiciat, non alia causa quærenda est, nisi quòd homo spontè avertat se à non avertente se lumine .

Ad confirmationem Respondet D. Thomas: *quòd nauta est causa periculi navis per suam absentiâ , Deus autem quantùm in se est , nulli absens est : sed peccator absentat se à Deo . Et ideò ipse sui peccati causa est in quo periclitatur , & non Deus .* Atque eodem sensu egregiè advertit D. Thomas in 2. sent. discrimen illud inter Deum , & superiora corpora, puta Solem , intercedere , quòd Sol suo equidem accessu causa est generationis rerum , sed suo etiam abscessu causa sit corruptionis . At verò Deus lumen est , quod nunquàm avertit se, sed semper illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; sed culpa dumtaxàt illius est qui ab eo lumine oculos avertit . Vide quæ ex D. Augustino Tract. 1. in Joa. retulimus suprà .

Inde igitur argumentum supra positum solvere non admodùm arduum , & difficile est . Ideò homo ponit impedimentum , quia motione caret , omninò negandum est . Non enim , ideò quia motione caret , sed quia prava voluntas est, impedimentum apponit : Nec alia hujus causa quærenda est , ut diximus , præter ipsam voluntatis pravitatem ex ingenita corruptione , quâ ad malum proclivis est, aut ex nativa defectibilitate , ut est ex nihilo . Revocandum enim est quod aliàs ex D. Thoma diximus , nunquàm in hac controversia satis repetendum : ex 2. sent. dist. 36. quæst. 2. art. 1. *Quod peccatum refertur in voluntatem sicut in causam . Et quamvis voluntas sic creata à Deo in quantum est ens quoddam , non tamen quantùm ad hoc quòd defectus ex ipsa incidere potest . Est enim possibilis ad defectum , ex hoc quòd ex nihilo est , quamvis autem Deus sit causa voluntatis faciens eam ex nihilo ; hoc tamen quod est ex nihilo esse, non habet ab alio sed à se ; unde secundùm hoc non habet causam aliam. Et ideò defectus qui sequitur ex ea secundùm quod ex nihilo est , non oportet quod in ulteriorem causam reducatur .* Hæc sanè quisquis expenderit, non ultra contritū illud & profligatum à D. Thoma argumentum objiciet , quòd si divina gratia causa sit cur divinum præceptum impleatur , etiam & subtractio gratiæ causa erit cur divinum præceptū non impleatur .

Unde ad alterum , concedendum quidem est Antecedens ; hominem ideò rectè agere , quia à Deo movetur ; nam *tantummodò* in Deo *auxilium* ipsius , ex quo recta operatio oritur : sed neganda est consecutio ; Ideò è contra hominem pravè agere aut impedimentum apponere , quia motione caret . Nam *perditio ipsius* ex ipso tantummodò . Nec verò ea regula Logicæ hìc obtinet: *Oppositorum eadem est ratio* , aut altera etiam

non

non abſimilis: *Quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam & negatio eſt cauſa negationis*. Obtinet equidem ea duplex regula, cùm utrimque eadem omnia principia, eodemque modo concurrunt: ſecùs verò ſi alterum principium deſit. At verò ut homo gratiam obtineat, & Deum & humanam voluntatem concurrere neceſſe eſt: ut verò gratia deſit, ſatis eſt defectum ex parte ſolius voluntatis creatę reperiri, ut dicendum eſt infra.

Atq; ea ratio eſt, quam toties D.Thomas repetiit, quòd cùm duo principia ſimul concurrunt, quidquid perfectionis eſt in effectu, in univerſalius, & perfectius principium referendum eſt; quod verò eſt imperfectionis in principium inferius. Ita enim hoc principium uſurpat D. Thom. 3.cont.Gent.c.162.ubi probat, *quòd Deus nemini eſt cauſa peccandi*: & hujus hanc tertiam rationem affert. *Peccatum omne ex aliquo defectu provenit proximi agentis, non autem ex influentia primi agentis: ſicut peccatum claudicationis provenit ex diſpoſitione tibiæ, non autem ex virtute motiva: cùm tamen ex ea ſit quidquid de perfectione motûs in claudicatione apparet. Proximum autem agens peccati humani eſt volũtas. Eſt igitur defectus peccati ex voluntate hominis, non autem ex Deo qui eſt primum agens, à quo tamen eſt quidquid ad perfectionẽ actionis pertinet in actu peccati.* Ita inquit eod.lib.3.c.71. *In defectu artificis habentis perfectè artem, contingit aliquis defectus propter inſtrumenti defectum*. Ita inquit qu. 3. de Malo art. 2. *Alio modo conſequitur ex motu cæleſti pullulatio plantæ, in qua virtus generativa non deficit, ſed producit perfectum germen: & alio modo pullulatio plantæ cujus virtus generativa eſt debilis, & producit germen inutile*. Quibus omnibus exemplis manifeſtum eſt, quidquid perfectionis eſt in motu tibiæ, in artis effectu, in plantę germine, oriri ut à prima cauſa, ex motu animę, peritia artificis, influxu Solis: quidquid verò defectus eſt, oriri ex curvitate tibiæ, inſtrumenti improportione, plantæ debilitate.

Neque, ut diximus, advocari hùc poteſt ea Dialecticę regula, *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam & negatio erit cauſa negationis*. Quidquid enim perfectionis eſt in productione germinis, oritur ex influxu Solis. Neq; tamen influxus Solis cauſa eſt debilitatis aut plantę aut germinis. Ut enim addit egregiè ibidem D.Thomas ſupra citatus qu. 3. de Malo art.2. *Cùm aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendum motionem primi moventis, ſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi moventis: ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta: & tunc id quod eſt ibi actionis reducitur in primum movens ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de defectu non reducitur in primum movens ſicut in cauſam: quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc quòd agens deficit ab ordine primi moventis*. Quod deinde refert tum in Deum ut primum agens, à quo quidquid eſt entitatis in actu peccati oritur; tum in voluntatem ut proximum agens, ex qua quidquid eſt deformitatis; & malitiæ in actum derivatur: quamvis etiam, ut dictum eſt, diſcrimen ſit inter Deum & Solem. Conſtat igitur, non ideò voluntatem dici poſſe, & impedimentum apponere, & non implere prȩceptũ, ex eo quòd motione careat, ſed ex ſua ipſa pravitate: cùm è contra ipſa pravitas voluntatis cauſa ſit cur careat motione.

Sed nè cui vel minimum dubium ſupereſſe poſſit hanc eſſe veram, & germanam mentem Sancti Thomę, hoc idem argumentum in quo tota difficultatis vis eſt poſita, in ipſo D. Thoma velutì exerto digito iterùm demonſtrandum eſt. Sic igitur habet in 1. Sentent. diſtinct. 40. quæſt. 4. art. 2. ubi inquirit: *Utrùm Deus ſit cauſa obdurationis*: & probat excœcationis, & obdurationis, ut dicit gratiæ privationem, primam cauſam eſſe hominis voluntatem, Deum verò dumtaxàt eam permittere, non tamen efficere. Ita igitur ſibi objicit num.3. *Secundùm Philoſophum in poſterioribus lib.1.Text.30. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio eſt cauſa negationis: Sed velle divinum eſt cauſa quòd iſte habeat gratiam, ſcilicèt quia ipſe vult: Ergo videtur quòd non velle Dei ſit cauſa quare iſte gratiam non habeat &c.* En planè idem argumentum, in quo poſitam eſſe vim totius difficultatis ſupra diximus, neque Adverſarii diffitentur.

Confirmat iterùm hoc argumentum altero ſimili ibidem n. 4. *Sicut dicit Philoſophus in 2. Phyſic.Text.30. Id quod per ſui preſentiam eſt cauſa ſalutis navis; ſcilicet gubernator, per ſui abſentiam eſt cauſa periculi: Deus etiam per ſui præſentiam in anima eſt cauſa gratiæ. Ergo per ſui abſentiam eſt cauſa obdurationis*.

Verùm, his argumentis reſpondet eo modo quo dictum eſt à nobis ſupra; maximum eſſe diſcrimen inter receptionem gratiæ, & ejus negationem. Ut enim homo gratiam recipiat, neceſſe eſt duo ſimul concurrere: & Deum velle infundere, & hominem velle recipere; cùm ea infuſio gratiæ bonum ſit, & quidem ſummum inter creata bona, & quo nullum majus eſſe poteſt. At verò ſatis compertum eſt, concurrentibus ſimul omnibus cauſis bonum produci: contra verò ut homo careat gratiâ, alterum dumtaxàt neceſſe eſt reperiri, ſcilicèt hominem nolle recipere: cùm ea gratiæ privatio malum ſit, & ex unius cauſæ defectu malum oriatur. Ex quo conſequitur Deum quidem cauſam eſſe cur homo gratiâ prædituſ ſit, rectèque agat; non tamen cauſam eſſe, cur homo gratiâ privetur; ſed eam privationem in voluntatem dumtaxàt creatam refundendam eſſe, ſicut de obliquitate motûs, defectu artis, debilitate germinis dictum eſt ſupra. Nihil igitur juvat ea Philoſophi ſententia: *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam & negatio cauſa negationis eſt*. Tunc enim dumtaxàt locum habet, quando omnia ex utraque parte concurrunt; ſecùs verò quando deeſt alterum.

Sed referenda ſunt ipſa D. Thomæ verba. *Dicendum*, inquit, *quòd effectus non conſequitur, niſi con-*

concurrẽtibus omnibus cauſis: ſed ex defectu unius conſequitur negatio effectûs. Dico ergo quòd cauſa gratiæ ſicut agens eſt ipſe Deus, & ſicut recipiens eſt ipſa anima per modum ſubjecti. Et quia formæ inductæ non eſt cauſa materia; neque ſubjectum niſi tale ex cujus principiis fluit accidens, quale accidens non eſt gratia: ideò non dicitur ſimpliciter anima cauſa gratiæ, ſed recipiens tantùm: Deus autem eſt cauſa. Nec oportet quòd omnis defectus incidat ex parte agentis; ſed poteſt incidere ex parte recipientis. Et ita eſt in propoſito. Non enim oritur ex parte Dei agentis, quòd homo gratiâ careat, ſed ex parte ipſius hominis avertentis oculos à non avertente ſe lumine, ut ex D. Dionyſ. inquit idem D. Thomas.

Indè ad confirmationem ita paucis reſpondet: *Dicendum*, quòd *Deus quantùm eſt in ſe, nulli eſt abſens: ſed homo à Deo præſente ſe abſentat: ſicut à præſente lumine qui claudit oculos, & ideò non eſt ſimile quod pro ſimili inducitur.* Non eſt cur evidentiſſimæ ſolutioni diutiùs explicandæ immoremur. Quare quòd adverſæ ſententiæ Authores voluntati universìm tribuunt, ſeu pravè, ſeu rectè agat, eam eſſe inſtar principii primi, nec ab alia ſuperiori cauſa ad agendum determinari; ultrò concedet D. Thomas tribuendum eſſe voluntati cùm pravè agit, ſcilicèt infelix primum principium eſſe, ſed deficiens, cujus non alia cauſa quærenda eſt, niſi quòd ex nihilo ſit. Quod enim de ferro cùm rubiginem contrahit, dici ſolet; & notat D. Thomas 1. 2. q. 85. art. 6. hoc materiam ipſam pati, nec aliud fieri potuiſſe; quod de humano corpore notat etiam ibidem D. Thomas, quod neceſſe eſt mortale eſſe naturâ ſuâ, cùm ſit ex elementis, partibuſque contrariis conſtitutum; de voluntate ipſa creata dicendum eſt: neque enim ſecùs fieri potuit. Neceſſe enim eſt ut natura quæ eſt ex nihilo, defectibilis ſit. Quid enim aliud homo *de ſuo* habere poteſt *niſi mendacium, & peccatum*, ipſumque nihil, ut definit Arauſican. 2. cap. 22.

Atque eas omnes ratiocinationes D. Thomas ex D. Auguſtino deſumpſit lib. 12. de Civit. Dei. Ubi cùm capite 6. inquireret, *quæ cauſa ſit miſeriæ malorum Angelorum*, & ſummo ingenii acumine quæſtionem hanc verſaſſet; nullum hujus miſeriæ, niſi principium deficiens reperit. *Hujus*, inquit, *malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur. Etenim*, inquit, ut hęc explicet, *ſi aliqui duo æqualiter affecti animo, & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus illorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret: Quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Si maximè ea ſuppoſitio fiat, ſcilicèt ambos æqualiter affectos eſſe, nec unum altero graviori tentatione pulſari. Quòd ſi quiſquam dixerit, eum qui conſenſit, feciſſe ſibi voluntatem malam: quærat, inquit Auguſtinus, cur eam fecerit? utrùm quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt? & inveniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt; ſed ex eo quòd de nihilo facta eſt. Unde ſtatìm ſequenti capite ſeptimo ita inquit egregiè. *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt ſed defectio. Deficere namque ab eo quòd ſummè eſt ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes, velle invenire, tale eſt ac ſi quiſquam velit videre tenebras vel audire ſilentium.* Hæc & alia hujuſmodi Divus Auguſtinus, quæ magno acumine ibidem verſat, quibus ſimilia habet lib. 2. de Nup. & Concupiſc. cap. 28. quæ temerè carpit Julianus, & luculenter defendit idem Auguſtinus operis ult. in Julian. lib. 5. cap. 35. Ex quibus deſumpſit D. Thomas, quod hujus difficultatis nodum omninò ſolvit. Cùm homo rectè agit, moveturque, & gratiam recipit; duplicem cauſam eſſe: cauſa enim gratiæ ſicut agens eſt ipſe Deus, & ſicut recipiens eſt ipſa anima: quæ ſimul cum Deo movente, & impellente agit: at verò cùm voluntas pravè agit, & gratiâ privatur, unica cauſa eſt, ſcilicèt ipſa voluntas, quæ ſe à non avertente ſe lumine avertit. Unde in eam ſolam privatio gratiæ meritò refundenda eſt.

ARTICULUS XIV.

Proſecutio ejuſdem ſolutionis: Denegari efficax auxilium propter impedimentum præſens, etiam in primo peccato.

ETſi potiſſima hujus controverſiæ difficultas in argumento ſuperiori poſita ſit, longiùs tamen eam difficultatem Theologorum ſubtilitas deduxiſſe videtur, duplici hoc argumento, quod ſolvendum ſupereſt.

Objici igitur poteſt, & ſuperior ſolutio impugnari: Quod prius eſt, & antecedit alterum, non poteſt non eſſe aliquo ſaltem modo cauſa reſpectu ipſius: Atqui ſubtractio gratiæ culpam antecedit, & præcepti tranſgreſſionem; niſi enim eſſet ſubtractio gratiæ & divinæ motionis, nulla eſſet præcepti tranſgreſſio: Ergo non poteſt non eſſe cauſa tranſgreſſionis peccati ſubtractio gratiæ: atque adeò & vera cauſa eſt, cur homo præceptum non impleat, quòd careat divina motione. Unde recurrit iterùm, & inſtauratur eadem difficultas. Si nullâ ſui culpâ homo meruerit divina motione privari, quâ ratione imputari homini poterit, quòd non agat, & præceptum divinum non impleat? Sed prætereà quamvìs de cæteris hominum culpis dici forſitan poſſet, meritò imputari, quia ſi divina motione careant, ea propter præcedens peccatum ſaltem originale denegatur, quod tamen ſuperior impugnatio dici non

ci non patitur : ſed quid de primo hominis vel Angeli peccato dicetur, quòd nullum alterum peccatum præceſſiſſe manifeſtum eſt. Non enim dici poterit, quòd gratiâ priventur propter præcedens aliquod peccatum : atque adeò, & recurret perpetuò eadem difficultas, non poſſe eam ſubtractionem gratiæ meritò homini imputari. Hoc ſanè ultimum argumentum eſt, quod unquàm ſumma Theologorum ſubtilitas reperire potuit : hæc ultima meta, quam præterire non liceat. Et verò non potui non mirari, ea omnia à Divo Thoma jam præoccupata fuiſſe, quæ tandem poſt quatuor fermè ſæcula, poſt tantam hujus difficultatis diſcuſſionem, poſt tam longum examen à Viris ſubtiliſſimis reperiri potuerunt.

Reſpondeo igitur, non potuiſſe unquàm eos qui iſta objiciunt magis ſe à D. Thomæ ſententia alienos probare, quàm cùm iſta argumenta objiciunt. Tantum enim abeſt, ut ſubtractio gratiæ abſolutè, & ſimpliciter tranſgreſſionem præcepti, ſeu inordinationem actûs antecedat, ut contra nihil apud D. Thomam frequentius ſit, quàm quòd ipſa inordinatio actûs prior ſit, & ſubtractio ac privatio gratiæ ſubſequatur, quod triplici obſervatione ipſe D. Thomas demonſtrat. Sed in primis, vide quæ ſupra diximus hujus quæſt. art. 11. *Malum agentis in moralibus oriri ex malo actionis*, id eſt, pœnam oriri ex culpa, de quo etiam infra.

Probat igitur primò hac obſervatione, quòd nulla privatio habeat cauſam per ſe, ſed ex poſitione alterius quod per ſe fit, & intenditur, oriatur. Etenim ſi quis animadvertat, liquet privationem, & ſubtractionem gratiæ, ſicut & privationem rectitudinis in debitum finem, ſeu quamlibet etiam privationem, malum eſſe naturæ intellectualis : Atquì universìm malum omne eſt præter intentionem, & viam, ut ex D. Dionyſ. ſæpiùs refert D. Thomas, quòd nimirùm nullam cauſam habeat ex ſe, ſed dumtaxàt ex aliquo bono cõſequatur. Sed audiendus D. Thomas in 2. diſt. 34. qu. 1. art. 3. ubi ſic egregiè diſcurrit. *Quod eſt per ſe intentum ab agente, eſt quòd aliquod bonum efficiatur. Unde bonum per ſe cauſam habet, ſed defectus incidit præter intentionem agentis.* Hoc autem multis modis contingere inquit, potiſſimùm verò ex parte ejus quod eſt intentum ab agente, quod cùm non compatiatur ſecùm quandam aliam perfectionem, excludit eam, ut patet in generatione naturali. Ignis enim intendit formam ſuam in materiam inducere : ſed quia forma ignis non compatitur formam aëris, indè ſequitur præter intentionem agentis privatio formæ aëris. At verò, inquit, malum culpæ eodem modo contingit : in omnibus enim peccatis, quæ per deliberationem rationis procedunt, malum incidit ex parte ejus quod intentum eſt. *Sicut enim in naturalibus non poſſunt eſſe duæ formæ ſubſtantiales ultimæ actu perficientes eandem partem materiæ ; ita non poſſunt eſſe duo ultimi fines voluntatis : unde ſicut agens naturale ex hoc quòd inducit unam formam, cauſat defectum alterius formæ ; ita etiam voluntas ex hoc quòd alicui tanquàm ultimo fini inhæret ; quod debitus ſibi finis non eſt, avertitur à fine ultimo ſibi debito, in quo completur ratio mali culpæ præter intentionem voluntatis.* Igitur ex D. Thoma, & privatio debiti finis, & privatio rectitudinis moralis, in qua ratio culpæ completur, atque etiam & privatio gratiæ, & ſi quę alia privatio ſit, eæ omnes ex eo dumtaxàt conſequuntur, quòd voluntas inordinato actu ad indebitum finem feratur ; ſicut privatio formæ aëris conſequitur ex eo quòd forma ignis inducitur.

Probat idem ſecundò D. Thomas altera obſervatione in 2. diſt. 37. quæſt. 3. art. 2. ex eo quòd privatio quælibet ſeu rectitudinis moralis, & ordinis ad debitum finem, ſeu etiam ſubtractio, & privatio gratiæ, ſit quędam pœna naturæ intellectualis, inordinatio verò actûs ſit culpa : Atquì neceſſe eſt culpam ſemper antecedere pœnam. Unde inquit D. Thomas ibidem : *Cauſa præcedit cauſatum. Sed malum culpæ eſt cauſa mali pœnæ : Ergo prius eſt malum culpæ, quàm pœnæ.* Huc revocari poteſt ea ratio quam ſupra ſatis explicuimus, ſcilicèt in naturalibus defectum actionis oriri ex defectu agentis, ſed in moralibus è contra ex defectu actionis oriri malũ agentis. Quamvìs enim denegari à Deo gratia poſſit, ea ſolùm ratione, quòd naturæ indebita ſit, ſuperetque vires, ipſamque naturæ exigentiam, nec cuiquam injuria fieret ſi indebita gratia denegaretur ; & ſi quis de ea denegatione gratiæ conquereretur, rejici poſſet, & contundi ea querela his Evangelii verbis : *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Licèt etiam ex altero capite denegari iterùm gratia poſſit propter eam naturæ pravitatem, quâ perpetuò inſtar lapidis homo deorsùm ruit, & quâ aggravatur anima, & deprimitur, ut explicuimus ſupra : attamen cùm nihil prohibeat idem aut debitum aut indebitum eſſe pluribus titulis, etiam quoties Deus gratiam homini adulto denegat, in pœnam denegat actûs inordinati quem elicit : ut veriſſimum ſit culpam antecedere pœnam, ideòque gratiam à Deo denegari, quia homo peccat, & pravè agit.

Probat tertiò D. Thomas eam anteceſſionem culpæ hac egregia obſervatione, quòd pœna quælibet ac ſubindè privatio, & ſubtractio gratiæ ſit ſemper in voluntate, ut patiente ; culpa verò ut in agente : Atquì neceſſe eſt agens natura, etſi non tempore antecedere paſſum, & actionem priorem eſſe paſſione. Sed hęc multò expreſſiùs docet Divus Thomas, quàm à me dici poſſent. Sic igitur habet eod. loco proximè citato in 2. diſt. 37. qu. 3. art. 2. *Prior eſt receſſus à fine, ſive inordinatio actûs in culpa, quæ rationem mali habet ſecundùm quòd ab operante exit, quàm in pœna quę rationem mali habet ſecundùm quòd in patiente efficitur defectus quidam per aliquam actionem, vel ejuſdem vel alterius : ejuſdem, ut pœnæ quæ conſequuntur ſtatim ex actu peccati, ſicut per actum culpę ſequitur ſubtractio gratiæ in peccato, & per prius eſt inordinatio actûs, qui eſt à peccãte, in quantùm eſt agens rationem mali habens, quàm ipſa ſubtractio gratiæ,*

quæ

quæ est malum pœnæ. Hęc D. Thomas quibus certè nihil expressius dici unquàm potuit aut oportunius huic difficultati expediendæ: ubi etiam summè observandum est quod inquit, *quòd per actum culpæ sequitur subtractio gratiæ in peccante.* Igitur cùm homo peccat,, & agit simul & patitur: agit culpam, seu actum inordinatum, sed patitur pœnam, & privationem rectitudinis: nemo enim unquàm intendens in malum operatur. Cùm quis exempli gratiâ, illicita voluptate frui peroptat, actus ille voluntatis quo circa delectabile prohibitum fertur, etsi à voluntate sit ut agente; hoc enim unum directè, & per se optat frui voluptate; & sub ea ratione ut est à voluntate agente culpa est: attamen omninò exploratum est ipsam privationem rectitudinis, & debiti finis, ipsamque privationem gratiæ, & si quæ alia privatio sit, eam non esse à voluntate ut agente, sed esse in voluntate ut patiente. Quis enim adeò hebes, aut adeò curam suæ salutis abjecit, ut directè velit & optet, & peccare & gratiâ privari: sed præter hujus intentionem, directam saltem, hæc privatio accidit, quamvis & indirectè ea privatio volita sit, utpotè cum actu inordinato, & per se directè volito necessariò conjuncta.

Atque hujus rationem affert D. Thomas q. 1. de Malo art. 4. ubi inquit: *Quòd cùm de ratione culpæ sit, quòd sit voluntaria: de ratione autem pœnæ, quòd sit contra voluntatem, ut dictum est: impossibile est quòd idem secundùm idem sit pœna & culpa; quia idem secundùm idem non potest esse voluntarium, & contra voluntatem: sed secundùm diversa nihil prohibet.* Sic enim cum his quæ volumus potest esse aliquid conjunctum, quod naturaliter voluntati repugnat, & quærendo quod volumus, incurrimus in id quod nollemus. Sicut etiam, ut inquit D. Thomas 3. contra Gent. c. 6. cùm quis nimio se vino ingurgitat, quærit quidem vini dulcedine frui, sed præter intentionem accidit ebrietas. Et hoc in peccantibus accidit: dum enim inordinatè afficiuntur ad aliquod bonum creatum, incurrunt separationem à bono increato, & alia hujusmodi quæ nollent. Et sic idem secundùm diversa potest esse & culpa & pœna, sed non secundùm idem. Et responsione ad secundum argumentum inquit: *Dicendum, quòd ipse actus non est volitus in quantùm est inordinatus, sed secundùm aliquid aliud, quod dum voluntas quærit, in prædictam inordinationem incurrit quam non vellet.*

Igitur si hæc duo inter se comparentur, & privatio gratiæ, & actus inordinatus; ordine & naturâ actus inordinatus antecedit, & privatio gratię subsequitur: idque triplici ratione D. Thomæ. Primò, quia actus per se intenditur, privatio verò gratiæ præter intentionem dumtaxàt consequitur. Secundò, quia actus oritur à voluntate ut agente, privatio gratię in voluntate ut patiente recipitur; actio verò passionem antecedit. Tertiò, quia actus inordinatus culpa est, subtractio gratiæ est pœna: culpa verò pœnam antecedit. Ex quibus evidens est, nunquàm dici posse, quod plurimos extra scholam D. Thomæ fallit, subtractionem gratiæ esse causam cur homo peccet, aut præceptum non impleat; cùm expressis D. Thomæ testimoniis probatum sit, è contra hominem privari gratiâ quia peccat: & primam peccati radicem, ac primam causam esse pravam hominis voluntatem, quæ in prava sponte sua fertur, neque alteram peccati causam quęrendam esse, nisi quia homo peccare vult.

Confirmatur præterea ex eodem D. Thoma in 1. dist. 40. qu. 4. art. 4. ubi ipsum ordinem inter actum pravum ipsamque privationem gratiæ ita explicuit. *Hominem,* inquit, *carere gratiâ ex duobus contingit: tum quia iste non vult accipere; tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere: horum autē duorum talis est ordo, ut secūdum non sit, nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult Deus illum carere gratiâ nisi secundùm quòd bonum est: sed quòd ille careat gratiâ, non est bonum simpliciter, unde hoc absolutè consideratum non est volitum à Deo. Est tamen bonum ut careat gratiâ, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparet, quia justum est, & hoc modo est volitum à Deo. Patet ergo quòd hujus defectus absolutè causa prima est ex parte hominis qui gratiâ caret: sed ex parte Dei non est defectus hujus causa, nisi ex suppositione illius quod est causa ex parte hominis.* Hactenùs D. Thomas.

Igitur certum quidem est, hęc duo simul esse tempore, & peccare hominem, & Deum ipsi gratiam denegare. Sed ex D. Thoma hic ordo constitutus est, ut nunquàm Deus deneget homini gratiam, nisi quia homo non vult gratiam recipere, non equidem directè, & absolutè, cùm nemo sit adeò demens, ut dictum est supra, quique adeò curam omnem suæ salutis abjecerit, ut velit directè carere gratiâ: sed eo sensu quòd in finem indebitum feratur, actumque pravum efficiat, qui naturâ suâ gratiæ opponitur, vel actui ad quem gratia moveret, & impelleret, si adesset. Quamvis igitur simul eodemque instanti hæc duo reipsà sint, hominem actum pravum efficere, & Deum gratiam negare; hominem nolle gratiam recipere, & Deum nolle infundere: attamen *horum duorum talis est ordo ut secundum non sit nisi ex suppositione primi: neque Deus velit hominem gratiâ privari, nisi quia homo non vult accipere,* suaque sponte actum elicit qui naturâ suâ gratiam excludit. Unde infra ex D. Thoma observabimus, eam privationem gratię quæ à peccato sejungi non potest, propriè pœnam dici non posse, cùm pœna ex Dei arbitrio inferatur, qui vel sua bonitate flectitur ut gratiam homini conferat, vel ipsâ hominis malitiâ movetur, ut gratiam deneget: at verò ea privatio gratiæ ex rei natura consequitur, & ex oppositione quam inter actum pravum, & gratiam, aut actum ad quem gratia moveret, reperiri necesse est: quod dubio procul summè observandum est. Verùm in his D. Thomę verbis quæ retulimus alterum est observatione dignissimum, quod scil. inquit: *Est tamen bonum,*

ho-

ut homo careat gratiâ, ſi eam habere non vult, vel ad eam negligenter ſe præparet: quia juſtum eſt, & hoc modo eſt volitum à Deo. Cùm enim nemo ſit qui ſe hujuſmodi negligentiis, & culpis venialibus omninò immerſum non perſentiat; cùm de iis dictum ſit, quòd etiam *ſepties in die cadit juſtus*: *& ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*: mirum eſt adeò anxiè Theologos privationis gratiæ cauſam, & velutì rimas quærere, cùm ea apertiſſima janua ſit: nec cuiquam juſta conquerendi cauſa unquàm eſſe poſſit, ſi gratia Dei denegetur, cùm eam denegandi cauſa æquiſſima Deo ſuppetat, quòd homo *ad eam habendam negligenter ſe præparet*: & ut inquit iterùm D.Thomas q.24.de Verit. art.14. ad 2. *Rectè homo corrigitur, qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia eſt, quòd gratiam non habet per quam poteſt ſervare mandata.* Ex quo ſanè manifeſtiſſimum eſt quod toties in hac quæſtione de gratia D.Auguſtinus repetiit, quòd quoties divina auxilia dantur, ex miſericordia dantur; quoties non dantur ex juſtitia non dantur: & qui liberantur gratiamque percipiunt, divinæ miſericordiæ gratias reddant, qui verò non liberantur, & quibus divina gratia non datur, debitum agnoſcant.

Ex his verò, quæ hactenùs diximus, facilis eſt, & obvia ſolutio, quâ ultimum argumentum dilui poteſt, ad quod tandem pervenire potuit Metaphyſicorum ſubtilitas, de primo hominis, & Angeli peccato: quod argumentum referendum eſt, non ea ratione, quòd vim aliquam majorem habeat, cùm in omni peccato, quodcumque tandem illud eſſe poſſit, inordinatio actûs ſemper antecedat, & privatio gratiæ poſterior ſit, ut dictum eſt; ſed ut manifeſtum ſit, nullum planè nobis objici argumentum, quòd à D. Thomâ præoccupatum non fuerit, nullamque ab ejus diſcipulis ſolvendis argumentis ſolutionem afferri, quam ex ſuo Magiſtro non didicerint.

Itaq; D.Thomas q.1.de Malo art.4.ubi quærit, Utrùm malum convenienter dividatur per pœnam & culpam, objicit ſibi n.5. *Si peccatum per concomitantiam eſt pœna*, id eſt, ſi peccatum pœna comitatur; hoc enim ſenſu intelligit peccatum eſſe pœnam per concomitantiam: *Omne peccatum quod concomitatur aliqua pœna, erit pœna: ſed primum peccatum concomitatur aliqua pœna*: *Ergo ſequitur quòd primum peccatum ſit pœna, quod eſt contra Auguſtinum, qui dicit ſola illa peccata eſſe pœnas, quæ ſunt media inter primum peccatum apoſtaſiæ, & ultimam pœnam gehennæ.*

En reipsà ultimum argumentum, quod hujus controverſiæ ultimam metam dixeris, ubi nemo plus ultra progredi poſſit: ſi privatio gratiæ, quæ pœna eſt, & maxima omnium pœna, peccatum comitetur; ſequitur etiam quòd ea pœna comitetur primum peccatum etiam & Angeli, & Adami. Atquì id omninò dici non poteſt: quia ex Auguſtino ejuſmodi pœnæ peccatis infictæ conſequuntur dumtaxàt ipſum peccatum, & mediæ ſunt inter primum, & ultimum peccatum: Ergo. Sed audienda eſt Divi Thomæ reſponſio, cui quædam interſerimus, ut faciliùs intelligatur.

Reſpondet igitur D. Thomas: *Dicendum, quòd magis denominatur aliquid ab eo à quo dependet, quàm ab eo quod dependet ab ipſo*: ſicut filius denominatur à patre, & non è converſo pater à filio: *peccatum autem habet pœnam concomitantem dupliciter*: *uno quidem modo, ſicut à qua quodam modo dependet*: quodam inquam modo, non tamen omninò, quia abſolutè homo peccat, quia ſuæ voluntatis pravitate peccare vult, non quia gratia deeſt: aliquo tamen modo peccatum ex privatione gratiæ dependet: *Sicut cùm aliquis propter culpam precedentem à gratia deſeritur; & ex hoc ſequitur ipſum peccare*: & Deus in pœnam præcedentis peccati in aliud ipſum labi permittit, quia ut plurimùm peccatum peccati pœna eſt. *Unde ipſum peccatum dicitur pœna ratione deſertionis gratiæ à qua quodammodò dependet. Et ſic eo ſenſu primum peccatum non poteſt dici pœna*, cùm alterum præcedens peccatum non ſupponat, *ſed peccata ſequentia*, quæ præcedens ſupponunt. *Alio verò modo peccatum habet pœnam concomitantem, quæ conſequitur ex ipſo, ſicut eſt ſeparatio à Deo, vel privatio gratiæ, vel inordinatio agentis, vel anxietas paſſionis, ſeu laboris: & à pœna ſic concomitante non ita propriè peccatum dicitur pœna*: quia nec ea privatio gratiæ propriè pœna eſt, cùm ex ipſa rei natura conſequatur: *quamvis etiam & ſic dici poſſit pœna cauſaliter, ſicut Auguſtinus dicit, quòd inordinatus animus pœna eſt ſibi.*

Hæc D.Thomas. Ubi in primis obſervari poteſt quod inquit S.Doctor, ſcilicèt, quòd *privatio gratiæ ex ipſo peccato conſequitur*: quod etiam obſervatum eſt ſupra, quòd per actum culpæ ſequitur ſubtractio gratiæ in peccante. Indè enim colligit, quòd propriè & in rigore ea ſubtractio gratiæ pœna dici non poteſt; quia pœna, ut nos docuit idem D. Thomas, infligitur *ex Dei arbitrio*; at verò hæc ſubtractio gratiæ quæ ipſum peccatum præſens comitatur, ex ipſa rei natura, & ex poſitione actûs peccati oritur: ſicut & eâdem ratione certum eſt quòd privatio rectitudinis debitæ pœna propriè dici non poteſt, cùm ex ipſa rei natura conſequatur, ut ex D. Thoma dictum eſt ſupra. Præmiſsâ igitur hâc obſervatione, quæ prætermitti non debuit, cùm maximi ſit momenti: unde & D. Thomas illâ etiam tãgit 1.2.q.87. a.2.ubi quærit, Utrùm unum peccatũ ſic cauſa alterius peccati,

Ex ea D. Thomæ ſolutione hæc duo dumtaxàt expendo, in quibus ſolutionis argumenti vis poſita eſt: ſcilicèt dupliciter intelligi poſſe privationem gratiæ peccatum comitari: Primo modo, *ſicut cùm quis propter culpam precedentem à gratia deſeritur*: alio modo gratiæ privatio peccatum concomitatur, *quando ex ipſo peccato conſequitur.* Et quidem priori modo primum peccatum gratiæ privationem comitari non poſſe manifeſtum eſt, cùm ea ſolùm ratione propter peccata præcedentia denegetur. At verò poſteriori modo privatio gratiæ primum etiam peccatum comitari poteſt: ſiquidem *ex ipſo peccato gratiæ denegatio conſequitur, ſicut & ſeparatio à Deo, & inor-*

dinatio agentis vel anxietas passionis. Manifestum enim est hæc omnia quodlibet peccatum, etiam & primum comitari: unde & primum peccatum *pœna causaliter dici potest*, Atque eo sensu intelligit D. Thomas, quòd ab Augustino dictum est sibi ipsi pœnam esse inordinatum animum: quòd heu nimiùm persensit Adamus in ipso suo primo peccato quo sibi ipsi gravis effectus est. Ergo manifestissimè constat veram Divi Thomæ sententiam esse, quòd in ipso etiam primo peccato denegatio gratiæ ex ipso peccato consequitur: & verissimum esse quod à Divi Thomæ Discipulis in hac quæstione dici solet, & sæpiùs mirantur Adversarii, quos dixerim minùs attentè quàm par erat hæc expendisse, etiam & ipsam gratiam, cùm homo peccat, propter ipsam concomitantem culpam denegari. Quod tamen minimè mirum videri debet, cùm nemini dubium esse possit, privationem rectitudinis debiti finis oriri ex eo quòd voluntas ad finem indebitum se convertat, ut supra nos docuit D. Thomas: Atquì eadem etiam est ratio de ipsa privatione gratiæ: cùm utraque, & privatio finis debiti, & privatio gratiæ oriatur ex ipsa rei natura, & ex oppositione quæ inter gratiam ac debitum finem, & inter actum pravum intercedit; unde & eam utramque privationem D. Thomas sæpiùs conjungit: Ergo etiam & ipsa privatio gratiæ oritur ex eo quòd voluntas adhæreat pravo fini: oriturque ea privatio ex ipsa rei natura, & ex oppositione quæ versatur inter gratiam, & actum inordinatum, unde necesse est quòd cùm actus inordinatus exercetur, indè gratiæ privatio consequatur. Atque ex his colligitur quàm verè à D. Thoma dictum sit, quòd cùm gratia denegatur propter culpam concomitantem, ea denegatio gratiæ non ita propriè habet rationem pœnæ; neque etiam peccatum quod ea pœna comitatur per concomitantiam propriè pœna dici potest: quia pœna ex Dei arbitrio, ut supra diximus, infligitur: at verò ea privatio ex ipsa rei natura sive ex actu inordinato naturâ suâ gratiæ oppositio necessariò consequitur.

ARTICULUS XV.

Duplex ex superioribus observatio. Non malè concedi posse, privationem gratiæ in genere causæ materialis culpam antecedere. Exemplis demonstratur, culpam dumtaxàt homini esse tribuendam.

EX his omnibus quæ hactenùs diximus, & quibus plurima ex D. Thoma omninò similima afferri possent, non erit abs re quædam colligere, quæ maximam lucem superioribus affundent, & quæ summam consensionem Discipulorum D. Thomæ cum suo Magistro demonstrabunt. Observandum est igitur in primis, quòd quamvis, ut dictum est sæpius, nunquàm reipsà, & absolutè concedi debeat, ideò hominem peccare, quia negatur à Deo gratia; siquidem unica peccati causa est pravitas voluntatis creatæ; immò nec absolutè etiam concedi debeat privationem gratiæ antecedere actum pravum, quia, ut satìs ex D. Thoma explicuimus, triplici de causa actus peccaminosus antecedit; attamen nihil vetat quominùs aliquo genere causæ, scilicèt materialis; privatio gratiæ peccatum antecedere concedatur; unde forsitan ea ratione dictum est à D. Thoma Articulo superiori quòd *peccatum à desertione gratiæ quodammodò dependet*. Atque etiam ea solutio, quam sæpiùs usurpant D. Thomę Discipuli, ex eodem D. Thoma desumpta esse videtur. Etenim, ut jam etiam retulimus supra, in 2. dist. 24. q. 1. art. 3. ubi causam mali, & peccati inquirit, ita habet. *Quòd sicut in naturalibus non possunt esse duæ formæ substantiales ultimæ actu perficientes eandem partem materiæ; ita non possunt esse duo ultimi fines voluntatis. Unde sicut agens naturale ex hoc quòd inducit unam formam causat defectum alterius formę, ita etiam voluntas ex hoc quòd alicui tanquàm ultimo fini inhæret, quod debitus finis sibi non est, avertitur à fine ultimo sibi debito.* Et jam dixerat, privationem formę non alio modo quàm ex positione alterius formæ oppositæ accidere. *Ignis enim*, inquit, *intendit formam suam in materiam inducere: sed quia forma ignis non compatitur formam aëris, indè sequitur, præter intentionem agentis, privatio formę aëris*. Et ita inquit accidere quoties homo peccat: hoc enim unum optat, & intendit, scilicèt voluptate frui; sed quia ea voluptas prohibita est, nec compatitur gratiam, quæ cum ea voluptate prohibita simul esse non potest: indè præter hujus intentionem sequitur gratiæ privatio. Quis enim adeò mente captus esse possit, ut spontè, & gratìs vellet Dei odium incurrere. Igitur ex D. Thoma sicut agens naturale ex hoc quòd inducit unam formam causat defectum alterius formæ; ita voluntas ex hoc quòd alicui tanquàm fini inhæret quod sibi debitus finis non est: avertitur à fine ultimo sibi debito: Atquì certum est, potissimùm in D. Thomæ sententia, in generatione naturali, quâ v. g. ex aëre fit ignis, privationem formæ corruptæ in genere causæ materialis, & tanquàm terminum à quo antecedere; positionem verò formæ genitæ in eo quidem genere causæ posteriorem esse; sed in alio genere, scilicèt causæ formalis, esse priorem: Ergo & pari ratione cùm homo gravi tentatione pulsatus præceptum transgreditur, & fini indebito inhæret, & ab ultimo fine sibique debito avertitur; aversio ab ultimo fine, sive ultimi finis privatio, & privatio etiam gratiæ, & quæcumque alia esse possit, antecedit peccatum in genere causæ materialis: in genere verò causæ formalis peccatum prius est, & adhæsio

pravo

prævo fini privationem gratiæ, & privationem debiti finis antecedit.

Et nè quis exiſtimet hanc obſervationem gratìs confictam eſſe, nec alium habere uſum, quàm ad eludendum argumentum difficile; non deſunt hujus anteceſſionis, & mutuæ dependentiæ exempla, quibus manifeſtiſſimum ſit eam diſtinctionem eſſe neceſſariò uſurpandam, etiam ad explicanda myſteria Fidei, aut graviſſimas Theologiæ difficultates: Et quidem in phyſicis exempla cuique obvia eſſe poſſunt: cùm generatio, ſeu ingreſſus formæ genitæ, in genere cauſæ formalis antecedat corruptionem, & expulſionem veteris formæ; & tamen in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ, corruptio generationem antecedat: cùm forma genita induci non poſſit, niſi in materia, quæ formâ careat. Unde utrumque verum eſt: ideò formam genitam induci, quòd altera expellatur: & ideò veterem expelli, quòd nova in materiam ſubeat. Eadem mutua dependentia eſt inter apertionem januæ quæ vento impellitur, & ingreſſum venti qui in apertam januam irruit. Eadem etiam eſt inter formam, & diſpoſitionem ultimam: hæc enim ultima diſpoſitio quâ v. g. forma ignis inducitur, eſt ipſe perfectiſſimus calor, quique ipſius formæ ignis proprietas eſt, & qui ab ea procedit; unde calor tanquàm proprietas ſubſequitur, & tanquàm diſpoſitio antecedit. Tanquàm proprietas dependet à forma ut ſit; & forma dependet à calore tanquàm diſpoſitione ut bene ſit, & modo ſuæ naturæ conſentaneo. Et ut Theologica etiam referamus: cùm homo juſtificatur ipſique gratia infunditur; actus charitatis utpotè perfectè vitalis effectivè ab ipſo habitu proximè, & à gratia ut à principio radicali oritur, & tamen ad eam diſponit. In Angelis ipſa inconſideratio intellectûs ſeu judicium inconſideratum, & præceps, cùm non poſſet non eſſe voluntarium, ipſam voluntatem moventem, & antecedentem ſupponebat; & tamen cùm eſſet ipſius voluntatis pravæ regula, etiam prava, ipſam iterùm antecedebat: quod etiam de quolibet judicio practico verum habet: cùm certum ſit actus voluntatis, & intellectûs ſe ſe invicem antecedere; intellectum præire voluntati quantùm ad ſpecificationem actûs; & voluntatem antecedere intellectum quantùm ad applicationem, & exercitium, cujus prima radix eſt voluntas. Et demùm qua altera ratione myſterium hoc Fidei explicari poſſit, cùm certum ſit, Chriſtum in ordine naturæ originem à B. Virgine aliiſque progenitoribus veteris Teſtamenti traxiſſe, & tamen in alio ordine, ſupernaturali ſcilicèt, ipſis gratiam promeruiſſe?

Quibus omnibus argumentis, & exemplis manifeſtum eſt, nihil eſſe ſolidius, & firmiori principio ſtabilitum, eâ mutuâ cauſalitate, & anteceſſione in diverſo genere cauſæ. Ex his quidam ex noſtris Theologis validum argumentum conficiunt ex ipſa Adverſariorum conceſſione. Fatentur enim quidam adverſæ ſententiæ Theologi, nihil eſſe quod metuant Thomiſtæ, & facilè eorum ſententiam defendi, & explicari poſſe, ſi obtinere etiam poſſit hæc mutua anteceſſio, & dependentia, in diverſo genere cauſæ: neque enim admodùm ægrè ratio reddi poteſt, cur gratia denegetur etiam in ipſo primo peccato, nimirùm quia peccatum antecedit in genere cauſæ materialis; ex quo intelligi facilè poteſt, æquiſſimè imputari homini ad culpam, ſi non agat, etſi deſit ea gratia ad agendum neceſſaria: quia ea propter ipſum peccatum concomitans denegatur: (quamvìs tamen planiori modo, ut diximus, res ipſa explicari poſſit, nullaque ratione habita hujus mutuæ anteceſſionis, cùm ſimpliciter, & abſolutè actus inordinatus antecedat, & ex eo, etiam ex ipſa rei natura, & propter naturalem oppoſitionem privatio gratiæ conſequatur:) Atquì aliis ejuſdem ſententiæ Theologis, & quidem hac in parte doctioribus, certa & indubitata eſt hæc mutua anteceſſio, nedùm in rebus phyſicis, ſed etiam in rebus Theologicis: cùm non minùs habere poſſit locum inter negationem gratiæ, & hominis culpam; quàm inter judicium practicum quô regulatur voluntas, & ipſam voluntatem quæ applicat intellectum; aut inter generationem novæ formæ, & corruptionem veteris, ut explicuimus ſùpra: unde qui eam mutuam cauſalitatem negant, eo dumtaxàt animo eam negare videntur, ut hoc validum præſidium Divi Thomæ Diſcipulis eripiant: Ergo ex ipſa Adverſariorum conceſſione neceſſe eſt in tuto poſitos eſſe Divi Thomæ Diſcipulos, nihilque metuendum eſſe nè primam peccati originem Deo adſcribant, vel hominem ſine culpa gratiâ carere fateri cogantur.

Secundò obſervandum eſt, non ægrè admodùm hæc quæ ſupra diximus, variis exemplis explicari poſſe, ac potiſſimùm illud in quo graviſſima omnium difficultas poſita eſt; quæ cauſa ſit cur Deus etiam in primo peccato deneget gratiam, & motionem etiam ad agendum neceſſariam. Et quidem quandoquidem de navi, & nauta quô navis regitur, mentio ſupra incidit, eoque exemplo uſus eſt Divus Thomas: cùm navis exempli gratiâ ventorum vi, &, ut dicunt, velis paſſis in ſcopulum impellitur, &, ut inquit Claudianus, *geminis agitata procellis tunditur & cæco trahitur jam victa magiſtro*: Cùm ea, inquam, tempeſtatis, & ventorum vis è nautæ manibus clavum excutit: compertum eſt duo efficere navis naufragium, & jacturam: primum eſt, tempeſtatis vis, & vehemens ventorum impulſus naviſque impetus quô ad ſcopulos fertur, à quibus eliditur: alterum verò eſt, quòd nauta, amiſsô clavô, & vi tempeſtatis ex manibus ipſius excuſsô, navem non regat. Atquì ſi ea inter ſe ſe conferantur, evidens eſt primam, & integram ruinæ, & naufragii navis cauſam eſſe tempeſtatis, & procellarum vim, quæ è manibus nautæ clavum excutit, cogitque navem deſerere: at verò ſi quæ ſit ſalus navis, aut ſi naufragium, & ruina retardaretur, liquet ex ſola nautæ

induſtria oriri regentis navem, & undarum, & tempeſtatis impetum frangentis: igitur & pari ratione, cùm homo gravi tentatione pulſatus in peccatum impellitur, vel ſi quando nulla urgente tentatione homo gratis, ſtudiò, & malitiâ etiam ipſam tentationem antevertit, cùm ſcilicèt *prodiit quaſi ex adipe iniquitas ipſius*, & velutì ex plenitudine aut magnitudine malitiæ pravique habitus, ratione cujus facta eſt velutì *naturalis malitia*, tranſiitque in affectum cordis, voluntate velutì in malitiam converſa; cùm, inquam, dominante cupiditate, ſeu tentatione, ſeu pravo habitu accenſa, homo in peccatum ruit, & Deus gratiam denegat, hominemque tradit in deſideria cordis ejus: conſtat hominis ruinæ, & lapsûs primam, & unicam cauſam eſſe ipſam voluntatis pravitatem, & dominantem cupiditatem, cujus, ut dictum eſt, nulla alia cauſa quærenda eſt, cùm ipſa voluntas ut deficiens, prima mali cauſa ſit primumque principium. Quòd ſi homo in gravi tentatione conſtitutus, interdùm diu luctetur ſecùm antequàm prava cupiditate vincatur; quidquid virium habet ut reſiſtat, ex Dei munere, & gratia oritur, quæ hominem juvat, & tentationum æſtûs frangit aut retardat.

Sed altero etiam exemplo, quo interdùm utitur D. Thomas, eadem res explicari non incommodè poteſt. Cùm quis v. g. manu ſublatum lapidem tenet, & tandem hujus gravi pondere fatigatus manum remittit & laxat, & lapis deorsùm fertur: quis dubitet lapidis caſum ex ſola gravitate, & pondere lapidis oriri, quòd verò in altum ſublatus aliquando fuerit, non lapidi ſed homini tribuendum, qui lapidem ſuſtulit. Ergo & pari ratione cùm homo ſeu gravi tentatione impellente, ſeu peccati fomite accenſo, & cupiditate exardeſcente, aut velutì graviſſimo pondere deprimente in peccatum ruit, homini dumtaxàt, & voluntatis pravitati lapſus in peccatum tribuendus eſt: ſi quid verò Cœlo dignum velutì in altum ſublatus, aut ſi quando etiam è cœno cui immerſus eſt caput attollat, divinæ gratiæ tribuendum eſt, quæ cupiditatem comprimit, vel hujus impetum retardat.

Dices diſparem eſſe rationem; cùm in iis exemplis nautam ventorum, & procellarum vis cogat ut velit nolit clavum deſerat: & homo etiam fatigatus lapidis pondere manum remittere, & laxare velit nolit cogatur, & in utroque exemplo ventorum vis clavum è nautæ manibus, & gravitas lapidis cui ferendo homo impar eſt, lapidem è ferentis manu excutiat: cùm tamen nulla ſit hominis malitia, quæ cogere Deum poſſit, ut eum deſerat. Verùm, parùm verſatum eſſe in Scriptura Sacra, & vera Theologia neceſſe foret eum qui iſta objiceret: cùm Scriptura Sacra quàm ſæpiſſimè eâ phraſi utatur, & Deus ſe vim pati, cogi, & vinci hominis malitiâ, & quod gravius eſt, ipſi furorem accendi conqueratur: quâ phraſi ingens hominis malitia intelligitur, quæ exigit ut Deus hominem gratiâ privet, & in peccatum labi permittat. Quare idem efficit malitia hominis, ipſumque peccatum, aut pravus habitus reſpectu divinæ juſtitiæ, ut hominem deſerat, & privet gratiâ, vel pronitas naturæ ad malum, & ardens ſemper ac nunquàm extinctus peccati fomes reſpectu divinæ providentiæ, ut hominem labi permittat; quod efficit procellarum vis reſpectu nautæ, ut clavum amittat navemque deſerat: & quod efficit pondus, gravitaſque lapidis reſpectu hominis qui lapidem in altum ſuſtulit, ut manum remittat, lapidemque cadere permittat: ut ſemper veriſſimum ſit quod à D. Auguſtino & D. Thoma dictum eſt, *quibuſcumque* hæc motio divinumque auxilium *datur*, *ex miſericordia datur*, *quibuſcumque non datur ex juſtitia non datur*, *in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis*.

Sed injuriam Divo Thomę fecerim, niſi hæc omnia ipſi accepta referrem, quæ reverà ex ipſo deſumpta ſunt. Etenim cùm explicat hæc verba Joan. cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*: ubi notat hæc verba vim quandam illatam volũtati ſignificare videri, cùm *tractio apud Philoſophum ſit ſpecies motus violenti*: triplicem quæſtionem movet, & hanc de qua hìc agimus tertio loco reponit. *Tertia queſtio eſt*, inquit, *de hoc quod dicit, quòd nemo venire poteſt niſi tractus à Patre: quia ſecundùm hoc, ſi nullus veniat ad Chriſtum non imputatur ei, ſed ei qui non trahit eos*. En expreſsè quęſtionem, in qua hujus cõtroverſiæ potiſſimam difficultatem poſitam eſſe ſemper exiſtimatũ eſt. Reſpondet verò Divus Thomas, *Dicendum, quòd nullus verè venire poteſt niſi tractus à Patre. Nam ſicut grave per naturam non poteſt per ſe ſurſùm ferri, niſi trahatur ab alio: ita cor humanum ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſurſùm elevari, niſi tractum. Si verò non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui, quantùm in ſe eſt, nulli deficit, ſed eſt propter impedimentum ejus qui non trahitur. Aliter autem quantùm ad hoc pertinet, poſſumus loqui de hominibus in ſtatu naturæ integræ; & aliter in ſtatu naturæ corruptæ. Nam in natura integra non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione: unde tunc omnes homines hujus tractionis poterant eſſe participes.* Erat Adamus totus teres atque rotundus, & ad ſequendum divinæ gratiæ & motionis impulſum etiam conditione ſua aptiſſimus. Neq; ex eo capite neceſſaria erat gratia ſanans, cùm nulla eſſet infirmitas, & corruptio naturæ; quamvis tamen ex altero capite neceſſaria eſſet gratia adjuvans, divinaque motio, quæ voluntatem moveret, & impelleret, ea communi lege, quâ cauſæ omnes ſecundæ ſubjici debeant primæ cauſæ, ab eaque moveantur. *Sed in natura corrupta*, pergit Divus Thomas, *omnes per impedimentum peccati æqualiter prohibentur ab hac tractione; & ideò omnes indigent trahi. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit quantùm in ſe eſt, & quod plus eſt, non ſolùm attrahit manum recipientis, ſed etiam averſos à ſe convertit, ſecundùm illud Thren. ult.,, Converte nos*

Do-

Domine, & convertemur : „ *& in pſal.* 84. „ *Deus tu converſus vivificabis nos* : „ *Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit*: quia nimirùm obicem objicit, aut peccati; aut hujus infirmitatis, & pronitatis ad malum, quâ perpetuò deorsùm tendit, nec poteſt ſursùm attolli, niſi vi quadam veluti trahatur.

Sed præterea, cùm ſtatim etiam menti occurrat altera difficultas, nimirùm ſi in ea corruptione naturę omnes immerſi ſint, cur Deus aliquos ex eo cœno educit, alios veluti in ea corruptionis maſſa relinquit. Hanc eandem quęſtionem ſtatim proponit D. Thomas, & ita reſolvit. *Quare autem non omnes averſos trahit, ſed aliquos, licèt ſint omnes æqualiter averſi: ratio quidem in generali poteſt aſſignari, ut ſcilicèt in illis qui non trahuntur, appareat, & refulgeat ordo divinæ juſtitiæ*, quæ non niſi propter pecatum vel antecedens vel concomitans gratiã negat, vel etiam propter naturæ corruptionem, & pronitatem ad malum: *In illis autem qui trahuntur immenſitas divinæ ſapientiæ. Quare autem in ſpeciali trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua niſi beneplacitum voluntatis Divinæ. Unde dicit Auguſtinus:* „ *Quem trahat, & quem nõ trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora ut traharis.* „ Atque hujus diſcriminis rationem egregio hoc exemplo explicat D. Thomas: hoc, inquit, etiam *oſtendi poteſt per exemplum. Nam aſſignari poteſt ratio quare artifex ponit aliquos lapides inferiùs, & aliquos in lateribus, ex diſpoſitione domûs, cujus complemẽtum hoc exigit: ſed quare hos lapides hìc ponat, & hos ibi, dependet à ſua ſimplici voluntate: & inde eſt quòd prima ratio diſpoſitionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum univerſi quoſdam quidem trahit, ut in eis appareat ſua miſèricordia, quoſdam verò non trahit, ut oſtendatur in eis ſua juſtitia. Sed hos trahit; illos non trahit ſecundùm ſuum beneplacitum voluntatis. Similiter etiam quare in Eccleſia aliquos fecit Apoſtolos, alios Confeſſores, alios Martyres; ratio eſt propter Eccleſiæ decorem, & complementum: ſed quare Petrum fecit Apoſtolum, Stephanum Martyrem, & Nicolaũm Confeſſorem, non eſt alia ratio niſi voluntas ſua.*

Hactenus D. Thomas: quibus certè nihil ſolidiùs, nihil veriùs dici unquàm poteſt, ad eam quæſtionem reſolvendam, cur Deus interdum gratiam tribuat, interdùm deneget ad agendum neceſſariam: neque tamen Deo imputari debeat ſi homo non agat, ſed homini dumtaxàt imputandum ſit, qui eam motionem objecto peccati obice, & impedimento, repellit: quod tamen impedimentum Deus amovere non tenetur, ne ſuæ ſapientiæ, & providentiæ leges evertat. Unde rectè notat D. Thomas 1. 2. qu. 79. art. 1. Deum non poſſe dici cauſam peccati hominis etiam indirectam. Quamvis enim Deus ſit cauſa removens prohibens, & privet hominem gratiâ quæ ſi adeſſet, cohiberet hominem ne in peccatum laberetur: non ideò tamen Deus dicendus eſt ullo pacto eſſe hominis peccati cauſa, cùm eam gratiam conferre non teneatur. *Similiter*, inquit D. Thomas, *Deus non eſt cauſa peccati hominis, etiam indirectè. Contingit enim quòd Deus aliquibus non præbet auxiliũ ad evitanda peccata, quod ſi præberet non peccarent: ſed hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, & juſtitiæ, cùm ipſe ſit ſua ſapientia, & juſtitia: unde non imputatur ei quòd alius peccat, ſicut cauſæ peccati: ſicut gubernator navis non dicitur cauſa ſubverſionis navis ex hoc quòd nõ gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens, & debens gubernare: & ſic patet quòd Deus nullo modo eſt cauſa peccati.* Ex quibus omnibus quæ hactenus diximus planiſſimam eſſe arbitror reſolutionem difficultatis propoſitę, non imputari ſcilicèt Deo, ſed homini dumtaxàt, ſi non agat, quamvis careat divinâ motione ad agendum neceſſariâ: cùm nunquàm ea motione niſi ob ipſius culpam aliquam privetur.

Sed unum hìc iterùm obſervandum velim, quod ſæpe obſervandum eſſe monuimus. Cùm ea difficultas in omnium ſententia objici poſſit, & communem etiam Chriſtianæ religionis, & fidei doctrinam impetat, quâ docemur, gratiam non omnibus dari, quæ ſi daretur, nemo dubitat, quin homo qui peccat, & pravè agit, ne pravè ageret, cohiberetur. Obſervandum eſt, inquam, quâ ratione eam difficultatem Theologi extra ſcholam D. Thomę reſolvant, ut inde manifeſtum ſit utrùm inter hujus Diſcipulos recenſendi ſint. Neque enim aliam ſolutionem admittunt, præter hanc unicam, ſcilicèt *nunquàm* deeſſe gratiam omnem ad agendum neceſſariam, quâ homo pro ſuo libito, & ſine altera ſuperaddita, vel utatur, vel non utatur: ideoque homini dumtaxàt imputandum eſſe, ſi non agat, cùm nulla alia gratia ad agendum neceſſaria unquàm deſit. Sed mirum eſt, ſi hæc unica reſponſio ſatìs ſit graviſſimæ difficultati reſolvendæ, ſi nulla præter hanc communem omnibus gratiam ad agendum neceſſaria ſit: cur toties D. Thomas gratiam ad agendum reipsà neceſſariam deeſſe concedat, etſi nunquàm tamen ſine hominis culpa deſit? Cur dixit loco citato in cap. 6. Joannis lectione 5. quod ex quo *Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit*. Neque enim intelligi ea poſſunt de ea gratia communi, & poſſibilitatis, quam nunc ſufficientem Theologi vocant, conceſſa omnibus, de qua hìc nulla controverſia eſt. Neque enim dixiſſet, Deum paratum eſſe dare omnibus, ſed omnibus conceſſam eſſe dixiſſet: neque adjunxiſſet eſſe in culpa hominis quòd eam gratiam non accipiat: ſupponit enim hominem aliquâ gratiâ privatum eſſe, eamque ſuâ culpâ non accepiſſe. Nemo eſt qui non videat, quàm diverſa principia à D. Thomæ principiis Adverſarii

ſarii uſurpent: & è contrà nullam à D. Thomæ Diſcipulis ſolutionem uſurpari, quam à ſuo Magiſtro non didicerint: quod à nobis erat demonſtrandum.

ARTICULUS XVI.

Alterum Argumentum: Quòd ſi Deus voluntatem moveret, eſſet author peccati, objicit ſibi Sanctus Thomas, & ſolvit.

NOn potuit hoc argumentum à D. Thoma prætermitti, cùm ſtatim menti occurrat, & conſequi videatur, quòd ſi Deus voluntatem creatam moveat ad entitatem, & ſubſtantiam actûs cui malitia connectitur, etiam & ipſa peccati malitia in Deum, ut primum authorem refundatur. At verò in primis Deum eſſe cauſam, entitatis, & ſubſtantiæ actûs à quo etiam nulla ratione malitia ſejungi poſſit, probat S. Thomas 1. 2. quæſt. 79. art. 2. tùm communi ea ratione ex D. Auguſt. deſumpta, quòd *voluntas Dei* ejuſque operatio *eſt cauſa omnium motionum*: tum altera ratione ex compertiſſimo illo principio deducta, quòd cùm actio malitiæ peccati conjuncta ſit *ens actu*, neceſſe ſit reduci in *primum actum ſcilicèt Deum, ſicut in cauſam, quæ eſt per ſuam eſſentiam actus*: Aliud enim longè de ipſo defectu ac de ipſo actu dicendum eſt: quantumvis enim defectus aliqua privatio ſit, neceſſe tamen eſt in aliquo ente actuque reperiri. At verò quodnam intelligi unquàm ens actuſque poteſt, niſi in Deum ut ſupremum ens, primumque actum reducatur. Vide alia loca ibidem in margine annotata, ubi ita argumenta omnia colligit quę objici poſſunt, ut vix unum à Recentioribus Theologis qui adverſam ſententiam ſequuntur, repertum fuerit quod D. Thomam latuiſſe videatur. Sed vide in primis quæ ſuprà diximus quæſt. 3. art. 12. ubi idem argumentum objicit Divus Thomas, & ſolvit.

Sed ut apertior ſit D. Thomæ mens, nec ſuſpicandi rationem ullam Lector habeat, non ſincera fide à me loca Angelici Doctoris referri, Articulum ſecundum integrum refero ex q. 3. de Malo, ubi paulò fuſiùs rem omnem explicat, & ex quo ſolutionum præcipua fundamenta erunt deſumenda. Alterum jam locum ſuprà qu. 7. ar. 1. ex D. Thoma retulimus in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 2. qui articulus omninò legendus eſt: cùm eos qui ſecùs ſentiebant graviter reprehendat D. Thomas quòd inde conſequatur voluntatem poſſe actionem producere ſine *influentia prioris agentis*: adeòque & voluntatem habere *rationem primi principii*. Quibus verbis manifeſtum eſt exiſtimare Divum Thomam, quòd etiam motione communi Deus voluntatem ad omnem actionem priùs movet ut eſt in ordine phyſico. Alius integer Articulus referri poſſet ex 1. 2. q. 79. art. 2. Sed cùm Summa Theologica S. Thomę in omnium ferè manibns verſetur, eum locum prætermittimus. Iis verò omnibus locis Articulo primo reſolvit, Deum non eſſe authorem peccati, cùm peccati nomine deformitas ipſa peccati intelligatur. Articulo verò ſecundo inquirit, & reſolvit, vtrùm ipſa peccati actio, ut eſt in genere naturæ, ſit à Deo. Ita verò habet.

Articulus Secundus D. Thomę Quæſt. 3. de Malo. Utrùm actio peccati ſit à Deo?

Secundò quæritur, Utrùm actio peccati ſit à Deo? Videtur quòd non. Homo enim non dicitur eſſe cauſa peccati, niſi quia eſt cauſa actionis peccati; nihil enim ad malum intendens operatur, ut S. Dionyſius dicit 4. cap. de Divinis nominibus. Sed Deus non eſt auctor peccati, ut ſuprà dictum eſt: Ergo non eſt cauſa actionis peccati.

Prætereà: Quidquid eſt cauſa alicujus, eſt cauſa ejus quod convenit ei ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei, ſicut ſi aliquis eſt cauſa Sortis, ſequitur quòd ſit cauſa hominis: ſed quidam actus ſunt qui ex ſua ſpecie habent quòd ſint peccata: ſi ergo actio peccati ſit à Deo, ſequitur quòd peccatum ſit à Deo.

Prætereà: Omne quod eſt à Deo eſt res aliqua: actus autem peccati non eſt res aliqua, ut Sanctus Auguſtinus dicit in lib. de perfectione juſtitiæ: Ergo actus peccati non eſt à Deo.

Prætereà: Actus peccati eſt actus liberi arbitrii, quod ideò dicitur liberum, quia ſeipſum movet ad agendum. Sed omne id cujus actio cauſatur ab alio, movetur ab illo, & ſic non movetur à ſeipſo, nec eſt liberum: actus ergo peccati non eſt à Deo.

Sed contrà eſt, quòd S. Auguſtinus dicit 3. de Trinitate cap. 4. quòd „ voluntas Dei eſt cauſa omnium ſpecierum, & motionum. „ Sed actus peccati eſt quidam motus liberi arbitrii. Ergo eſt à Deo.

Reſpondeo, dicendum, quòd apud Antiquos circa hoc erat duplex opinio. (Vide ſuprà qu. 7. art. 1. locum ex S. Thoma in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 2. ubi habet de ea duplici opinione plura): *Quidam enim dixerunt antiquitùs, actionē peccati non eſſe à Deo, attendentes ad ipſam peccati deformitatem, quę à Deo non eſt. Quidam verò dixerunt, actionem peccati eſſe à Deo, attendentes ad ipſam eſſentiā actûs, quam oportet ponere à Deo eſſe, duplici ratione. Primò quidem ratione communi, quia cùm ipſe Deus ſit ens per ſuam eſſentiam, quia ſua eſſentia eſt ſuum eſſe; oportet quòd omne quod quocumque modo eſt, derivetur ab ipſo: nihil enim aliud eſt quod ſit ſuum eſſe, ſed omnia dicuntur entia per quandam participationem: omne autem quod per participationem dicitur tale, derivatur ab eo quod eſt per eſſentiam; ſicut omnia ignita derivantur ab eo quod eſt per eſſentiam ignis. Manifeſtum eſt autem quòd actio peccati eſt quoddam ens, & in prædicamento entis poſitum: unde neceſſe eſt dicere quòd ſit à Deo. Secundò autem idem patet ratione ſpeciali: neceſſe eſt enim, omnes*

motus

motus ſecundarum cauſarum cauſari à primo movente, ſicut omnes motus inferiorum corporũ cauſantur à motu cæli. Deus autem eſt primum movens reſpectu omnium motuum, & ſpiritualium, & corporalium; ſicut corpus cæleſte eſt principium omnium motuum inferiorum corporum. Unde cùm actus peccati ſit quidam motus liberi arbitrii, neceſſe eſt dicere quòd actus peccati, in quantùm eſt actus, ſit à Deo. Sed tamen attendendum eſt, quòd motus primi movẽtis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in unoquoque ſecundùm proprium modum. Alio enim modo cauſatur à motu cæli motus corporum inanimatorum quæ non movent ſeipſa, & alio modo motus animaliũ quę movent ſeipſa. Rurſumque alio modo conſequitur ex motu cæleſti pullulatio plantę, in qua virtus generativa nõ deficit, ſed producit perfectũ germẽ: alio modo pullulatio plantæ; cujus virtus generativa eſt debilis, & producit germen inutile. Cùm enim aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendũ motionem primi moventis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi moventis. Sed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id quod eſt ibi actionis, reducitur ad primum movens, ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de defectu, non reducitur in primum movens, ſicut in cauſam; quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc quòd agens deficit ab ordine primi moventis, vt dictum eſt. Sicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute motiva animalis; ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt à virtute motiva, ſed à tibia ſecundùm quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiva. Sic ergo dicendum, quòd cùm Deus ſit primum principium motionis omnium; quædam ſic moventur ab ipſo, quòd etiam ipſa movent, ſicut quæ habent liberum arbitrium; quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione, & ordine debito ad recipiendũ motionem quà moventur à Deo, ſequentur bonæ actiones quæ totaliter reducuntur in Deum, ſicut in cauſam: ſi autem deficiant à debito ordine, ſequetur actio inordinata, quæ eſt actio peccati. Et ſic id quod eſt ibi de actione reducetur in Deũ ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de inordinatione vel deformitate, non habet Deum cauſam, ſed ſolùm liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur quod actio peccati eſt à Deo, ſed peccatum non eſt à Deo.

Ad primùm ergo dicendum: quòd homo qui peccat, licèt perſe non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadit ſub voluntate peccantis, dum ſcilicèt magis eligit deformitatem peccati incurrere quàm ab actu ceſſare. Sed deformitas peccati nullo modo cadit ſub volũtate divina, ſed conſequitur ex hoc quòd liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.

Ad ſecundum dicendum: quòd deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actûs ſecundùm quòd eſt in genere naturæ; ſic autem à Deo cauſatur: ſed conſequitur ſpeciem actûs ſecundùm quòd eſt moralis, proùt cauſatur ex libero arbitrio, ſicut in alia queſtione dictum eſt.

Ad tertiùm dicendum, quòd ens & res ſimpliciter dicitur de ſubſtantia, de accidentibus autem ſecundùm quid: & ſecundùm hoc S. Auguſtinus dicit, actus non eſſe res.

Ad quartum dicendum: quòd cùm dicitur aliquid movere ſeipſum, ponitur idem eſſe movens, & motũ. Dum autem dicitur, quòd aliquid movetur ab altero, ponitur aliud eſſe movens, & aliud motum. Manifeſtum eſt autem, quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo quòd eſt movens, ponitur quòd eſt primum movens: unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quòd movet. Similiter cùm aliquid movet ſeipſum, non excluditur quin ab alio moveatur à quo habet hoc ipſum quòd ſeipſum movet. Et ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſa actûs liberi arbitrii.

Hęc S. Thomas: quibus explicandis non eſt quòd immoremur, cùm ex ſuperioribus omnia ſatis aperta ſint, potiſſimùm quod inquit: *Neceſſe eſt omnes motus ſecundarum cauſarum, cauſari à primo movente*: quibus prævium motionem ſignificari jam ſatìs demonſtratum eſt. Sed tamen priuſquàm argumenta referamus quæ ſibi objicit, & ſolvit D. Thomas, plura veluti in anteceſſum obſervanda ſunt.

Primò quidem: ſi à D. Thoma exiſtimatum non eſt, Deum cauſas ſecundas movere prævìè, ſed ſolùm eam entitatem actûs, quæ eſt in peccato, concurſu dumtaxàt ſimultaneo à Deo fieri; cur ne unicum quidem hujus ſimultanei concurſus verbum injicit D. Thomas, & cur exertè non negat, voluntatem à Deo prævìè moveri? Atque ea obſervatio majorem vim habet ex his quæ docet S. Thomas 3.cont.gent.cap.72. Cùm enim jam probaſſet, *quòd nihil dat eſſe, niſi in quantùm agit virtute divina*: ac prætereà, *quòd Deus eſt cauſa agendi omnibus operantibus*: quæ omnia ſuperiùs explicata ſunt. Deinde cap. 71. cùm probet quòd divina providentia non excludit malum à rebus, idque probet, & ratione, & authoritate: deinde in fine addit: Hinc *ſolvitur etiam quorundam dubitatio, utrùm ſcilicèt actiones malæ ſint à Deo? Nam cùm oſtenſum ſit, omne agens actionem ſuam producere in quantùm agit virtute divina, & ex hoc Deum eſſe omnium, & effectuum, & etiam actionum cauſam; itemque oſtenſum ſit, quòd malum, & defectus in his, quæ providentiâ divinâ reguntur, accidat ex conditione ſecundarũ cauſarum in quibus poteſt eſſe defectus; manifeſtũ eſt, quòd actiones malę ſecundùm quod deficiẽtes, non ſunt à Deo, ſed ex cauſis proximis deficientibus: quãtùm autẽ ad id quod de actione, & de entitate habent, oportet quòd ſint à Deo; ſicut claudicatio eſt à virtute motiva quantùm ad id quod habet de motu; quantùm verò ad id quod habet de defectu, eſt ex curvitate cruris.* Inde igitur, ut inquit D. Thomas, dubiũ oriri poteſt, quòd *cũ omne agens actionẽ ſuã producat in quãtùm agit virtute divina, ideoque Deus ſit omnium, & effectuũ, & actionum cauſa*: Inde dubitari poteſt nũ etiã Deus ſit cauſa actionis malę: At verò demonſtratũ eſt ſuprà, iis D. Thomæ verbis ſignificari

ficari veram efficaciam, & prĕviam & physicam. Sed demùm apertior erit ea observatio ex ipsis D. Thomæ argumentis, quæ statim referemus. Quam enim vim habere possent, nisi ea prævia motiò supponeretur? ac deinde, cur ut ea solvat non negat exertè voluntatem à Deo moveri; sed tantâ curâ distinguit quod entitatis est, ab ipso defectu. Sed hæc, ut dixi, ex ipsis argumentis, quæ sibi objicit, & solutionibus quibus respondet, multò apertiora evadent.

Secundò. Observandum est etiam, solam hìc intelligi divinam motionem communem, & in ordine dumtaxàt physico. Juxtà enim communes suæ providentiæ leges Deus causas secundas, ut agant proùt dispositæ sunt, sinere debet; neque debet semper earum defectus impedire, iis rationibus quas prosequitur loco prælaudato, 3. cont. gent. c. 72. alioquìn enim: *Multùm deperiret perfectioni universi, cujus pulchritudo ex ordinata bonorum, & malorum adunatione consurgit, dum mala ex bonis deficientibus proveniunt; sicut & silentii interpositio facit cantilenam esse suavem*, ut inquit num. 6. Atque eâdem ratione non debet communem hanc motionem à causis deficientibus subtrahere. Unde reipsà nihil magis mirum videri debet, nec magìs divinam æquitatem aut sanctitatem dedecet, quòd Deus motione prævia ac physica causas secundas ad entitatem actionum quæ malæ sunt, moveat, quàm quòd ad eas concursu simultaneò concurrat; uterque enim concursus tùm prævius, tùm simultaneus, solam entitatem actûs attingit: & quidquid ab Adversariis objicitur, vel objici unquàm poterit, comparatione concursus simultanei quàm facillimè solvi potest.

Tertiò. Observandum est iterùm, quòd sicut non denegatur homini gratia, nisi propter culpam, quæ antecedit, & est prior in genere causę materialis; ita pari ratione dicendum est, quòd cùm applicatio ad materiale peccati, & ipsa determinatio, aut veriùs deviatio, & prolapsio ad formale sint simul, & eodem instanti temporis; determinatio, & deviatio ad formale prior est in genere causæ materialis ipsa applicatione ad entitatem physicam, quamvìs hæc etiam antecedat in genere causæ efficientis: nam sicut ipsa corruptio aut inanitas, & vacuitas materię antecedit ipsam generationem, & accessum formæ, quia forma non inducitur nisi in materia omnis alteriùs formæ vacua: ita defectio voluntatis, & ad peccati formale deflexio antecedit in genere causæ dispositivæ materialis, & demeritoriæ; ut verissimum sit, voluntatem non applicari ad materiale, nisi quia ipsa deflectit ad formale, & est causa deficiens, cujus defectus sit veluti prava dispositio, quæ trahat applicationem ad materiale peccati: quia, ut iterum advocetur S. Thomę ratiocinatio in 1. dist. 40. quęst. 4. art. 2. ut retulimus sup. hujus qu. art. 13. Deus non movet ad materiale, nisi quia id justum est, aut æquitas ipsa postulat: at verò non est justum, nisi quatenùs voluntas defectuosa est, & prolabitur ad formale. Unde sola voluntas prava motionem Dei, quæ quantùm est de se in sola physica entitate sistit, trahit ad formale: cùm enim Deus teneatur, si voluntatem moveat, juxtà conditionem ipsius, quam mutare non tenetur, movere; necesse est quòd eam moveat ad materiale peccati. Sicut anima si tibiam obliquam moveat, nisi corrigatur ipsius obliquitas, tibiam cogitur movere ad entitatem motus obliqui; ut illud verissimum habeat; *Servire me fecisti iniquitatibus tuis*, & Deus veluti cogatur invitus ad materiale peccati ipsam hominis deficientem voluntatem movere.

Quartò. Sed præterea observandum est, quòd si quis quærat, unde habeat hominis voluntas, quòd moveatur & prolabatur ad formale, & deficiat; non est quærenda alia causa præter ipsam voluntatem, quæ cùm sit ex nihilo, retinet quod eam originem sapit, & est primum principium deficiens, ut ostendit S. Augustinus lib. de liber. arbit. & ultimo op. contra Julian. lib. 5. cap. 31. & sequen. & presiùs S. Thomas in 2. dist. 37. quęst. 2. art. 1. ad 2. *Peccatum*, inquit, *refertur in voluntatem sicut in causam; & quamvìs voluntas sit creata à Deo in quantùm est quoddam ens, non tamen quantũ ad hoc quòd defectus ex ipsa incidere potest; est enim possibilis ad defectum ex hoc quòd ex nihilo est. Quamvìs autẽ Deus sit causa voluntatis faciẽs eam ex nihilo; hoc tamen quod est ex nihilo esse, non habet ab alio, sed à se. Unde secundùm hoc non habet causam aliam: & ideò defectus qui sequitur ex ea secundùm quod ex nihilo est, non oportet quòd in ulteriorem causam reducatur*. Hęc ibi: atq; eodem sensu à D. Cyrillo dictum est in cap. 1. Joannis. *Quod homò ex regione quadam venit, quę dicitur nihil &c. quòd si eadem conditoris potentia eum non teneat, mox in patriam suam fugiet, & revertetur in nihil.* Unde sicut quòd homo careat gratiâ, prima causa est ipsa hominis voluntas; quia quod est ex *parte Dei*, scilicèt, quòd nolit tribuere gratiam, oritur ex eo quòd est ex *parte hominis*, quia non vult gratiam recipere: ut dictum est suprà hâc eâdem quęst. ita etiam quòd homo unquàm peccet, & deficiat, prima causa est ipsa voluntas hominis; quia quod est ex *parte Dei*, scilicèt quòd moveat ad materiale, oritur ex eo, quod est ex *parte hominis*, quia sese movet ad formale peccati. Idque apertè significant, quæ habet D. Thomas eo articulo quæst. 3. de malo. *Quia voluntas non est in debita dispositione, sed recedit à debito ordine sequitur actio inordinata quæ est actio peccati*. Sed de his iterum in objectionum solutionibus.

Quintò. Nec verò quis objiciat, ex superioribus dictis consequi, Deum dicendum esse magis primam causam peccati quàm voluntatem, cùm id quod est ex voluntate, sit solùm prius in genere causæ materialis; quod est verò ex parte ipsius Dei, sit priùs in genere causę efficientis; & universim inter causas, efficientem esse & principaliorẽ; & primam constet: Etenim esto ita sit, cùm sistitur præcisè in ordine physico; aliud tamen judicium ferendum est in ordine morali, & in ordine ad defectum, & peccatum, cujus veluti primum prin-

principium non poteſt non eſſe ſola hominis voluntas, & ubi de demerito, & pœna agitur. Quare cùm id quod eſt ex parte ipſius ſit in pœnam, & ex demerito ipſius voluntatis, ſi utrumque comparetur, prima dubio procul cauſa dicenda eſt ſola peccantis voluntas: de quo vide ſuperiùs dicta hujus quæſt. art. 13.

Sextò. Obſervandum etiam venit quòd peccati malitia omninò ſit extra objectum divinæ potentiæ, unde nulla ratione à Deo, ſed à ſola voluntate cauſari poteſt. Atque ideò quantumvis, & entitas peccati, & ipſius malitia ſeparari non poſſint, inde tamen non conſequitur, formale peccati, ſicut, & ipſam entitatem phyſicam produci à Deo. Ut enim, inquit D. Thomas in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 2. *Si in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet tamen ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum; ſicut natura eſt cauſa oculi quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad effectum cœcitatis, quæ ex naturæ defectu incidit*; quod aliis etiam exemplis, & cuilibet obviis infra demonſtrabimus.

Septimò. Atque inde etiam obſervari, & intelligi facilè poteſt voluntatẽ inflectere, & detorquere divinam motionem, ut actus qui inde conſequitur, defectuoſus & pravus ſit. Unde Sanctus Thomas ead. quæſt. 3. de malo art. 1. ad 4. hoc ſibi argumentum objicit quod eſt adverſariorum præſidium. *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*. (Sive quod eſt cauſa fundamenti, eſt cauſa illius quod conſequitur, & inde reſultat:) *Sed liberum arbitrium eſt cauſa peccati, cujus Deus eſt cauſa*, & ipſa entitas actus pravi ad quam Deus movet, eſt fundamentum pravitatis, & malitiæ, quæ conſequitur. *Ergo Deus eſt cauſa peccati*. Reſpondet autem huic argumento: *quòd ſi aliquid procedit à cauſato non ſecundùm quòd eſt cauſatũ, hoc non oportet in cauſam reduci, ſicut motus tibiæ cauſatur à virtute motiva animalis, quæ tibiã movet, ſed obliquitas ambulationis non provenit à tibia ſecundùm quòd eſt mota à virtute motiva, ſed ſecundùm quòd deficit à ſuſcipiendo influxum motivæ virtutis, per ſuum defectum; & ideò claudicatio non cauſatur à virtute motiva. Sic ergo peccatum cauſatur à libero arbitrio ſecundùm quòd deficit à Deo. Unde non oportet quòd Deus ſit cauſa peccati*. Et pari ratione pravitas, & deformitas, quæ reperitur in actu, ipſaque privatio rectitudinis, non conſequitur naturam, & entitatem actûs, ut Deus ad eam movet; ſed conſequitur entitatẽ actûs ut eam voluntas prava inflectit, & invertit. Divina enim motio ſiſtit in ordine phyſico, & in ſola cauſalitate, & efficientia entitatis, quæ in omni actu phyſico reperitur, in quo ordine, & efficientia nullus eſſe poteſt defectus, nullaq; pravitas; cùm defectus ſit privatio, & carentia entis, & pravitas ſit carentia rectitudinis; nec à Deo qui plenitudinem entis habet, & prima eſt regula, quidquam non rectum, & non perfectum oriri poſſit. Quare & defectus, & pravitas oriuntur à voluntate, quæ ab ordine phyſico ad ordinem moralem tranſit, & entitati actûs pravitatem, & privationem rectitudinis ſuperaddit.

Octavò. Neque demùm dici poteſt Deum ideò quia movet ad actionis entitatem, velle ipſum hominis peccatum; cùm illud ſolùm velit quod efficit: & quamvis utrumque junctum ſit, entitas ſcilicèt actûs ſubſtrata malitiæ, ipſaque deformitas, & pravitas actui ſuperaddita; nec ſeparari unquàm poſſint, ut à voluntate oriuntur: non ideò tamen, cùm Deus movet ad ipſam actûs entitatem, dicendus eſt velle ipſam deformitatem; velle, inquam, voluntate efficiente, quamvis dubium non ſit velle voluntate permittente. Vult equidem Deus ipſam entitatem actûs quam efficit, vult quamcùmque entitatem, & naturam actûs, quæ motionem conſequitur; permittit verò deformitatem, & ipſam pravitatem ſeu actum ut habet adjunctam privationem rectitudinis moralis, & conformitatis ad legem, ſub qua ratione à ſola voluntate oritur, non ut ſubjicitur divinæ motioni, ſed ut ab ea ſe ſubtrahit, & ab ea recedit, ut eſt principium deficiens, cujus defectũ Deus impedire nec tenetur, nec debet, aut poteſt, ſalvo ordine rerum ſtatuto. Et quamvis Deus velit una ex parte, voluntatem agere, & aliunde prohibeat, & puniat ipſam deformitatem; non ideò tamen dicendus eſt velle aliquid impoſſibile, ſcilicèt entitatem actûs ſine deformitate; quæ tamen duo, ut à voluntate oriuntur, ſeparari nunquàm poſſunt. Vellet equidem Deus aliquid impoſſibile, ſi vellet ſolùm ipſam entitatem actûs peccaminoſi, neque ejus deformitatem permitteret; ſeu vellet, ut voluntas dumtaxàt ageret, ut principium efficiens, non ut principiũ deficiens. Sed cùm alterum, & velit & efficiat, alterũ verò permittat, dici nõ poteſt Deum velle impoſſibile.

Nonò. Sed demùm horum omnium radix eſt univerſale hoc principiũ quod explicat S. Thomas in eo articulo quem exſcripſimus ex quæſt. 3. de malo ubi ſic inquit. *Cùm aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendam motionem primi moventis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi moventis: ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id quod eſt ibi actionis reducitur ad primum movẽs ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de defectu non reducitur in primũ movens ſicut in cauſam, quia talis defectus conſequitur in actione, ex eo quòd agens deficit ab ordine primi moventis*. Hæc Divus Thomas, quæ multis exemplis illuſtrat, & quæ ſi rectè expendantur, nulla poteſt ſupereſſe difficultas. Unde quidam non malè obſervat, argumentum quod conficiunt Adverſarii; Deus eſt cauſa entitatis peccati, entitas eſt cauſa malitiæ: Ergo Deus erit cauſa malitiæ: ſimillimum eſſe huic argumento fallaci: Hic canis eſt tuus; hic canis eſt pater: Ergo hic canis eſt pater tuus. Fallacia enim eſt quòd ſumitur pro cauſa illud quod reipsà cauſa nõ eſt: At verò entitas actûs, ut divinæ motioni ſubjicitur, non eſt deformitatis cauſa, ſed tota reducitur in ſolam pravam hominis voluntatem,

quæ ab ea Dei motione deflectit, seque ab illa subtrahit: ut illud semper verissimum sit, *Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxiliū tuum.*

Hæc omnia in antecessum observare libuit, & priusquàm argumenta quæ sibi objicit, & solvit D. Thomas referremus. Sed audiendus jam est ipse D. Thomas: & quod alibi sepiùs animadvertimus, hìc etiam animadverti velim; nùm hæc eadem argumenta, quæ sibi objicit Sanctus Thomas eadem sint quæ nobis objiciunt Adversarii: nùm iisdem solutionibus ea à S. Thoma diluantur quibus à nobis diluuntur. Hæc sanè mira doctrinæ consensio, verissima est demonstratio, nec Mathematicæ inferior, quæ probat unam eandemque esse, & Magistri, & Discipulorum sententiam.

ARTICULUS XVII.

Referuntur argumenta quæ sibi objicit & solvit D. Thomas.

OBjicit itaque sibi in primis D. Thomas par. 1. quæst. 105. art. 4. nu. 3. *Motus magìs attribuitur moventi quàm mobili, unde homicidiū non attribuitur lapidi, sed projicienti: Si igitur Deus moveat voluntatem, sequitur quòd opera voluntaria non imputentur homini ad meritum, vel demeritum*, sed utrumque Deo sit tribuendū: *hoc autem est falsum: non igitur Deus movet voluntatem.* Hoc primum argumentum est, quo impeti solet à recentioribus motio physica ea parte qua movet ad entitatem substratam malitiæ peccati.

Respondet D. Thomas, & summa solutionis hæc est. Motus magìs tribuitur moventi quàm mobili inanimato, & quod seipsum non movet Concedo: quàm mobili animato quod seipsum movet: nego. Vel etiam motus magìs tribuitur moventi quàm mobili: quantùm ad illud quod est perfectionis in motu, Concedo: quantum ad illud quod habet defectus. Nego. hęc ferè Divus Thomas. *Dicendum*, inquit, *quòd si voluntas ita moveretur ab alio scilicèt Deo, quòd ex se nullatenus moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: sed quia per hoc quòd moveretur ab alio, non excluditur quin moveatur ex se: Ideò per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Hæc ibi. Et expende iterum, cur necesse fuerat quòd D. Thomas ista distingueret nisi existimasset voluntatem prævìè à Deo moveri. Multò enim expeditior fuisset solutio si negasset quòd Deus prævìè, & physicè seu per modum causæ efficientis moveat voluntatem: aut respondisset non alium esse concursum Dei nisi simultaneum, ex quo nulla ratione potest colligi peccatum in Deum esse referendum. Aliter tamen respondet Divus Thomas, quia aliter sentit. Et rectè quidem distinguit. Cùm enim voluntas creata etiam sub ipsa Divina motione se moveat, ut sæpè dictum est supra; inde fit quòd in ipsam voluntatem non minùs demeritū quàm meritum refundatur. Idque duplici ratione D. Thomæ, duplicique principio, quod jam sæpius retulimus. Primò quia ut ex D. Dionysio refert, ad divinam providentiam pertinet ut res omnes juxtà earum conditionem regat, & ut inquit 2. Thoma 3. cont. gent. cap. 71. *Optimum in gubernatione qualibet est, ut rebus gubernatis secundùm modum suum provideatur. In hoc enim regiminis justitia consistit. Sicut enim esset contra rationem humani regiminis, si impedirentur à gubernatore civitatis homines agere secundùm sua officia, nisi fortè quandoque ad horam propter aliquam necessitatem; ita esset contra rationem divini regiminis, si non sineret res creatas agere secundùm modum proprię naturę. Ex hoc autem quòd creaturæ sic agunt, sequitur malum in rebus.* Unde cum res agunt, Deus quidem eas movet, quòd proprium sit Dei gubernantis officium res omnes ad suos actus permovere, & ad finem dirigere: sed sinit ipse etiā res omnes sua officia peragere; unde oritur, voluntatem meriti, & demeriti capacem, mereri aliquando, & aliquando demereri.

Altera verò ratio est, quòd quoties causa universalior, & superior cum inferiori concurrit, toties quidquid imperfectionis est in effectu, reducitur in causam proximam: quod verò perfectionis in causam superiorem: Unde inquit D. Thomas ibidem 2. contra gent. cap. 71. *Divina gubernatio qua Deus operatur in rebus, non excludit operationem causarum secundarum, sicut etiam ostensum est. Contingit autem provenire defectum in effectu propter defectum causę secundę agentis, absque eo quòd sit defectus in primò agente; sicut cum in effectu artificis habentis perfectè artem, contingit aliquis defectus propter instrumēti defectum; & sicut hominem cujus vis motiva est fortis, contingit claudicare, non propter defectum virtutis motivę, sed propter tibiæ curvitatem. Contingit igitur in his quæ aguntur, & gubernantur à Deo aliquem defectum, & aliquod malum inveniri propter defectum secundorum agentium, licèt in Deo nullus sit defectus.* Qua ratione dictum est supra, quòd quoties causa superior inferiorem movet, contingentia refunditur in proximam causam: quod multò verius est de voluntatis malitia cum sit mera privatio aut privatione omnino compleatur; quam ea ratione D. Thomas ex D. Augustino comparat silentio, & tenebris, ut probet merum esse defectum, & puram privationem, ad quam divina causalitas pertingere non possit, cùm rationes dumtaxàt entis efficiat. Sed

Instaurant argumentum: non potest non esse causa peccati, qui voluntatem in ipsum peccatum, actumque peccati inclinat: Atqui si Deus moveret hominem ad entitatem peccati, etiam & voluntatem ipsam inclinaret: Ergo. Verùm & hoc argumentum sibi D. Thomas objecerat quæstione 3. de malo art. 1. ubi inquirit, *Utrùm Deus sit causa peccati?* Ita enim num. 6. sibi objicit. *Qui voluntatem suam vel alterius ad malū inclinat, est causa pecca-*

peccati, puta ſi homo faciendo eleemoſinam inclinat voluntatem ſuam, ut intendat inanem gloriam: Sed Deus inclinat voluntatem in malum, ut dictū eſt: nimirùm in primo argumento, quòd ſibi obje-cerat, ex illo ad Romanos primo, *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant, quæ non conveniunt*: ubi inquit addi ex gloſſa D. Auguſtini ſumpta ex libro de gratia, & libero arbitrio cap. 21. *Manifeſtum eſt, Deum operari in cordibus hominum inclinando voluntatem eorum in quodcumque voluerit, ſive ad bonum, ſive ad malū: Ergo.*

Verùm cùm ibi D. Thomas de peccato, qua peccatum eſt agat, & ut malitia quædam eſt, & averſio à Deo; Reſpondet: quòd *Deus non inclinat voluntatem ad malum agendo, vel movendo, ſed gratiam non apponendo, ut dictum eſt*, ſcilicèt in Reſponſione ad primum argumentum, ubi inquit: quòd *Deus dicitur tradere aliquos in reprobum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo vel movendo, ſed potiùs deſerendo, vel non impediendo: ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa caſûs illius: ita autem Deus juſto judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præſtat ne cadant*: de quo infrà multa dicenda ſunt.

Verùm cùm in ipſo peccato actio quædam ſit, & quædam entitas actûs, ad quam Deus movet voluntatem, ut probat D. Thomas in dicta qu. 3. art. 2. immediatè ſequenti, quia, inquit, *Auguſtinus dicit Tertio de Trinitate quòd voluntas Dei eſt cauſa omnium ſpecierum, & motionum: ſed actus peccati eſt quidam motus liberi arbitrii: Ergo eſt à Deo*: quod deinde probat duplici ratione: in primis: *quia cùm ipſe Deus ſit ens per eſſentiam, oportet quòd omne quòd quocumque modo eſt, derivetur ab ipſo: ſicut omnia ignita derivantur ab eo quod eſt per eſſentiam ignis*. Deinde, *ratione ſpeciali: neceſſe eſt enim omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari à primo movente, ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſantur à motu Cœli &c.* Inde fit ut D. Thomas eodem articulo ſecundo ſequenti, Reſpondeat, quòd Deus non inclinat voluntatem in peccatum *ſecundùm quòd eſt in genere naturæ*. Unde in forma argumentum ſuprà objectum ita diluendum eſt: Quiſquis voluntatem in peccatum inclinat ut peccatum eſt, & à Deo averſio hominiſque malitia, eſt cauſa peccati, Concedendum eſt: quiſquis inclinat in peccatum, ut actio quædam eſt in genere naturæ, & quantùm ad entitatem ſolam actûs, eſt cauſa peccati, Negandum eſt. At verò hôc ſolummodò pacto Deus hominis voluntatem inclinat aut movet in ſolam actionem, & entitatem peccati, non verò in ipſam malitiam.

Verùm ex ea reſponſione prævidit D. Thomas inferendum fore aliquando, non poſſe Deum eſſe cauſam entitatis peccati, niſi & ipſius malitiæ cauſa ſit, cui ſubſtantia actûs ſubſternitur. Unde & eâdem quæſt. 3. de malo art. 2. & expreſſiùs in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. ita ſibi objicit: *Quidquid eſt cauſa actionis in qua deformitas fundatur ſecūdùm quam actio mala dicitur, eſt movens, & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum niſi ſecundùm quòd talem actionem producit*: Atquì in ea entitate actûs fundatur ipſa deformitas ipſaque malitia ſecundùm quam actio dicitur mala: Ergo ſi Deus hanc entitatem actûs efficiat, etiam & ipſius peccati cauſa eſt. An verò non illud idem argumentum eſt, quod nobis à Recentioribus objicitur, quodque motionibus præviis omninò adverſari arbitrantur. Reſpondet tamen D. Thomas, nec negat Deum inclinare, & movere voluntatē ad actionem ut eſt in genere naturæ, neque recurrit ad ſimultaneum concurſum: ſed reſpodet, quòd *Illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem ſecundùm quòd actio deformitati ſubſtat unde mala eſt: hoc autem Deo non convenit, & ideò non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit in qua malum conſiſtit, ſecundùm quòd influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt*. En ipſam diſcipulorum D. Thomæ ſolutionem ipſius terminis conceptam. Quidquid cauſa eſt entitatis actûs, ſeu materialis in quo malitia ipſa fundatur, non poteſt non eſſe cauſa ipſius malitiæ: Diſtinguunt; ſi ſit cauſa materialis, & fundamenti formaliter, & qua fundamentum eſt, ſeu ut inquit D. Thomas *ſecundùm quòd deformitati ſubſtat*; Concedunt: Si cauſa ſit materialis, & fundamenti ſolùm materialiter ſumpti, & quātùm ad ſolam entitatem, negant: At verò hac dumtaxàt ratione Deus eſt cauſa fundamenti ipſius deformitatis, qua ſolùm, & præcisè eſt quædam entitas actûs: cujus rationē addit D. Thomas, *quia influit ipſum agere, & quidquid perfectionis eſt in agente*. Secùs verò quod ad defectum, & imperfectionem pertinet, cujuſmodi eſt entitas actûs ut ſubſtat deformitati peccati, ſeu ut formaliter deformitatis, & malitiæ fundamentum eſt: hac enim ratione non poteſt non ad defectum, & ſummam creatæ voluntatis imperfectionem pertinere. Et ſanè quid aliud de ſimultaneo concurſu reſponderi poſſet. Deum concurrere ad eos actus ut ſunt in genere naturæ negari non poteſt. Cur verò non efficiat ipſam malitiam? Nimirùm quia hæc duo diſtinguenda ſunt, atque unum ſine altero effici nihil vetat.

Sed hęc fuſiùs proſequitur D. Thomas in corpore articuli, & tùm ſolida ratione, tùm etiam aptiſſimo exemplo illuſtrat, ita verò habet. *Dicendum, quòd actus in quantùm actus, à Deo eſt: & ut ſic non habet aliquid quod deformitatē habeat. Quod qualiter ſit, ita conſiderari poteſt. In omnibus enim in quibus incidit defectus ex cauſa ſecunda, & non ex cauſa prima, oportet quòd quidquid eſt in effectu deficiente, eſſentiæ & bonitatis, totum à prima procedat; quod autem defectus reducatur in cauſam ſecundam deficientē, ut patet in claudicatione, quæ eſt à virtute greſſiva, mediāte tibia; per cujus ſcilicèt tibiæ curvitatē obliquitas in greſſu claudicātis relinquitur. Unde quidquid eſt ibi de greſſu, totū eſt à virtute greſſiva, ſed defectus vel obliquitas greſſūs nō eſt à virtute greſſiva, ſed tibiā tantùm. Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatē creatam, ſicut cau-*

ſæ primę ad cauſam ſecundam : ideò ex parte Dei nullus defectus incidere poteſt . Voluntas autē creata ad defectum poſſibilis eſt : & ideò quidquid eſt in actu deficiente , ſcilicèt in peccato , de ratione actûs, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, ſcilicèt Deo, procedit mediante voluntate : ſed ipſe defectus, qui eſt in actu , hoc modo eſt à voluntate , quòd à Deo non procedit . Et ideò quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſive in generali ſive in ſpeciali , non poteſt dici quòd hoc à Deo ſit ſimpliciter : unde non poteſt dici abſolutè , quòd peccatum ſit à Deo , ut homicidium , aut aliquid hujuſmodi ; niſi cum additione , in quantùm eſt actus, & in quantùm eſt ens . Hæc D. Thomas, quibus ſanè nihil addi poteſt : quis enim dubitet obliquitatem, & defectum greſsûs, qui in claudicatione contingit , ex ſola curvitate tibiæ oriri , non verò ex influxu, & motione animæ;cùm motus phyſicus animæ illud ſolum efficere poſſit , quod phyſicum eſt in motu tibiæ, ſecûs verò quod dumtaxàt defectus quidam eſt , & mera privatio , cujuſmodi eſt curvitas, quæ eſt rectitudinis privatio : Ergo & pari ratione phyſica Dei motio illud dumtaxàt efficiet in actione hominis peccaminoſa , quod phyſicum eſt , ſecûs verò quod eſt defectus quidam & privatio , aut ſaltem privatione completur , cujuſmodi eſt malitia . Sed

Inſtant prætereà : Non ſolùm peccati malitia cum entitate phyſica actûs conjuncta eſt , ſed etiam ipſa peccati malitia entitas quædam phyſica eſt , cùm ex communi ſententia peccatum forà maliter ſumptum in aliquo poſitivo , ſcilicèt in tendentia actuali , & poſitiva ad objectum diſſonum legi repoſitum ſit , & non in ſola privatione:Ergo ſi Deus cauſa ſit cujuſque entitatis poſitivæ, & phyſicæ , non poteſt non eſſe cauſa peccati formaliter ſumpti , id eſt malitiæ peccati .

Reſpondeo , nullam difficultatem majorem addi . Eſto enim ita ſit , peccatum formaliter ſumptum, ſeu peccati malitiam in entitate phyſica repoſitam eſſe , quod probabilius exiſtimo, & expreſſa D.Thomæ ſententia videtur,quæſt. 2. de peccatis art.11.ad 12.ubi inquit : Dicendum,*quod peccatum non eſt privatio pura, ſicut tenebræ , ſed eſt aliquid poſitivè ; & ideò ſe habet ut obſtaculum quoddam gratię* . Attamen non poteſt non reperiri in ipſo peccato aliqua privatio , quæ ſi deeſſet , nullum eſſet peccatum . Nec enim ſola converſio , & tendentia ad objectum , v. g. delectabile , qualis eſſe poſſet in amente, peccatum efficit , niſi adſit etiam averſio ab incommutabili bono , qualis eſt in homine rationis compote,qui ſponte, & præter , & contra rationis , & prudentiæ regulas , & præter ipſam legem in delectabile prohibitum fertur . Unde dicitur peccatum eſſe cùm voluntas ad objectum diſſonū legi tendit ac fertur ; quę diſſonantia ſicut,& averſio & regularū rationis,& prudentię prętermiſſio, privatio quędā eſt ; quâ privatione ita completur peccatum,ut quamvis alioquin tota entitas ſit , quæ peccatum conſtituere poſſet , qualis eſt, ut diximus, in amente, dum in delectabile prohibitum fertur, & in milite qui authoritate publica hoſtem , & ferit & interficit; niſi adſit ea privatio legis , nullum peccatum eſt . Atque inde fit , quòd etiam in peccato formaliter ſumpto,ſive in ipſa peccati malitia poſitiva, & phyſica, duo diſtingui poſſint,& omninò debeant; alterum eſt poſitivū materialiter ſumptum, alterum eſt illud idem poſitivum formaliter ſumptum , ſive ut eſt fundamentum illius privationis. At verò poſitivum illud formaliter ſumptum ſive ut eſt fundamentum privationis , non poteſt ab alia cauſa effici , niſi ab ea cauſa à qua eſt ipſa privatio , quam cauſam conſtat eſſe voluntatem,& quidem ut principium deficiens;cùm omnem defectum in ſimilem cauſam referre neceſſe ſit : nunquàm verò oriri poteſt à Divina motione , quæ cùm ſit vis quædam divinæ omnipotentiæ, illud dumtaxàt efficit , quod phyſicum eſt , & ut phyſicum eſt , non verò quod eſt mera privatio , quæ ſolùm à deficiente cauſa oriri poteſt , id eſt à cauſa , cui aliqua perfectio deeſt , & cui adjuncta eſt quædam veluti privatio , & carentia perfectionis .

Ex quo fit, argumentum ſuprà poſitum ita facilè,& nullo negotio poſſe dilui.Etiam ipſa malitia eſt quædam entitas phyſica quæ habet adjunctam privationem , Concedo : ſecluſa privatione: Nego . Ergo ſi Deus ſit cauſa cujuslibet entitatis phyſicæ , erit cauſa ipſius malitiæ , eodem modo eſt Diſtinguendum : Si ſit cauſa entitatis ut habet adjunctam privationem , ſeu ut loquitur D. Thomas, *ſecundùm quod ſubſtat deformitati*; Concedo . Secus ; Nego . Atque id poteſt exemplo ſatìs apto explicari , & comparatione peccati originalis , ſicut etiam ipſum originale peccatum explicat D. Thomas quæſt.4. de malo art. 2. comparatione peccati actualis . Poſſunt enim in peccato originali , duo diſtingui , ut docet Divus Thomas, tum eo loco , tum etiam 1. 2. alterum quod materiale eſt , ſcilicèt concupiſcentia ſeu concupiſcendi vis : alterum verò quod eſt formale , ſcilicèt privatio originalis juſtitiæ . At verò conſtat concupiſcendi vim ſecundùm ſe ſumptam præcisè , & ut eſt pars hominis ; eſſe à Deo & poſt baptiſmum in homine regenerato & fideli remanere , neque omninò peccatum eſſe : ut verò habet adjunctam privationem originalis juſtitiæ , & malam eſſe , neque ulla ratione poſſe eſſe à Deo , ſed eſſe ſolùm à ſimili principio in quo eadem eſt privatio originalis juſtitię, ſcilicèt Adamo . Ita verò de actuali peccato dicendum eſt . In ipſa etiam malitia duo diſtinguenda ſunt : alterum eſt ipſa entitas phyſica , alterum eſt eadem entitas phyſica, ut habet adjunctam rectitudinis , & ordinis ad legem , ipſiuſque gratiæ privationem . Primùm eſt à Deo ut cauſa efficiente: alterum eſt à voluntate ut cauſa deficiente , ut ſupra dictum eſt . Sed iterùm

Inſtant: Quòd tendit,inquiunt,commune illud à Philoſophis uſurpatum principium: *Quod eſt cauſa cauſæ , eſt cauſa cauſati* : niſi etiam & illud innuat , quod eſt cauſa fundamenti , ex quo effectus quicùmque oritur , ſeu relatio ſeu privatio

quæ-

quædam ſit, etiam eſſe cauſam hujus relationis, ac privationis? Atquì ſi Deus ad entitatem actionis peccaminoſæ moveret, non poſſet non eſſe cauſa illius entitatis, quæ eſt fundamentum malitiæ, & privationis quæ in peccato reperitur: Ergo eſſet & cauſa ipſius malitiæ formaliter ſumptæ, ſeu ipſius privationis rectitudinis & gratiæ. Sed & hoc ipſum argumentum, ut ſuperiori articulo retulimus, D. Thomas ſibi objecerat q. 3. de Malo art. 1. num. 4. *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: Sed liberum arbitrium eſt cauſa peccati,* (& entitas actûs eſt fundamentum privationis ac malitiæ) *cujus cauſa eſt Deus: Ergo Deus eſt cauſa peccati.* Reſpondet D. Thomas eâdem ſolutione: neque enim alia unquàm eſſe poteſt, quam etiam explicat eodem exemplo tibiæ curvę, quo nullum opportunius reperire eſt. *Ad quartum dicendum, quòd effectus cauſati in quantùm eſt cauſatum, reducitur in cauſam. Si autem aliquid procedat à cauſato, non ſecundùm quòd eſt cauſatum, hoc non oportet in cauſam reduci: ſicut motus tibiæ cauſatur à virtute motiva animalis, quæ tibiam movet; ſed obliquitas ambulationis non provenit à tibia ſecundùm quòd eſt mota à virtute motiva, ſed ſecundùm quòd deficit à ſuſcipiędo influxum motivę virtutis per ſuum defectum.* Vide cętera articulo ſuperiori. Hęc D. Thomas; quibus etiam novum exemplum refert quo rem omnem explicare promptiſſimum eſt. Pręter enim exemplum tibiæ, præter alterum ex concupiſcentia deſumptum, idem de ipſo libero arbitrio ipſaque hominis voluntate ut ad malum tendit, & arbor mala eſt, dicendum, ac de ipſo voluntatis actu, ſervata proportione, qui hujus arboris malæ fructus eſt; unde liberum arbitrium, & voluntatem, & naturam vituperabant olìm Manichęi, quòd eſſet cauſa peccati. Indè igitur in libero arbitrio peccatum contingit, quòd pręter regulam rationis vel legis divinę aliquid vel concupiſcat, vel agat: ſicut, inquit D. Thomas q. 1. de Malo art. 3. *Artifex peccat ex hoc quòd non habens regulam procedit ad incidendum: ſimiliter etiam culpa voluntatis eſt, ex hoc quòd non habens regulam rationis, vel legis divinæ procedit ad eligendum. Et indè eſt quòd Auguſtinus dicit* 12. *de Civitate Dei, quòd voluntas eſt cauſa peccati, in quantùm eſt deficiens; ſed illum defectum compatat ſilentio, vel tenebris, quia ſcilicèt defectus ille eſt ſola negatio.* At verò Deus equidem cauſa eſt liberi arbitrii, & voluntatis ut ſuos motus habet, & ut concupiſcit, & ut agit; non tamen ut agit ſine rationis, vel legis æternæ regula: hujus enim defectûs non alia cauſa quęrenda eſt niſi ipſa voluntas, ut eſt deficiens: *Hujus enim,* inquit D. Thomas ibidem, *quòd eſt, non uti regulâ prædictâ, non oportet aliquam cauſam quærere, quia ad hoc ſufficit ipſa libertas voluntatis, per quam poteſt agere, & non agere,* ſeu à ſuo fine regulaque deficere. Neq; enim defectûs cauſa quęrenda eſt niſi deficiens: quia ut ibidem fusè explicat D. Thomas, defectûs, & mali, tum in naturalibus, tum etiam in voluntariis, nulla eſt cauſa per ſe, ſed ſolùm per accidens. *Manifeſtum eſt enim quòd delectabile ſecundùm ſenſum movet voluntatem adulteri, & afficit eum ad delectandum tali delectatione, quæ excludit ordinem rationis, & legis divinę quod eſt malum morale*: quod equidem eſt præter intentionem adulteri, quia nemo intendens ad malum operatur, & dumtaxàt per accidens conſequitur: ſicut etiam præter intentionem eſt, inquit, 3. contra Gent. c. 6. *In eo qui intendit dulcedine vini frui, ſi ex potatione vini ſequatur ebrietas.* Unde referente D. Thoma ibidem quæſt. 1. de Malo ad 14. ex D. Dionyſ. 4. cap. de Divinis Nominibus. *Malum non ſolùm eſt præter intentionem, ſed etiam præter viam, quia motus,* addit D. Thomas, *per ſe non terminatur ad malum,* eâ ſcilicèt ratione quòd non habeat cauſam per ſe. Quod verò de voluntate liberoque arbitrio diximus, & apertiùs forſitan eſt, cùm nemo dubitet eſſe à Deo productam; de ipſa etiam voluntatis actione prava dicendum eſt. Quidquid igitur entitatis in ea actione reperire eſt, in divinam motionem, & Deum moventem referri oportet: at verò quidquid eſt defectûs, malitiæ, averſionis, & privationis, non aliam cauſam habet præter ipſam voluntatem, ut eſt principium deficiens: *In voluntariis,* inquit Divus Thomas ibidem ad 6. *cauſa mali quod eſt peccatum, eſt voluntas deficiens, nec hujuſmodi defectûs oportet aliam cauſam quærere.*

Idem argumentum objicit ſibi D. Thomas in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 1. ubi aliquid addit ſcitu digniſſimum. Objicit itaque ſibi. *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: ſed peccati cauſa eſt voluntas peccantis: cùm igitur volùtatis cauſa ſit Deus, videtur quòd & peccati.* Reſpondet verò D. Thomas, *Dicendum quòd peccatum refertur in voluntatem ſicut in cauſam: & quamvìs volùtas creata ſit à Deo in quantùm eſt quoddam ens, non tamen quantùm ad hoc quòd defectus ex ipſa incidere poteſt: eſt enim poſſibilis ad defectum ex hoc quod ex nihilo eſt. Quamvìs autem Deus ſit cauſa voluntatis faciēs eā ex nihilo, hoc tamen quod eſt ex nihilo eſſe, non habet ab alio ſed à ſe: unde ſecundùm ſe non habet aliam cauſam; & ideò defectus qui ſequitur ex ea ſecundùm quòd ex nihilo eſt, non oportet quòd in ulteriorem cauſam reducatur.* Hęc D. Thomas. Egregia ſanè ſolutio, & quâ difficultates omnes, quæ hìc excitari unquàm poſſunt, omninò profligantur. Si quis quęrat igitur, unde malitia, quâ malitia eſt, oriatur? Viciſsìm ipſe quæram: unde voluntas deficiens, quâ deficiens eſt, ortum habet. Quid verò reſponderi poteſt, niſi ex nihilo? Ut enim inquit D. Auguſtinus operis ultimi contra Julian. lib. 5. c. 135. *Angelum vel hominem peccare nulla res compulit; ſed liberâ voluntate peccarunt: quod & nolle poſſent, quia non cogebantur ut vellent: & tamen velle non poſſent, ſi de Deo naturam haberent, non de nihilo facti eſſent.* Indè igitur tanquàm à prima origine, & abyſſo magna, malum omne derivatur: quia voluntas ex nihilo eſt, deficiens eſt: quia deficiens eſt, mala eſt: & niſi ab eo qui verè eſt, & ſumma bonitas eſt, perpetuò juvetur, ſemper mala eſt. Igi-

tur,

tur, quod est causa causæ, ut formaliter causa est, est etiam causa causati: at verò Deus equidem est causa entitatis peccati: sed non ut ea entitas est causa seu fundamentum ipsius privationis, quâ malitia ita completur, ut si ea desit, nulla malitia nullumque peccatum sit, sed hujus entitatis, ut est causa, & fundamentum privationis quâ malitia completur, sola voluntas causa est, & voluntas etiam non ut est à Deo, sed ut ex nihilo est. Attamen

Urgent iterùm, augentq; vim hujus argumenti: quia non alio modo imputari homini peccatum potest, nisi quatenùs malitiæ fundamentum ponit, id est, quatenùs actionem efficit, cui malitia conjuncta est, cùm alioquin etiam eam malitiam directè nec velit nec efficiat: quia ut mox diximus, malum non solùm est *præter intentionem*, sed etiam *præter viam*: Atquì etiam, si Deus ad materiale peccati, & ad actionem, & entitatem peccati moveat, efficiet actionem cui malitia conjuncta est: Ergo. Verùm & hoc ipsum argumentum ex D. Thoma depromptum est, q.3. de Malo art. 2. *Homo*, inquit, *non dicitur esse causa peccati, nisi quia est causa actionis peccati: nihil enim ad malum intendens operatur, ut Dionysius dicit 4. cap. de Divinis Nominibus: Ergo si Deus sit causa actionis peccati, erit etiam causa peccati.*

Respondet D. Thomas. *Dicendum, quòd homo qui peccat, licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadit sub voluntate peccantis, dum scilicèt magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu cessare: sed deformitas peccati nullo modo cadit sub voluntate divina, sed consequitur ex hoc quòd liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.* Observanda omninò hęc postrema verba: *Peccatum cõsequitur ex hoc quòd liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.* Tantùm igitur abest ut peccati malitia cõjuncta sit cum actu, ut oritur à divina motione voluntatem creatam movente, sive ut oritur à creata voluntate quatenùs divinę motioni subjicitur: ut è contra ideò ea malitia conjuncta sit cum actu voluntatis creatæ, quia voluntas creata recedit ab ordine divinę voluntatis, & rectitudine divinæ motionis: sicut de obliquitate motûs dictum est supra, quæ accidit ex eo quòd se se tibia suâ curvitate subducat à rectitudine motûs animæ, aut eam rectitudinem motûs suâ curvitate impediat. Sed cùm ea doctrina sũmoperè necessaria sit in hac de qua agimus de motione physicâ quęstióne: revocanda sunt in memoriam quæ superiori articulo ex D. Thoma retulimus eadem q.3. de Malo art.2. *Quòd cùm Deus sit primum principium motionis omnium; quædam sic moventur ab ipso, quòd etiam ipsa seipsa moveant; sicut quę habent liberum arbitrium: quę si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiẽdum motionem, quâ moventur à Deo, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam: si autem deficiant à debito ordine, sequetur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione, reducetur in Deum sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam, sed solùm liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur quòd actio peccati est à Deo, sed peccatum non est à Deo.* Hæc D. Thomas: quibus nihil solidius aut opportunius solvendę difficultati, de qua agitur, excogitari unquàm posse arbitror.

Indè igitur oritur, quòd malum morale, & peccati deformitas voluntati adscribatur, quòd scilicèt *recedat à debito ordine, neque sit in debita dispositione.* Unde cùm res v. g. ita constitutæ sunt, ut juxta communes divinæ providentiæ regulas voluntatem moveri necesse sit, neque Deus hunc ordinem mutare velit, & tamen voluntas in debita dispositione non sit, v. g. cùm voluntas pravo habitu velutì captiva tenetur, acciditque gravis tentatio quâ premitur: tunc Deus ex ea communi lege tenetur voluntatem movere ad entitatem actionis voluntatis dispositioni consentaneam. Et tunc quidquid est in actu perfectionis, & physicæ entitatis, in Deum reducitur; quidquid tamen, & malitiæ, & deformitatis, & defectûs est, in voluntatem, ut à debito ordine recedit, refunditur. Cur verò à debito ordine recedat, non alia causa quærenda est, ut diximus supra, nisi quia voluntas est principium deficiens, & eâ etiam ratione primum principium, si tanta infelicitas primi principii nomen mereri possit. Verùm

Urgent præterea, ex eo quòd sępiùs ipsa peccati deformitas ac malitia adeò connexa sit cum ipsa peccati entitate, ut planè separari repugnet; ut constat in his quę ex suo genere mala sunt, cujusmodi est actus odii Dei. Ergo planè repugnat, inquiunt, entitatem à Deo effici, & non effici ipsam deformitatem. Mirum sanè, nullum argumentum objici posse, quod à D. Thoma præoccupatum non fuerit, cùm etiam & hoc argumentum multò validiùs objiciat sibi D. Thomas locis superiùs citatis. Ita igitur objicit sibi q.3. de Malo art. 3. *Quidquid est causa alicujus, est causa ejus quod convenit ei secundùm rationem suæ speciei: sicut si aliquis sit causa Sortis, sequitur quòd sit causa hominis: sed quidam actus sunt qui ex sua specie habent quòd sint peccata: si ergo actio peccati sit à Deo, sequitur quòd peccatum sit à Deo.* Paulò fusiùs idem argumentum sibi objicit in 2.Sentent. dist.37. q.2.art.2. *Quod convenit alicui secundùm genus, & differentiam suam constitutivam, convenit ei per suam essentiam, quia essentia rei hoc significatur; sed quidam actus sunt qui ex genere suo mali sunt, & quidam qui ex differentia per quam in specie contrahuntur: ergo per essentiam mali sunt.* Et sic à Deo sunt quantùm ad suam entitatem, & secundùm rationem genericam, & specificam, sunt etiam à Deo quatenùs mali sunt.

Confirmat etiã hoc argumentũ ibidem D. Thomas: *Rei non assignatur causa efficiens secundùm quòd est in intellectu, sed secundùm quòd est in re; sed quidam actus sunt, in quibus illud quòd est de natura actûs, non potest separari à deformitate, nisi secundùm intellectum, quia benè fieri non possunt;*

Ergo

Ergo non cauſantur, niſi ſecundùm quòd fiant ſub illa deformitate: atque adeò ſi fiant à Deo reipsà, & ſecundùm entitatem & naturam actûs, neceſſe eſt fieri ſecundùm ipſam deformitatem. Non memini me reperiſſe unquàm validiùs objici hoc argumentum, quàm ſibi objecerit D. Thomas. Sed non erat cur vim argumenti minueret, & diſſimularet, quaſi parem difficultati ſolutionem non reperiret. Igitur

Reſpondet: q. 3. de Malo: *Dicendum, quòd deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actûs, ſecundùm quòd eſt in genere naturæ; ſic autem à Deo cauſatur: ſed conſequitur ſpeciem actûs ſecundùm quòd eſt moralis, proüt cauſatur ex libero arbitrio.* Recurrit ſemper eadem, & ex eodem principio repetita ſolutio. Quantumvìs enim ex ſua ratione generica, & ſpecifica, & atoma, ſuaque natura integra, actus mali ſint, diſtinguì tamen poteſt, & debet quod in ipſis phyſicum eſt, & in ordine naturæ, & quod in ipſis morale eſt, ut oritur à voluntate ſubjecta regulis morum, id eſt ſubjecta æternæ legi, quam tamen tranſgreditur. Eſt enim phyſicus ordo, ſicut & ipſa ratio entis, ut ex D. Thoma diximus alibi, primum ſubſtratum, cui cæteri ordines ſuperadduntur. Atque idem eſt quod diximus ſupra, diſtinguì poſſe in actibus etiam pravis fundamentum malitiæ formaliter, ut fundamentum eſt, & ut habet adjunctam privationem, & fundamentum malitiæ materialiter tantùm, & ut non habet adjunctam privationem. Neque enim, v. g. actus odii Dei ſecundùm eam rationem entis, quæ cæteris gradibus ſubſternitur, aut in iis includitur etiam, adjunctam habet privationem rectitudinis, quâ, ut diximus, formaliter malitia completur. Unde quantumvìs Deus efficiat rationem entis, quæ cum aliis gradibus velutì permiſcetur, & involvitur, immò & ipſos etiam omnes gradus, & generis, & ſpeciei imbibit quibus integrè conſtituitur malitia odii Dei; non efficit tamen hujus actus malitiam. Ut enim advertimus ſupra, ab eo ſolùm actus pravus producitur, ut eſt formaliter fundamentum privationis, à quo efficitur ipſa privatio, ea ratione quâ effici poteſt; quę à principio ſolùm deficiente, qualis eſt creata voluntas, dumtaxàt efficitur. At verò à Deo movente, & à phyſica motione hic actus efficitur, ut eſt fundamentum privationis materialiter ſolùm, ſeu quod idem planè eſt, ſecundùm entitatem pręcisè phyſicam, & ut eſt in ordine naturæ, & phyſico, & non ut eſt in ordine morali.

Ad primam confirmationem reſpõdet D. Thomas: *Quòd ipſa privatio quâ aliquod malum dicitur, non poteſt eſſe differentia, neque genus: ſed unuſquiſque actus ſpecificatur, & in genere ponitur per aliquid poſitivè dictum &c. ſed tamen poteſt conſequi privatio aliqua: & ideò quidam actus dicuntur mali ex genere.* Unde redit iterùm eadem ſolutio. Utraq; ratio tum generica tum ſpecifica etiam poſitiva eſt, & in ordine naturæ, habetque ſuam entitatem. At verò ſub ea ratione non minùs poteſt effici à Deo motione prævia, quàm concurſu ſimultaneo: concurſu enim ſimultaneo fieri, dubitari nulla ratione poteſt.

Ad alteram verò confirmationem reſpondet D. Thomas: *Dicendum, quòd actio quę peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantùm eſt actio, bonitate naturę; nõ propter hoc quòd aliquando inveniatur ſeparata à deformitate; ſed quia bonitas illa naturę deformitati ſubſtat: ita etiã Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis, in quantùm eſt actio, & non in quãtùm eſt deformis: non hoc modo, quòd actionem faciat à deformitate ſeparatam, ſed quia in actione deformitati conjuncta hoc quod eſt actionis facit, & quod eſt deformitatis non facit. Etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter cõjuncta ſint, non oportet ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi quãtùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cœcitatis, quæ ex naturæ defectu incidit.* Hæc ibi.

Ex quibus in forma ſic reſponderi poteſt. Inprimìs concedendo Majorem, ſcilicèt, res non efficitur ut eſt in intellectu, ſed ut reipsà eſt: ſed diſtinguenda eſt Minor: Sed quidam actus ſunt in quibus ipſa eorum natura ſeparari non poteſt à deformitate; Diſtinguendum eſt: Cùm attinguntur à voluntate creata ut principio deficiente, & cauſa particulari, & morali, Concedo: Ut attinguntur à Deo ut principio efficiente, & cauſa dumtaxàt phyſica, & univerſali, Nego. Et hujus rationem ſubjicit D. Thomas, quæ ſummè obſervanda eſt; nimirùm: *Etſi in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum*: Cujus ratio eſt, quòd nihil magìs præciſivum eſſe poſſit; quàm cauſalitas activa, & potentiæ, quæ ita circa objectum ſuum tota verſatur, ut nihil aliud attingat, & ut ita dixerim, nec videat, nec advertat; quantumvìs cum objecto conjunctum ſit. Ita enim, ut alicubì obſervat D. Thomas, quantumvìs in pomo v. g. hęc tria, color, ſapor, odor, conjuncta & permixta ſint, ut nulla arte ſejungi poſſint: ita tamen ea ſibi varii ſenſus invicem partiuntur, ut oculus colorem, guſtus ſaporem, & olfactus odorem percipiat; neque ullus alterius objectum ulla ratione uſurpet. Nam & oculus ad odorem, & ſaporem, ut ita dixerim, cęcus eſt; quòd nulla potentia nihil niſi ſuum objectum attingat. Similiter etiam quis ab oculo privato lumine cœcitatem, vel à tibiæ curvæ motu, & greſſu, obliquitatem ſejungat? Et tamen certum eſt, naturam eſſe cauſam oculi quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cœcitatis, & quidquid eſt motûs tibiæ cauſari à virtute motiva animalis, quæ tibiam movet; & obliquitatem motûs non provenire à tibia ut eſt mota à virtute motiva, ſed ut deficit à ſuſcipiendo influxum motivæ virtutis per ſuum defectum, ut ſupra à Divo Thoma dictum eſt. Quinimò adeò conſtans eſt ea potentiarum conditio, & ad ſuum objectum determinatio, ut etiam cùm objecta ita inter ſe connecțuntur, ut

dumta-

dumtaxàt penès implicitum, & explicitum distinguantur, quæ rationis distinctio omnium minima est; potentia tamen unum attingat, alterum non attingat: quod in objectis intellectus, & voluntatis adeò certum est, ut à nemine in dubium revocari possit. Quantumvis enim ens, verum, & bonum ita connectantur, quòd etiam se se invicem transcendant; attamen dumtaxàt ens efficitur, verum cognoscitur, bonum amatur; nec amari verum ut verum, nec cognosci bonum ut bonum, potest. Et quod etiam multò altius est, sufficit etiam ea quamvis minima omnium distinctio, ut in divinis natura communicetur, non communicetur relatio Paternitatis: quòd nimirùm certissimum principium sit, ex duobus quantumvis in se se connexis unum interdùm posse attingi, non alterum quod est velutì extra sphæram potentiæ vel causæ vel principii. Igitur & eadem ratione quamvis deformitas, & peccati malitia positiva sit, & in ipsa ratione generica, & specifica actus imbibita sit, fundetque eam privationem rectitudinis quâ peccatum completur; poterit tamen, & attingi, & effici à Deo quod physicum est: quamvis id quod morale est non efficiat. Atque ea solutione hæc difficultas tanta quanta esse potest omninò exhauritur. Sed tamen

Objiciunt prætereà: si Deus etiam ad entitatem peccati moveret; non minùs Deus dicendus esset causa actionis pravæ, quàm rectæ, neque minùs traditio Judæ quàm Petri confessio esset Dei opus, quod Tridentinum meritò ut hæreticum proscripsit. Cæterùm & hoc idem argumentum in Divo Thoma reperire poterant qui illud hujus Discipulis objiciunt. Ita enim in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. sibi objicit: *Bonarum actionum Deus non est author nisi secundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert: quâ determinatio operis ex libero arbitrio est, ut supra habitum est: si igitur Deus ipsarum actionum malarum in quantùm actiones sunt à potentia egredientes, causa esset, eodem modo dicendus esset author malarum actionum sicut est author bonarum.* Hæc ibi: Ubi obiter animadvertendum est quod inquit D. Thomas, *Deum POTENTIÆ AGENDI EFFICACIAM CONFERRE*: quod licèt objiciendo referat, concedit tamen, & ut certum omninò supponit, cùm alioquin nulla esset vis argumenti quod sibi objicit. At veri quòd expressiùs unquàm dici potuit, ad motionem physicam, seu virtutem quandam potentiam impressam ad agendum adstruendam. Quid enim aliud est physica motio, quàm uno verbo, *efficacia agendi* potentiæ collata? Nec verò intelligi potest, eam efficaciam agendi potentiæ collatam, esse simultaneum concursum, cùm in confesso sit apud omnes, concursum simultaneum in effectu, non in causa, & potentia receptum esset: at verò Divus Thomas *potentiæ agendi efficaciam conferri* inquit. Nec demùm etiam de ipsa virtute agendi in ipsa prima institutione naturæ collata intelligi potest: cùm ea virtus agendi non alia sit quàm ipsa potentia naturæ à Deo inserta, & ad agendum destinata, qualis est in igne calor, in natura intellectuali voluntas: unde & Recentiores quibus præmotio non probatur, non aliud est ad agendum requirunt præter ipsas potentias, & virtutes activas, ut supra retulimus; v. g. calorem in igne, voluntatem in homine, si tamen simultaneus concursus non desit: & tamen Divus Thomas clarissimè eam efficaciam agendi à potentia omnino distinguit, *Deus*, inquit, *POTENTIÆ AGENDI EFFICACIAM CONFERT*. Nec verò naturæ eam agendi efficaciam collatam esse inquit, quod de virtute agendi nativa intelligi nihil vetaret; sed inquit à Deo *potentiæ agendi efficaciam conferri*: quod certè nunquàm ita inflecti poterit, quæcumque vis adhibeatur, ut de sola virtute agendi naturæ potentia intelligatur. Et demùm etiam ex Divi Thomæ solutione liquet, eum intellexisse eam *potentiæ agenti efficaciam conferri* dum agat, & *ut agat*, quod nunquàm nisi de physica motione poterit intelligi. His igitur pauciissimis equidem verbis, sed quæ longissimis capitibus paria esse possent, naturam physicæ motionis Divus Thomas explicuit. Neque clarioribus unquàm explicari ipse vellem. Nihil enim aliud est *physica motio nisi efficacia agendi*, quam Deus potentiæ, & dum agit, & *ut agat*, confert. Hæc obiter, quæ fateor à me hactenùs observata non fuisse. Et sanè ea est in Divo Thoma doctrinæ ubertas planè inexhausta, ut quisquis in evolvendis hujus scriptis versatur, nova sibi perpetuò occurrere, & à se detegi, & observari anteà inexplorata fateatur. Iis etiam simillima sunt quæ habet in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. Utrùm in Deo sit liberum arbitrium: Ad tertium enim expressè inquit, quòd in libero arbitrio hoc modo agit, ut *virtutem agendi sibi ministret*. Eadem est hæc *virtus agendi*, ac *efficacia agendi*; nec magìs una quàm altera de simultaneo concursu intelligi unquàm poterit.

Respondet verò huic argumento D. Thomas: *Dicendum: quòd Deus dicitur causa bonarum operationum, non solùm quantùm ad essentiam actûs, sed etiam quantùm ad perfectionem, secundùm quam bonæ dicuntur. Utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut bona agat: sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantùm ad essentiam; non tamen est quantùm ad defectum. Et ideò absolutè dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.* Apertior est solutio quàm ut explicatione egeat. Observanda tamen sunt ea verba, quòd Deus *influit agenti ut agat*, & quidem in ordine physico, de eo enim sermo est: impossibile enim est, ea unquàm ullo germano, & legitimo sensu explicare, nisi significent, & veram antecessionem, veram efficientiam, id est veram motionem, & prævìam, & physicam.

Hæc satìs de eo argumento quod adversùs motiones prævias physicas objici solet: atque in his omnibus quæ fusè satìs retulimus, unum ab erudito Lectore observari velim, quod in me demon-

demonstrandum suscepera m: nùm scilicèt verissimum sit, quæcunque fermè adversæ sententiæ authores affirmant, & nostræ scholæ objiciunt; ipse D. Thomas sibi etiam objecerit tanquàm suę sententiæ vehementer adversa. Unde non est quòd recentiores existiment se novum aliquid, quo antiquam de physica motione sententiam dejicerent, in orbem litterarium, intulisse: omnia jam præoccupaverat D. Thomas, jamque ipse dejecerat: ut in uno D. Thoma hujus Discipuli omnia repererint: & quæ Recentiores objiciunt, ut eam de physica motione sententiam impetant, & quæ iis argumentis reponere necesse est, ad eam sententiam defendendam.

ARTICULUS XVIII.

Solvitur communis objectio ex S. Thoma desumpta; quòd voluntas in hunc vel alium actum exeat, non esse ab alio determinante.

OBjici solet hoc ex D. Thomæ authoritate desumptum argumentum, quod infinitis propemodùm locis quæ ex S. Thoma referuntur, opponunt, qui contra sentiunt, quasi hoc uno cætera omnia vinci possent. Ut verò germanus hujus loci sensus habeatur, nec quidquam lateat, locum integrum exscribimus. Sic igitur habet S. Doctor in 2. dist. 38. qu. 1. art. 1. ubi inquirit, Utrùm per peccatum voluntas perverti possit. *Sciendum*, inquit, *quòd aliquis actus est ab aliquo dupliciter; uno modo tam secundùm substantiam actûs, quàm secundùm determinationem agentis ad actum, & hoc propriè in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis, quantùm in se est, indifferens est ad plura; sed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, NON EST AB ALIO DETERMINATE, sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatũ est, & ideò propriissimè actus voluntatis à voluntate esse dicitur; unde si aliquis defectus sit in actu ejus, ipsi voluntati in culpam, & peccatum imputatur. Omnem autem voluntatem possibile est in suo actu deficere, quantùm ex natura sua est, eo quòd ex nihilo est, in defectum pervertibilis: & ita relinquitur quòd in voluntate potest esse peccatum, quantùm ad actum ejus.*

Hactenùs ibi S. Thomas; ex quo loco hæc verba ab eis maximè ponderantur. *Ipsa potentia voluntatis quantùm est ex se, indifferens est ad plura; sed quòd determinatè exeat in hunc actum, non est ab alio determinatè, sed à voluntate.* En planè, inquiunt, jugulatam Divinæ motionis præviæ sententiam: si enim Deus moveret voluntatem, apertum est quòd ab alio determinatè, scilicèt à Deo, oriretur, quòd voluntas in hunc actum determinatè prorumperet: Atquì id expresse hìc negat S. Thomas: Ergo &c. Et augetur, inquiunt, hujus argumenti vis, quia antiquissimi codices legunt, ac etiam repositum est in editione à P. Nicolaï adornata: *Quòd voluntas exeat in hunc actum, non est ab alio DETERMINANTE, quàm à voluntate.* Quid apertiùs? Igitur excluditur quæcumque alia determinatio, & solùm voluntati adscribitur à S. Thoma. Neque hujus rationem tacuit S. Doctor, quia ut propriè ad voluntatem actûs pertineat, necesse est ut ad eam pertineat ipsius actûs determinatio, hęc enim propriè in potestate agentis est, neque satìs est, ut expresse inquit D. Thomas, quòd ipsa substantia actûs è voluntate sit, sed maximè necesse est, quòd ipsa actûs determinatio sit in ipsius voluntatis potestate.

Confirmatur iterũ, ex eo quòd addit S. Thomas sequenti Articulo, nimirùm: *Quòd ratio culpæ in actu deformi est ex hoc quòd procedit ab eo qui habet dominium sui actûs: hoc autem est ab homine secundùm illam potentiam quæ ad plura se habet, nec ab aliquo illorum determinatur, nisi ex seipsa, quod tantùm voluntati convenit*: Ergo iterùm ad solam voluntatem determinatio sui actus spectat, & ex ea solùm habet dominium sui actus: Atqui si præviæ motionis sententia obtineret, ad solam voluntatem non pertineret sui actûs determinatio: Ergo &c.

Confirmatur etiam ex eodem scripto S. Thomę in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ubi quęritur, Utrùm in Deo sit liberum arbitrium. Statuit enim S. Doctor universalem regulam, scilicèt quòd *Judicium de actione propria est solùm in habentibus intellectũ, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem vel illam; unde & dominium sui actus habere dicuntur; & propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitriũ invenitur, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis causis superioribus.* Hæc ibi S. Thomas: Atquì si admittenda foret prævia motio divina, ipsa hominis voluntas determinaretur à causa priori, scilicèt à Deo: Ergo &c.

Adde quòd etiam à D. Thoma expresse dictum sit qu. 3. de Potentia art. 7. *Quòd voluntas domina est sui actûs; hoc autem non esset, si agere non posset, nisi Deo in ea operante eamque determinante, cùm voluntas nostra non sit Domina divinæ operationis*: Ergo &c. ut priùs.

Hæc validissima sunt omniũ quæ vidi unquàm ex S. Thoma referri ab adversæ sententiæ Authoribus, ad impetendam prævię motionis sententiam, quorum tamen facillima, & germanissima interpretatio ex superiùs dictis haberi potest.

Respondeo igitur, & inprimìs admitto, dictum à S. Thoma, non esse ab alio *Determinante*, sed à voluntate, quòd voluntas in hunc actum

determinatè exeât, nec consulendi sunt antiqui codices, cùm ipse contextus ita legendum esse, satis significet. Sed inquiro ab iis à quibus ista objiciuntur, quid existiment iis locis confici? ac potissimùm primo loco, nam cætera loca parùm aut nihil omninò urgent, ut planè demonstrabimus. Inde, inquiunt, conficitur, negari omninò à S. Thoma, quòd à Deo voluntas nostra determinetur, & quidem prævièe, & physicè, hìc enim de physica prædeterminatione solùm disputatur. Atquì si ita Respondeant, necesse est, quàm maximè sententiæ nostræ faveant. Quot enim, jam ex ipso D. Thoma loca retulimus ubi expresse à S. Doctore dictum est, voluntatem à Deo determinari: & ut pauca ex sola Divi Thomæ Summa reponam: 1.par. qu. 19. art. 3. ad 5. ita inquit: *Causa quæ de se est contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habitudinem non habet necessariam.* Ubi eximium esse, inquit, divinæ voluntati quòd sese determinet, voluntatem autem creatam determinare debeat, quòd scilicèt indifferens sit, eaque indifferentia aliundè solvi debeat. Vide supra qu. 6. art. 3.

Præterea, 1.p.qu.105.art.3.ait; *Hoc ipsum quòd causæ secundæ determinantur ad suos effectus, est illis à Deo*: Ergo quòd voluntas ipsa ad suos actus determinetur, hoc est illi à Deo, sivè ut dictum est suprà ex 2. dist. 25. quæst. ar. 3. *Hoc Deus in ipsa facit*. Item 1.2. qu.10.art.4.inquit: *Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ipsam ad unum determinat.* Ubi P. Nicolaï, quem suprà laudatum vidimus, ut major argumento vis adderetur, graviter eos reprehendit qui in eo loco prę-viam motionem à S. Thoma admissam non animadvertunt. *En* inquit, *quàm indignè quidam negant, quòd S. Thomas præmotionem vel prædeterminationem agnoverit: quid est enim determinari vel moveri à Deo voluntatem ut agat, nisi ab eo præveniri?* Fortiora etiam sunt quę idem author addit 1. 2. qu. 109. art. 1. ut enim erat acris ingenii, ita inquit: *Quàm sponte cæcos esse oportet qui physicam premotionem S. Thomam non videant agnovisse? Quid enim est moveri ad agendum, nisi omninò premoveri? quomodò ad agendum quis movet, nisi de non agente faciat agens? facit ne porrò de non agente agens, nisi priùs in illud agat, aut preveniat ejus motum? an prævenire ejus motũ ut agat, vel facere ut moveatur ad agendum, non est physicè præmovere, ideſt efficienter ac realiter, ut posteà pleniùs ostendetur?* Acrimoniam ego non probo; sed observatio eo loco, & opportuna, & solida est. Et hæc data occasione annotare placuit; quòd quidam Authores, etiam magni nominis, à P. Nicolaï viro Doctissimo, & Dominicano, in Academia Parisiensi negatas esse motiones physicas existimaverint, decepti ab aliis quibus parùm curæ est, Authores quos citant consulere: de quo forsitã plura à nobis alibi dicentur.

Sed ut ad superiora redeamus, an non etiam determinari à Deo creatam voluntatem docet iterùm S. Thomas 1. 2. qu.9. art. 6. ubi inquirit utrùm voluntas à solo Deo moveatur sicut ab exteriori principio. Ubi objicit sibi, quòd cùm Deus non sit nisi causa bonorum, *si à solo Deo voluntas hominis moveretur, nunquàm moveretur ad malum*. Cui Argumento ita Respondet. *Dicendum, quòd Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est verè bonum, vel apparens bonum*. Hæc prima solutionis pars, quâ directè respondet Sanctus Thomas argumento, & explicat quo pacto fieri possit, quòd cùm Deus non possit movere nisi ad bonum, attamen ipsa hominis voluntas possit ad malum ferri. Hoc enim inde oritur, quòd etiam ipsa voluntas sese moveat ac determinet: & quidem si feratur ad malum, seu bonum dumtaxàt apparens, ea determinatio à sola voluntate prava oritur, quæ primum est principiũ deficiens, ut fusè probat S. Augustinus, de Civit. Dei lib. 12. & quæ divinam motionem deflectit, & detorquet ad ipsam entitatem actûs qui malitiæ substernitur, ut superiori Articulo explicatum est: si autem divinæ motioni voluntas obtemperet, eique obsequatur, & feratur ad bonũ; determinatio ab utroque est, scilicèt & à Deo, & à voluntate. Sed prosequitur solutionem Sanctus Thomas, & addit: *Sed tamen interdùm specialiter Deus movet aliquos ad aliquid volendum, quod est determinatè bonum; sicut in his quos movet per gratiam, ut infrà dicetur, scilicèt qu.* 109.

En igitur clarissimè dictum à S. Thoma, quòd Deus voluntatem hominis determinat, & ad aliquid determinatè volendum movet, sub qua tamen determinatione dubium non est, quin voluntas etiam sese moveat, cùm ipsius actio libera sit, & voluntas etiam mereatur. Ubi iterùm quod addit P. Nicolai referre non gravabor, etiam præter morem, cùm non alium quàm D. Thomam hic referre instituerim. Cùm enim probasset S. Doctor, voluntatem à Deo moveri ex illo Apostoli ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*; addit plura Pater Nicolaï ex S. Augustino, lib. de bono perfever. idq; præsertim, ex cap. 13. *Hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo*. Quibus posteà ità subjungit P. Nicolaï, *An porrò velle operatur, si non præmovet voluntatem? an operatur ipsum etiam operari, si tantummodò cooperatur, vel concurrit cum operante seu parato ad operandum? an totum Deo datur, si primus ipse motus, vel initium operationis à Deo non est, sed se applicat homo ex seipso?* Hæc ex P. Nicolaï annotationibus referre visum est, ut apertum sit, quæ fuerit mens Theologi doctissimi ex Familia Dominicana, nec quisquam opponat, à schola sui Præceptoris D. Thomæ defeciſſe.

Igitur

Igitur ut præfatum argumentum concludam, ex dictis probatiſque manifeſtum eſt, ex eo unico loco ubi dictum eſt à S. Thoma: *Non eſſe à Deo determinante*, ſed à ſola voluntate, quòd ipſa voluntas in hunc determinatè actum exeat; ex eo inquam loco non poſſe colligi, quòd S. Thomas in totum determinationem voluntatis oriri à Deo negaverit, ſi in poſtremo etiam opere, & quod ut ultimum ipſius D. Thomæ teſtamentum ab omnibus excipitur, ſæpiùs S. Doctor inculcaverit, voluntatem à Deo determinari: Atquì multis hactenùs probatum à nobis eſt, in Summa etiam Theologica dictum eſſe à D. Thoma, voluntatem à Deo determinari, nec ſolùm ex parte objecti, & quantùm ad ſpecificationem; ſed etiam ex parte principii, & quantùm ad exercitium: Igitur alio ſenſu intelligendum eſt, dictum eſſe à D. Thoma, eo loco qui ſupra objicitur, voluntatem à ſe ſola, & non à Deo determinari. Sed antequàm eum ſenſum ex ipſo S. Thomæ contextu eruam;

Reſpondeo ſecundò, & ut prætereà oſtendam, quàm parùm iſta faveant eorum cauſæ à quibus iſta objiciuntur; iterùm inquiro, utrùm exiſtiment, locutum eſſe S. Thomam de motione & determinatione prævia, & in genere cauſæ efficientis: an verò aliquam aliam innominatam, vel alterius generis intellexerit? Si ſecundam dilemmatis partem eligant, quid eorum cauſam juvat, aut quid noſtræ nocet, ſi intelligatur, à D. Thoma negatum fuiſſe, oriri à Deo voluntatis determinationem alterius generis, de qua nulla inter nos controverſia eſt. Quid ad rem propoſitam ea controverſia facit; ſi, ut dicunt, cùm ego de aliis loquor, tu de cepis reſpondeas. Mihi ſanè iſtic nec ſeritur nec metitur, ſi de alterius generis motione divina S. Thomas locutus fuiſſe intelligatur, cùm ego de prævia, & phyſica motione intelligam. Si verò primam dilemmatis partem eligant, & contendant, loquutum fuiſſe D. Thomam de motione prævia, & phyſica: Ergo immeritò negant compertam fuiſſe S. Thomæ hujuſmodi divinam motionem prævíam, & primùm à Banne poſterioribus ſeculis in Orbem invectam fuiſſe: cùm eam longè anteà, & quidem adhuc juvenis D. Thomas agnoverit, & cùm in libros Sententiarum ſcriberet ipſam expreſſerit.

Sed prætereà, cur non etiam intelligendum ſit, S. Thomam de eadem prævia motione locutum fuiſſe, cùm aliis in locis, & quidem maximè in Summa ultimo ſuo opere, hominis voluntatem à Deo moveri, & determinari ſcripſerit. Neque enim intelligi poteſt, Sanctum Doctorem eam ſententiam retractaſſe, cùm eandem voluntatis determinationem ex Dei motione ortam in Summa ultimo ipſius opere, & morti proximus toties docuerit. Nec demùm æquitatis eſt, quòd unico loco tot alia, multòque expreſſiora vinci, & obſcurari exiſtimentur. Igitur alium ſenſum hæc verba S. Thomæ habeant, & utrumque verum, neceſſe eſt, & non oppoſitum; ſcilicèt voluntatem etiam determinari à Deo, & voluntatem à ſe ipſa ſola determinari; neq; verborũ dumtaxat, ſed etiã ſenſûs ratio habenda eſt, & ut inquit Tertullianus lib. de Præſcript. c. 9. *Senſus certæ interpretationis eſt gubernaculum, & nulla vox divina ita diſſoluta eſt, & diffuſa, ut verba tantùm defendantur, & ratio verborum non conſtituatur.* Igitur

Reſpondeo tertiò, & ex eodem articulo, ipſiſque verbis quæ retulimus, veriſſimum S. Thomę ſenſum eruo, ſcilicèt quòd cùm S. Doctor inquit, non eſſe *ab alio determinante*, ſed à voluntate; non excludi à D. Thoma cauſam primam, ſed excludi dumtaxàt cauſam alteram creatam. Et ſanè hunc ſenſum quæ immediatè conſequuntur omninò demonſtrant: ſtatìm enim ita ſubjicit S. Doctor. *Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente, ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit per quam ad hunc actum determinatum eſt.* En apertiſſimè quo ſenſu dixerit D. Thomas, determinationem actûs non eſſe ab alio determinante, ab alio ſcilicèt determinante creato: ſed non excludit cauſam primam quæ ſuperiori ſemper loco habenda eſt, nec in earum cauſarum numero, quæ excludi poſſint, reponi debet. Opponit enim S. Thomas hominis voluntatem cauſis naturalibus: at verò in cauſis naturalibus actus quidem progreditur ab agente, ſed determinatio non eſt ab eodem agente, ſed ab eo qui naturam contulit. Unde toties notat idem S. Doctor, quòd motus gravium, & levium, adeòque & determinatio ad eos motus tribuitur generanti: quia ad cauſam generantem pertinet, ut ea conferat, quę naturam conſequuntur, eamq; perficiunt, quia generantis eſt ad ſtatum perfectum, quantùm quidem poteſt, effectum perducere. At verò voluntatis determinatio à nullo creato agente oriri poteſt propter diverſam ipſius conditionem: etenim agentis cujuslibet naturalis, ut notat S. Thomas q. 6. de Malo, *forma eſt individuata per materiam; unde & inclinatio ipſam conſequens, eſt determinata ad unum. Sed forma*, inquit, *intellecta eſt univerſalis, ſub qua multa poſſunt comprehendi; unde cùm actus ſint in ſingularibus, in quibus nullum eſt, quòd adequet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis*, ipſam conſequens, *indeterminatè ſe habens ad multa.* Ex quo conſequitur, quòd ignis v. g. generans alterum ignem, dum ipſi formam, & naturam tribuit, etiã & tribuit inclinationem, & determinationẽ actus qui formam, & inclinationem determinatè conſequitur. Sed cùm voluntas altioris ſit conditionis, dici non poteſt quòd qui generat hominem, ipſius volũtati determinationem tribuat: quia ea determinatio ſequitur formam apprehenſam, & univerſalem, quæ non eſt determinata ad unum, ſed plura complectitur. Unde illa humanæ voluntatis determinatio ex nullo alio agente creato oriri poteſt: ſed eſt in poteſtate ſolius voluntatis, per excluſionem ſcilicèt cujuſcumque alterius agentis creati. Atque ea eſt veriſſima, & certiſſima hujus præfati D. Thomæ loci interpretatio.

Confirmari poteſt primò: quia D. Thomas eodem etiam loco in 2. diſt. 28. qu. 1. art. 1. Utrùm

homo possit facere aliquod bonum sine gratia? postquàm retulit extremos, & Manichæorum, & Pelagianorum errores: *Secundùm Fidem Catholicam*, inquit, *in medio contrariarum hæresum incedendum est.* Nimirùm ut dicamus, hominem, & bona, & mala facere posse, ut *LV PER SE*: *NON EXCLUDAT DIVINAM CAVSALITATEM*, *secundùm quòd ipse in omnibus operatur, ut universalis causa boni, ut dicitur Isaï. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Hęc ibi: quibus in verbis observanda est hæc universalissima, ac semper præ oculis habenda regula, nunquàm in eodem loco, cùm agitur de causis creatis, primam causam esse reponendam; & quantumvìs excludi possit aut debeat alterius causæ creatæ causalitas, nusquàm tamen divinam causalitatem divinæque gratiæ motionem esse excludendam. Eodem modo docet S. Thomas 1. 2. q. 109. fermè per singulos articulos, intellectum, & voluntatem in omni omninò statu seu naturæ innocentis, seu naturæ corruptæ, facultatem habere quâ possint suæ conditioni consentaneum bonum aliquod facere: sed monet semper intelligendam esse primæ causæ, & primi moventis motionem, ut articulo 1. fusiùs explicat. Unde & articulo 6. ad 2. inquit: *Cùm dicitur homo facere quod in se est*: ac subindè se se etiam determinare ad agendum; *Dicitur hoc esse in potestate hominis secundùm quod est motus à Deo.* Adde ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 6. ubi resolvit, quòd *Voluntas moveatur à Deo solo, sicut ab exteriori principio*: expressè enim quamcumq; aliam creatam causam moventem, & determinantem excludit: sed excludi divinam motionem repugnat: quinimò, ut inquit S. Doctor in corpore articuli, sicut naturalis motus non causatur nisi ab eo qui causat naturam, unde dicitur 2. Physicor. *Generans movet secundùm motum gravia, & levia*: ita, *quòd motus voluntarius sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa voluntatis, est impossibile.* Sed eodem jure quo Deus est, & causa & finis voluntatis, necesse est quòd eam moveat, & ad se ut ultimum finem impellat. Vide S. Thomam Compend. Theolog. cap. 129. *Quòd solus Deus moveat voluntatem, non res creata.*

Ad secundum respondeo: ipsa objecta verba secùm interpretationem afferre. Agitur enim de actu deformi, seu de ipsa voluntatis culpa: at certum est in culpa, actùsque deformitate, determinationem à sola voluntate creata, non à Deo, oriri: atque eam infelicem potestatem voluntati adhærere ex sua origine, & ut est ex nihilo, ut inquit Sanctus Augustinus contra Julian. libro 5. cap. 26. & sequen. Unde insulsissimè hæreticus occasionem sumpsit sanctissimum Virum accusàdi, quòd Manichęi errorem interpolasset. *Hoc nihil*, inquit, *de quo facta sunt omnia, affirmas causam fuisse peccati: tantùm igitur facit apud te nihilì potentia, quantùm apud Manicheum principes tenebrarum*: ibid. cap. 42. Quod si deinde dominium hoc quo hominis voluntas potitur, ad alios actus etiam bonos extenditur, manifestè patet, ipsius dominium esse dependens, & subaltiori, scilicèt divino dominio positum: *Est enim excelso excelsior*, ut dicitur Eccl. 5. sicut Tribuno altior est Dux qui exercitum regit; & quamvìs suum dominium Civis habeat, Rex tamen supremum habet, & Reges in ipsos imperium est Jovis, ut Veteres loquuntur. Ita quamvìs voluntas dominium habeat, majus tamen & altius Deus habet.

Ad tertium respondeo: quòd si Divi Thomę integer articulus legatur, facilis est solutio ad hæc quæ objiciuntur. Etenim eodem ipso articulo 1. dist. 25. secundi Sentent. ubi inquirit S. Doctor, Utrùm in Deo sit liberum arbitrium? numero 3. sibi opponit *Videtur quòd nec in aliquibus creaturis sit*, scil. liberum arbitrium; *ad libertatem enim liberi arbitrii pertinet, ut aliquis sit dominus sui actûs. Cùm igitur cujuslibet creaturę actus in causam priorē reducatur, quę est ipse Deus, qui omnia opera nostra in nobis operatur, ut Isaï. 26. dicitur, videtur quòd liberum arbitrium in creatura nulla reperiatur.* Hęc ibi D. Thomas: ubi ut argumētum solvat necesse est, rem hanc de qua agimus explicet. Probat enim hoc argumentum, ad libertatem voluntatis creatæ ita suum velutì dominium pertinere, ut nec etiam ipsius voluntatis actio, & actionis determinatio *in causam priorem reducatur*. Quibus verbis pręoccupatur etiam solutio quę afferri potest de simultaneo concursu, & causa non priùs sed simultaneè agente. Hanc enim solutionem, argumentum ipsum excludit, cùm expressè pro principio statuat, actum voluntatis *in priorem causam reduci*, & indè deducat, nullum esse posse liberum arbitrium: Unde exigit argumentum quòd S. Thomas rem istam omninò explicet. Quid verò respondet? an forsitan negat volūtatis actionem, aut determinationem unde oritur ipsius dominium, *in priorem causam* scilicèt Deum *reduci*? minimè sanè, sed potiùs id confirmat his verbis: *Respondeo, quòd Deus operatur in omnibus, ita tamen quòd in unoquoque secundùm ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrās virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis, in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actûs, LICET NON ITA SICUT PRIMO AGENTI.*

En ex S. Thoma plenissimam hujus rei decisionem. Deus in rebus liberoque arbitrio, etiam ut *prior causa* operatur, *& virtutem agendi ipsi ministrat*; sed ita tamen, ut etiam determinatio sit in ipsius voluntatis potestate. Et verò, ut sępiùs advertimus supra, malè alii dividunt quę conjungi debent. Flectit se equidem voluntas creata, seque ipsam determinat, atque ob ejusmodi determinationem habet voluntas dominium in suum actum: sed quid impedit, quominùs etiam Deus voluntatem, & flectat & determinet? Quinimò *hoc ipsū quòd causę secundę determinentur ad suos effe-*

effectus, eſt illis à Deo & hoc Deus in illis facit; & ut egregiè inquit D. Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem: *Ipſum velle meum ſine Deo meum non eſſet*, quia Deus efficit ut ſit meum. Sed quid expreſſiùs dici poteſt, quàm quod ſubjungit S. Thomas: *Remanet voluntatis dominium ſui actus, licèt non ita ſicut primo agenti*, & primo determinanti, de eo enim ibi agitur. Ergo falſum eſt, voluntatem eſſe primum determinans: neque intelligi quidquam poteſt his quæ hìc dicit S. Thomas magìs adverſum, quàm quod oppoſita ſententia aſſerit, voluntatem creatam eſſe primum eligens, & primum determinans, quin alterum prius agens priuſque determinans patiatur.

Ad ultimum reſpondeo, hoc argumentum objici ſæpiùs, & objectum aliquando in diſputationibus publicis audiviſſe me memini: ſed mirum eſt, objici poſſe velut ex mente D. Thomæ, argumentum quod ipſe ſibi objicit, & ſolvit: hoc enim idem omninò, & totidem verbis loco citato n.13. ſibi proponit S.Doctor. At verò reſpondet: *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad eum determinet, ſicut determinat naturam; & ideò determinatio relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis.* Egregia quidem ſolutio, & quæ mirum in modum quæcumq; ſuperiùs dicta ſunt confirmat. Et obſervari non immeritò poteſt, hęc dicta eſſe à S.Thoma in eo articulo, quem tanquàm totius tractationis fundamentum jecimus, & in quo certum & in confeſſo eſt apud omnes, à D. Thoma divinam motionem prævìam admiſſam fuiſſe.

Non vacat omnia alia expendere. Hęc prętèr ſuperiora accipe: 1.cont.Gent.c.69.quòd Deus cognoſcat motus voluntatis creatę. *Dominium quod habet volũtas ſuper ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis: non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ à qua eſt ei eſſe & operari.* 1.par.q.83. art.1. Utrùm homo ſit liberi arbitrii. *Non eſt de neceſſitate libertatis quòd ſit prima cauſa ſui id quòd liberum eſt.* 1.par.q.105.art.4. Utrùm Deus poſſit movere voluntatem. *Quia per hoc quod* (voluntas) *movetur ab alio, non excluditur quin moveatur à ſe, ideò per conſequens non tollitur ratio meriti.* Qu.9. de Malo art.2. Utrùm actus peccati ſit à Deo, ad 4. *Manifeſtum eſt quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo quòd eſt movens, ponitur quòd eſt primum movens; unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quod movet*: ac expreſſiùs in Compend.Theolog.c.129. Quòd ſolus Deus movet voluntatem hominis, non res creata. *Non eſt contra liberi arbitrii libertatem: ſi Deus voluntatem hominis movet; ſicut non eſt contra naturam quòd Deus in rebus naturalibus operatur.*

Adde ex Scoto in 4. diſt.49. q.6. §. Dico. *Contra naturam voluntatis eſt determinari à cauſa inferiori, quia hoc ipſo non eſſet ſuperior: non eſt autem contra naturam determinari à cauſa ſuperiori.* Egregiè dictum, & ſubtili ingenio dignum.

ARTICULUS XIX.

Altera objectio ex Cajetano 1.par.q.19. art.8. pręviam motionem non eſſe neceſſariam, ſolvitur: & Cajetanus à falſa interpretatione vindicatur.

INter ea, quę plurimi ſibi favere exiſtimarunt, & quæ tanquàm communi Scholæ D. Thomæ ſententiæ adverſa avidiſſimè quâcumque datâ occaſione arripere ſæpiùs viſi ſunt: primo loco reponi ſolent, quæ habet Cajetanus in 1.par.q.19. art. 8. quæ aliquando in diſputationibus publicis magnâ fiduciâ objici miratus ſum, tanquàm iis conficeretur, quod quidem probare nitebantur, incompertam fuiſſe Divo Thomæ motionem prævìam, eamque à Banne primùm in Orbem, & Scholam D. Thomæ invectam: quæ tamen à Cajetano egregiè dicta, ut verum fatear, non tam ambiguitate verborum difficultatem pariunt, quàm ipsâ profunditate doctrinæ, quæ certè niſi maximâ longâque meditatione, ac ſtudio expendatur, & niſi à peritis Theologis, vix quantùm meretur poteſt intelligi.

Ita igitur Cajetanus habet: & hęc quę eodẽ loco ſubjicit pauca, & ab aliis ſejuncta ita ſolent objici. *Dupliciter*, inquit, *cõtingit ſecundam cauſam moveri à prima: uno modo motione prævìâ propriæ actioni, ſicut baculus movet lapidẽ motus à manu: alio modo motione cooperativâ intrinſecè propriæ actioni.* Deinde inquit expreſsè: *Non oportet cùm aliquis vult aliquid, ſeu cùm Sol illuminat, primam cauſam prævìâ motione cooperari, ſed ſufficit, & exigitur eam intrinſecè cooperari tali electioni, vel illuminationi.* Deinde verò in fine inquit: *Illa propoſitio aſſumpta*, (ſcilicèt prima cauſa priùs naturaliter reſpicit effectum quàm quęcũq; alia cauſa) *non eſt ſic intelligenda, quaſi ſit aliqua duratio naturæ in cujus primo inſtanti cauſa prima reſpiciat effectum, & in ſecundo cauſa ſecunda. Puerilis enim eſt hic ſenſus, ex quo tamen conſequentia proceſſiſſe videtur. Sed eſt intelligenda quoad independentiam, & intimitatẽ: attingit enim prima cauſa effectum ſecundæ & independentiùs, & intimiùs quàm ſecunda, ut patet in principio libri de Cauſis.* Hactenùs Cajetanus: quæ ſanè apertiora videntur, inquiunt à quibus hæc ſolent objici, quàm ut ullâ diſſimulatione aut arte tegantur. Quid enim apertius, aut quæ verba clariora afferri unquàm poſſent iis quæ habet Cajetanus; Deum cauſam primam non cooperari *prævìâ motione*, ſeu voluntatis electioni, ſeu Solis illuminationi, ut à cauſis tum liberis tum neceſſariis motionem prævìam tanquàm omninò inutilem procul

aman-

amandet? Nec minùs quæ subjungit eam de prævia motione sententiam profligant: cùm præcipuum hujus fundamentum evertant, & puerilem sensum esse asserat, si quis intelligat priùs naturâ causam primam attingere effectum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda attingat: quod tamen necessarium foret, si admitteretur ea prævia motio causæ primæ, quæ ut esset, & prævia & antecedens, priùs naturâ effectum causę attingeret, quàm ipsa causa secunda: quem sensum, ut dixi, puerilem existimat Cajetanus: sed eo sensu intelligendum esse inquit, quòd causa prima effectum secundæ priùs respiciat, nimirùm quòd causa prima altior sit, magìsque independens, & intimiùs causæ secundæ effectum pervadat: quæ in terminis Adversariorum sententia esse videtur.

Verùm fateor, vix unquàm aliud in Cajetano me legisse memini, quò profundum magìs hujus Theologi ingenium mirari licuerit. Nihil enim verius, nihil profundius unquàm dici potuit, sed efficit ipsa doctrinæ profunditas, ut paucis potissimùm extraneis, comperta sit Cajetani mens. Neque enim vero simile est tantâ meditatione, tantoque studio, quantoque forsitan par esset, extraneos intelligendis Cajetani operibus incumbere. Sed ut apertior solutio sit: Observandum est quòd cùm dixerit D. Thomas in eo art. 8. quæst. 19. 1. par. quidquid in rebus est seu necessitatis in necessariis, seu contingentiæ in contingentibus, seu libertatis in liberis, in solam divinæ voluntatis efficaciam refundendam esse: *quæ cùm sit efficacissima*, inquit D. Thomas, *non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri necessariò, quædam contingenter*. Scotus verò potissimùm contingentiam de qua est quæstio agitata, & sub qua libertatem ipsam comprehendit, existimat refundendam esse in conditionem divinæ voluntatis, ut libera est; ita ut ideò sit quædam in rebus contingentia seu libertas, quia Deus liberè vult, & causat: unde existimat duo contradictoria incautè, & latenter à veteribus Philosophis admissa fuisse, qui & Deum necessariò agere, & tamen aliquid in rebus contingenter fieri sentiebant. Arbitratur enim Scotus, & quidem verè nisi aliud obstaret, ut advertit Cajetanus, quòd si Deus necessariò ageret, omnia necessariò evenirent, nihilque esset in rebus aut contingens aut liberum. Idque probat Scotus duplici ratione, quam Cajetanus refert, & quarum prima ita habet: *Causa movens in quantùm mota, si necessariò movetur, necessariò movet: Sed omnis causa secunda est movens in quantùm mota à prima: Ergo si necessariò movetur necessariò movet. Minor probatur: quia nulla causa agit aliquid nisi in virtute primæ*. Hæc Cajetanus ex Scoto. Igitur si Deus necessariò moveat, inquit Scotus, necesse est quamlibet causam secundam necessariò moveri, & agere: nulla igitur relinquitur in causis aut libertas aut contingentia, sed omnia necessariò evenient. Alteram deinde Scoti rationem referemus, postquàm Cajetani solutionem explicuerimus.

Verùm antequàm ultra progrediamur, unum animadverti velim: scil. quàm certa, & constans fuerit apud Theologos veteres hęc de pręviis motionibus sententia, cùm à Scoto tanquàm omninò indubitatum hoc principium usurpatum fuerit: *Quod causa secunda non movet*, nihilque agit, *nisi mota*: quod sanè absurdum foret, si de concursu simultaneo intelligeret. Cui enim unquàm veniret in mentem, auferendam esse à volũtate libertatem, etiam si Deus necessariò moveret voluntatem, & cum ea necessariò concurreret, si tamen hic concursus simultaneus dumtaxàt esset, indifferens, & voluntatem à se se sponte, & ultrò determinatam supponeret, nullâ factâ determinatione pręviâ, aut superadditâ vi, quâ in unam potiùs quàm alteram partem voluntas flecteretur. Nec minùs alterum à Scoto assumptum principium, scilicèt *Nulla causa agit nisi in virtute primæ*: probat indubitatam fuisse apud Scotum eam de prævia motione sententiam. In eo enim posita est vis argumenti Scoti. Nulla causa actu agit nisi in virtute causæ primæ: Ergo si Deus causam secundam necessariò movet, causa secunda etiam necessariò aget. Nisi eo sensu Scotus intelligeret, nulla prorsùs argumento vis inesse potest.

Respondet igitur Cajetanus, duplicique solutione argumentum Scoti diluit. Prima solutio ita habet. Distinguit duplicem motionem, alteram prævìam, & antecedentem; alteram verò intrinsecè cooperantem: non quidem eo sensu quo Adversarii intelligunt, ut eadem sit cum concursu simultaneo: sed motionem cooperantem intrinsecè intelligit eam quæ se se naturis rerum attemperat: *Cooperatio enim*, inquit, *est in unoquoque secundùm naturam uniuscujusque*. In eo enim solutionis vim omnem reponit, quòd ea cooperatio intrinseca sit cujuslibet causæ secundæ conditioni accommodata. Desumit enim ex ipso Divo Thoma solutionem, à quo milliès constitutum est illud principium, quod primam Divinæ Providentiæ legem dixerim; quòd Deus salvat naturas rerum, non destruit, & causas omnes juxta earum conditionem movet ac regit. Constitutâ hac duplicis motionis distinctione: ita distinguit Cajetanus: Causa, quæ movet in quantùm mota si necessariò moveatur motione prævìâ, necessariò movet: Esto. Majorem permittit Cajetanus, neque negat, neque affirmat: at verò si intelligatur, quòd causa movens in quantùm mota si necessariò movetur motione cooperativâ intrinsecè, necessariò movet, Negat Majorem. Verissimè equidem: non enim consequitur, quòd si causa prima moveat causam secundam motione prævìâ, ideò præcisè aut necessariò aut liberè causa secunda moveatur. Cùm ea motio ut prævia est præcisè, & reduplicativè, ut dicunt, seu per se quarto modo; non efficiat aut contingentiam aut libertatem in rebus. Unde profundè Cajetanus Majorem eo sensu intellectam neque negat, neque affirmat. At verò si intelligatur de motione cooperativâ, quæ scilicèt sit intrinseca rebus, id est,

quæ

quæ genio cauſæ ſecundæ ſeſe attemperet ; Negat Majorem Cajetanus eo ſenſu intellectam. Falſum enim eſt, quòd etiam ſi cauſa ſecunda non moveat niſi mota, ideò neceſſariò moveat aut agat, nullamque libertatem aut contingentiam ſervet etiam ſi neceſſariò moveatur : dummodò tamen cauſa prima à qua movetur motionem ita temperet ut in cauſa ſecunda quam movet, & libertatem, & contingentiam relinquat. Unde conceſſa Minori eo ſenſu intellecta, ſcilicèt cauſam ſecundam moveri in quantùm mota eſt à prima, ita tamen ut cauſa prima motionem temperet, & accõmodet conditioni cauſę ſecundę : Negat conſequentiam, quòd ſi cauſa ſecunda neceſſariò moveatur, ideò neceſſariò, & moveat & agat : quia ex ea efficaci cauſæ primæ motione, & relinqui aut effici poteſt in cauſa ſecunda libertas, & contingentia.

Sed prętat ipſum Cajetanum audire, & integer locus referendus eſt, qui dimidiatus dumtaxàt ab aliis referri ſolet. Ita igitur habet. *Ad primã autem rationem Scoti multipliciter reſponderi poteſt. Primò diſtinguendo ly* mota, *ſeu ly* movetur. *Dupliciter enim contingit ſecundam cauſam moveri à prima : uno modo motione prævia propriæ actioni, ſicut baculus movet lapidem motus à manu. Alio modo motione cooperativa intrinſecè propriæ actioni. Et quidquid ſit de Majore in primo ſenſu, in ſecundo tamen eſt falſa.* Siſte hic paululùm, Erudite Lector, & dimidiatum in primis Cajetanum referri animadverte. Tacent enim qui iſta objiciunt ea Cajetani verba : *Quidquid ſit de Majore in primo ſenſu*, ſcilicèt de motione pręvia : quę certè nihil referre ad rem de qua agitur exiſtimari non poſſunt, cùm maximè de ea motione pręvia agatur. Atque in ea ſententia adeò conſtans Cajetanus fuit, ut etiam eâdem 1. par. quæſt. 14. ar. 13. ubi ex Scoto idem argumentum refert, eandemque ſolutionem adhibet, dixerit etiam de Majori, *Eſto*. Sed prætereà animadverte quàm accuratus fuerit Cajetanus. Veriſſimè enim ac profundiſſimè inquit : *Quidquid ſit de Majori primo ſenſu intellecta*, ſcilicèt de prævia motione. Quamvìs enim prævia motio abſolutè, & veluti adæquatè ſumpta, & contingentiam, & libertatem reipsà efficiat ; non efficit tamen præcisè, & reduplicativè ut prævia eſt, ſed ut efficaciſſima, & ut cooperatur intrinſecè, id eſt, ut juxtà cujuſque cauſæ diſpoſitionem, & naturam cauſas ſecundas movet. Unde ſtatim proſequitur Cajetanus. *Quidquid ſit de Majore in primo ſenſu* (ſcilicèt de previa motione :) *in ſecundo tamen* (ſcilicèt de cooperatione intrinſeca) *eſt falſa : in quo tantùm verificatur Minor. Non enim* inquit *oportet cùm aliquis vult aliquid, ſeu cũ ſol illuminat, primam cauſam previa motione cooperari : ſed ſufficit, & exigitur, eam intrinſecè cooperari tali electioni, vel illuminationi. Et hoc quia cooperatio in unoquoque eſt ſecundùm naturã uniuſcujuſque tãtùm : ſic enim diſponit omnia ſuaviter. Unde ſive neceſſariò ſive liberè cooperetur Deus, nihilominùs creata voluntas liberè utitur illa cooperatione.* Hęc Cajetanus omninò egregiè. Etſi enim nulla urquàm eſſet motio prævia, quâ cauſa prima actionem cauſæ ſecundæ antecederet : attamen ſi cauſa prima ita efficaciam moderetur, ac modificet, ut in cauſis liberis libertatem, in cauſis contingentibus contingentiam efficiat, quantumvìs cauſa prima neceſſariò cauſam ſecundam moveret, nihilominùs tamen cauſa ſecunda integram libertatem vel contingentiam ſervaret. Ex quo conſequitur libertatem & contingentiam rerum ex divina voluntate, & divinæ motionis ſuavi efficacia oriri, ut ſtatuerat D. Thomas in eo Articulo quem explicat, & defendit Cajetanus, quodque Scotus impugnandum aſſumpſerat.

Ex his manifeſtiſſimum eſt, & luce meridiana clariùs, non negatam à Cajetano fuiſſe motionem pręviam, ſed dumtaxàt magno ingenii acumine, ut ubique ſolet, voluiſſe primam, & formaliſſimam & libertatis, & contingentiæ rationem reddere. Hæc enim non oritur ex præciſa illa anteceſſione motionis primæ cauſæ, ſed ex illa veluti attemperatione, & modificatione, aut ſuavi omnipotentia, quę ut Evangelium habet, & repetit ſępiùs D. Thomas, *tribuit unicuique ſecundùm virtutem ſuam*. Unde rectè Cajetanus dixit. *Quidquid ſit de Majori eo ſenſu*, ſcilicèt de prævia motione intellecta ; *Non enim oportet*, aut neceſſe eſt, *cùm aliquis vult aliquid, ſeu cùm Sol illuminat*, ut nimirùm ipſa libertas voluntatis, vel illuminationis neceſſitas fiat ; aut ſi quę ſit contingentia, *Primam cauſam previa motione cooperari*, cùm ex ea anteceſſione, & prioritate cauſæ primæ moventis libertas, vel neceſſitas, vel contingentia non oriatur : *Sed ſufficit & exigitur cauſam primam intrinſecè cooperari tali electioni, & illuminationi* : quia ſcilicèt ea libertas vel neceſſitas, vel contingentia oritur ex eo quòd cooperatio eſt in unoquoque ſecundùm naturam uniuſcujuſque : *Sic enim diſponit omnia ſuaviter*. Hęc Cajetanus : Quibus ut diximus, non negat motionem prævia : ſed inquit eam motionem ut prævia, ſivè eam prioritatem, & anteceſſionem non eſſe formaliſſimam rationem unde contingentia, vel libertas oriatur : ſed eſſe vim ipſam efficaciſſimã divinæ voluntatis : *quæ* ut inquit D. Thomas, *cùm ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quò Deus ea fieri vult*. Ideſt, & ſubſtantiam efficit, & modum actûs, contingentiam ſcilicèt, aut libertatem, aut neceſſitatem.

Et ſanè non negaſſe Cajetanum omninò motionem prævia, ſeu cauſam primam movere cauſam ſecundam ad actum, eamque ad agendum impellere, omninò convincitur ex altera ſolutione, quam ſubjicit Cajetanus, & quam prętermittere ſolent qui iſtam objiciunt, & ut arbitror, expunctam vellent : cùm ea non ſolum priori ſolutioni, eo ſenſu quem explicuimus, lucem maximam afferat, ſed etiam cauſam ſecundam moveri ad actum, & ad ipſum impelli, & applicari, in quo poſita eſt vera motio prævia, mirum in modum ſtabiliat.

Reſpondet igitur Cajetanus. *Secundò : diſtinguendo*

guendo ly in quantùm mota: *quoniam potest denotare causam præcisam, & potest denotare concausam. Et siquidem denotet causam præcisam, Minor est falsa. Non enim causa secunda movet (ob hoc præcisè) quia movetur: sed etiam ex virtute propria. Si autem denotet concausam, Major est falsa. Quoniam stat causam secundam necessariò moveri à prima, & cum hoc, ipsum moveri modificari ex natura causæ secundæ. Et sic moveri causæ secundæ provenit non ex moveri tantùm, sed ex moveri, & modo proprio ipsius causæ secundæ. Ex tali autem modo consurgere potest; quòd non necessario movet.* Hæc ibi.

Respondet igitur altera distinctione, scilicèt causę præcisæ, quæ omnem virtutem agendi confert, ita ut causa secunda nullam alteram vim habeat agendi, pręter eam quam recipit à causa prima: vel etiam concausę quæ virtutem in causa secunda supponit, & consentaneè ad ejus conditionem eam causam movet. Igitur si intelligatur de causa pręcisa quę scilicèt omnem virtutem agendi confert; Major quidem concedenda est, quòd causa movens mota, si necessariò moveatur, etiam necessariò movet & agit, nullamque servat libertatem: sed neganda est Minor, causam secundam ita moveri à causa prima, ut etiam à seipsa propria virtute non moveatur. Movetur enim, & se movet, movetur impressa vi superioris causæ, se movet propriâ virtute. Unde cùm seipsam moveat, quamvis sub motione superioris, & primę causę, nihil vetat quin libertatem integram, & intactam omninò servet. At verò si intelligatur non de causa præcisa eo sensu quo explicuimus, sed de concausa quæ juxtà variam conditionem causæ eam movet: Propositio Major neganda est. Quantumvis enim quis fingat primam causam necessariò movere secundam, & causam secundã necessariò moveri: attamèn si causa prima juxtà genium, capacitatem, & naturam causæ secundæ quæ libera est aut contingens, motionem modificet, & attemperet: quamvis causa prima necessariò moveat, poterit tamen ea, ut dixerat Cajetanus, intrinseca cooperatione, & attemperatione libertatẽ, & contingentiam in causis secundis. nedum intactã relinquere, sed ipsam etiã efficere,

Pergit verò Cajetanus, & Respondet ad probationem Minoris Propositionis à Scoto subjectam: nimirùm quòd *nulla causa agit nisi in virtute primæ*: & ita explicat: *illa autem Propositio adjuncta, scilicèt causa secunda nihil agit nisi in virtute primæ; non juvat: quoniam non est sensus, quòd causa secunda nullam virtutem habeat nisi primæ: sed quòd ipsa secunda nullum effectum producit nisi in virtute primæ concurrente, & conjungente virtutem secundæ suo effectui: quoniam prima omnia attingit immediatè immediatione virtutis.*

Hæc Cajetanus: quibus efficacius vix aliquid dici posset ad motionem prævíam, & antecedentem adstruendã, & qualem cæteri D. Thomę Discipuli Magistrum sequuti admittunt. Qua enim ratione fieri potest virtutem causæ primæ conjungere virtutem causæ secundæ cum effectu, nisi virtus causæ primæ in ipsa causa secunda recipiatur, & nisi hujus exercitium antecedat, & efficiat. Quod enim conjungit unum cum altero, necesse est ut antecedat utrumque: nec intelligi unquàm poterit causam primam sua motione conjungere virtutem causæ secundæ cum effectu, nisi exercitium virtutis causæ secundæ antecedat. Neque enim hoc munus conjungendi virtutem causæ secundæ concursui simultaneo meritò tribui unquàm potest: cùm concursus simultaneus nec virtutem causæ secundæ, nec ipsam causam afficiat, aut ex parte illius se habeat, sed potiùs sit ipse effectus, ut à causa prima dependet: unde nulla ratione conjungere causam secundam cum effectu dici potest.

Verum equidem est, si quis hæc de causis transeuntibus intelligi vellet, posse forsitan non ægrè admitti, concursum simultaneum causam secundam, & ejus virtutem cum effectu conjungere. Cùm enim ipsa actio inter virtutem causæ, & effectum extra productum media sit, ferri poterit, si quis dixerit, concursum simultaneum causam secundam cum effectu conjungere, eodem planè sensu, quo ipsamèt actio causam secundam cum effectu conjungit. Si quidem actio transiens utriusque nexus est, & vinculum, scilicèt causę, & effectûs qui extra producitur. Sed quid fiet de causis secundis immanentibus, qualis est voluntas, de qua Cajetanus cùm Scoto agit? Sanè si quis admittat virtutem ac motionem causæ primæ, secundæ causæ seu voluntatis virtutem cum suo actu conjungere, seu quod planè idem significat, etsi varii sint termini, si quis admittat causam primam voluntatem ad actum reducere, & applicare: is certè consentientes habebit omnes D. Thomæ Discipulos, eaque sententia omnium animos conjunget. Hæc de prima ratione quam ex Scoto Cajetanus refert.

Explicatâ jam solutaque prima objectione Scoti, alteram solutionem Cajetanus aggreditur; in qua solutione parùm motioni pręviæ favere Cajetanum extranei arbitrantur, quòd nimirùm non satis in D. Thomę doctrina versati, non animadvertant, Cajetanum eadẽ omnia principia, eadem etiam verba usurpasse, quę usurpaverat D. Thomas in ea etiam qu. 3. de Potentia, in qua à nemine hactenùs dubitatum est D. Thomã prævíam motionem docuisse. Ita igitur objiciebat Scotus, cui Cajetanus Respondet: *Prima causa priùs naturaliter respicit effectum, quàm quęcumque alia causa: Ergo si necessariò causat; omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam; Ergo nullus effectus fit contingenter: & probatur secunda sequela: quia impossibile est, quòd idem effectus habeat habitudinem cõtingentis, & necessarii respectu tam ejusdem quàm diversarum causarum.* Hæc Scoti objectio, qua probat, quòd si causa prima ageret necessariò, nihil in rerum natura esset contingens, quamvis à causa secunda proxima contingente depẽderet: quia, inquit, causa prima naturaliter priùs respicit quẽcumque effectum, quàm causa secunda: Ergo si

causa

cauſa prima neceſſariò agat, pro illo priori imprimet neceſſitatem effectui: nec poterit cauſa ſecunda, quantumvis contingens, in altero inſtanti contingentiam imprimere.

Verùm Reſpondet Cajetanus, negatque Conſequentiam, quòd quia prima cauſa priùs naturâ reſpiciat effectum, quàm cauſa ſecunda, ideò effectus in eo priori neceſſitatem habeat impreſſam à cauſa prima. Supponere enim videtur hæc Scoti objectio fundamentum quod nulla ratione veroſimili ſtabiliri unquàm aut defendi poſſit: nimirùm cauſam primam priùs aliquo durationis priori, & inſtanti effectum cauſæ ſecundæ reſpicere, quàm ipſa cauſa ſecunda reſpiciat: ita ut in eo primo durationis inſtanti, quo prima cauſa effectum cauſæ ſecundæ reſpiciat, effectus cauſæ ſecundæ à cauſa prima neceſſitatem veluti ſibi impreſſam habeat: unde in ſequenti inſtanti, contingentia, & libertas ita præoccupata fuerit, ut nullus locus relinquatur contingentiæ, & libertati, quam in ſecundo durationis inſtanti à cauſa ſecunda impreſſam recipiat, impreſſione cauſæ primę jam facta, & impreſſionem cauſæ ſecundæ impediente. Veriſſimè enim Cajetanus, hunc ſenſum puerilem eſſe dixit. Puerorum enim eſt naturæ inſtantia, unum poſt alterum, etiam tempore diſcreta, veluti duos digitos diſtinguere. At verò contra exiſtimandum eſt, cauſam primam ſimùl cùm cauſa ſecunda etiam eodem tempore, & inſtanti durationis agere, etſi tamen cauſa prima non agat niſi ut modificata, & determinata à cauſa ſecunda, objectivè ſcilicèt, quatenùs cauſæ ſecundæ natura & conditio cauſa eſt aut occaſio quòd Deus motionem modificèt: ita ut licèt cauſa prima neceſſariò ageret, cùm tamen non agat, niſi ut modificata à cauſa ſecunda, quæ contingens eſt, imprimat effectui non neceſſitatem, ſed contingentiam.

Neque enim hic duplex influxus, & duplex cauſalitas primæ, & ſecundę cauſæ, etiam duratione & tempore diſtinguendus eſt: ſed cauſa prima, & cauſa ſecunda ſimul, & ſemel indiviſim agunt: cauſa equidem prima ut modificata cooperatione cauſę ſecundę, & ſecunda cauſa quatenùs movetur à prima: non ſecùs ac cauſę principalis, & inſtrumenti eadem eſt actio, & ſimul ac ſemel utraque agit, quamvis diverſa ſit utriuſq; virtus: quia non agit virtus cauſę primæ ipſaque cauſa principalis, niſi ut determinata ab inſtrumento, nec inſtrumentum agit, niſi ut motum à cauſa principali. Ut enim inquit D. Thomas: *Ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis Divinę, ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis*, quęſt.3.de potent.art.7. ad 3. Unde conſequitur, non poſſe diſtingui hęc duo inſtantia, in quorum primo effectus cauſę ſecundæ neceſſitatem à cauſa prima impreſſam habeat, in altero verò contingentiam à cauſa ſecunda. Quo igitur ſenſu poteſt intelligi cauſam primam priùs reſpicere effectum quàm cauſa ſecunda reſpiciat? Reſpondet Cajetanus intelligi eo ſenſu quòd cauſa prima effectum cauſę ſecundę priùs reſpiciat, id eſt independentiùs & intimiùs. Independentiùs quidem, quia cauſa ſecunda dependet à prima, ſed non viciſſim prima à ſecunda: intimiùs verò, quia cauſa prima per ſe attingit rationem entis, quæ eſt in effectu primum ſubſtratum, & ipſum fundamentum rei, ut aliàs ex D. Thoma diximus. Quid verò iſta ad Recentiorum ſententiam confirmandam, aut negandam motionem prævíam conferre poſſunt? cùm è contrà ea ipſa principia ſint, quibus D. Thomas prævíam motionem ſtabilit ac defendit.

Sed audiendus eſt ipſe Cajetanus, ne quid præter ipſius mentem dictum exiſtimari poſſit. Ita igitur habet. *Ad ſecundam rationem dicitur, quòd prima conſequentia nihil valet*: ſcilicèt prima cauſa priùs naturaliter reſpicit effectum quàm quęcumque alia cauſa: Ergo ſi neceſſariò cauſat, omnis effectus in illo priori habet neceſſariam habitudinem ad ipſam: *Quoniam prima cauſa non attingit effectum cauſæ ſecundæ in ipſa, ſed modificata cooperatione ſua juxtà modum ipſius cauſę ſecundę: & propterea effectus cauſæ ſecundæ in nullo priori haberet neceſſariam habitudinem ad primā, ſed ſolam ex ſe cōtingenter fieri habitudinem haberet*: id eſt, ſolam ex cauſa ſecunda, & proxima contingentiam haberet. Sicut licèt à motu Solis omninò neceſſariò plantę generatio dependeat; cùm tamen cauſa proxima quæ cauſam primam univerſaliorem determinat, & modificat, parem neceſſitatem non habeat, ſed poſſit deficere; ideò & germinatio plantę eſt contingens. *Illa enim propoſitio aſſumpta*, proſequitur Cajetanus, tanquā totius diſcurſus principium, & fundamentum, ſcilicèt prima cauſa priùs naturalitèr reſpicit effectum quàm quæcumque alia cauſa; *Non eſt ſic intelligenda, quaſi ſit aliqua duratio naturę, in cujus primo inſtanti cauſa prima reſpiciat effectum, & in ſecundo cauſa ſecunda: puerilis enim eſt iſte ſenſus, ex quo tamen conſequentia proceſſiſſe videtur*. Si enim & cauſam primam, & cauſam ſecundam ſimul agere quis intelligat, quantumvis cauſa prima, ſeu prævíâ, ſeu ſimultaneâ ſolùm operatione agat & moveat, ſatis animadvertet nunquàm inferri poſſe, quòd effectus in illo priori quo à cauſa prima reſpicitur, & attingitur, neceſſariam habitudinem ad ipſam habeat. Sed dumtaxàt inferri poterit quòd effectus à cauſa prima non oritur, niſi ut modificata virtute, & conditione cauſę ſecundę. Quo igitur ſenſu intelligenda eſt, & verum habet ea propoſitio? *Intelligenda eſt*, inquit Cajetanus, *quoad independentiam, & intimitatem: attingit enim prima cauſa effectum ſecundæ; & independentiùs & intimiùs, quàm ſecunda, vt patet in principio libri de cauſis, & propterea dicitur reſpicere priùs: ex hoc autem ſenſu nihil conſequentiam valere patet*.

Hæc Cajetanus: ſed hæc quid efficiunt, ut negatam fuiſſe à Cajetano motionē prævíam exiſtimetur? Negat Cajetanus cauſam primam priùs naturâ reſpicere effectum quàm cauſa ſecunda reſpiciat, ita ut priùs effectus in uno veluti inſtanti impreſſionem cauſæ primæ recipiat: Ergo negat

Cajetanus cauſam primam priùs movere cauſam ſecundam. Quis hanc conſequentiam probet aut ferat? Verùm equidem eſt, negatum à Cajetano, ut & à D. Thomę aliis omnibus Diſcipulis, quòd cauſa prima ita ſecundam moveat, ut priùs in uno inſtanti effectum cauſæ ſecundæ attingat, quàm ipſa cauſa ſecunda: ſed nunquàm negatum eſt priùs cauſam primam effectum cauſæ ſecundę reſpicere, quatenùs cauſæ virtutem confert quæ ipſam cauſam cum effectu conjungit.

Sed antequàm his finem imponam, paucis demonſtrandum eſt, iis etiam in locis Cajetanum D. Thomæ principia aſſecutum, prævianı motionem admiſiſſe à D. Thoma admiſſam. Et revocanda etiam ſunt quæ à Cajetano ad ſolvendam primam Scoti rationem dicta ſuprà retulimus. Hæc enim duo vel tria Cajetanus aſſeruit. In primis. *Quòd cauſa ſecunda nullum effectum producit, niſi virtute primæ concurrente. & conjungente virtutem ſecundæ ſuo effectui, quoniam prima omnia attingit immediatè immediatione virtutis.* Hæc habet in ſolutione primi argumenti: deinde quæ nos retulimus: *Cauſam primam dici attingere effectum cauſæ ſecundæ priùs, id eſt independentiùs, & intimiùs, ut dicitur in libro de cauſis.* Atquì ea omnia deſumpſit Cajetanus ex Divo Thoma qu. 3. de Potent. art. 7. ubi in confeſſo eſt apud omnes D. Thomam motionem prævianı docuiſſe. Et ſanè ut ea Cajetani cum D. Thoma ſumma conſenſio ipſis etiam oculis pateat, afferenda ſunt, quæ habet D. Thomas. *Sic igitur*, inquit, *ſi conſideremus virtutem quâ fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in lib. de cauſis: quòd virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum.* Dixerat verò D. Thomas jam antea, quòd, *Quantò aliqua cauſa eſt altior, tantò eſt cōmunior, & efficacior, & quantò eſt efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum... At verò ipſum eſſe eſt cōmuniſſimus, primus & intimior omnibus aliis effectibus.* Quis verò in his ſummam, & Cajetani, & D. Thomę, conſenſionem non animadvertat? Sed ut palam ſit nihil eos efficere aut obtinere qui Cajetanum objiciunt tanquàm motionibus prævиis adverſum, quique Recentiorum ſententiam ante ipſos Recentiores docuerit; afferendus eſt luculentiſſimus Cajetani locus, in quo eruditus Lector animadvertat utrùm Cajetanus cum Recentioribus conſentiat.

Obſervandum igitur eſt, non eum eſſe unicum Cajetani locum qui potuerit nobis objici. Ne quis enim exiſtimet ſe reconditū aliquem Cajetani locum, & nobis anteà inexploratum in lucem produxiſſe, moneo eadem omnia atque iiſdem ferme verbis dixiſſe Cajetanum eâdem 1. par. quæſt. 14. art. 13. cujus verba ex parte ſuprà retulimus. Verùm ſuſpicor ex his duobus locis Cajetani, quæ Recentiores latuiſſe non exiſtimaverim, hunc ex quæſt. 14. licèt ordine primum eos tacuiſſe, quòd ibidem plurima addidiſſet Cajetanus quæ ſibi parùm favere animadverterent. Sed reponenda ea ſunt, ut manifeſtiùs ſit, admiſſum à Cajetano principium, quo nullum capitaliùs Recentiorum ſententiæ adverſari unquàm poſſit: nimirùm etiam à cauſa neceſſaria oriri poſſe effectum, & liberum, & contingentem: ſi tamen cauſa proxima aut libera aut contingens fuerit, ad cujus genium cauſa altior, etiam neceſſaria, concurſum temperaverit. Ita verò habet Cajetanus 1. par. quæſt. 14. art. 13. *In propoſito igitur dico, quòd non repugnat, effectum eſſe contingentem, & cauſam remotam, ſive illa ponatur prima ſimpliciter ſive non, eſſe ſimpliciter neceſſariam. Et hoc convincitur in Syllogiſmis, ubi concluſio contingens ſequitur ex Majore neceſſaria, & Minore contingente, & ex primis principiis neceſſariis omnes propoſitiones procedunt. Convincitur etiam ratione: quia pluralitas ab uniformitate, motus ab immobili, difforme ab uniformi oportet quòd procedat: ſed contingens habet rationē pluralitatis, motus, & difformitatis, quia poteſt aliter ſe habere: neceſſariū autem habet rationem unius, immobilis, & uniformis: quia impoſſibile eſt aliter ſe habere. Ergo contingens à neceſſario, & non è converſo procedit naturaliter: ac per hoc non repugnat, ſed conſonat contingenti, quòd à ſimpliciter neceſſario ortum habeat.* Hęc omnia Cajetanus: quæ in primis ex Divo Thoma deſumpta fuiſſe facilè animadvertet, quiſquis eorum quæ ſuprà retulimus ex eodem Divo Thoma meminerit, & quibus prætereà nihil magis adverſum Recentiorum ſententiæ dici unquā potuiſſe arbitror. Enim verò ſi contingens aut liber effectus ex neceſſaria cauſa, & quæ etiam neceſſariò ageret oriri poſſit, ſi tamen ea cauſa ſeſe cauſarum inferiorum naturæ, & conditioni accommodet, & attemperet: cur negetur effectum liberum oriri poſſe à Deo movente, libertatis omnis fonte, primoque principio, & qui voluntatem liberam non niſi juxtà ipſius conditionem, id eſt per modum liberi movet. Hæc ſanè quiſquis conceſſerit, non video cur præmotiones prævias non admittat. Sed hæc ſatis de mente Cajetani, etſi unicum D. Thomam in ejus Scholā Magiſtrum audiamus, à quo ſi unquàm deflexerit Cajetanus, ipſum ut ſuæ Scholæ deſertorem viciſſim deſerimus. Sed preſſis etiam veſtigiis Cajetanum ſequutum fuiſſe Divum Thomam jam ſatis ſuperque demonſtravimus, tum hìc tum etiam alibi, ubi egregiam Cajetani obſervationem ex D. Thoma etiam deſumptam fusè explicuimus ſupra quæſt. 9. art. 5. Videri etiam poteſt Sapientiſſimus Lemos Tom. 3. ubi de mente Cajetani ſatis fusè agit.

DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA.

DE LIBERTATE CREATA.

ETSI *Libertate simul fictus, simul Rex factus homo, ut inquit Basilius Seleuciensis, tanquàm universi arbiter omnibus imperet, omnia sub potestate habeat, eoque dominio potissimùm Divinam imaginem referat; agnoscat tamèn necesse est, concesso sibi in res omnes imperio, Divinæ nihilominùs potestati se subjici: & ut inquit S. Augustinus lib. in Adversarium legis, & Prophetarum cap.* 13. Sic datum sibi esse liberum arbitrium, ut necesse sit vivere sub potestate melioris. *Et verò, inquit idem D. Augustinus lib.* 1. *Retract. cap.* 1. *nihil equidem ratione melius, nihil libertate nobilius, quâ rebus omnibus homo supereminet, Angelis solùm paulò inferior, quibus tamen parem sibi ex libertate gloriam comparare possit, si conantem gratia adjuvet: sed tamen* nec secundùm ipsam *rationem aut libertatem* vivere homo debet, qui beatè vult vivere, alioquìn secundùm hominem viveret, cùm secundùm Deum vivendum sit. *Regnet, imperet homo, in tanto fastigio constitutus, omniaque infra se jacêre conspiciat, nihilque ipsi optandum supersit: verùm ut ad felicitatem ad quam natus est contendat ac perveniat,* non seipsâ debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est. *Inclamet homo semper necesse est cum Davide Propheta,* Deus meus misericordia mea. *Psal.* 58. *Et cum S. Augustino in grati animi argumentum subjiciat:* Totum quidquid sum, de misericordia tua est. *Nondùm absolutum est destinatum æternitati opus, prima dumtaxàt lineamenta impressa sunt, nondùm nisi* initium aliquòd creaturæ Dei *gratia cœlestis, & operatrix effecit. Quis nobili operi ultimam manum impone t? Et quid solus agerem aut agere olim potui, ut essem antequàm essem?* Si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequàm essem: Porrò si omninò nihil eram antequàm essem, nihil promerui ut essem. Feciſti ut essem, & non tu feciſti ut bonus essem? dediſti mihi ut sim, & potuit alius mihi dare ut bonus sim? Si tu mihi dediſti ut sim, & alius mihi dedit ut bonus sim; melior est ille qui

mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui dedit mihi ut sim. Porrò quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te misericordiâ largior, à quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus sim: Deus meus misericordia mea. *Sed si quamvis integra perfecta que libertas, & qualem à Deo conditus homo acceperat, comparandæ beatitudini satis esse non potuit: quid agat in corrupta natura inclinata libertas, cum sua jam* mobilitate ruens, *ut inquit S. Prosper*, in vulnera vulnere surgit. *Nemo se primæva illa libertate, & cum aliis innocentiæ dotibus conjuncta liberum putet, & satis magnam sibi felicitatem contigisse arbitretur, si, ut loquitur D. Paulus, qui* vocatus est in Domino servus, libertus *sit* Domini 1. *ad Cor. 7. Hæc una jam omnium maxima nuncupatio, hic amplissimus nobilitatis titulus, si libertus Domini recuperata libertate Christianus nuncupetur. Et verò inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Jacob. & vita Beata cap.* 3. Quis quasi Idiotam Paulum vel in ipso jure asserat? scivit enim discernere inter libertatem, & libertum: Et ideò non perfunctoriè, sed propriè dixit. „ Qui vocatus est in Domino servus, libertus est Domini. „ Reverà enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber, *nisi ea libertate quæ cum servitute conjuncta est. Conditus homo est ut dominaretur Orbi, & quod erat difficiliùs imperaret sibi: sed absit ut ab hujus potestate à quo conditus est sese subducere velit. Libertate sibi concessa malè usus homo, servusque effectus, libertate redempta libertus Domini factus est. Sed absit ut libertate recuperata iterum abusus adversùs liberatorem suum sese erigat.* Servus es, *inquit idem Divus Ambrosius*, qui creatus es; servus es, & quasi Domino servitutem debes, & quasi redemptori. *Duplex igitur servitutis titulus, & creatio, & redemptio. Liber homo conditus est, sed ea lege ut sub conditoris manu, & potestate maneret. Liber effectus est, sed ut nunquàm se emancipatum, & manumissum arbitraretur. Absit enim, inquit Sanctus Augustinus, lib. 1. contra Julian. cap. 78. ut se emancipatum à Deo haberi unquàm homo velit*, cùm emancipatus in familia Patris non sit. *Igitur & libertas in ea quæ infra hominem sunt exercetur: erga ea quæ supra sunt servitus est. Atque ea vera libertatis ratio existimanda est, quæ cum servitute conjuncta Divinæ potestati se regendam permittit. Difficilem equidem esse Divinæ gratiæ ac motionis cum libertate concordiam nemo est qui dubitet, sensitque olim Sanctus Augustinus, à quo dictum est in lib. de gratia Christi cap.* 47. Ista quæstio ubi de libero arbitrio voluntatis, & de gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. *Verùm difficultatem injecit, aut plurimùm auxit libertatis notio, quæ adeò tenera existimata est, ut Divinæ ac omnipotentis manus contactum ferre non possit, quæque inter ipsas creatoris manus nisi ipsi blandiatur expiret: & ut olim à D. Prospero dictum est Carmine de ingratis*, Arbitrium quod sanat gratia, tolli - dicitis & perimi vita aspirante putatis. *Sed quis putet tam fragilem tenuemque libertatem à Deo effectam esse, ut nec ipsius opificis à quo facta est, ut reficeretur, omnipotentissimam, & creatricem manum ferre posset: Aut quis putet tam morosam, difficilem, ac pervicacem conditam esse, ut nisi mulceatur, frangi malit quàm subjici. Verùm*

quàm

quàm longè alia mens fuit SS. Viris Augustino, & Thomæ: penès Deum esse arbitrantur, voluntati concessam inclinationem, & potestatem, in omnem partem, ut libuerit, mutare, movere, transferre. Atque ea sanè existimanda est vera libertatis notio, ut Divinæ gratiæ imperium pati possit. Et ea inprimis ubi de constituenda libertatis vera ratione agitur, ex Sacra Scriptura Patribusque regula statuenda foret, summum esse non minùs in voluntatem, quàm in res cæteras Dei imperium ac Dominium: atque eâ regulâ semel constitutâ, ea censenda esset veræ libertatis ratio, quæ Divinæ & effectricis motionis jugum pati velit, nec supremum summumque dominium detrectet, sed Divinæ potestati ad nutum humilis cedat, obediat, seque flecti sinat. Hæc omnia nostrâ methodo quam hactenùs prosecuti sumus, secundâ hac Dissertatione ex S. Thoma explicanda suscipimus, cui dicenda omnia, ut & hactenùs dicta omninò accepta referimus. Unde spes nobis est, omnia, ut cum Tertulliano loquar, lib. de Anima cap. 57. solidâ, contrectabili, & satiatâ veritate fore explicanda. *Quid enim capacissimum D. Thomæ ingenium latuit, quod luculentissimis operibus, & ut nescio quis olim ad veritatem firmitatemque longo tempore duraturam significandam dixit,* ad incudem fabricatis, *complexus non sit? ut verius Sanctus Doctor quàm Tertullianus ipse, egregiam hanc Vincentii Lirinensis commendationem meruerit: mirâ quâdam mentis capacitate nihil non complexum fuisse: adeòque gravi ac vehementi ingenio excelluisse, ut* nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere *argumentorum* eliserit: *& quoties difficultatem aut quæstionem aliquam enodandam aggressus est, neminem esse quem rationum densitate, & multitudine ad sui consensum non impulerit ac coëgerit.* Cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ. *Hæc spero probaturum Lectorem ut non nimiùm mihi blandiri videar, si quod à me probandum explicandumque susceptum est, invictis argumentis me demonstraturum pollicear, non enim ea futura mea laus est, sed Angelici Præceptoris, quem unum dumtaxàt loquentem semper exhibiturus sum.*

QUÆSTIO I.

De vera Notione Libertatis.

CUm igitur nobis in animo sit integram perfectamque, ac suis omnibus partibus absolutam de libertate tractationem instituere; inprimis necesse est, & hujus naturam inquirere, & naturæ primam originem indagare: deinde variæ ejus dotes explicandæ sunt: ac potissimùm indifferentia quâ laudis meritique capax est. Et cùm libertatem Deus animo ut fulgentem annulo gemmam inseruerit, ut inquit Sanctus Bernardus Serm.81. in Cantica, nullam ipsi, tanquàm naturę partem, peccandi potentiam inesse demonstrandum est, quâ velutì nævo deformetur. Quòd si quandò peccato obscuretur, divinâ motione eam velutì gemmam expoliri, perficique, ac pristinum splendorem ipsi restitui, aut majorem ex divina gratia superaddi ostendendum est. Cùm verò omnia quæ tota dissertatione diffundenda sunt, olìm brevi in Academia Tolosana Oratione complexi simus, non erit absre si eam priùs tanquàm dicendorum Synopsim referamus.

ARTICULUS I.

Synopsis dicendorum: libertatis natura, perfectio, & cum Divina Motione concordia.

CUm primùm divinæ motionis ac gratiæ cum libertate creata concordiam ut pro meritis explicarem, seriâ mecùm cogitatione cœpi perpendere, tum in animum subiit, ac penè stupentem admiratione defixit, nescio quo fato, & quâ opinionum ac morum consensione, perturbationum omnium, & eorum quæ præter fas, & jus in vita hominum accidere plurima solent, ac concertationum quæ maximè fervent in scholis, eandem, & primam originem esse tuendæ libertatis amorem, & studium. Perviderat hæc olìm divinus Propheta Job feliciter infelix, ut cum D. Augustino loquar, ac in pulvere, & cinere solus, & in otio meditabatur: indè scelera omnia, velut è corrupto fonte oriri: *Quòd vir vanus in superbiam erigitur, ac tanquàm pullum agri se liberum natum putat*: Job. 11. & per sylvam desideriorum addit S.Gregorius, & illicita, libertate indomita, ac erectâ cervice, & excusso divinæ legis jugo, abripi se se motibus naturæ permittit. Quin & D. Petrus, quem Theologorum apicem, & vertícem S.Dionysius nuncupavit, indè Magistros mendaces, ut vocat, qui tum novis dogmatibus nascentis Ecclesiæ fidem corrumpere moliebantur, certo velutì charactere dignoscendos, & cavendos esse denunciat, quòd pelliciunt homines dum illis libertatem pollicentur. 2. Petri 2. Nihil sanè libertate dulcius, cujus amore, ac spe omnes alliciuntur; at nihil periculosius, cujus studio omnia sibi mortales permittunt, dum quod libet licere putatur.

Sed quid referam, quæ olìm Imperia, & Regna tuendę libertatis amor everterit? Quot scelera in Orbem invexerit? Noverat & quæ mala eam ætatem consequantur, cùm homines primùm in libertatem vindicati vires suas experiri solent, qui non tam hoc carmine cecinit, quàm eam libertatis infelicitatem luxit: *Quem non corrumpit pubes effręna, noveque -- libertas properata togæ, seu nescia falcis -- Sylva comas nutrit, fructumque expirat in umbras.* Stat.lib.5.Sylvar.

Atquì & eadem concertationum omnium causa, quę olìm in Africa, & Europa, tot inter ingenia, aspera bella, tamque diuturnos in Ecclesia tumultus excitarunt. Quid enim aliud prćter tuendę libertatis studium, divinæ electionis invictam & insuperabilem vim, ut S.Augustinus vocat, aut negare omninò, aut certis temperamentis ut vinci posset, olìm Pelagianos emollire coĕgerat; quorum mentes adeò invaserat hujus noxiæ ac infelicis libertatis perversus amor, ut Dei potiùs quàm hominis jura in periculum vocare maluerint. Quibus olìm D. Augustinus reponebat: *Adeonè liberi esse volunt, ut nec Deum velint habere Dominum.* Lib. de Spiritu, & littera cap. 3.

Quare & illud divina motio, cui grato animo referendum est, si quæ spes salutis affulgeat, suo jure à me postulare videtur, ut eam, quâ immeritò gravatur, injuriam depellam: & eam cum libertate suam concordiam, consensionem mutuam, & amicum utriusque fœdus explicem, & defendam. Hoc igitur in hujus interpretationis argumentum assùmo, nullum ex divina motione libertati periculum creari, nec imminere, sed è contrà motione divinâ humanam libertatem regi, foveri, perfici: & ut inquit S. Augustinus, *eò liberior est voluntas quò sanior, eò sanior quò divinæ gratiæ subjectior.* Epist. 89.

Et quidem nè leviter solùm, & superficie tenùs rem attingam; sed ut Theologum decet, ad primam originem omnia revocem: primùm necesse est libertatis definitionem, & imaginem integram, & absolutam, suisque omnibus lineamentis expressam ob oculos ponam. Et sanè mirum

rum eſt quàm tenuem, quàm exilem, aut veriùs quàm deformem eam effingant, qui potentiam peccandi partem libertatis eſſe contendere non dubitant, qui eam vagam, ſolutam, effrenem, indomitam, nullius fræni, nullius imperii, etiam Divini, patientem eſſe volunt. At quàm alia Sanctis Auguſtino, & Thomæ mens quos ſanctitas ipſa edocuerat? libertatem inquiunt ſummam eſſe parêre Deo, cui ſervire regnare eſt. Igitur Divo Thoma auctore libertatẽ ita definio, 1. par. quæſt. 62. art. 8. *Libertas eſt vis electiva mediorum, ſervato, non prætermiſſo, ordine finis.* In eo ſcilicèt poſita eſt libertatis perfectio, non ut effrenis ſit, & abſque jugo, ſed ut ſummo bono, ultimoque fini adhæreat: ultimo inquam fini, quod ſemel animadvertiſſe velim, ne quem ea ſententia fallat, ſeu in communi, ſeu in particulari, Deo per gratiam: ex eaque adhęſione mutabilitatem omnem qua in media feratur coërceat, & metiatur.

Atque ut hæc à primis principiis repetam, nemo neſcit primam libertatis originem eſſe rationis judicium: quo quiſque quid fugiendum, quidve optandum ſit, dignoſcit, inquit Boëtius lib. 5. de conſolat. proſa 2. *Unde quibus ineſt ratio, ipſis etiam ineſt volendi nolendique libertas.* Pervidendum igitur, quid in intellectu accidat, quis ſit mentis, & rationis ordo; ut quid in voluntate conſequatur exploratum ſit. Obſervat igitur D. Thomas ex D. Auguſtino, & ex Boëtio, Platone, Ariſtotele, & cęteris melioris notę Philoſophis, duplicem in intellectu veluti partẽ diſtingui, ſuperiorem alteram Platoni, & S. Auguſtino mentem, Ariſtoteli autem, & Boëtio ſimplicium intelligentiam, quæ Divinis conſpiciendis, & contemplandis, & ut inquit Divus Auguſtinus lib. 12. de Trinitat. capit. 4. ſapientiæ deputatur: Alteram verò partem inferiorem, quam egregiè S. Thomas ex veteri quodam Iſaaco intelligentiam, ſeu *mentem obumbratam vocat*, rationẽ ſcilicèt, quę ſcientiis, ut inquit S. Auguſtinus, deputatur, quibus comparandis per multa, variis ratiociniis veluti variis motibus fertur.

Verùm ea eſt utriuſque partis comparatio, inquit ex Boëtio D. Thomas 1. par. quæſt. 79. art. 8. ad 2. quæſt. 15. de verit. ar. 1. ad 9. Qualis eſt unitatis ad numerum, æternitatis ad tempus, centri ad circulum. Ut enim unitas ſimpliciſſima prima eſt multitudinis numerique menſura; æternitas firmitatem habet, qua temporis perpetuò labentis inconſtantiam, & mutabilitatem omnem firmet, & regat; centrum immobile eſt, lineaſque implicat, & convolvit, quas latiſſimè, circumquaque circulus explicat, & diffundit: ita ſuperior illa pars animæ intelligentia primis principiis ac ſimpliciſſimę veritati, ſimpliciſſimè ut unitas, immobiliter ut ęternitas, unitè ut centrum, inhęret. Ratio è contrà ſervato eo principiorũ ordine, veluti ducto filo quo regatur, per multa ut numerus, ſucceſſivè ut tempus, circumquaque ut circulus diffunditur, & diſcurrit. Atque ita fieri neceſſe eſt, inquit D. Thomas ex S. Dionyſio, ea lege rebus omnibus conſtituta, ut ſupremum infimi aſſurgat, & attingat infimum ſupremi. At verò ea parte, qua intellectus humanus primis principiis inhęret, ad Angelorum ſortem evehitur: *In quantùm animæ*, ut ait S. Dionyſius, *multa ad unum convolvunt, Angelis æquentur: ſecundùm verò quòd habent rationabilitatem, diffuſivè circumeunt*: opuſc. 70. quæſt. 6. art. 1. Scilicèt inſtar circuli ex centro diffuſi, ad multa feruntur, compoſitione, diviſione, ratiociniis, quibus & Angelis inferiores ſunt. Igitur ita ſe res habet in intellectu; ſuperior ea pars inferiorem regit, & ad multa ſuo diſcurſu, & ſuis ratiociniis ferri permittit: temperat tamen, & primis principiis velut injectis habenis moderatur, & coërcet.

Atquì ita etiam de voluntate exiſtimandum eſt, inquit S. Thomas, ea ratione quòd poſteriora, & quæ conſequuntur, cenſenda ſint ex prioribus quæ antecedunt, & ex quibus oriuntur. Duplex igitur in voluntate veluti pars diſtinguenda eſt, altera libertas voluntatis, altera libertas arbitrii: ſeu ut clariùs loquar in re admodùm obſcura, & difficili, voluntas ut natura eſt, & voluntas ut libera eſt. Etenim, inquit Sanctus Doctor, ita rectè inſtitutus ordo habet, ut quod prius eſt, & antecedit, in poſteriori etiam locum habeat, ſibique vendicet. Prius verò quod eſſe unquàm aut fingi poſſit, eſt natura, cæterorum omnium primum, & immobile fundamentum. Igitur, & in ipſa voluntate rationem naturæ reperiri neceſſe eſt. Quare ſicut ratio naturæ immobilis in intellectu elucet, quòd primis principiis inhæreat; ita & in voluntate ratio naturæ cenſenda eſt, quòd ſummo bono ultimoque fini immobiliter adhæreat, eoque regatur. Atque inde iterùm eadem inſtituenda eſt comparatio voluntatis cum libertate, ſicut mentis cum ratione. Voluntas igitur ut natura eſt, ad ipſam libertatem refertur; ſicut unitas comparatur ad numerum, & centrum ad circulum: Voluntas uni ultimo fini, & uni ſummo bono adhæret; inde libertatem ad media vel eligenda, vel reſpuenda ferri permittit, ſed ea finis adhæſione veluti adhibitis frænis eam retinet, ne præceps feratur.

Neque verò id ſolùm voluntati, & libertati eximium eſt. Ita enim etiam in rebus omnibus videre eſt: omnis ſiquidem motus fundatur in immobili, inquit S. Thomas. Ita dum deſcribitur circulus, pes unus immobiliter centro hæret; & quo firmior ac immobilior eſt, eo pes alter ſecuriùs circulum deſcribit. Sic oſtium cardini immobili nititur, undè omnis motus dependet. Sic in artibus omnibus, amor finis principium eſt omnium quæ ab arte fiunt, ſummoque jure dominatur. Ita demùm, vt dictum eſt, intellectus primis principiis inhęret, quibus rationem, & diſcurſum omnem moderatur, ac regit. Igitur, & pari jure voluntatem ſummo bono ultimoque fini immobiliter adhærere neceſſe eſt, ut electionem omnem mediorum propriâ ſuâ libertate eligendorum dirigat, & coërceat; à quo ſi libertas decidat, nulla voluntatis laus eſſe poteſt

test, sed è contra summa infelicitas; sicut nulla intellectûs perfectio esse potest si prætermisso ordine principiorum discurrat: id enim non discurrere, sed vagari ac errare est. Igitur ut tandem eam rationem multis confirmatam colligam: ea est libertatis definitio integra, eaque ipsius imago suis omnibus lineamentis expressa, scilicèt libertatem vim esse electivam, non vagam, non effrænem; sed quæ servato, non prętermisso ordine finis, ad media feratur.

Atque hæc cùm ita sint, æquos Judices compello, quibus ex veris, non ex anteceptis perceptionibus, statuere licet, quid ex divina motione, quid ex gratia divina, metuendum sit humanæ libertati, cujus prima origo est ad summum bonum adhæsio? Quid enim efficit divina motio, quid divina gratia? arctissimè nos Deo ultimo fini, summoque bono, idest, ipsiusmet libertatis parenti, & fonti jungit, nectit, & si velint, constringit. Quis dixerit rationis jura lædi, aut discursûs leges everti, quòd intellectus si quandò errare contigerit, ad prima naturæ principia, aut ex fide ad primam veritatem reducatur? Atquì eadem est, & intellectûs, & voluntatis comparatio, & à primo fine libertas, sicut à primis principiis ratio dependet.

Atque id vel ipsâ naturâ monstrante compertum est, ut ea omnium sapientum, omnium Ecclesiæ Patrum, totiusque Sacræ Scripturæ vox sit, debere hominem nedùm fidelem, sed & rationis compotem, ipsam virtutem, rationem, ac Deum velutì pressis vestigiis sequi, ipsique obtemperare: indè majorem futuram homini libertatem, in turpissimam servitutem prolapsuro, si supremi numinis leges abjecerit. *Perambulabam,* inquit David, *in innocentia cordis mei.* Psal. 100. Sed unde tanta latitudo, & in exigua admodùm parte, in uno Davidis corde, & pectore velutì delitiis patens in immensum diffusa planities? scilicèt, inquit S. Augustinus, quia *Arcta est omnis malitia: sola innocentia lata est:* Solius est virtutis libertas comes. Et ut inquit idem S. Doctor, tract. 41. in Joan. *Non habet Deus inimicos liberos; sed unde inimici indè servi facti sunt.* Sed unde ista Senecæ vox, quam Ethnico ereptam Theologos usurpare peroptandum est. *In Regno nati sumus, parêre Deo libertas est.* lib. de Vita Beat. c. 15. Quisquis, pergit, rebus infimis hærens ad superiora progressus se se altiùs extulerit, laxam post se catenam trahet in libertatem vindicatus. At quisquis aliud præter summum bonum quęrit vel optat, libertatem suam sub jugum mittit turpissima servitute depressus. Sed unde hæc Epicteti vox ingenti animo emissa: *Adversùs me nulli hominum quidquàm est potestatis: vindictâ divinâ liber factus sum.* Apud Arrian. lib. 4. Vindicta manumissionem significat, quòd olim servi virgâ capiti ipsorum impositâ in libertatem vindicarentur: unde illud Horat. 2. satyr. 7. *Quemter vindicta quaterque -- imposita haud unquàm miserâ formidine privet.*

Sed unde demùm hæc totius humani generis vox, renuntiandum rebus caducis ad serviendum Deo liberiùs: & illud *Servire Deo regnare est.* Omitto Philonem S. Hieronymi judicio Judæorum disertissimum. Boëtium, in quo ultimo eloquentiæ Romanæ majestas extincta est, & cæteros omnium sectarum Philosophos, quibus nihil compertum magìs quàm libertatem effrenem, vagam, libidini proximam, summam esse hominis infelicitatem; libertatis, & lucis parem conditionem esse, futurum majus utriusque incrementum, quò propiùs ad Deum animorum Solem accesseris.

Sed D. Ambrosium prætorire non licet, qui Epistolâ septimâ bene longâ Simpliciano scriptâ, omni argumentorum genere primam libertatis radicem, ac primam originem esse demonstrat adhæsionem ad summum bonum, virtute, sapientiâ, & gratiâ conciliante comparatum: ac primùm in his duobus quos in typum, & prædestinationis, & reprobationis S. Paulus assumpsit, Esaü scilicèt, & Jacob. Etenim *dictum est, quia major serviet minori*, Esaü videlicèt Jacob, insipiens sapienti: atque imperium hoc Jacobo, quem nuper habitasse *in Domo Doctrinæ*, & scholis, & Religioni præfuisse dicebam, & quem, Divus Ambrosius eò respiciens, *disciplinarum omnium fontem* nuncupavit, hoc inquam imperium Jacobo virtus asseruit: *Sapientiæ enim meritò*, inquit, *prælatus est sapiens seniori.* Ac postmodùm cum Sophocleum illud retulisset: *Jupiter mihi præest, nullus autem hominum*: tandem præclarissimè ac planè divinè ex D. Paulò tantùm abesse demonstrat, ut ex ea ad summum bonum adhæsione quidquam libertati metuendum sit, ut è contrà tantùm libertas augeatur, quòd etiam supra seipsam assurgat, & subjici Deo supra libertatem sit. Ita enim D. Ambrosius loquitur: *Docuit Apostolus quid ultra libertatem sit, ut & servire Deo libertas sit. Quid verò est ultra libertatem, nisi habere spiritum gratiæ, habere charitatem? libertas enim liberum facit, charitas amicum Deo.* Egregiè equidem, & plane divinè: libertas enim si sola spectetur, hominem capacem Dei, similem Deo, vel ut maximè Deo propinquum efficit: at gratia tantoperè libertatem evehit, ut hominem Deo charum, & amicum efficiat.

Cùm igitur hæc ita sint, cui in mentem veniat, divinâ Prædestinatione, & divinâ motione, & gratia quæ nos felici amicitiæ vinculo Deo nectit, (& utinam nunquam rumpendò constringeret,) divinâ inquam gratiâ auferri, minui, lædique vel minimùm libertatem? Erit ergo ille liber qui per scelera præceps, & legibus solutus, & gratiæ, & ut inquit sapiens, *Divinæ Providentiæ profugus*, renunciabit? Erit ergo aut nulla aut tenuissima Beatis, quin etiam, & Deo relicta libertas, in quibus nulla peccandi facultas est? Erit demùm in hac infelici hominum sorte, dum eam ad summum bonum adhæsionem abrumpere, & ab æterna Beatitudine decidere possunt, perfecta libertas? Igitur ut integrum

tegrum Argumentum colligam, cùm ea sit libertatis conditio, ut ex adhæsione ad finem tota dependeat, sitque vis electiva mediorum, servato, non prætermisso, ordine finis; compertum est eò majorem futuram esse libertatem, quò perfectior erit adhæsio.

Verùm ut explicata jam semel veræ libertatis ratione, ad objecta veniam, obtrita, & profligata olim S.Augustini, & S.Thomæ Responsionibus, & quæ resarcire, & reparare nituntur qui contrà sentiunt, & qui nimiam libertati indifferentiam tribuunt: An non, inquiunt, ad libertatem pertinet utraque illa, & contrarietatis, & contradictionis indifferentia, ut pari *libramento*, ut inquit S. Basilius lib.de Spiritu S. cap.16. & ad vitium, & ad virtutem lancem utrinque suspensam inclinare possit? & quamnam reportatura est laudem voluntas, si justitiæ ac virtuti quam semel amplexa est, veluti Polypus saxo, adhæreat, nec resilire unquàm possit? cùm pro summa laude, & commendatione dictum sit, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit* Eccles.31. Verùm quis ista neget, & ut cum S. Augustino loquar libro de duabus animabus cap. 11. *Nonnè ista cantant in montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in locis sacris, & in orbe terrarum genus humanum*. Quis neget, relictam fuisse homini infelicem eam potentiam, qua in utramque partem flecti possit, seu erigi ad virtutem, seu in vitium deprimi? Sed ea est infelicitas libertatis, gravis defectus, nævus quo hujus pulchritudo deformatur: non natura, non perfectio, non extensio: & ut inquit Tertullianus lib 2. contra Marcion. cap. 6. *Adscripta est homini quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrii*: emancipati bono sensu per me licèt, ut sibi mereri possit; sed nunquàm manumissi, quòd extra potestatem Dei moventis, & flectentis nunquam esse posse existimandum sit. Et verò eam potentiam peccandi ac deserendi virtutem, & à summo bono æternaque salute excidendi, ut defectum esse libertatis, & infelicitatem summam esse non ægrè concesserim, partem autem libertatis eam esse omninò negaverim.

Igitur homini utraque relicta libertas est, & contrarietatis, & contradictionis; sed utriusque longè dispar ratio est. Posse enim virtutem amplecti, posse & in vitium ruere, prætermisso ordine rationis,& finis (quæ est indifferentia contrarietatis) summa est liberi arbitrii infelicitas: posse agere, posse non agere, servato, non prætermisso ordine rationis, & finis (quæ est contradictionis indifferentia) natura est libertatis.

Sed inquiunt: Quî fieri unquàm possit, aut quis satìs unquàm explicet, ut tum etiam dum hominis voluntas motione divina flectitur, dum inclinatur, dum agit, possit etiam non agere? hic equidem scopulus ad quem plurimorum naves veluti tempestatibus jactatæ alliduntur; sed hic etiam fidissima statio est, ubi fractas allisasque naves reparare licet. Itaque hæc duo, & reipsâ agere, & tamen posse non agere, conjungi simul facilè intelliget, quisquis adverterit, voluntatem ea lege qua facultas est, & latè patens, summi & infiniti boni capax, tanta amplitudine potiri, ut nullus singularis actus, nullum singulare bonum quod mediis actibus prosequitur, tantæ capacitati, & amplitudini par unquàm esse possit. Unde fit ut quemlibet actum summâ independentiâ, summâ indifferentiâ, & quolibet altior ipsa voluntas respiciat, summumque in quemlibet actum Dominium exerceat: unde, & possit elicere, & suspendere; possit etiam alium loco alterius sufficere; cùm nullus sit qui voluntatis capacitatem ita repleat, ut non aliis etiam locum relinquat. Atque inde Veteribus adeò frequens usus *Sensus compositi, & divisi*; *distinctio propositionis de re, & propositionis de dicto*, etiam juris Canonici Glossæ inserta, & quæ plures veluti conspectum Medusæ caput stupentes sistit, aut instar lapidum rigentes efficit. Igitur tunc etiam dum imperio rationis voluntas paret, & cùm motioni Divinæ subjicitur, immissaque Divinæ charitatis face tota accenditur, aut dulcedine rapitur; *Inspiratio enim dilectionis propriè gratia est*, inquit S.Augustinus lib. 4. ad Bonifac. cap. 5. tùm etiam voluntas potest, & eam extinguere facem, & illam dulcedinem respuere, & huic inspirationi divinæ reluctari. Equidem si comparetur actus cum actu, dum unum elicit, alterum simùl elicere planè repugnat; cùm duobus simul actibus perfici, sicut & duplici figura idem corpus terminari, & affici, nunquàm natura patiatur. At verò si comparetur actus cum potentia; cùm (ut jam suprà adnotavimus) nullus capacitatem potentiæ voluntatis impleat,vel ipsius amplitudini par esse possit: fit inde, ut quemlibet cum summo dominio, ac summa independentia, & indifferentia voluntas eliciat; ac subinde integra sit contradictionis libertas.

Sed reponunt iterum: Quî fieri unquàm possit, ut tunc dum voluntas movetur, dum flectitur divinæ gratiæ motione, possit equidem non agere, nunquàm tamen contingat non agere. Verùm languida manu missum telum sponte casso ictu concidit. Quot enim sunt in omnibus vitæ officiis, quę fieri equidem possint, quibus tamen ratio honesti ita adversatur, eaque fieri prohibet, ut nunquàm reipsà fiant? è contrà verò quoties ita voluntas boni cupidine, aut pravis affectibus trahitur, ut quamvis oppositum ratio suadeat,possitque frænum voluntati injicere,vincat tamen accensa cupiditas, & excitatus perturbati animi motus. Et ut exemplum obvium arripiam; quid non efficit ipsa iræ cupido? dum quis accenditur, dum flagrat, & fax vibrata medullis, in vultus atque ora redit. At si quis suadeat jubeatque ut sibi temperet, ipsa motione magis accenditur; & ut Seneca dixit in Me-

dæa. *Cæcus est ignis stimulatus ira, - nec regi curat, potiturvè frænos, - haud timet mortem, cupit ire in ipsos - obvius enses*. An verò non possit sibi voluntas frænum injicere? potest equidem, etiam tunc, dum accenditur, dum uritur, dum flagrat, temperare sibi si velit; & tamen efficit ipsa cupiditas ne velit. An verò, ut cum S. Augustino loquar, non efficiat charitas quod efficit cupiditas? Atque hìc mirari subit divinæ gratiæ, ac divinæ motionis genium: & quod olim mirum visum est Gilberto Abbati, Sermone 21. in Cantica: *gratiam simul efficacissimam esse, & simul artificiosam; ita ut nescio*, inquit, *quid in ea magis mirer, artificium, an efficaciam salvationis*. Ita enim tese gratia temperat, ita libertatem fovet, ita invicem ambæ sua jura permiscent, ut utraque quod sibi eximium, & singulare est, illæsum, & intactum, integrumque servet. Gratia voluntatem movet, & flectit, efficitque ut agat; & hoc sibi jus gratia vendicat, & integrum servat: at potest etiam libera voluntas efficaci gratiæ resistere, & reluctari; & hoc etiam sibi jus libera voluntas vendicat, & illæsum servat. Sinit se à divina gratia flecti voluntas, & hoc concedit gratiæ: relinquit gratia voluntati potentiam dissentiendi, & hoc permittit libertati. Potest libera voluntas si velit justitiam deserere; sed efficit gratia ne velit deserere. Deserendi potestas ex voluntate; non deserendi voluntas ex gratia. Nunquàm justitiam voluntas deserit cujus amore rapitur, quod efficacia est gratiæ: potest libera voluntas qua rapitur, & quam amplectitur justitiam deserere, & hoc artificium est gratiæ; ut verissimè dictum sit, *& efficacissimam esse gratiam, & simul artificiosam*, & nesciam *quid mirari magis debeam, an efficaciam, an artificium salvationis*. Et verò si liceret diutiùs immorari; quid mirùm, posse quidem voluntatem, nolle tamen virtutem deserere, cujus amore, cujus dulcedine, cujus voluptate trahitur, imo & rapitur: *trahit* enim, imò & rapit *sua quemque voluptas*. Quid enim divinæ gratiæ efficax motio S. Augustino est, nisi *flagrantissimæ charitatis inspiratio*: Clementi Alexandrino *Philtrum*: quo Deus *incantator animarum*, ut Ambrosius inquit, animam rapit, & dulcedine perfundit: *Nam*, ut bellà Plautus in Cassina, *vbi amor, condimentum inerit, cuivis placiturum crede. Non admiscetur fel; quod est amarum, id mel faciet amor*. Ita enim, & divinæ gratiæ motio, & efficax, & suavis, efficaciam suavitate temperat; & (ut nescio quis olim dixit, ut dulcissimum imperium significaret, *& sceptro, & plectro Regnum administrandum esse*: nec tam imperandum animis, quàm demulcendos esse animos) Ita inquam, immissa dulcedine qua hominum animos trahit, Deus imperium in ipsos exercet, ut à S. Chrysostomo observatum est. Cùm Christi Salvatoris David fortitudinem his verbis significasset; *Accingere gladio tuo*: pulchritudinem ejus qua maximè regnaret adjunxit: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & Regna. Quæ enim verborum cumulatio*, Inquit S. Joannes Chrysostomus, *quid commune habent, gladius, & pulchritudo*? scilicèt inquit, *hoc est gladius, ejus species, ejus pulchritudo*: addiderim dulcedo, qua invictissimè quidem, sed tamen suavissimè animum trahit. Unde, & facilè, & solidè Argumento quod multis solutionibus excipi solet, hanc etiam, & planiorem, & charitati forsitan suaviorem addiderim: Voluntas tum cùm ad virtutem, & ad pietatem impellitur, potest dissentire, & charitati apertum pectus claudere, si velit: sed efficit ipsa charitas, ipsa voluptas, ipsa dulcedo charitatis, ne id velit.

Igitur, ut cum gratiæ Doctore S. Augustino finem imponam: *Ecce quomodò secundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defendatur. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem*. Lib. de correpț. & gratia cap. 8.

ARTICULUS II.

Libertatis radix, triplex naturæ intellectualis capacitas.

Libertas, si vis ipsa nominis spectetur (ut sæpiùs ab Aristotele, & D. Thoma observatum est) servituti opponitur. At verò servus est, & captivus, ut rectè inquit idem D. Thomas, qui ponitur sub terminis alienis; ideſt qui regitur legibus Domini cui paret: unde nec est sui juris, neque vivit ut vult: cùm è contrà liber ille sit, qui sui juris est, & vivit ut vult. *An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam - cui licèt ut voluit? licèt ut volo vivere: non sum - liber?* dixit Libertus apud Persium Satyr. 5. Hanc utramque servitutis ac libertatis veluti definitionem, Aristoteles refert: Primam quidem 1. Polit. cap. 3. Secundam verò lib. 6. Polit. cap. 2. Atque hanc etiam postremam fusè prosequitur Cicero Paradoxo quinto quo probat, omnes sapientes liberos esse. Cùm itaque servitus quandam veluti constrictionem, & coarctationem sub alienis terminis significet, quos ipsa natura, & ratio non præfixit, necesse est, è contrà libertate servitūti opposita quandam veluti illimitationem, & amplitudinem, ac solutionem ab alieno imperio, quod scilicèt ex ipsa natura, & ratione non descēdit, significari. Atque inde variis in locis rectè colligit S. Thomas, triplicem esse libertatis radicem & originem, scilicèt triplicem naturę capacitatem, & amplitudinē, seu universalitatem: quarum altera dici possit amplitudo naturæ intellectualis, altera amplitudo rationis & judicii: altera verò amplitudo voluntatis, & electionis: sive, ut alii explicāt, universalitas in essendo, universalitas in judicando, & universalitas in appetendo aut eligen-

eligendo. Quæ triplex libertatis radix explicanda eſt, ut integra hujus notio habeatur.

Prima igitur libertatis radix, & prima origo, eſt ipſa naturæ intellectualis conditio, quæ ob ſuam immaterialitatem obtinet infinitam propemodùm capacitatem, & amplitudinem, quâ poſſit formas omnes recipere, & ut Ariſtoteles inquit, fieri omnia, acceptis rerum imaginibus, delibatis defæcatiſſimis rerum omnium perfectionibus, ut homo minor quidem, ſed tamen perfectior mundus, etiam majorem mundum mente gerat, & ut Eccleſiaſtes inquit cap. 3. 11. *Mundum tradidit diſputationi eorum*, ſed ut hebræum habet, גם את העלם נתן בלבם, id eſt, ut Vatablus etiam vertit, *Deus quoque Mundum ipſum indidit cordi eorum*.

Hujus amplitudinis naturæ intellectualis, egregiam omninò rationem affert D. Thomas ex ipſius naturæ, aut veriùs Dei naturæ authoris conſilio. Obſervat igitur q.2.de Verit.a.2. *Quòd in qualibet re creata, perfectioni quam habet, tantum deeſt perfectionis, quantum in aliis rebus reperitur: ut ſic cujuslibet rei perfectio in ſe conſiderata, ſit imperfecta velutì pars totius perfectionis Univerſi, quę conſurgit ex ſingularum rerum perfectionibus invicem congregatis. At verò*, inquit, *ut huic imperfectioni remedium aliquod eſſet, & adhiberetur, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, ſecùndùm quòd perfectio quę eſt propria unius rei in altera invenitur. Et hęc eſt perfectio cognoſcentis, in quātùm cognoſcens eſt: quia ſecundùm hoc à cognoſcente aliquid cognoſcitur, quòd ipſum cognitum aliquo modo eſt apud cognoſcentem. Et ideò in 3.de Anima dicitur, quòd anima eſt quodammodò omnia, quia nata eſt omnia cognoſcere. Et ſecundùm hunc modum* ſubdit S. Thomas *poſſibile eſt ut in una re, totius Univerſi perfectio conſiſtat*: dum natura intellectualis nativam inopiam defectumq; aliarum perfectionum ſupplet eâ capacitate, quâ poteſt, modo intelligibili, omnium planè rerum perfectiones decerpere, ſibique vendicare. Et hanc egregiè animadvertit eſſe naturæ intellectualis ultimam felicitatem, quòd perfectiones omnes comprehendat: quod equidem fit ſecundùm Philoſophos, quatenùs totius Univerſi in natura intellectuali ordo deſcribitur: ut verò nos Fides docet, quatenùs viſione Deus poſſidetur, qui ſit *Omnia in omnibus*. Unde ſtatìm ibidem proſequitur S. Thomas: *Hæc eſt ultima perfectio ſecundùm Philoſophos, ut in ea deſcribatur totus ordo Univerſi, & cauſarum ejus, in quo etiam finem ultimum hominis poſuerunt, qui ſecundùm nos erit in viſione beatifica: quia ſecundùm Gregorium: Quid eſt quod non videant, qui videntem omnia vident*.

Unde verò natura intellectualis habeat ut eas rerum imagines ſeu defæcatiſſimas rerum omnium perfectiones delibare & recipere poſſit; explicat deinde S. Thomas ex conditione ipſius naturæ intellectualis, quatenùs ſupra conditiones materiæ aſſurgit.

Videmus enim, inquit, *quòd ſecundùm ordinem immaterialitatis in rebus, natura cognitionis invenitur. Plantæ enim, & alia quæ infra plantas ſunt, nihil poſſunt immaterialiter recipere, & ideò omni cognitione privantur, ut patet in 2.de Anima. Senſus autem recipit ſpecies ſine materia, ſed tamen cum conditionibus materialibus. Intellectus etiam à conditionibus materialibus depuratas recipit*. Ideòque facilè puriſſimas rerum omnium perfectiones, ſeu ut ſępè vocat D. Thomas, rationes rerum, & naturas decerpere poteſt, & acceptis rerum omnium ſpeciebus, & imaginibus totius Orbis in ſe ſe ordinem deſcribere, mundumque mente gerere. Idem docet D. Thomas par. 1. qu. 14. art. 1. qu. 84. art. 2. aliiſque in locis ubi plura addit omninò egregia.

Secunda libertatis radix propinquior, eſt univerſalitas in judicando, quâ intellectus res omnes intelligit, & in omnes partes verſat, & abditiſſimos quoſque receſſus ſcrutatur, & explorat, ut tanquàm ſupremus totius Orbis cenſor, ac judex ſententiam ferat.

Radicem hanc libertatis aſſignat Boëtius lib. 5. de Conſol.Philoſoph.& hac ratione probat. *Neque enim*, inquit, *fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adſit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter poteſt, id habet judicium, quo quodque diſcernat. Per ſe igitur fugienda optandave dignoſcit. Quod verò quis optandū eſſe judicat, petit: fugitve quod exiſtimat eſſe fugiendū. Quare quibus ineſt ratio, ipſis etiam ineſt nolendi volendiq; libertas.* Unde obſervat D.Bernard.tract.deGrat.& lib. arbit.quòd ideò *ſolet liberum arbitrium appellari; ut liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem.* Habet enim *ſemper*, ut jam dixerat, *rationem comitem, non quòd ſemper ex ratione, ſed quòd nunquàm ſine ratione moveatur*. Sed hęc fuſiùs explicat D. Thomas, cùm agit de libero arbitrio, 1.par.q.83.a.1.ubi ſic habet. *Dicendum quòd homo eſt liberi arbitrii; alioquin fruſtrà eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd quędam agunt abſque judicio, ſicut lapis movetur deorsùm: & ſimiliter omnia cognitione carentia. Quędam autem agunt judiciò, ſed non liberò, ſicut animalia bruta; judicat enim ovis videns lupum, eum eſſe fugiendum naturali judicio, & non libero; quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc judicat. Et ſimile eſt de quolibet judicio brutorum animalium. Sed homo agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. Sed quia judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadā rationis, ideò agit liberò arbitriò, potens in diverſa ferri.* Hęc D. Thomas, quibus hoc exemplum addit q.25.de Verit.art.1. quòd bruta omnia impreſſum à Deo authore naturæ judicium ſequantur, neque aliud agere poſſint, eo ferè modo quo gravia, & levia; impreſsâ à generante vel gravitate, vel levitate, feruntur; neque aliò motum deflectere poſſint; quod hôc exemplô penè ob oculos ponit. *Videmus enim*, inquit, *quòd omnia quę ſunt ejuſdem ſpeciei, ſimiliter*

operantur, sicut omnes hirundines similiter faciunt nidum, ex hoc quòd habent judicium determinatum ad aliquod opus, & non ad omnia. Sicut etiã apes non habent industriam ad faciendum aliquod opus nisi favos mellis, & similiter est de aliis animalibus. At verò cùm homo, rationis beneficiô, maximam habeat de rebus omnibus judicandi facultatem, cognoscat etiam tum finem, tum mediorum oportunitatem, fit inde ut nulli parti judicium alligatũ habeat: ex quo consequitur summam etiam inesse voluntati agendi, vel non agendi facultatem, summamque indifferentiam.

Sed non ægrè feret, ut arbitror, eruditus Lector, si alteram S. Thomę explicationem referam in re maximi momenti, & quæ totius philosophię moralis fundamentum est, in qua cęteri Philosophi, ut plurimùm admodùm jejuni esse solent. Advertit igitur quęst. 6. de malo, quę unica *est de electione* humana, art. unico, inclinationem omnem ex aliqua forma proficisci, cùm necesse sit, hujus inclinationis aliquod principium esse: at verò inde consequitur, eam inclinationem similem esse, & paris conditionis cum forma à qua oritur: atq; iterùm inde fit, ingens discrimen esse, inter ea quę vita, & sensu carent, & ea quę sensu vigent, & ea quę ratione prędita sunt. In his enim quę vitæ, & sensûs expertia sunt, cujusmodi sunt gravia, & levia, elementa, & plantæ; cùm forma in materia recepta ad unum determinata sit, omninò singularis, & immutabilis; indè etiam inclinatio consequitur paris conditionis, eadem semper, & immutabiliter determinata ad unum. In his verò quæ ratione sunt prædita, aliud est omninò sentiendum, in alio enim extremo posita sunt: in his enim, nec eadem forma est semper, nec singularis, est enim forma intellecta universalis, unde necesse est consequi inclinationem, nec determinatam ad unum, nec singularem, sed universalem. Sed demùm, inquit, quæ sensu vigent, sed rationis expertia sunt, scilicèt bruta, in medio sunt posita; in his enim forma apprehensa, singularis quidem est, & ad unum determinata, sed non invariabilis; variæ enim species sensibus brutorum sæpiùs occurrunt, ab iisque percipiuntur: unde & paris conditionis inclinatio consequitur, semper equidem determinata ad unum, sed non eadem semper: ut enim aliis formis apprehensis afficiuntur, ita nunc gaudent, nunc viciſſim dolent, nunc metu fugiunt, nunc irâ feruntur.

Sed hæc multò feliciùs D. Thomæ verbis explicabuntur. *Sicut*, inquit, *in rebus naturalibus invenitur forma quæ est principium actionis, & inclinatio consequens formam, quæ dicitur appetitus naturalis, ex quibus sequitur actio: ita in homine invenitur forma intellectiva, & inclinatio voluntatis consequens formam apprehensam, ex quibus sequitur exterior actio. Sed in hoc est differentia, quia forma rei naturalis, est forma individuata per materiam, unde & inclinatio ipsam consequens, est determinata ad unum. Sed forma intellecta est universalis, sub qua multa possunt comprehendi. Unde cùm actus sint in singularibus, in quibus nullum est quod adequet potentiam universalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa: sicut si artifex concipiat formam domûs in universali, sub qua comprehenduntur diversę figurę domûs, potest voluntas ejus inclinari ad hoc quòd faciat domum quadratam, vel rotundam, vel alterius figurę. Principium autẽ actuum in brutis animalibus mediô modô se habet inter utrumque. Nam forma apprehensa per sensũ est individualis, sicut & forma rei naturalis: & ideò ex ea sequitur inclinatio ad unum actum, sicut in rebus naturalibus. Sed tamen non semper eadẽ forma recipitur in sensu, sicut est in rebus naturalibus, quia ignis semper est calidus; sed nunc una, nunc alia forma recipitur, putà nunc forma delectabilis, nunc tristis. Unde nunc fugit, nunc prosequitur: in quo convenit cũ principio humano.*

Hæc S. Thomas: quibus solidiora, & profundiora referri posse, ad explicandam veram libertatis naturam non intelligo. Illud tamen non est prętermittendum; hanc secundam libertatis radicem, scilicèt rationis, & intellectûs amplitudinem, oriri ex prima, scilicèt immaterialitate, qua intellectus ut magis *separatus à materia, & immixtus, ut dicitur in 3. de anima*, & inquit Divus Thomas 1. p. quęst. 14. art. 1. universaliores etiam species recipit, *majorem amplitudinẽ, & extensionẽ* habet, & *ad quandã infinitatem accedit*: cùm alię naturę aut formæ materiæ immersæ, etiam magis *coarctatæ, & limitatæ sunt*. Atque ex eadem immaterialitate, & intellectûs veluti immixtione, *homo potest de suo* ipsomet *arbitrio*, inquit Divus Thomas quęst. 24. de ver. art. 1. *& de suo judicio judicare*, quod solius *rationis est, quæ super suũ actũ reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, & de quibus judicat, & per quas judicat*, ut addit ar. 2. ex quo infert, quòd *totius libertatis radix in ratione est constituta*: quod fusiùs deinde prosequitur.

Tertia libertatis radix, & origo est ipsa voluntatis amplitudo, quæ cùm sit boni infiniti capax, nec eam capacitatem, & amplitudinem penè infinitam, finitum dumtaxàt bonum satiare, & explere possit; fit inde ut cętera omnia bona creata finitaque, & quorum non potest non esse tenuissima bonitas, voluntas summa cum indifferentia respiciat, ab iis omninò independens, quibus eò liberiori, & majori imperio dominetur, quò summo bono, ultimoque fini magis ipsa subjicitur.

Hanc veriſſimam, & proximam perfectę libertatis originem, quæ plurimos latuisse videtur, quàm sæpissimè repetit S. Thomas. Atque in ea explicanda paulò diutiùs erit immorandum; cùm inde repetenda sit vera notio libertatis, & imago suis omnibus numeris absoluta. Igitur 1. par. qu. 82. ar. 1. cùm inquireret, utrùm voluntas aliquid ex necessitate appetat, Respondet ita esse, voluntatem ultimo fini, & necessariò, & immobiliter adhærere, & ex ea adhæsione cæteros omnes motus circa res creatas, quas ut media assùmit, temperare, & dirigere; cùm necesse sit motum omnem, ne aberret, & extra terminos feratur, ab aliquo immobili principio dirigi. *Etenim*, inquit,

sicut

ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas inhæret ultimo fini qui eſt beatitudo: finis enim ſe habet in operativis, ſicut principium in ſpeculativis, ut dicitur in 2.phyſicor. Atq; hujus ſtatim rationem habet, quam repetit ſæpiùs, & ſæpiùs nos infrà ex eo referemus *Oportet enim*, inquit, *quòd illud quod naturaliter convenit, & immobiliter, ſit fundamentum, & principium omnium aliorum; quia natura eſt primum in unoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili*, Verùm hæc fuſiùs erunt explicanda.

At verò ex eo quòd voluntas ultimo fini inhæreat, ipſique ſubjiciatur; ſtatìm infert ſequenti Articulo, voluntatem non omnia ex neceſſitate velle, ſed circa cætera liberrimè verſari, cùm eum implere non poſſint, nec cum ultimo fine neceſſariam connexionem habeant; aut ſi quæ ſint quæ connectantur cum ultimo fine, ea connexio ſatìs nobis comperta non ſit. Paulò quidem longior eſt diſcurſus Articuli, ſed nihil citra diſpendium, vel minimum detrahi, & minui poteſt. Ita igitur habet S. Thomas. *Conſiderādum eſt*, inquit, *quòd ſicut intellectus naturaliter ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas ultimo fini. Sunt autem quædam intelligibilia, quę non habent neceſſariam connexionem ad prima principia, ſicut contingentes propoſitiones, ad quarum remotionem non requiritur remotio primorū principiorum; & talibus non ex neceſſitate aſſentit intellectus; quædā autem propoſitiones ſunt neceſſariæ, quę habent connexionē neceſſariam cum primis principiis, ſicut concluſiones demōſtrabiles, ad quarum remotionem ſequitur remotio primorum principiorum; & his intellectus aſſentit cognita connexione neceſſaria concluſionum ad principia per demonſtrationis deductionem; non autem aſſentit antequàm hujuſmodi neceſſariā connexionem per demonſtrationem cognoſcat. Similiter etiam eſt ex parte voluntatis: Sicut enim sūt quędā particularia bona, quę non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quia ſine his poteſt aliquis eſſe beatus; & hujuſmodi voluntas non de neceſſitate inhæret: ſunt autem quædam habentia neceſſariam connexionē ad beatitudinem, quibus ſcilicèt homo Deo inhæret, in quo ſolo vera beatitudo conſiſtit: ſed tamen antequam per certitudinē divinę viſionis neceſſitas hujuſmodi connexionis demonſtretur, voluntas non ex neceſſitate Deo inhæret, neque iis, quę Dei ſunt. Sed voluntas videntis Deum per eſſentiam, de neceſſitate inhæret Deo, ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati.* Hęc D. Thomas. Quibus ex adhęſione ad ſummum bonum ultimūque finem, colligit ſummam ineſſe voluntati libertatem, & independentiam à rebus cæteris, quibuſcum ſummi boni conſecutio neceſſario connexa non eſt. Atque hujus etiam egregiam omninò rationem ſubjicit in reſp. ad 2.arg. *Quia*, inquit, *tunc movens ex neceſſitate cauſat motum in mobili, quādo poteſtas movētis excedit mobile, ita quòd tota ejus poſſibilitas moventi ſubdatur. Cùm autem poſſibilitas voluntatis*, ejuſque capacitas *ſit reſpectu boni univerſalis, & perfecti, non ſubjicitur ejus poſſibilitas tota alicui particulari bono; & ideò non ex neceſſitate movetur ab illo.* Inde igitur ut ex vera proximaque origine libertatis ratio deſumenda eſt: quòd cùm voluntas eam habeat capacitatem, & amplitudinem, quæ infinitum, & univerſale bonū capere & poſſidere poſſit, nec poſſit unquàm eam amplitudinem ullum particulare & creatum bonum implere; voluntas à creatis omnibus ac finitis bonis omninò independens ſit, iis ut libuerit utatur, ut una ratio ultimi finis, & boni univerſalis ratio poſtulaverit.

Paulò aliter rem iſtam explicat quæſt. 6. de malo, jam citata, & alteram rationem reddit, cur neceſſe ſit voluntatem univerſali bono ſubjici, ipſique adhærere, & poſſit creata bona particularia, & finita reſpicere: nimirùm, quòd cùm voluntas naturalem, & neceſſariam coaptationem habeat cum bono tanquā proprio objecto, eſt enim voluntas appetitus boni convenientis cogniti: ſi quod vnquàm voluntati bonum offeratur quod omni ex parte conveniens ſit; in quo nullum defectum, nullum nævum animadvertat, non poteſt voluntas non rapi tanta objecti bonitate, quę nonniſi bonitas ſit. At verò ſi quis ſit vel minimus in objecto defectus, cùm ea parte qua malùm aliquod ſeu privatio boni admixta eſt, nulla ratione conveniens ſit, poterit voluntas illud objectum rejicere: Atquì ea eſt conditio boni univerſalis, & ultimi finis, ut ſit aggregatione, & conſortio omnium bonorum perfectiſſimū; è contrà verò nullum creatum, & finitum bonum reperire eſt, cui tantundem perfectionum non deſit, quantum res aliæ poſſident: Ergo unicum eſt infinitum, & univerſale bonum, quod voluntas non poteſt averſari, cętera omnia poteſt à ſe rejicere. Hic Divi Thomę diſcurſus. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quòd objectum movens voluntatem, eſt bonum conveniēs apprehenſum. Unde ſi ſit aliquod bonum quod apprehendatur ſub ratione boni, non autem ſub ratione convenientis, non movebit voluntatem. Cùm autem conſilia & electiones ſint circa particularia quorum eſt actus*, (ſeu circa quæ actus verſantur:) *requiritur ut id quod apprehenditur ut bonum & conveniens, apprehendatur ut bonum & conveniens in particulari, & non in univerſali tantùm. Si ergo apprehendatur aliquid ut bonum, & conveniens ſecundùm omnia particularia, quę cōſiderari poſſunt, ex neceſſitate movebit voluntatem, & propter hoc homo ex neceſſitate appetit beatitudinem, quæ ſecundùm Boëtium eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Dico autem ex neceſſitate quantùm ad determinationem actûs, quia non poteſt velle oppoſitum; non autem quantùm ad exercitium actûs, quia poteſt aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine: quia etiam ipſi actus intellectûs, & voluntatis particulares ſunt. Si autem ſit tale bonum, quod non inveniatur eſſe bonum ſecundùm omnia particularia, quæ conſiderari poſſunt, non ex neceſſitate movebit, etiam quantùm ad determinationem actûs: poterit enim aliquis velle ejus oppoſitum, etiam de eo cogitans; quia fortè non eſt bonum vel conveniens ſecundùm aliquod aliud conſideratum. Sicut quod eſt bonum ſanitati, non*

eſt

est bonum delectationi, & sic de aliis.

Verùm cùm jam constitutum sit, unicum esse universale bonum, quod voluntatem rapere potest, nec eam sinit sui juris esse, felicem satìs quòd tanto bono fruatur & satietur: inde alterum colligit gravissimi momenti Doctor Angelicus, quòd cùm necesse sit, illud quod prius est, esse posteriorum regulam, & in genere bonorum prius sit infinitum, & universale bonum; inde etiam necesse sit universale bonum unicam rationem esse cur amẽtur cætera, neque amari unquàm illa possint, nisi proût ratio summi boni, & ultimi finis postulaverit. Atque id probat D. Thomas egregio planè discursu, & comparatione voluntatis cum intellectu. Ita igitur habet 1.par.q.83. art.4. *Dicendum*, inquit, *quòd potentias appetitivas oportet esse proportionatas potentiis apprehensivis; quia posterius per illud quod prius est regulatur. Sicut autem ex parte apprehensionis intellectivę se habent intellectus, & ratio: ita ex parte appetitus intellectivi se habent voluntas, & liberum arbitrium, quod nihil aliud est quàm vis electiva. Et hoc patet ex habitudine, & objectorum & actuum. Nam intelligere importat simplicẽ acceptionẽ alicujus rei: unde intelligi dicuntur propriè principia, quæ sine collatione per seipsa cognoscuntur: ratiocinari autẽ propriè est devenire ex uno in cognitionem alterius: unde propriè de conclusionibus ratiocinamur, quæ ex primis principiis innotescunt. Similiter ex parte appetitûs, velle importat simplicem appetitũ alicujus rei, unde volũtas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur: eligere autem est appetere propter alterum consequendum: unde propriè est eorum quę sunt ad finem. Sicut autẽ se habet in cognoscitivis, principium ad conclusionem, cui propter principia assentimus: ita in appetitivis se habet finis ad ea, quæ sunt ad finem, quæ propter finem appetuntur. Unde manifestum est; quòd sicut se habet intellectus ad rationem; ita se habet voluntas ad vim electivam, ideſt ad liberum arbitrium.*

Igitur ex D. Thoma, idem planè de voluntate, ac de intellectu sentiendum est. Quare sicut intellectus sub duplici velut ratione distincta considerari potest: Primò ut intellectus, & *simplicium intelligentia*, & ut circa principia versatur: Secundò ut est *ratio* quę circa conclusiones discurrit; quam utramq; rationem S. Thomas 1. par. quæst. 79. ex D. Augustino to.3.lib.12. Trinitate cap. 4. *rationem superiorem. & inferiorem* vocat: Ita in voluntate duplex veluti ratio distinguenda est: 1. ut est simplex voluntas, & natura quędam, & ut ultimo fini adhæret, 2. ut est libera, & ut circa media versatur. Itaque sicut intellectus adhæret primis principiis tanquàm simplex, & simplicium intelligentia, ex quibus ratio conclusiones deducit, eò perfectiùs quo principiis perfectiùs inhæret: ita voluntas ut natura quædam est, appetitus quidam, simplexque voluntas, ultimo fini, & summo bono inhæret; ex eaque adhæsione, ad cæteras res, voluntas, ut libera est, fertur, proût ratio ipsius finis postulaverit.

Sed hæc iterùm apertiùs explicat S. Thomas, & solidissima ratione confirmat 1.p.q.60.art.2. ubi probat, in Angelis dilectionem electivam esse, & eam à dilectione naturali oriri. *Dicendum*, inquit, *quòd in Angelis est quædam dilectio naturalis, & quædam electiva: & naturalis dilectio in eis est principium electionis, quia semper id quod pertinet ad prius habet rationem principii. Unde cùm natura sit primum, quod est in unoquoque, oportet quòd id quod ad naturam pertinet, sit principium in quolibet: & hoc apparet in homine quantùm ad intellectum, & quantùm ad voluntatem. Intellectus enim cognoscit principia naturaliter, & ex hac cognitione causatur in homine cognitio conclusionum, quæ non cognoscuntur naturaliter ab homine, sed per inventionem, vel doctrinam. Similiter in voluntate finis hoc modo se habet, sicut principium in intellectu, ut dicitur in 2. physic. Unde voluntas naturaliter tendit in suum ultimum finem, omnis enim homo vult naturaliter beatitudinem; & ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates, cùm quidquid homo vult velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis. Dilectio autem ab hac derivata, quæ est boni quod diligitur propter finem, est dilectio electiva.* Igitur ex D. Thoma, dilectio electiva, seu vis electiva mediorum, à dilectione seu ab amore ultimi finis, ut à prima origine derivatur, & ab ea ut prima mensura metienda est.

Verùm eandem rationem confirmat S. Thomas, & quædam addit observatione dignissima, quæ jam suprà retulimus, & hìc majori otio expẽdenda sunt, 1.p.quæst.82. art.1. *Sicut*, inquit, *intellectus* ex necessitate inhæret primis principiis, voluntas inhæret ultimo *fini, qui est beatitudo*. Cujus eandem rationem affert quam suprà retulimus. *Oportet* enim, inquit, *quòd illud quod naturaliter convenit, & immobiliter, sit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in unoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili.*

En duplex principium, cur necesse sit voluntatem ex necessitate finem ultimum seu determinatum, ac Deum ipsum, seu communem saltẽ scilicèt beatitudinem appetere, ipsiq; necessariò naturaliter, & immobiliter adhærere, eamq; adhæsionem regulam esse electionis mediorum. Primum, quia in rebus omnibus quod primò reperitur, quodque est aliorum fundamentum, naturale est; *quia natura est primũ in unoquoque principium*. Alterum verò, quia etiam in rebus omnibus, quę uniformiter, & difformiter se habent, ac in omnibus omninò motibus, primum principium, & fundamentum immobile esse debet, quia *Omnis motus procedit ab aliquo immobili*.

Idque etiam plurimis exemplis illustrari & explicari potest. Sic enim cùm circulus circino describitur, necesse est ut pes unus circini centro fixus hæreat ac immotus, dum alter solutus equidem ac liber, sed tamen ab altero qui centro hæret veluti coërcitus, ne aberret, circulum describit: quo sensu à Cassiano dictum est. *Circumagentis*

esse

eſſe circino charitatis. Scilicèt quo magìs fixus Deo hæret cordis amor, eò liberiùs per creaturas tranſit.

Sic dum janua volvitur, cardinibus immotis fulcitur, iiſque velutì adhæret, eaque adhæſio cauſa eſt cur faciliùs janua in omnem partem volvatur: ſic cùm aliquid lancibus ponderatur, & trutina manu ſuſpenditur, neceſſe eſt, eam partem quæ manu tenetur, immotam eſſe, nec in unam potiùs quàm alteram partem deflectere: ſic demùm, ut S. Thomæ exemplum revocemus, quo nullum acceptius eſſe poteſt, nè intellectus vagè, & in incertum feratur, & erret, ſed, ut rectè diſcurrat, debet principiis neceſſariò, & immobiliter adhærere: eâ ſemper lege rebus omnibus conſtitutâ, quòd omnis motus fundetur in immobili.

Atque hujus iterùm duplex ratio eſſe poteſt: prima ex ipſa ratione motûs, qui neceſſariò principium immobile exigit à quo oriatur, quia ſi principium ipſum mobile eſſet, motuique ſubjiceretur, non eſſet primum hujus motûs principium. Unde videre eſt, quòd in unoquoque genere motûs, illud quod eſt primum illius generis motûs principium, eodem genere motûs non movetur: quod enim alterationis, corruptionis, ac generationis principium eſt, inalterabile, & incorruptibile eſſe debet: quo argumento exiſtentia primi Motoris, & Divini Numinis demonſtratur: oportet enim *eſſe primum movens* omninò immotum. Altera verò ratio ex ipſa perfectione motûs deſumitur, ut enim perfectus motus eſſe poſſit, neceſſe eſt, quòd primum hujus principium omni motu ſolutum ac liberum ſit, in utramque partem æquè propendens, nec in unam magìs quàm alteram partem determinatum: ſi enim ſit mobile, motuique ſubjectum, ſimilem etiam motum in unam potiùs quàm alteram partem imprimet, quod exemplis ſupra memoratis eſt manifeſtum. Dum enim circulus deſcribitur, ſi pes circini vel minimum moveatur, circulus intercipitur, & circuli figura turbatur, quod etiam in aliis videre eſt.

Igitur his omnibus argumentis planè convincitur, primam ac immediatam libertatis radicem, eſſe voluntatis amplitudinem, quæ infinitum bonum amare poteſt, hujuſque poſſeſſione beari. Indè enim fit, quòd cùm cætera omnia infra ſummum bonum poſita, voluntatem nec explere, nec ſatiare, nec beare poſſint; circa ea voluntas ſummâ indifferentiâ verſetur, ab iis independens ſit, iis omninò ſummo jure dominetur; in quo libertatis veram rationem poſitam eſſe ſupra oſtendimus.

ARTICULUS III.

De vera notione Libertatis. Multiplex hujus definitio.

EX his verò, quæ modò ſatìs fusè explicuimus, ac potiſſimùm his quæ ad libertatis radicem pertinent, plana faciliſque via ſe ſe aperit, quâ veram libertatis definitionem indagemus. Plures verò libertatis definitiones in Sancto Thoma variis in locis uſurpatas reperio proùt occaſio ferebat, quas tamen neceſſe eſt ad unam reduci, cùm unius rei ſicut una natura, ita nec niſi una definitio integra eſſe poſſit. Antequàm verò eam quæ omnium præcipua eſt, explicem, colligendæ ſunt breviter aliæ, quæ tum apud Veteres erant in uſu, aut apud Recentiores circumferuntur, ut quid in ipſis vel deſiderari, vel approbari poſſit, ex D. Thomæ principiis, paucis oſtendam. Refert verò præcipuas Divus Thomas qu. 24. art. 1. de Veritate, inter ea argumenta, quæ ſibi objicit, atque eas in ſolutionibus argumentorum explicat, ſi quid habeant quod lucem aliquam mereatur.

Prima igitur eſt quam refert ex Philoſ. in 1. Metaph. *Liberum eſſe quod eſt cauſa ſui*. Quam definitionem repetit ſæpè: quòd libertas oppoſita ſit ſervituti, cùm ſervus non ſit ſui juris, ſed alterius: liber verò, & ingenuus, non ſit ſub alterius poteſtate, ſed facultatem habeat & ſe, & ſuis rebus utendi, de iiſque pro libito diſponendi, ut voluerit: in quo repoſita eſt ratio dominii, ut notat Divus Thomas 2. 2. qu. 66. art. 1. Unde & ex ea ratione dominium ad libertatem pertinet.

Secundam addit præterea ibid. n. 6. *Quòd liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis, & rationis, quâ bonum eligitur, gratiâ aſſiſtente; vel malum, ea deficiente*. Communis eſt hæc apud Veteres definitio; quam habet Magiſter in 2. diſtinct. 24. eamq; explicat D. Thomas, tum ibidem in ſecundo, tum eâdem qu. 24. de Veritate art. 5. ubi eam ex D. Auguſtino refert, tum etiam 1. par. q. 83. art. 2. quibus in locis animadvertit, non pertinere æqualiter ad libertatem, & judicium rationis, & electionem voluntatis: ſed ſimpliciter libertatem repoſitam eſſe in voluntate: libertatis verò radicem aut regulam eſſe rationem.

Adduntur verò aliæ duæ particulæ, quòd libertas facultas ſit; *Quâ bonum eligitur gratiâ aſſiſtente, vel malum, ea deficiente*, contra errorem duplicem Pelagii. Adeò enim conſtans erat, tum ceteris Patribus, tum S. Auguſtino, aliiſque deinde Theologis veteribus, qui eam definitionem uſurpabant: eam gratiam quam ipſe Pelagius maximè averſabatur, nec minimùm lædere libertatem; ut in ipſa etiam libertatis definitione addi voluerint, tanquàm velutì definitionis partem, vel tanquàm complementum aliquod, aut ipſius perfectionem, vel pro expedito magìs ipſius exercitio,

neceſ-

neceſſariam eſſe gratiam quâ poſſet bonum eligi: *& libertatem eſſe facultatem, quâ, gratiâ aſſiſtente & adjuvante, bonum eligitur.* Conſtat enim ſine ſupernaturali gratia, quæcumque tandem illa ſit, facultati voluntatis naturali ſuperaddita, à nuda voluntate ſupernaturale bonum non poſſe eligi; eâque additâ, velutì Divini Spiritûs addito impulſu, voluntatem etiam & naturale virtutis moralis bonum, & honeſtatem multò faciliùs proſequi, & ad eam velutì impelli.

Prætereà verò qui eam libertatis definitionem uſurpabant, adeò erant totius naturæ infirmitatis ſibi conſcii, adeòque erat ipſis comperta arbitrii infirmitas, ut iterùm in ipſa definitione libertatis apponi voluerint, facultatem eſſe, quâ *gratia deficiente*, & ſi ſibi libertas relinquatur, *malum eligitur*: tanta enim eſt ea naturæ ad lapſum proclivitas, ut ſibi natura relicta ſit, & niſi efficaciſſimo remedio infirmitati naturæ humanæ ſubventum ſit, ut loquitur S. Auguſtinus, natura ipsâ ſuâ infirmitate ſuccumbat. Quod nedùm de natura peccatô corrupta infectaque intelligendum venit, ſed omninò de quacumque natura creata, etiam integra, ut eſt educta è nihilo: neque enim cùm homo peccavit, aut Angelus; neceſſe fuit impelli à Deo ut rueret; ſuo ſolùm arbitrio, ſuæque libertati uterque relictus eſt, ut experiretur quid poſſet, & infelici experimento didicit, liberum arbitrium valere quidem ad malum; *ad bonum verò nihil eſſè, niſi adjuvaretur ab omnipotenti bono.* Quamvìs tamen, quod animadverti velim, inter utramq; naturam integram, & corruptam diſcrimen intercedat, quòd in natura integra, ipſa integritas ſit velutì forma prædominans, quâ ſurſum, & versùs Cælum attollitur, atque adeò concurſum conſentaneum exigere videatur, quâ bonum exerceat, ut plurimùm ſaltem, quamvìs non ſemper, cùm ut cauſa libera, contingens ſit, quæ interdùm poteſt deficere: at verò in natura corrupta, ipſa corruptio inſtar ſit ponderis, quo deorsùm deprimitur, quamvìs non adeò depreſſa ſit, ut non poſſit in via plana, ut ita dixerim, ac facili, nullìſque tentationum obicibus præpedita, & pedem figere, & aliquantulùm progredi. Etenim, ut docet D. Thomas in 2. Sent. diſt. 39. q. 3. ar. 1. ubi *de ſcintilla rationis agit*: quantumvìs natura corrupta ſit, & ratio obnubilata, & voluntas depreſſa, remanet tamen ſemper quædam ſcintillula, tum ex participatione luminis intellectualis, cujus plenitudinem habet Angelus; tum ex ipſa rectitudine, & velutì charitatis incendio, quo flagrabat Adamus in ſtatu innocentiæ erga Deum ſummum bonum, & ultimum finem; ſcintilla, inquam, quæ ſemper etſi non ad Deum ut ſummè bonum, ad felicitatem tamen in communi ſemper evolat, neque unquàm poteſt aut omninò deprimi, aut extingui. Unde ut egregiè advertit D. Thomas, *S. Hieronymus dicit, quòd* (Syndereſis) *per aquilam ſignificatur, quę cętera animalia in volando tranſcendit. Ita & hæc virtus tranſcendit rationalem quæ per hominem ſignificatur, & concupiſcibilem quæ per vitulum, & iraſcibilem, quæ per Leonem.* Igitur cùm hęc evolans ſemper ſcintillula nunquàm omninò extingui poſſit, aut omninò coërceri, & detineri nè evolet, etiam concurſum aliquem interdùm ſaltem conſentaneum exigit; quo etiam homo, quamvìs aliunde corruptione naturæ depreſſus, ſuiſque peccatìs tantùm non obrutus, aliquando ſaltem ad Cælos oculos attollat, & bonum aliquod morale ex bono honeſto efficiat.

Tertiam libertatis definitionem habet D. Thomas in 2. diſt. 24. q. 1. art. 1. & ex Magiſtro Sententiarum variis in locis colligit. *Liberum*, inquit, *arbitrium dicitur in littera* (ſcilicèt à Magiſtro Sententiarum) *facultas voluntatis, & rationis*: & deinde: *Sicut infra dicitur ab eodem*, (ſcilicèt à Magiſtro Sententiarum) *Philoſophi definiunt liberum arbitrium de voluntate judicium.* Compertiſſimum enim omnibus fuit, atq; ex his quę quiſque in ſe ſe experiri poteſt notiſſimum, rationem, rationiſque judicium à libertate omninò alienum eſſe non poſſe: quamvìs non ſatìs intellexerint, neque expedire, aut explicare ſatìs potuerint, quęnam facultas primas partes obtineret. Ut enim refert D. Thomas 1. par. q. 83. art. 3. ipſe etiam *Ariſtoteles in 6. Ethic. ſub dubio reliquit utrùm principaliùs electio* in qua potiſſimùm poſitus eſt uſus libertatis, *pertineat ad vim appetitivam vel ad vim cognoſcitivam. Dicit enim quòd electio vel eſt intellectus appetitivus, vel appetitus intellectivus. Sed in 3. Ethic. in hoc magis inclinat quòd ſit appetitus intellectivus, nominans electionem deſiderium conſiliabilis.* Verùm hunc nodum ita D. Thomas diſſolvit, ut nemo poſt ipſum dubitaverit libertatem eſſentialiter poſitam eſſe in voluntate: hujus verò, & originem, & regulam eſſe rationem, & rationis judicium: *Cùm objectum electionis ſit illud quod eſt ad finem, quod eſt bonum utile.*

Quartam iterùm libertatis definitionem refert S. Thomas ad quęſt. 24. art. 3. ubi inquit, quòd *liberum arbitrium eſt potentia ad oppoſitos actus ſe habens*: aut, ut alibì dicit, *eſt potentia rationalis ad oppoſita ſe habens*, quam ſæpiùs ex Ariſtotele affert. Quæ definitio cæteris anteponi jure poteſt, quòd explicet quæ ſit natura libertatis, & potentiæ ad quam pertinet. Eſt enim potentia & inclinatio naturalis, quę rationem ſequitur, & à qua dirigitur: ac deinde explicat eam agendi vel non agendi indifferentiam, quam omnes libertatis, & dominii nomine maximè intelligunt, de qua nos infra pluribus agemus.

Quinta libertatis definitio, præter eas omnes quas hactenùs retulimus, admodùm celebris eſt, apud eos potiſſimùm, qui ſententiam motionibus prævìis adverſam tuentur, quæ his verbis concepta eſt, ut impugnandis motionibus opportuna videretur. Inquiunt enim libertatem eſſe. *Facultatem quâ, poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt voluntas agere vel non agere.* Verùm cùm ea ſeu definitio, ſeu deſcriptio libertatis, non tam falſa, quàm ambigua ſit, eaque legitimo ſenſu explicata admitti poſſit; expedit inprimìs expendere, quo ſenſu explicanda ſit: nec

aliundè

aliunde quàm ex D. Thoma, vera ejus explicatio eſt deſumenda. Igitur libertatem rectè facultatem nominari, inter omnes convenit; cùm etiam à S. Auguſtino, referente S. Thoma, ita nuncupata ſit: *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis*. Verùm inde aliæ particulæ explicandæ ſunt, & explicat D. Thomas quæſt. 24. de verit. art. 4. ad 1. Ubi, cùm ſtatuat liberum arbitriũ eſſe potentiam, objicit ſibi, quòd *Liberum arbitrium*, ſecundùm Auguſtinum, *eſt facultas rationis, & voluntatis: facultas autem dicitur quaſi facilis poteſtas: cùm ergo potentiæ facilitas ex habitu proveniat, quia ſecundùm D. Auguſtinum, habitus eſt quo quis facilè agere poteſt; videtur quòd liberum arbitrium ſit habitus*.

Reſpondet verò, & explicat S. Thomas, quo ſenſu facultas eſſe ac dici poſſit, quaſi facilis poteſtas. Ita verò habet: *Dicendum, quòd aliquid videtur eſſe facile dupliciter; uno modo propter remotionem impedimenti; alio modo propter appoſitionem adiutorij*. At verò ea, inquit, facultas, quę fit per appoſitionem adjutorii pertinet ad habitum, & ea non pertinet ad libertatem: quia etſi nulla ſit ejuſmodi ſeu gratiæ, ſeu habitûs, aut infuſi aut acquiſiti adjutorij appoſitio, & acceſſio; integra tamen remanet arbitrii libertas; quamvis dubitari non poſſit quin ex acceſſione adjutorii, vegetior, ut ita dixerim, ea libertas evadat, alioquin fruſtrà adjuvari diceretur. Unde & D. Thomas inquit, in 2. diſt. 24. quæſt. 1. ar. 1. ad 4. quòd cùm *omnis potentia per habitum ſupervenientem vigoretur*, etiam *liberum arbitrium*, & fortiùs evadit, *& expeditur per habitũ gratię*.

Sed tamen abſolutè, inquit, ea facilitas quæ ad libertatem pertinet, ea eſt, quę fit per amotionem impedimenti. Unde ſubdit Angelicus Doctor: *Facilitas igitur pertinens ad habitum eſt per appoſitionem adjutorii: nam habitus inclinat potentiã ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quòd quantùm eſt de ſe non inclinatur in unũ magis quã in aliud: ſed nominat facilitatem, quę eſt per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitriũ non impeditur aliquo cogẽte à propria operatione: & ideò D. Auguſtinus propriè liberum arbitriũ facultatẽ nominavit, non facilitatem, quia facultas hoc importare videtur, ut aliquid ſit in poteſtate facultatẽ habentis*. Hæc ibi.

Unde verò hoc impedimentum oriatur, explicat ſæpe D. Thomas: non enim aliunde oriri poteſt quàm ex parte intellectûs; cùm tota ratio libertatis ex cognitione dependeat, ut ſæpiùs dixit S. Thomas, & nos infrà hìc adferemus. Unde cùm rationis uſus impeditur, etiam impeditur uſus libertatis. At verò, ut egregiè explicat D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 7. id contingit, cùm ratio à paſſione ſuperatur; quod fieri poteſt *per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodò ligatur; ne liberè in actum exeat. Sic etiam ſomnus, vel ebrietas quadam corporali tranſmutatione facta ligant uſum rationis. Et quòd hoc contingat etiam*, inquit, *in paſſionibus, patet, ex hoc quòd aliquando cùm paſſiones multùm intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis: multi enim propter abundantiam amoris, & iræ, ſunt in inſaniam converſi*. Inde igitur oritur impedimentum libertatis, quando impeditur uſus rationis, vel cùm occupata ratio præſentiâ objecti, non ſatis deliberat; unde actus indeliberati oriuntur, quibus vel omninò nulla, vel tenuis ſolùm libertas ineſt. Nam quòd præmotio quâ voluntas ad operationem movetur, & applicatur, ſit impedimentum, quô voluntas à ſua operatione impediatur; tam eſt alienum à vero, quàm alienum eſſet, ſi quis diceret, humorem ſuccumque radicis quô fructus producitur, & augetur, & matureſcit; impedimentum eſſe ne matureſceret, aut cauſam eſſe cur marceſceret.

Libertas itaque dicitur facultas ad agendum expedita, vel agendi facilitas per remotionem impedimenti, quo & ipſa ratio impediri poſſit, & ipſa libertas: & eo pacto *libertas, vel voluntas expedita, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, vel non agere*: eo fermè modo quo ratio poteſt, & judicare, & non judicare, & imperare voluntati, & non imperare: inde enim ſemper repetenda eſt radix libertatis, ut mox fuſiùs explicabimus: & eo pacto celebrata à Recentioribus libertatis definitio admitti poteſt, nec eſt ab ea quam mox ex S. Thoma trademus, aliena.

Verùm longè alio ſenſu eam definitionem Recentiores explicant. In eo enim poſitam eſſe libertatem ſentiunt, ut poſitis ad agendum omnibus prærequiſitis, cujuſcumque ſint generis, vel ordinis, voluntas poſſit non agere peræque ac agere. Iis enim verbis, ut animadvertimus, conficta eſt ea definitio, ut ſignificare videatur, quamlibet ſuppoſitionem antecedentem, quodlibet à voluntate independens decretum, quamlibet motionem, niſi voluntati ſubjiciatur, eamque voluntas omni ſenſu compoſito, & diviſo, omnique potentia antecedente, & conſequente, poſſit in omnem uſum vertere, aut ad opus applicare, aut otioſam, & inertem, ut voluerit, relinquere, omninò lędere libertatem.

Verùm quàm aliena ſit hæc libertatis explicatio à D. Thomæ ſententia, ſequentia planè demonſtrabunt. Etenim in primis neceſſe eſt iſta duo poſſe connecti ex ſententia S. Thomæ, q. 6. de malo, quæ unica eſt de electione humana, ex qua plurima infra deducemus, Reſp. 2. quòd *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ quę indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas*.

Atquì hæc duo in Divi Thomæ ſententia, omninò certa jungi non poſſent, ſi obtineret ea Recentiorum Theologorum explicatio, ut manifeſtiſſimum eſt; ſi enim Divina motio *immutabiliter propter efficaciam ſuæ virtutis quę deficere non poteſt, voluntatem moveat*, ergo voluntas poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis non poteſt agere peræque ac non agere. Et præterea, ſi dum voluntas immutabiliter movetur, & agit:

Propter efficaciam divinæ virtutis, quæ deficere non potest; voluntas tamen indifferenter se habet ad diversa, nec inducitur necessitas, sed remanet libertas: Ergo non est posita in eo libertas, quòd voluntas semper ita constituta sit, ut eodem modo ad utrumque extremum verti possit, agere & non agere: sed satis est, quòd dum agit, possit & alterum agere, vel quod agit non agere.

Et sanè, quòd etiam cùm voluntas infallibiliter propter efficaciam divinę virtutis agit, ex conditione tamen suæ naturæ indifferentiam servet, sitque integra, & illæsa libertas; præter ea quę infrà dicemus, uno verbo explicari facilè potest, & explicat S. Thomas quæst. citata de malo. Etenim cùm *Actus sint in singularibus*, aut etiam sint singulares, *in quibus nullus est qui adæquet potentiam universalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa*. Cùm enim voluntas sit universalis potentia, & infinitæ propemodùm amplitudinis, & impossibile sit unicum actum, nisi ultimum finem conjungat voluntati, ipsius capacitatem replere; fit inde ut quantùvis voluntas unum actum eliciat, relinquatur tamen locus voluntati, ut alterum habeat: & eum quem habet, ut suæ amplitudini, & potestati imparem sibi subjicit, ipsi dominatur, & cum summa indifferentia respicit; in quo posita est vera indifferentia libertatis: Ergo cùm etiam voluntas infallibiliter, & *immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest*, movetur & agit: attamen *propter naturam voluntatis, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas*.

Confirmari potest hæc ratio ex his, quæ aliàs habet D. Thomas, quibus compertum est, admissum ab ipso prærequisitum aliquid ad agendum, quocum voluntas eâdem potentiâ dissensum ac assensum conjungere non possit: Ergo non existimavit S. Doctor, positam esse in eo libertatem, quòd positis omnibus ad agendum prærequisitis voluntas possit æquè agere, & non agere. Antecedens constat ex his, quæ jam alibi multis in locis sparsimus. Etenim 1. par. quæst. 19. art. 8. refert illud S. Augustini in Enchiridio. *Nullus fit salvus nisi quem Deus voluerit, & ideò rogandus est ut velit, quia necesse est fieri si voluerit*. Quę verba intelligit S. Thomas, & explicat de suppositione antecedente, & prærequisita, ex qua tamen non oritur *necessitas absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem esse veram; si Deus hoc vult, necesse est esse*. Iterùm eadem 1. par. qu. 23. art. 6. *Eũ*, inquit, *qui prædestinatus est, mori in peccato mortali impossibile est, posito eum esse prædestinatum*: etsi absolutè, & secundùm se id non repugnet. Prętereà 1. 2. qu. 10. art. 4. ad 3. *Dicendũ*, inquit, *Quòd si Deus movet voluntatẽ ad aliquid, impossibile est poni quòd voluntas ad illud non moveatur*: quamvis & sub ea motione illęsa libertas maneat. Iterùm 1. 2. quęst. 112. ar. 3. *Præparatio ad gratiam potest*, inquit, *considerari secundùm quòd est à Deo movente; & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidẽ coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest*. Demùm ut cętera prętermittã 2. 2. q. 24. a. 11. *Impossibile est*, inquit, *hęc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*. Quamvis tamen cùm voluntas ad actum charitatis movetur, liberè actũ charitatis eliciat: ergo manifestum est existimasse D. Thomam, posse aliquid esse ad agendum prærequisitum, seu esse suppositionem antecedentem, quæ infallibiliter actum voluntatis inferat, & quacum repugnet æquè dissensum ac assensum conjungi, quamvis tamen integra illæsaque libertas remaneat.

Confirmatur prætereà non minùs evidenti ratione ex Aristotele, & D. Thoma desumpta, primisque Philosophiæ Moralis principiis; quòd quoties voluntas agit, necesse sit antecedere judicium practicum intellectûs, & rationis imperium, quod dictat intimatque voluntati rem esse agendam, quodque ita voluntatem movet, ut impossibile sit cum eo imperio actum oppositum à voluntate componi. Et inprimis antequàm Divi Thomæ rationes proferantur, certa fuit hæc sententia omninò Bellarmino lib. 3. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 8. propos. 6. ubi hanc S. Thomæ sententiam ut certissimam defendit: *Quòd voluntatis electio pendet necessariò ab ultimo judicio practicæ rationis*. Atque id probat hac evidenti ratione, quia nihil voluntas amplecti potest sine præcedenti judicio rationis, cùm sit appetitus rationalis ex Aristotele. Si igitur judicium indeterminatum sit, necesse est, & ipsam voluntatem indeterminatam esse: si verò determinatum sit, ipsa pariter determinata erit. At verò non potest judicium ultimum non esse determinatum; dicit enim judicatque ratio consideratis omnibus hoc nunc esse agendum. *Igitur & voluntas*, inquit Bellarminus, *necessariò eligit id quod ultimum judicium practicum determinat esse eligendum*. Atque hanc consecutionem prætereà probat: quia si cùm judicium rationis plenè determinatum est, & ad unum voluntatem movet, volũtas nihilominùs aliud posset eligere, ac reipsà eligeret; illa electio esset sine judicio, quod omninò repugnat, nec minùs quàm repugnet amare incognita. Hactenùs fermè ex Bellarmino: quæ satis significant, non minùs quàm alia quæ Primæ Dissertationis initio ex ipso retulimus, Divi Thomæ sententiam de vera libertatis notione, cum qua connexa est de prævia motione sententia, ipsum olim amplexum fuisse. Quamvis tamen ad imperium rationis referat D. Thomas 1. 2. qu. 57. art. 6. hanc vim & efficaciam movendi quam Bellarminus tribuit judicio practico.

Sed ut ad S. Thomam redeam: certum est, ex ipsius sentẽtia, judicium ultimum practicum intellectûs, aut verius rationis imperiũ cùm actu voluntatis omninò esse connexum, adeòque ut, cùm ratio perfectè imperat, infallibiliter voluntas agat. Unde D. Thomas 1. 2. qu. 17. ubi definit, imperium pertinere ad rationem, non ad voluntatem: cùm sibi objecisset, quòd *ad imperium*

satis

ſtatim ſequitur actus : ſed ad actum rationis non ſtatim ſequitur actus : non enim qui judicat aliquid eſſe faciendum , ſtatim illud operatur : Ergo imperium non eſt actus rationis , ſed voluntatis . Reſpondet uno verbo ; *Quòd ratio illa concludit , quòd imperium non ſit actus rationis abſolutè , ſed cum quadam motione,* ſcilicèt *voluntatis .* Concedit igitur, imperium inferre voluntatis actum,& quidèm infallibiliter , cùm ſtatim imperium rationis actus voluntatis conſequatur.Atque id adeò verùm & indubitatum exiſtimat S.Thomas , ut ſi quando imperanti rationi voluntas non obtemperet, non ad conditionem voluntatis,quæ poſſit potentiâ conjunctâ cum actu jure ſuæ libertatis vel obtẽperare, vel renuere,id referat D.Thomas; ſed ad conditionem imperii , quod imperfectum eſt, nec perfectè voluntati imperat . Unde art. 5. ejuſdem quæſt. cùm ſibi objeciſſet illud D. Auguſtini 8.conf.c.18.*Imperat animus ut velit animus, nec tamen facit.*Reſpondet D.Thomas quòd *Sicut Auguſtinus ibidem dicit , animus quando imperat ſibi ut velit, tunc jam vult : ſed quòd aliquando imperet, & non velit , hoc contingit ex hoc quòd non perfectè imperat . Imperfectum autem imperiũ cõtingit ex hoc quòd ratio ex diverſis partibus movetur ad imperandum vel non imperandum. Unde fluctuat inter duo , & non perfectè imperat .* Et ſanè id cuique in ſeipſo experiri licet : quòd enim interdum fluctuet, nec perfectè velit, inde contingit , quòd non omninò ratione convincatur , nec judicet perfectè, debere velle,nec ſibi perfectè imperet. Cùm enim nulla ratio eſt , quæ ſecùs ſuadeat , omnique ex parte judicat , hìc & nunc eſſe agendum , momentô agit , ſequiturque voluntas judicium rationis , & imperium . Atque inde etiam oritur , quòd ſi nulla ratio occurrat mutandi conſilium , nunquàm reipsà mutatur .

Unde S.Thomas rationem repetit immutabilitatis Angelorum , & obſtinationis dæmonum : quòd cùm ex plenitudine luminis intellectualis , momentô , & ſtatim rationes quæ occurrere poſſunt animadvertant , nec nova ſit ratio , quę anteà lateret, & quæ deinde comperta fuerit ; ſicut intellectus iiſdem ſemper rationibus immobiliter adhæret ; etiam voluntas eidem objecto eâdem firmitate adhæret , nec unquàm flectitur : neque enim prudentiæ eſſe poteſt, niſi nova ratio occurrat, mutare conſilium ; imò neque omninò naturæ intellectualis; ea ſemper ratione,quòd appetitivæ potentiæ ſemper apprehenſivis conſentiunt, & quòd ordinem moventium ſequitur ordo mobilium, omniſque inclinatio ejuſdem conditionis eſt cum forma apprehenſa .

Atque ex his manifeſtè colligitur , eam libertatis definitionem , quæ celebris eſt apud Recentiores,alienam eſſe à D.Thomæ ſententia , cùm exiſtimaverit D.Thomas,imperium rationis eſſe prę-requiſitum ad agendum , ipſumque adeò certò movere voluntatem , ut non poſſit voluntas non obtemperare: quamvis integram omninò ſervet libertatem . De quo tamen vide dicenda infrà .

ARTICULUS IV.

Veræ libertatis notio ex S.Thoma : Quòd ſit vis electiva mediorum , temperata ordine finis .

POſtquàm ſatis explicuimus , quem ſenſum habere , aut qua ratione explicari , vel quo temperamento admitti poſſint aut debeant definitiones libertatis , quæ vel apud Veteres in uſu erant, vel à Recentioribus uſurpantur;operę pretium eſt , ut veram, & ſuis omnibus lineamentis integram libertatis definitionem afferamus ex D.Thoma, quem hìc unum Magiſtrum audimus. Eam verò dicimus eſſe veram libertatis definitionem, quòd ſit : *Vis electiva mediorum , temperata ordine finis .* Quæ definitio per partes explicanda eſt, ut ea quæ veriſſimè Chriſtiano Philoſopho, & Theologo digna libertatis notio dicenda eſt , nedum principiis à S. Thoma conſtitutis , ſed & ipſius expreſſis verbis, & probetur,& defendatur.

Dicitur itaque in primis.*Vis electiva* à D. Thoma 1.par. qu.83. ar.4. ubi expreſsè inquit , quòd *Liberum arbitrium nihil aliud eſt quàm vis electiva.* Atque id infra eodem articulo repetit : *Sicut,* inquit ,*ſe habet intellectus* ſimplex , & ſimplicium intelligentia *ad rationem,* & diſcurſum: *ita ſe habet voluntas ,* ſeu ſimplex volitio aut intentio finis *ad vim electivam, ideſt ad liberum arbitrium.*

Atque eodem ſenſu intelligendum eſt, libertatem eſſe *facultatem* agendi , & non agendi : & quidem facultatem expeditam , quod etiam docet nos S.Doctor: cùm enim ſuperiorem D.Auguſtini definitionem retuliſſet , quòd *Liberum arbitrium eſt facultas rationis , & voluntatis*: addit in Reſponſ. ut etiam advertimus ſuprà , *quòd facultas nominat voluntatem expeditam ad operandum: & ſic* , inquit , *facultas ponitur* in definitione liberi arbitrii . Et in 2. diſt.24.quæſt.1. ar.1.inquit: *Quòd facultas ſecundùm communem uſum loquendi ſignificat poteſtatem,qua aliquid habetur ad nutum : unde & poſſeſſiones facultates dicuntur , quia in dominio ſunt poſſidentis ; & ideò liberum arbitrium facultas dicitur , non quaſi habitus quidam ,ſed quia actum ſuum in libera poteſtate habet : unde & liberum nominatur .*

Unde verò oriri poſſit quòd ea facultas expedita ſit, explicat S.Thomas qu.24.de verit. art.4. ad 1.ubi cùm ex S.Auguſtino retuliſſet : *Quod liberũ arbitrium eſt facultas volũtatis, & rationis,* addidiſſetque etiam , quòd *Facultas dicitur quaſi facilis poteſtas* ; ita hæc omnia explicat : *Dicendùm* , inquit , *quòd aliquid videtur eſſe facile dupliciter: uno modo propter remotionẽ impedimenti: alio modo propter appoſitionem adjutorii* . At verò ea facilitas , quæ pertinet ad libertatem , non ea eſt,quę fit *per appoſitionem adjutorii*: quia etſi nullum ſit auxilium ejuſmodi ſeu gratiæ , ſeu habitûs aut infuſi aut acquiſiti , integra tamen re-

manet libertas arbitrii : sed ea est quæ fit *Per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitriũ non impeditur aliquo cogente à propria operatione*: *& ideò S. Augustinus*, inquit D. Thomas, *propriè liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem: quia facultas hoc importare videtur, ut aliquid sit in potestate facultatem habentis.* Est igitur libertas, vis quædam vel facultas expedita, & ab omni vel necessitate vel coactione immunis.

Additur verò esse *vim electivam mediorum* : quòd hæc potissima sit libertatis natura, & exercitium in eo omninò positum, quòd circa media, non circa finem versetur : cùm ad libertatem propriissimè electio pertineat, quæ nunquàm esse potest de fine, sed solùm de mediis. Etenìm electionem in primis ad libertatem propriè pertinere probat D. Thomas 1. 2. quæst. 13. integrâ de electione, ubi omnibus fermè Articulis, vel ita docet, vel ita supponit, ut quisque sola lectione animadvertet : at expressiùs adhuc ista docet in propria sede, scilicèt 1.par.quæst. 83. ubi agit de libero arbitrio art. 3. ut explicet, *Utrùm liberum arbitrium sit potentia appetitiva*, quod ab ipso Aristotele sub dubio relictum erat. At verò inquit D. Thomas: *Dicendum quòd primum liberi arbitrii est electio: ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quòd possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere: & ideò naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet*, Undę infert, quòd cùm electionem ad voluntatem pertinere nemo in dubium revocet, etiam liberum arbitrium ad voluntatem pertinere nemo dubitare jure possit; suppositâ tamen ratione quâ libertatem pariter sicut & ipsam electionem dirigi necesse est. Pertinet itaque propriissimè ad libertatem electio, quæ subinde non poterit non dici etiam summo rigore *Vis elective*.

Præterea verò, electionis exercitium non versari circa finem, res apertior esse videtur, quàm ut probari debeat : non versari saltem eo pacto quòd sicut, & finem amplecti, ipsique adhęrere; ita ab eo deficere æquè voluntas possit, aut quòd sicut prosecutio finis, ita ab eo defectio ad veram libertatem pertineat. Non est quidem dubium, quin sępiùs ab ultimo vero fine homo peccato deficiat, quod est à vero fine, & incommutabili bono aberratio : sed nullo planè modo in eo veræ libertatis exercitium reponendum est. Ea infelicitas est, & miseria, cum statu creaturæ extra terminum positæ conjuncta, sed è contrà ea veræ libertatis notio, & natura est, ut fini adhæreat, & ex ea adhæsione dumtaxàt circa media versetur. Atque id satìs jam explicuimus suprà, cùm diximus, propinquiorem libertatis radicem esse summam voluntatis capacitatem, & amplitudinem, qua potest summum, & infinitum bonum complecti, quod ita voluntatem rapit, ut eam non sinat esse sui juris. Unde voluntas quidem libera, ipsaque libertas, circa ultimum finem versatur : at ut ipsi adhęreat, ipsique subjiciatur, non ut ab eo deficiat, ipsique dominari velit. Sed libertas aut voluntas ut libera, respicit media quæ assumere, quæ rejicere potest, ut ipsa ratio finis obtinendi vel exigit, vel permittit.

Atque id expressè inquit S. Thomas 1.2. quæst. 13.art.3.ubi toto Articulo probat; quòd *Finis in quantùm hujusmodi, non cadit sub electione.* Sicut vniversim in omnibus vitæ officiis & in qualibet arte, si quis diligenter attendat, animadvertet nunquàm artis finem sub electione cadere. Unde subdit D.Thomas, quia *In operatione medici, sanitas se habet ut finis : ideò hoc non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tanquàm principiũ.* Et sanè non medicus, sed naturæ hostis existimaretur, qui deliberaret, & in dubium verteret, an curare deberet ægrotum cujus curam suscepit: quin imò & sanitatem æternam conferret si posset, quia ad finem pertinet ut sine mensura, sine termino, & ut ita dixerim, infinito amore ametur, & volitus sit : mediis verò ex fine modus est præfigendus.

Quod iterùm observat Divus Thomas 2.2.q.27. art. 6. ubi ea ratione probat, in charitate nullum modum habendum esse, quia verus Deum diligendi modus est sine modo diligere, ea ratione quòd ipsius finis nulla mensura esse debeat, cùm ipse aliorum omnium mensura sit. *In omnibus enim appetibilibus, vel agibilibus*, inquit, *mensura est finis: quia eorum quæ appetimus, & agimus, oportet propriam rationẽ ex fine accipere, ut patet per Philosophum in 2. phisicor. Ideò finis secundùm seipsum habet modum: ea verò quæ sunt ad finem, habent modum ex eo quod sunt fini proportionata: & ideò sicut Philosophus dicit in 1. Politicorum, appetitus finis in omnibus est absque fine, & termino: eorũ verò quę sunt ad finẽ est aliquis terminus. Non enim medicus imponit aliquẽ terminũ sanitati, sed facit eam perfectam quantumcumque potest: sed medicinę imponit terminum : non enim dat tantum medicinę quantum potest, sed secundùm proportionẽ ad sanitatem, quam quidẽ proportionem si medicus in medicina excederet, vel ab ea deficeret, esset immoderata.* Hæc S.Thomas.

Ex quibus manifestum est, finem ita sibi voluntatem subjicere, ut omnem ejus amorem sibi vendicet, omnes vires veluti exhauriat, ut nullam quæ possit ab eo desciscere, ab eoque divelli, potestatem relinquat. Non ergo ad libertatem pertinet ut circa finem exerceatur, sed unicè libertatis exercitium circa media versatur. Cùm enim electio ad libertatem pertineat, sitque libertas vis quædam animæ elective, seu ad eligendum ex natura instituta, electio autem nunquàm possit esse de fine, superest ut circa media versetur, quæ admittit vel respuit, ut fini acquirendo opportuna, & utilia, ratio mõstraverit: de quo videndus S.Thomas 1. 2. quæst. 13. citata. Sed hæc omnia ex probatione ultimæ partis, quam modo subjungimus, multò certiùs constabunt. Igitur,

Ultima definitionis libertatis conditio, quòd sit *Temperata ordine finis*, præcipua est, quam negare videntur, qui non aliam quàm flexibilem in utramque peræque partem, & bonum & malũ, libertatem constituunt : quamvìs si rectè explicetur,

tur, à nemine negari omninò posse existimem: sed tamen adeò certam firmatamque undique S. Thomæ principiis ac munitam reperio, ut affirmare ausim, nullam omninò in Theologia assertionem in D. Thomæ sententia certiorem reperiri. Atque ut id à nobis non esse temerè dictum demonstremus,

Inprimis Divus Thomas assertionem hanc in terminis statuit, & efficacissimâ etiam ratione probat. 1. par. quæst. 62. art. 8. ubi inquirit: *Utrùm Angelus beatus peccare possit*. Negat posse: & cùm sibi tertio loco hoc argumentum objecisset: *Ad libertatem arbitrii pertinet, quòd homo possit eligere bonum, & malum: sed libertas arbitrii non minuitur in Angelis: Ergo possunt peccare*,

Hujus argumenti occasione assertionem hanc omnem,& doctrinam tradit verissimè litteris aureis inscribendam. *Dicendum*, inquit, *quòd liberũ arbitrium sic se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusionem: manifestum est autem, quòd ad virtutem intellectûs pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit secundùm principia data: sed quòd in aliquam conclusionem procedat, prætermittendo ordinem principiorum, hoc est, ex defectu ipsius. Unde QUOD LIBERUM ARBITRIUM DIVERSA ELIGERE POSSIT SERVATO ORDINE FINIS, HOC PERTINET AD PERFECTIONEM LIBERTATIS EJUS: Sed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii, est in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus*.

Hæc ibi D. Thomas: quibus nihil clarius ad suam sententiam explicandam, nihilque validius ad eam probandam, dicere unquàm potuit. Ergo ex D. Thoma ea est vera libertatis conditio, quòd in media feratur, & ea eligat, sed cohibita, & temperata *servato ordine finis*. At verò quòd media velutì forte fortuna nullâ habitâ ratione finis, aut eo ordine prætermisso, pro libito, & ex levitate animi, media eligat & assumat: non magìs ad libertatem pertinere potest, quàm ad rationem pertineat, ut hinc indè temerè, & prætermisso ordine principiorum, non tam discurrat, quàm erret, & vagetur.

Confirmatur, ex eo quòd neque id solùm dixerit eo loco S. Thomas; sed quoties eam quæstionem pertractat: *Utrùm voluntas aliquid ex necessitate velit*, eandem comparationem init inter intellectum, & voluntatem, ut 1. par. qu. 82. ubi inquit, *Quòd sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principiis: ita volũtas ex necessitate inhæret ultimo fini, qui est beatitudo. Finis enim*, inquit, *se habet in operativis, sicut principium in speculativis, ut dicitur in 2. physicor*. Eandem comparationem etiam instituit D. Thomas deinde articulo secundo, quem locum retulimus, ubi tertiam libertatis radicem explicuimus. Ac deinde etiam quæst. 83. art.4. quem locum ex integro loco prælaudato retulimus. Et nè ex hac sola 1.par. egrediamur. Iterùm eandem comparationem inierat q. 60. art.2. ubi cùm primò ostendisset, in Angelis esse dilectionem naturalem, quod exclusâ etiam beatitudine non potest ipsis non convenire: deinde probat esse dilectionem electivam, eâ ratione: quia naturalis dilectio in eis est principium electivæ: quia *Id quod pertinet ad prius habet rationem principii. Unde cùm natura sit primum quod est in unoquoque, oportet quòd id quod ad naturam pertinet, sit principium in quolibet. Et hoc apparet*, inquit, *in homine, & quantùm ad intellectum, & quantùm ad voluntatem: intellectus enim cognoscit principia naturaliter, & ex hac cognitione causatur in homine scientia conclusionum, quæ non cognoscuntur naturaliter ab homine, sed per inventionem vel doctrinam. Similiter in voluntate finis hoc modo se habet sicut principium in intellectu, ut dicitur in secundo Physicorum: unde voluntas naturaliter intendit in suũ finem ultimum: omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem; & ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates, cùm quidquid homo vult, velit propter beatitudinem*. Igitur sicut nulla est scientia conclusionum, nisi derivetur à principiis, & necesse est intellectum ex cognitione principiorum velutì per gradus ad conclusiones descendere, quos si prætermittat, præceps ruit, nec discurrere dicendus est, sed cadere, & falli: ita necesse est voluntatem adhærere ultimo fini, ipsique velutì innixam, ad electionem progredi; nec progressus dicendus erit, sed gravissimus lapsus, si nullo finis habito respectu committat se ut medium aliquod assumat.

Confirmatur iterùm efficacissimis D. Thomæ rationibus, quas loco citato retulimus, ubi actum est de tertia radice libertatis: & aliquas hìc etiam addemus ex ea inexhausta copia quam nobis Sanctus Doctor subministrat. Et

Prima quidem ratio, quâ probat libertatem in eligendis mediis temperandam ordine finis, existimari potest ea quam modò explicuimus, ex comparatione voluntatis cum intellectu. Cùm enim posteriora semper ex prioribus metienda sint, & eandem conditionem habeant: idem omninò sentiendum est de voluntate ac de intellectu; cùm maximè, ut ex Aristotele toties refert Divus Thomas, intellectus & voluntas eâ ratione conveniant, quòd utraque potentia sua principia habeat: quia in operabilibus finis se habet sicut principia in speculabilibus: Atquì discursum omnem rationis, ut rectus sit, necesse est regulari, & regi ordine principiorum: Ergo & motum omnem voluntatis necesse est regi & imperari ordine finis.

Secunda ratio S. Thomæ est: in rebus omnibus, etiam in ipsa voluntate, naturam reperiri debere, quæ naturalem actum habeat determinatum, & immobilem, ejusdem cum natura conditionis, natura enim *fixa est, & mutari nescia*. Juven. satyr. 13. ex quo actu cæteros omnes actus necesse est tanquàm ab origine derivari; quia natura est motuum omnium primum

mum principium : Atquì voluntas ut natura eſſe intelligitur, circa ultimum finem verſatur, & hujus actus eſt ipſa volitio ultimi finis ac ſummi boni, quam nemo nec poſſet nec vellet à ſe abjicere, quia nemo miſer eſſe vult, aut velle poteſt : Ergo.

Et hanc rationem habet S. Thomas 1.p. qu.82. a.1. *Oportet enim*, inquit, *quòd illud quod naturaliter convenit alicui, & immobiliter, ſit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura eſt primum in unoquoque. Et omnis motus procedit ab aliquo immobili*. Sed fuſiùs explicat hanc rationem q.22.de Verit.a.5. *Dicendum*, inquit, *quòd in rebus ordinatis oportet primum modum includi in ſecundo, & in ſecundo inveniri nō ſolùm id quod ſibi competit ſecundùm rationē propriam, ſed quod competit ſecundùm rationem primi : ſicut homini convenit non ſolùm ratione uti, quod ei competit ſecundùm propriam differentiam, quę eſt rationale, ſed uti ſenſu vel alimento, quod ei competit ſecundùm genus ſuum quod eſt animal. Et ſimiliter videmus in ſenſibilibus: quod cùm ſenſus tactûs ſit quaſi fundamentum aliorū ſenſuum, in organo uniuſcujuſq; ſenſus non ſolùm invenitur proprietas illius ſenſus, cujus eſt organum propriū, ſed etiam proprietas tactûs. Sicut organum ſenſûs viſûs non tantùm ſentit album, & nigrum, in quantùm eſt organum viſûs, ſed ſentit calidum, & frigidum, & corrumpitur ab eorum excellentiis, ſecundùm quòd eſt organum tactûs. Natura autem, & voluntas hoc modo ordinata ſunt, ut ipſa voluntas quędam natura ſit, quia omne quod in rebus invenitur, natura quędam dicitur. Et ideò in voluntate oportet invenire non ſolùm id quod voluntatis eſt, ſed etiam quod naturę eſt. Hoc autem eſt cujuslibet naturæ creatæ, ut à Deo ſit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde & voluntati ipſi ineſt naturalis quidam appetitus ſibi convenientis boni*. Ergo ex S. Thoma etiam in ipſa voluntate hæc duplex ratio diſtinguenda eſt, voluntatis ut natura eſt, & voluntatis ut eſt libera. Quæ ratio naturæ prior eſt, & antecedit rationem libertatis quæ eſt poſterior. Ergo ea lege communi, & ordine rectè inſtituto, quo poſteriora à prioribus dependent, neceſſe eſt libertatem, & liberratis omnem motum ſeu electionem mediorum dependere, & regulari à voluntate, & naturali ipſius actu certo, determinato, & immobili, qui eſt volitio finis.

Tertia D. Thomæ ratio non longè abit ab altera. Ea enim erat inexhauſta Angelici Doctoris copia, ut quoties quæſtionem aliquam pertractat, novum aliquid in aliis locis prætermiſſum ſuperaddat. Omne illud, inquit, quod non per ſe primò ineſt, & convenit, ſed velutì per accidens, & ſecundò, ad illud reducendum eſt quod primò, & per ſe, & ſemper convenit : Atquì electio mediorum ſeu voluntatis liberæ motus non ſemper, nec primò per ſe, ſed velutì ſecundò, & per accidens convenit : è contra verò intentio finis, & motus voluntatis ut natura eſt, per ſe primò ſemper, & immobiliter convenit. Ergo neceſſe eſt electionem mediorum regulari intentione finis.

Hanc rationem habet S. Thomas 1. 2.q.10.a.1. ubi reſolvit volũtatem ad aliquid naturaliter moveri. *Natura*, inquit, *dicitur quelibet ſubſtantia vel quodlibet ens, & ſecundùm hoc illud dicitur eſſe naturale rei, quod convenit ei ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt quod per ſe ineſt rei. In omnibus autem ea quę non per ſe inſunt, reducuntur in aliquid quod per ſe ineſt, ſicut in primum : & ideò neceſſe eſt quòd hoc modo accipiendo naturam, ſemper principium in his quę conveniunt rei ſit naturale. & hoc manifeſtè apparet in intellectu : nam principia intellectualis cognitionis ſunt naturaliter nota : ſimiliter, & principium motivum voluntariorum* (& liberorum actuum) *oportet eſſe aliquid naturaliter volitum: hoc autem eſt bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit, ſicut etiam quælibet potentia in ſuum objectum, & etiam ipſe finis ultimus, qui hoc modo ſe habet in appetibilibus ſicut prima principia demonſtrationum in intelligibilibus.* Hactenùs D. Thomas : quibus addi poſſent quæ habet in ſolutionibus argumentorum obſervatione digna, quæ videri poſſunt. Atque hinc etiam

Quartam alteram rationem affert, ex ea ſemper inexhauſta copia quâ profert nova, & vetera, deſumptam ex ratione objecti. Neceſſe enim eſt objectum alicujus potentiæ ſecundarium à primario objecto vel ratione formali objecti dependere : *In motu enim cujuslibet potentiæ à ſuo objecto, conſideranda eſt ratio per quam objectum movet potentiam*, ut ibidem inquit art. 2. viſibile enim movet viſum *ſub ratione coloris actu viſibilis* : Atquì primarium objectum voluntatis eſt finis, ac bonum quod voluntas ut natura quædam immobiliter (etſi non actu ſemper) reſpicit ; media verò circa quæ voluntas verſatur pertinent ſolùm ad objectum ſecundarium. Unde & ex communi ſententia quam docet D. Thomas ibidem qu. 12. de Intentione art. 4. eodem actu fertur voluntas, & ad media, & ad finem, quia *Finis*, inquit, *ratio eſt volendi ea quæ ſunt ad finem* : *idem* enim *actus cadit ſupra objectum, & ſupra rationem objecti. Sicut eadem eſt viſio coloris, & luminis. Et eſt ſimile de intellectu ; in hoc* enim *quòd concluſioni propter principia aſſentit, eſt unus actus intellectûs tantùm*. Ergo neceſſe eſt voluntatem, & electionem mediorum regulari, & temperari ordine finis.

Quinta ratio D. Thomę ſuperiores egregiè confirmat. Nimirùm quòd in omni motu neceſſe ſit aliquod eſſe principium immobile, *Omnis enim motus procedit ab aliquo immobili*, 1. par. qu. 82. art. 1. quod præter ſuperiùs dicta probat S. Thomas eâ ratione : *quòd omnis multitudo ab unitate procedit : quod autem immobile eſt, uno modo ſe habet ; quod verò movetur, multiformiter*: 1. par. qu. 115. art. 3. eâque ratione probat motus corporum inferiorum reduci debere ad motus corporum cæleſtium. Vide Diſs. 1. q:6. art.3. Atquì libertatis motus, & multi ſunt, & variabiles,

biles, & heu nimiùm variabiles, nunquàm enim ſæpiùs Protheus variavit formas, nec plures mare volvit arenas: contra verò, voluntas ut natura, in volitione finis velut in centro immota quieſcit: Ergo &c.

Confirmatur demùm quàm plurimis exemplis, eam legem eſſe rebus omnibus conſtitutam, motum ſcilicèt omnem ad immobile aliquod reduci. Et cùm ex eo principio hujus quæſtionis graviſſimæ reſolutio omnis pendeat, non gravabitur, ut ſpero, eruditus Lector, ſi quædam ex D. Thoma referamus, quibus etiam non immeritò mirari poterit Angelici Doctoris eruditionem, quem nihil latebat eorum quæ apud veteres tum Philoſophos, tum Patres, annotatione digna habentur, & profundiſſimæ contemplationi totius naturæ virum ſanctum incubuiſſe; cujus intimos receſſus ſibi nudatos apertoſque penè oculis cernebat: ut certè non poſſet non doctiſſimus evadere, qui legendo Sancti Thomæ vacaret, in quo omnia ſcitu digna collecta reperiret.

Igitur 1. p. qu. 84. art. 1. ad 3. ubi de cognitione animæ reſpectu corporum ita paucis inductione factâ probat, quòd *Omnis motus ſupponit aliquid immobile. Cùm enim tranſmutatio ſit ſecundùm qualitatem, remanet ſubſtantia immobilis; & cùm tranſmutatur forma ſubſtantialis, remanet materia immobilis: rerum etiam mutabilium ſunt immobiles habitudines: ſicut Socrates etſi non ſemper ſedeat, tamen immobiliter eſt verum quòd quando ſedet, in uno loco ſedet*: & demùm de rebus mobilibus ſcientia omnis immobilis eſt, quod ex illo communi principio deduxit. *Et propter hoc*, inquit, *nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem ſcientiam*. Hoc enim eximium habet intellectus, ut *univerſaliter, immaterialiter, & immobiliter apprehendat*, ut inquit in corpore articuli, ſingularia ac diſperſa, & immerſa materiæ, variiſque motibus ſubjecta.

Huic inductioni quâ plurima exempla hujus immobilis legis colligit, & refert D. Thomas, plura alia exempla multis in locis addidit. Et primum quidem ex loco jam citato ſumi poteſt. Neceſſe enim eſt, numerum omnem, & multitudinem ad unitatem immutabilem, invariabilem, immobilem reduci, ab eaque oriri, & menſurari: *Nam omnis multitudo ab unitate procedit: quod autem immobile eſt, uno modo ſe habet*: & omnis immutabilitatis prima radix eſt unitas, quæ non poteſt unquàm alio modo quàm uno, & eodem ſe habere. Exemplum alterum à cardine immobili, cui januam affixam eſſe oportet, ut hinc indè volvatur, quod retulimus, memini apud Sanctum Thomam me legiſſe, ſed nunc locus non occurrit. Sed ſublimius exemplum addit 1. par. quæſt. 79. art. 8. ad 2. ubi inquit: *Quòd æternitas comparatur ad tempus, ſicut immobile ad mobile: & ideò Boëtius comparavit intellectum æternitati, rationem verò tempori*. Etenim ut ea comparatio illuſtretur; certum eſt, tempus omne ab æternitate oriri, æternitate menſurari, ad æternitatem tendere, in æternitate quieſcere. Præceſſit enim tempus æternitas, cujus eſt velutì umbra quædam, aut tenuiſſimus effluxus: æternitate etiam tanquàm menſura ſuperiori, ſed certa ac ſemper uniformi tempus menſuratur: ad æternitatem velutì citato curſu tendit, & in æternitate velutì immergitur, & quieſcit. Atquì ita etiam neceſſe eſt, rationem cum intelligentia, ſicut tempus cum æternitate comparari. Ab intellectu ſeu primis intellectûs principiis oritur, regitur, menſuratur, & coërcetur ratio, & rationis diſcurſus: ad intellectum etiam principiorum tendit: hæc enim rationis, & diſcurſûs perfectio eſt, ut in prima principia tendat, in eaque reſolvatur: in principiis demùm quieſcit, cùm viſione intellectuali in ipſis primis principiis, quod ratione, & diſcurſu cognoverat, velutì in quiete contemplatur: indè enim oritur intellectûs certitudo ac firmitas, quæ nulla eſſe poteſt in ſolo diſcurſu, ſicut nec in motu; ſed ſolùm in principiis, ſicut in termino, & in quiete, ubi motus deſinit.

Apertior eſt quàm ut multis explicari oporteat eadem comparatio voluntatis cum ultimo fine, ſicut & temporis cum æternitate: cùm maximè ad æternitatem ultimus finis pertinere videatur. A fine igitur oritur motus omnis voluntatis; fine regitur, & menſuratur, & temperatur; ad finis poſſeſſionem, & ad felicitatem conſequendam tendit: in fine tandem ut in centro conquieſcit: adeò certum eſt motum omnem ab immobili dependere & oriri, immobili regi & ſuſtineri, ad immobile tendere, in immobili ſiſtere, & quieſcere. Neque enim motus aut à ſeipſo eſſe poteſt, aut ſui ipſius cauſa. Quo principio probata eſt à D. Thoma, & à Philoſopho, Primi Numinis exiſtentia: ut intelligas hæc quæ modò principia ſtabilimus, & quæ cum divinæ motionis neceſſitate conjuncta ſunt, ut aliàs animadvertimus, adeò eſſe certa, ut ea in dubium revocari non poſſint, niſi labefactata potiſſimâ omnium demonſtratione, quâ Divini Numinis exiſtentia probari poteſt.

Sed plura prætereà colligit D. Thomas qu. 15. de Verit. art. 1. ubi de ratione ſuperiori, & inferiori, ad 9. argumentum; eaque refert ex Boëtio lib. 4. de Conſolatione Philoſophiæ: ubi mobilium omnium rerum ordinem Divinâ Providentiâ necti, diſponi, & coërceri Boëtius demonſtrat. Ita verò refert D. Thomas. *Prætereà, Boëtius dicit in 4. de Conſolat. Uti eſt ad intellectum ratiocinatio; ad id quod eſt, id quod cognitur*; ſeu ut explicat in corpore, ad ipſum eſſe, & ad terminum motûs generationis; *ad æternitatem tempus; ad punctum* ſeu centrum *circulus*, & peripheria: *ita fati ſeries mobilis*, ſeu ordo conſtitutus in rebus *ad Providentiæ Divinæ ſtabilem ſimplicitatem*: addi poſſet, ſicut & rationales animæ ad intellectuales ſubſtantias. Sed neceſſe non eſt: cùm in ipſo homine etiam ſimplex intelligentia ſit quâ ad intellectuales ſubſtantias homo accedit, ut notat S. Thomas, & explicat eò loci ex

communi illo S. Dionysii principio, omnes totius Universi ordines aliquâ sui parte conjungi, ut fiat illa rerum concatenatio, & connexio olim à Veteribus decantata. *Quamvis*, inquit D. Thomas, *cognitio animæ humanæ propriè fiat per viâ rationis*: (& ideò animæ rationales dicuntur, ut dixerat in corpore art.) *est tamen in ea quædam participatio illius simplicis cognitionis, quæ in substantiis superioribus invenitur; ex quo vim intellectivam habere dicuntur*; (& intellectuales substantiæ:) *& hoc secundùm illum modum quem S. Dionysius 7. cap. de Divinis Nomin. assignat, dicens*: „ *quòd divina sapientia semper fines priorum conjungit principiis secundorum*: „ *hoc est dictu, quòd inferior natura in suo summo attingit ad aliquid infimum superioris naturæ. Et hanc quidem differentiam Angelorum, & animarum Dionysius cap. de Divin. Nomin. ostendit sic dicens*: „ *Ex ipsa scilicèt Divina sapientia intellectuales Angelicarum mentium virtutes simplices, & bonos habent intellectus, non à divisibilibus, aut sensibilibus, aut sermonibus diffusis congregantes divinorum cognitionem; sed uniformiter intelligibilia Divinorum intelligunt. „ Posteà*, inquit D. Thomas, *subjungit Dionysius de Animabus*: „ *Propterea Divinam sapientiam animæ rationales habent, diffusivæ quidem, & circulo circa existentium veritatem circumeuntes, divisibili varietate deficientes ab unitivis mentibus, sed per convolutionem multorum ad unum dignæ sunt habitæ intellectualibus æqualibus Angelicis, in quantùm animarum est proprium, & possibile*. „ *Quod ideò dicit Dionysius*, inquit Divus Thomas, *quia illud quod est superioris naturæ, non potest esse in inferiori natura perfectè, sed per tenuem quandam participationem; sicut in natura sensitiva non est ratio, sed aliqua participatio rationis, in quantùm bruta habent quandam naturalem prudentiam, ut patet in principio Metaphysicæ*.

Igitur ex dictis, hujus connexionis, quâ tota natura constat, ita deducta series demonstrari potest. Divinæ sapientiæ diffusione quadam, & participatione oritur intellectualis omnis cognitio. Primus enim velutì circulus Deus ipse est, cui appendenda est rerum omnium concatenatio, & connexio; *Circulus intelligibilis*, ut ex Trismegisto refert etiam D. Thomas, *cujus centrum ubique est, & nullibì circumferentia* (qu. unica de Scientia Dei art. 2.) ex Deo enim oriuntur omnia. Unde & Rabbi Isaac, etiam referente Divo Thoma, Angelum dicebat productum esse in umbra Divinitatis, rationalem animam in umbra Angeli, substantialem formam in umbra animæ: eamque luminis diffusionem in ipsa tandem prima materia desinere, quæ sola umbra est omnis lucis ac perfectionis expers. Vid. Differt. 1. q. 4. art. 6.

Ex Divina igitur sapientia intellectualis omnis cognitio oritur, eaque regulatur ac dirigitur, & ad eandem recurrere necesse est: in quo reditu complètur Angelicæ naturæ circulus, seu circularis motus, quo Angeli *Circa bonum, & pulchrum circulariter moventur*: ut inquit S. Dionysius cap. 4. de Divin. Nomin. & explicat D. Thomas, tum in Commentario D. Dionysii, tum etiam 2. 2. quæst. 180. art. 6. tum etiam fusiùs quæst. 8. de Verit. art. 15. ubi de cognitione Angeli, utrùm fiat discurrendo de uno in aliud, ad 3. *Angelus enim*, inquit, *in ipso actu cognitionis divinæ non se extendit ad diversa, sed in ipso Deo uno figitur; & secundùm hoc dicitur circa Deum moveri quasi motu circulari, non deveniens in ipsum sicut in finem cognitionis ex aliquo principio: sicut circulus non habet principium, neque finem. Et ideò dicit Dionysius, quòd „ Angeli moventur circulariter sine principiis, & interminabilibus illuminationibus boni, & pulchri. „ Ut intelligamus ipsas illuminationes Divinas in mentes Angelicas provenientes, sicut lineas provenientes de centro ad circumferentiam; quibus quodammodò substantia circumferentiæ constituitur: ut sic cognitio Dei quam de se ipso habet, comparetur centro; cognitio autem quam habet de ipso, comparetur circulo, qui imitatur unitatem centri, sed ab ea deficit.* Atq; eâ cognitione quâ Angeli *manent in identitate circa identitatis causam pulchrum, & bonum chorum*, & velutì choreas *agentes*, ut inquit ibidem S. Dionysius; Angeli Divinæ sapientiæ velutì primo circulo junguntur uniformis cognitionis quâdam participatione.

Angelicæ verò naturæ rationalis anima velutì tertius circulus appenditur. Angelis enim homo suppar, intelligentiâ simplici, similisq; efficitur; cùm sine discursu in primis principiis aciè mentis defigit: qui mentis intuitus si in Deum feratur, verissima contemplatio est, à Mysticis celebrata, ut notat S. Thomas, potissimùm in 3. dist. 35. a. 2. ubi docet, *Quòd homo in quantùm contemplativus est aliquid supra hominem: quia in intellectûs simplici visione cõtinuatur homo superioribus substantiis quæ intelligentiæ vel Angeli dicuntur: sicut animalia continuantur hominibus in vi æstimativa, quæ est supremum in eis secundùm quam aliquid simile operibus rationis operantur.* At verò cùm in intelligentia principiorum omnia sine motu, & sine discursu, omnia simplici contemplatione & intuitu, ac solâ internâ, & mentis velutì lectione fiant: *ex hoc enim aliquis intelligere dicitur, quòd interiùs in ipsa natura veritatem quodammodò legit*. qu. 15. de Verit. art. 1. Ratio deinde, *quæ intelligẽtia quædam obumbrata* à Divo Thoma dicta est, in primo dist. 3. qu. 4. art. 1. tota in motu posita progreditur ac discurrit. *Ratio enim discursum quendam designat, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit, & pervenit. Unde dicit Isaac in lib. de definitionibus, quòd ratiocinatio est cursus causæ ad causatum*. q. 15. de Verit. a. 1. At hunc discursum principiis coërceri necesse est, nè liberior sit quàm esse debeat. Unde S. Thomas q. 15. de Verit. *Motus omnis ab immobili procedit, ut dicit Augustinus 8. super Genes. ad litter. Motus etiam finis est quies, ut in 5. Physic. dicitur. Et sicut motus comparatur ad quietem, & ut ad principium, & ut ad terminum:*

ita

ita & ratio comparatur ad intellectum, ut motus ad quietem, & generatio ad eſſe, ut patet ex authoritate Boëtii ſupra allata. Comparatur verò ad intellectum, ut ad principium, & ut ad terminum: ut ad principium quidem, quia non poſſet mens humana ex uno in aliud diſcurrere, niſi ejus diſcurſus ab aliqua ſimplici acceptione veritatis inciperet; quę quidem acceptio eſt intellectus principiorum. Similiter nec rationis diſcurſus ad aliquid certum perveniret, niſi fieret examinatio ejus quod per diſcurſum invenitur ad prima principia in quæ ratio reſolvit; ut ſic intellectus inveniatur rationis principiū quantùm ad viam inveniendi, terminus verò quantum ad viā judicandi. Unde quamvis cognitio humanę animę propriè ſit per viam rationis, eſt tamen in ea aliqua participatio illius ſimplicis cognitionis quæ in ſuperioribus ſubſtantiis invenitur. Quo diſcurſu cùm ab intelligentia ut principio inchoetur; & ad intelligentiam iterùm reditus fiat ut ad terminum; perficitur tertius rationalis naturæ circulus.

Ex quibus omnibus quæ fusè ſatis explicuimus, liquet id cujus occaſione omnia iſta retulimus, ſublimi hôc utroque exemplo comprobari, motum omnem oriri, regulari, fulciri à principio immobili, & ad immobilem terminum ferri, in eoque conquieſcere.

Nec verò hæc minùs apertè altero exemplo, & Fati aut ordinis in rebus conſtituti cum Divina Providentia comparatione explicantur. Qua de re plurima ex S. Thoma 1. p. quæſt. 103. & quæſt. 116. aliiſque in locis referri poſſent, quæ ultrò prætermittimus, ne iſta longiùs eant. Res enim ipſę, ut ita dixerim, clamant, conſtitutum in ipſis ordinem ex divina providentia oriri, providentiâ regi: Fata enim regunt orbem, certâ ſtant omnia lege, Divinæ ſcilicèt providentiæ, impoſita rebus. *Quidquid enim patimur mortale genus -- quidquid facimus venit ex alto.* Seneca in Oedip. Verùm centri circulique exemplum, quo uſus eſt Divus Thomas, prætermittendum non eſt, cùm illud prætereà referat opuſculo 70. in Boëtium de Trinit. q. 6. art. 1. ubi quod à Boëtio dictū fuerat, interpretatur: *Quòd rationabiliter procedere attribuitur naturali philoſophiæ;* nimirùm *quia in ipſa obſervatur maximè modus rationis*, & diſcurſûs. *Intellectualiter verò procedere attribuitur divinæ ſcientiæ, eò quòd in ipſa obſervatur maximè modus intellectûs*, ſeu ſimplicis intelligentiæ. Addit verò deinde D. Thomas. *Differt autem ratio ab intellectu, ſicut multitudo ab unitate. Unde dicit Boëtius 4. de conſolat. quòd ſimiliter ſe habet ratio ad intellectum, ſicut tempus ad æternitatem, & circulus ad centrum. Eſt enim rationis proprium circa multa diffundi, & ex eis unam ſimplicem cognitionem colligere. Unde dicit Dionyſius 7. cap. de Divin. nomin. quòd animę ſecundùm quòd habent rationabilitatē diffuſivè circuierunt veritatem; & in hoc deficiunt ab Angelis: ſed in quantum convolvunt multa ad unum, quodammodò Angelis exæquantur.* Habet hoc igitur centrū ut lineas omnes in ſeſe uno veluti convolvat, unitaſque in ſe ſe ut principio implicet, & contineat: circulus verò eas lineas explicat, & diffundit. Nihil enim aliud eſt circulus, & peripheria, quàm centri, aut linearum quæ centro implicantnr, & convolvuntur explicatio, & diffuſio: ſicut & gubernatio rerum, & ordo conſtitutus in rebus, nihil aliud eſt quàm ea explicatio ordinis, qui eſt in mente divina, ut inquit S. Thomas locis citatis. Atque ita etiam dicendum de intelligentia ſimplici ac ratione. Ratio enim ad intellectum ſeu intelligentiam, ſicut centrum ad circulum comparatur. Intellectus enim, ſeu ſimplex intelligentia principia omnia in ſe ſe ſimpliciſſimè, unitiſſimè, uniformiſſimè implicat, convolvit, & continet: ratio verò ſuo motu, progreſſu, ac diſcurſu, ea principia diffundit, & explicat; nec aliud ratio eſt quàm principiorum explicatio, & diffuſio: ut varii diſcurſus ſint inſtar linearum quæ à centro oriuntur, quæ ad centrum recurrunt, & quarum nulla rectitudo eſſe poſſit, niſi ex ea à ſuo centro dependentia, ad quod ſemper recurrendum ſit, ut rectæ fiant, ſi quando curvæ, & obliquæ in ipſo progreſſu factæ fuerint; in ipſo enim principio, & termino nulla obliquitas eſſe poteſt.

Atque eorum omnium ſemper eadem ratio eſt, motum omnem ab immobili principio oriri, immobili principio regi, & menſurari, & ad immobile principium, ſub ratione tamen termini recurrere, ut in eo compleatur, & quieſcat. Satis hactenus hæc exempla fusè proſequuti ſumus, quibus effatum illud de motu omni ad immobile principium reducendo, explicuimus.

Sed nolim prætermitti quæ habet S. Thomas in 3. de anima lect. 15. in fine. Ubi in ipſo homine hanc legem etiam ſervari annotavit. *Principium*, inquit, *motûs oportet eſſe immobile in unoquoque motu, ſicut cùm movetur manus, quieſcit brachiū; & cùm movetur brachiū quieſcit humerus.* Quod ſanè quiſque experiri facilè poteſt, & ipſe dum hæc ſcribo experior. Nulla enim niſi corruptiſſima, & turbatiſſima ſcriptio fieret, niſi quieſceret brachium dum libero motu digiti characteres efformant. Atque id etiā obſervat D. Auguſtinus, quem laudatum ſupra vidimus à D. Thoma, 8. de Gen. ad litter. cap. 21. *Non enim*, inquit, *movetur ſolus digitus niſi fixa ſit palma, à cujus articulo velut immoto cardine moveatur. Sic tota palma ab articulo cubiti, ſic cubitus ab articulo humeri, ſic humerus à ſcapula movetur, ſtantibus utique cardinibus quibus motio nitatur.* Atque iis deindè plurima adjungit: adeò certa ac univerſalis ea lex eſt, ut nullus omninò motus eſſe poſſit qui principium immobile non ſupponat à quo oriatur, & regatur, cùm nullus unquàm motus, ut dictum eſt ſuprà, à ſeipſo eſſe poſſit, aut propter ſeipſum.

Quid verò tandem ex his omnibus exemplis manûs, & brachii; centri, & circuli; motûs, & quietis; generationis, & termini; rationis, & intellectûs; animæ, & angeli; temporis, & æternitatis; Fati, & Providentiæ, inferri poteſt, niſi

eundem etiam ordinem in motibus voluntatis servari oportere, & eandem esse libertatis cum voluntate, sicut & rationis cum intellectu comparationem. Concludendum igitur est, verissimum esse quod à S. Thoma dictum est, *Quòd sicut intellectus inhæret primis principiis: ita voluntas inhæret ultimo fini qui est beatitudo: finis enim se habet in operativis sicut principium in speculativis, vt dicitur in 2. physic. Oportet enim quòd illud quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, sit fundamentum, & principium omnium aliorum: quia natura rei est primum in unoquoq; & omnis motus procedit ab aliquo immobili*. 1. par. quæst. 82. art. 1. Ex quo manifestissimè consequitur, in eo positam esse veram perfectę libertatis rationē; quòd sicut *ad virtutem intellectûs pertinet ut in diversas conclusiones procedere possit, secundùm principia sibi data*: ita ratione simili, & ea lege quòd posteriora priorum conditionem sequuntur, *Quòd liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus*. Et pari ratione eaque iterum lege, quòd defectus, vitiumque regulæ in illud quod regulatur regiturque derivetur: sicut, *Quòd in aliquam conclusionem intellectus procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius*; ita, *quòd voluntas eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis*. 1. par. quæst. 62. art. 8. ubi quæritur, Utrùm Angelus beatus peccare possit?

ARTICULUS V.

De libertate ut communis est omnibus statibus: Ex adhæsione ad bonum in communi eam ad bona particularia ferri.

HActenùs perfectæ libertatis exactam ideam, notionemque descripsimus, qualem in Deo, Christo Domino, & Beatis esse dubitari non potest, cùm libertas integra sit, &, ut vocant, simpliciter simplex perfectio, quæ nullum in se nævum habeat: & cujus vel tenuis radius in homine præcipua imaginis lineamenta efficit, quâ Deum refert: cùm in libertate ut plurimùm rationem imaginis Sancti Patres constituant, ut refert S. Thomas. 1. par. quæst. 93. aliisque in locis.

Verùm, cùm non eadem sit in omnibus libertatis perfectio, variique sint, ut infra expendemus, gradus, astruenda est hæc libertatis definitio, aut explicatio, ut in omnibus locum habeat, & includat eam etiam *libertatis umbram*, ut loquitur D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. seu peccandi potentiam, quæ pro hoc statu corruptæ naturæ, libertatem comitatur; aut saltem eam non excludat: etsi enim ad veram libertatis rationem minimè pertineat, ipsi tamen addi potest, eamque potest ut umbra quædam comitari.

Dicendum est igitur, libertatem in communissima ratione acceptam, quæ à natura intellectuali nunquàm sejungi potest ad quemcumque gradum, & statum deprimatur, ita vel definiri, vel explicari posse: Quòd sit facultas aut vis electiva qua ex volitione finis, & Beatitudinis in communi, voluntas potest eligere, vel non eligere, agere vel non agere, & ad diversa ferri. Non addo, posse & bonum & malum prosequi; cùm ut diximus, ad veram secundùm se libertatis rationem minimè pertineat, ut etiam magis dicendum est infrà: sed neque etiam eam conditionem excludo; cùm ea, si addatur, imperfectiorem quidem libertatem efficiat, non auferat tamen, sicut si in ipso discursu interdum error accidat, non amittitur ratio, etsi illa erronea sit: & ipse homo seu mortalis, seu immortalis sit, eandem semper naturam retineat. Cùm verò dicitur, quòd diversa prosequi possit; permittitur intelligi diversa vel disparatè, quod ad perfectissimam etiam libertatem pertinet; vel contrariè, quod est imperfectæ libertatis, eligere posse.

Hôc pactô itaque explicata ea definitio convenit cum ea vera perfectaque quam suprà descripsimus: quòd adhæreat ultimo fini, summo bono, & Beatitudini in communi; & cætera tanquàm media assumat. Discrepat verò, quòd perfecta quæ in Angelis, Beatis, & Deo reperitur, veræ Beatitudinis volitionem, & adhæsionem ad verum summum bonum, ultimumque finem supponat, & ex ea volitione cætera ut dumtaxàt media inspiciat, circa ea versetur, eaque vel assumat vel rejiciat, servato ordine finis, seu proùt ratio veri finis obtinendi exigit.

Probatur itaque, libertatem hôc modô in communi usurpatam, esse vim electivam, aut vim activam ex volitione finis. Atque id ex superioribus omninò compertum est: oportet enim libertatem, quocumque in statu consideretur, necessariò supponere volitionem immotam finis saltem in communi; neque in ullo planè statu potest eximi ab ea lege, quòd omnis motus fundetur in aliquo immobili: quod iis omnibus rationibus probari potest, quibus ex Divo Thoma probatum est, libertatem semper coërceri debere, & temperari ordine finis: sicut & ex his omnibus locis, ubi statuit, hominem omnia quæ vult, velle propter ultimum finem: quod 1. 2. quęst. 1. art. 6. hac ratione probat: *Quia ultimus finis hoc modo se habet in movendo, sicut se habet in aliis motionibus primum movens. Manifestum est autem, quòd causæ secundæ moventes non movent, nisi secundùm quòd moventur à primo movente: unde secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primū appetibile*. Quod idem habet in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. ubi & plurima addit scitu dignissima. Ex quibus aliqua infrà referemus.

Confirmatur ex eo quòd (ut quæ fieri posset obje-

objectio occupetur) neceſſe non ſit, quòd ſemper ea volitio finis expreſſa ſit, & homo de beatitudine actu cogitet. Hoc enim argumentum jam diù ſolvit S. Thomas 1. 2. quæſt. 1. art. 5. ubi cùm ſibi objeciſſet. *Quiſquis ordinat aliquid in finem, cogitat de illo fine; ſed non ſemper homo cogitat de ultimo fine in omni eo quod appetit, aut facit: non ergo omnia homo appetit aut facit propter ultimũ finem.* Reſpondet D. Thomas: *quòd non oportet, ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur; ſed virtus primæ intentionis quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu, cujuſcumque rei, etiâſi de ultimo fine actu non cogitetur: ſicut non oportet, quòd qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine:* Hæc D. Thomas. Quod altero exemplo explicat in 4. ſent. diſt. 49. qu. 1. art. 3. ad ultimum totius articuli: Non enim neceſſe eſt, inquit, in demonſtrationibus ſemper advocari *Prima principia quaſi actualiter cogitata, ſed virtute tantùm: dum demonſtratio conficitur ex his quæ per prima principia fidem habent. Ita etiam quamvis omne deſiderium ad beatitudinem referatur; non tamen oportet, quòd in omni deſiderio, de beatitudine actualiter cogitetur; ſed deſiderium beatitudinis eſt in virtute in omnibus aliis deſideriis, ſicut cauſa in effectu.* Ergo neceſſe non eſt quòd homo ſemper actu de ultimo fine cogitet, ſed in deſiderio, & volitione, aut prima intentione cujuſcumque finis particularis includitur intentio finis univerſalis. Quod inde etiam ſatis notum eſt, quòd ſi quis interrogaretur, cur particularem aliquem finem intendat: Reſponderet dubio procul, quòd in eo partem aliquam boni illius communis reperiat, quod proſequitur, ut quantùm aſſequi poteſt beatus fiat.

Confirmatur iterùm ex eo quòd ſit impreſſus animæ indelebilis, & immobilis amor boni in communi, & beatitudinis, nemo enim eſt qui nolit eſſe beatus: & ex eo certo ac immutabili amore boni, & beatitudinis in communi, voluntas ſemper in particulari, quoties agit, eam beatitudinem & rationem ultimi finis quærat, vel in ipſo Deo, regente ratione & monſtrante beatitudinis omnis fontem; vel in rebus creatis, honore, divitiis, &c. in quibus umbram aliquã beatitudinis, ſed falſæ, & boni ſolùm apparentis reperit. Atque ideò impreſſus eſt animæ hic appetitus boni, ut veluti ſtimulante ſemper eo deſiderio, homo in Deum tendat, & feratur, in quo ſolam plenitudinẽ boni reperire poteſt: quod egregia D. Thomæ obſervatione explicari poteſt, quam habet quæſt. 22. de veritate art. 2. ubi quærit, Utrùm *voluntas mereatur volendo illud quod ex neceſſitate vult.* Et Reſpondet ex parte mereri, & ex parte non mereri. Quod ut explicet, ad illum divinæ providentiæ modum aſſurgit quæ aliter homini, quàm cæteris animalibus providet. *Ad hujus evidentiam, inquit, ſciendum eſt, quòd differenter eſt aliquid proviſum homini, & cæteris animalibus, tàm ſecundùm corpus quàm ſecundùm animã. Aliis enim animalibus ſecundùm corpus proviſa ſunt ſpecialia tegumenta, ſicut coriũ durum, & plumæ, & aliqua hujuſmodi ſpecialia munimenta, ſicut cornua, vngues, & hujuſmodi. Et hoc quia habent paucas vias operandi, ad quæ poſſint determinata inſtrumẽta ordinari. Sed homini iſta proviſa ſunt in generali, in quantùm ſunt ei datæ manus à natura, quibus ſibi valeat varia, & tegumenta, & munimẽta preparare: & hoc ideò quia ratio hominis eſt ita multiplex, & ad diverſa ſe extendens, quòd nõ poſſent determinata inſtrumenta ei ſufficientia præparari. Similiter eſt ex parte apprehenſionis, quòd aliis animalibus ſunt indita ſecundùm naturalem æſtimationem, quædam ſubſtantiales cõceptiones ei neceſſariæ; ſicut ovi quòd lupus ſit ei inimicus: & alia hujuſmodi. Sed loco horum homini ſunt indita univerſalia principia naturaliter intellecta, per quæ in omnia quæ ſunt ei neceſſaria procedere poteſt. Et ſimiliter etiam ex parte appetitûs: aliis enim rebus inditus eſt naturalis appetitus alicujus rei determinatæ, ſicut gravi quòd ſit deorſum, & vnicuique animali id quod eſt ſibi conveniens ſecundùm ſuam naturam. Sed homini inditus eſt appetitus ultimi finis ſui in communi, ut ſcilicèt appetat naturaliter ſe eſſe completum in bonitate. Sed in quo iſta completio conſiſtat, utrùm in virtutibus vel ſcientiis, vel delectabilibus, vel hujuſmodi aliis, non eſt ei determinatum à natura.* Unde cùm in nulla re creata ea perfecta beatitudo reperiri poſſit, urgente ſemper, & ſtimulante eo ſummi boni deſiderio, ad Deum tendere & ferri homo compellitur. Et tunc, proſequitur D. Thomas, Quando *ex propria ratione, adjuvante divina gratia,* (homo) *apprehendit aliquod ſpeciale bonum ut ſuam Beatitudinem, in quo verè ſua Beatitudo conſiſtit, tunc meretur: non ex hoc quòd appetit beatitudinem quam naturaliter appetit: ſed ex hoc quòd appetit hoc ſpeciale quod naturaliter nõ appetit, ut viſionẽ Dei: in quo tamẽ ſecundùm rei veritatem ſua Beatitudo conſiſtit. Si verò aliquis per rationem reducatur, ut appetat aliquid ſpeciale ut ſuam Beatitudinem, putà corporales delectationes, in quibus tamen ſecundùm rei veritatem ſua beatitudo non conſiſtit; ſic appetendo beatitudinem, demeretur, non quia appetit beatitudinem, ſed quia indebitè appetit hoc ut Beatitudinem, in quo Beatitudo non eſt. Patet igitur, quòd volendo id quod quis naturaliter vult, ſecundùm ſe nõ eſt meritorium, nec demeritorium, ſed ſecundùm hoc quòd ſpecificatur ad hoc vel illud, poteſt eſſe meritorium vel demeritorium.*

Hactenùs S. Thomas: ex quibus nihil detrahendum eſſe exiſtimavimus, quòd obſervationẽ habeant ſcitu dignam, & quę nec paucioribus verbis explicari à nobis potuiſſet. Igitur eo fine impreſſa eſt à Deo hæc ſummi, & univerſalis boni cupiditas, ut perpetuò veluti exagitatus homo, ſi quando rebus aliis inhærere vellet, ultra tranſire compellatur, & Deum quærere, in quo ſolo omnis boni plenitudo eſt. De quo plurima ad guſtum pietatis ſapidiſſima, ex D. Thoma colligi poſſent Opuſc. 61: de Gradibus divini amoris.

Confirmatur iterum : quòd ne voluntas in bivio sit, sibique ipsi relicta, & sine duce ultimum finem quærat ; impressam à Deo habeat eam boni cupidinẽ, ut ea impressione seu instinctu impresso à Deo, veluti ansâ arreptâ Deus voluntatem ad se pertrahat. Unde D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. ubi inquirit, *Utrùm omnes appetant beatitudinem. Dicendum*, inquit, *quòd in omni ordine mobilium, & motorum, oportet secundos motores ordinari in finem primi motoris per dispositionem impressam in eis à primo motore : sicut patet cùm anima movet manum, & manus baculum, & baculus percutit, quod est finis intentus ab anima ; baculus, & manus tendunt in finẽ ab anima intentum, per hoc quod anima in eis imprimit mediatè, vel immediatè.* At verò, inquit deinde post pauca : *Omnia procedunt à Deo in quantum bonus est, ut dicunt Augustinus, & Dionysius. Et ideò omnia creata secundùm impressionem à creatore receptam inclinantur in bonum appetendum secundùm bonũ suum ; ut sic in rebus quedam circulatio inveniatur, dum à bono egredientia in bonum tendunt.* Hęc ibi : quæ sanè altissimum illud Christianæ philosophiæ principium continent, quo docemur inditum esse impressumque naturæ aliquem licèt imperfectum Dei amorem : adeò ut nulla omninò creatura sit, etiam & ratione, & sensu carens, quæ Deum magìs non diligat quàm seipsam, *vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel saltem naturali amore, sicut lapides, & alia quę cognitione carent.* Ut inquit D. Dionysius : & ut refert 1. 2. qu. 109. art. 3. D. Thomas. *Deus omnia convertit ad amorem sui ipsius.* Atque eo amore eaque impressione rebus inserta Deus omnia ad sese attrahit : unde egregiè à Boëtio dictum est lib. 4. Consolat. Philosoph. *Hic est cunctis communis amor -- repetuntque boni fine teneri, -- qui non aliter durare queant, -- nisi converso rursus amore -- refluant causæ quæ dedit esse.* Atque hoc damnatorum hominum dæmonumque, crudelissimum tormentum est, dum odio Deum habent cujus tamen amorem naturæ impressum esse persentiunt. Unde crudele bellum illud oritur inter naturam semper rectam, & voluntatem suâ culpâ perversam : quo bello veluti discinduntur, & discerpuntur : dum naturæ impetu, & vehementissimo pondere ad Deum summum bonum pertrahuntur ; & voluntas sua obstinatione ipsum refugit, oditque, quem tamen nunquàm natura odisse potest. Et

Confirmari demùm hæc omnia possunt, quòd eâdem ratione, ut observat etiam D. Thomas ibidem in 4. ad dist. 49. quæst. 1. in fine primi articuli ; quisquis peccat etiam cœco illo naturæ impetu Deum quærit, & dum rivulos sequitur ac sectatur, fontem ipsum beatitudinis in quo boni plenitudo reperitur, peroptat ; sed errat in via in qua quò magìs progreditur, eò magìs recedit. *Cùm enim*, inquit S. Thomas, *voluntas appetit aliquid, ex hoc ipso efficitur ut desideret illud in quo ejus aliqua similitudo invenitur ; quamvìs principale desideratum habere non possit ; & hoc modo omnes qui peccata appetunt, ad beatitudinem tendunt, & ad Dei imitationem, ut dicit Augustinus 2. Confessionum, sic dicens: „ Superbia celsitudinem imitatur, cùm tu sis unus super omnia Deus excelsus. Ambitio quid nisi honores quærit, & gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus : „ & similiter inquit in aliis.* Additque ibidem statim S. Thomas, quod hìc etiam opportunissimum est, eos qui peccant, falsam aliquam omnipotentiæ similitudinem velle & assumere, ea vel sola ratione : *Quòd facere aliquid contra legem quædam sit libertatis umbra*, & à Divina lege independentia.

Unde cùm sibi objecisset: *Illud quod in se nullam speciem boni habet, non potest ad beatitudinem desiderari : sed quandoque desideratur aliquid, quod nullam speciem boni habet, sicut patet per Augustinum in l. 3. Conf. cap. 4.* ubi dicit : *Furatus sum quod mihi abundabat, & multò melius, nec ea re volebam frui quam furto appetebam. sed ipso furto, & peccato, Et ita quæro quid me in furto delectaverit, & ecce species nulla est. Ergo aliquid desideratur, non propter beatitudinem.* Respondet Sanctus Thomas. *Quòd in illo furto, ut Augustinus ibidem dicit, erat aliquid speciem boni habens, hoc scilicèt, facere aliquid contra legem : in quo quædam libertatis umbra apparet. Unde dicit : „ Quid ergo in illo furto ego dilexi, & in quo Deum meũ vitiosè, atque perversè imitatus sum, „ & solvit dicens: „ Aut libuit facere contra legem saltem fallaciâ, quia potentiâ non poteram, ut libertatem captivus imitarer, faciendo impunè quod non liceret tenebrosa omnipotentiæ similitudine. „* Igitur, & in ipso etiam peccato beatitudo quęritur, seu quadàm *libertatis umbrâ*, seu quadàm *tenebrosa omnipotentiæ similitudine*, qua homo deluditur. Ex quo satìs liquet impressam esse animæ Beatitudinis cupidinem quam Deus animæ inseruit, ut ipsam ad se se pertraheret, eamque compelleret, perfectâ, ut D. Thomas loquitur, *circulatione* in Deum redire. In sola enim natura intellectuali, Angelo, & homine, ea circulatio perfecta esse potest, dum sua operatione, cognitione scilicèt, & amore ad Deum ut ultimum finem redeunt, à quo ut primo principio exierant: in quo reditu ex sententia omnium Philosophorum posita est Beatitudo. *Hæc autem circulatio*, inquit S. Thomas, *in quibusdam perficitur creaturis, in quibusdam autem remanet imperfecta : illæ enim creaturæ quæ non ordinantur vt pertingant ad illud primum bonum à quo processerunt, sed solummodò ad consequendam ejus similitudinẽ qualemcumque ; non perfectè habent hanc circulationem, sed solùm illæ creaturæ quæ ad illud primum principium aliquo modo pertingere possunt : quòd solùm est rationabilium creaturarum, quæ Deum ipsum assequi possunt per cognitionem, & amorem, in qua assecutione Beatitudo eorum consistit. Et ideò sicut quælibet res alia naturaliter appetit suum bonũ, ita quelibet creatura rationalis naturaliter suam beatitudinẽ appetit.*

Atque ex his omnibus, quę multis, potissimùm ex SS. Augustino, & Bernardo, confirmari facilè

cilè poſſent, omninò compertum eſt; ſemper volitionem ſummi boni, & beatitudinis ſupponi; atque adeò, & libertatem omnibus ſtatibus communem eâ ratione cum libertate omnium perfectiſſimè convenire, quòd ſemper ex adhæſione ad ultimum finem voluntas ad particularia bona tendat, & feratur. Et quidem beatitudinis ille amor rectà ſemper ad Deum tenderet, niſi pravâ cupiditate deflecteretur: unde intelligi facilè poteſt, verum libertatis uſum eſſe ut voluntas Deo adhæreat, & indè media magìs conſentanea quęrat ad veri ultimi finis, cui jam amore adhæret, poſſeſſionem comparandam. Sed tamen licèt ſæpiùs homo peccato ab eo ultimo fine deflectat, non poteſt tamen non aliquam ſemper hujus participationem proſequi, & velutì ſpeciem quandam ſectari, hujus ſummi boni ſemper cupidine pertractus: cùm ea boni cupido inſerta ſit animæ, ſitque omnium prima, omniumque maxima, quæ nunquàm ab altera vinci poterit, & extingui.

QUÆSTIO II.

De variis Libertatis diviſionibus.

EXplicatâ jam vera libertatis definitione, variæ ejus diviſiones explicandæ ſunt: non enim omnis vera ſolidaque eſt libertas. Quædam eſt, ut jam ex S. Thoma diximus, *libertatis umbra*, quæ vera ſervitus eſt: Quiſquis enim libertate abuſus peccat, libertate ſuâ ſe ſervum conſtituit. Sed vera ac perfecta libertas, ut inquit S. Auguſtinus, vera animæ ſanitas exiſtimanda eſt, lib. de Perfect. Juſtit. cap. 4. Sed de his infra.

ARTICULUS I.

De Libertate à Neceſſitate, à Peccato, & à Miſeria. Libertas à Peccato verè, & propriè libertas eſt.

PRimam hanc libertatis diviſionem habet Magiſter Sententiarum, diſt. 25. quam anteà etiã D. Bernardus lib. de Grat. & Lib. Arbitrio ſolito ſuo acumine expreſſerat. *Triplex* inquit, *eſt nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate. Hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura, in priſtinam reſtauramur à gratia, media nobis reſervatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.* Hæc ibi & alia ejuſmodi plura. Sed unus eſt D. Thomas qui hujus diſtinctionis veram rationem referat. Eam verò ibidem in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. ult. luculenter explicat: ex quo eadem planè verba deſumenda ſunt, quibus aliqua ad majorem explicationem erunt inſerenda. Ita igitur habet Angelicus Doctor. *Dicendum quòd libertas in ſui ratione negationem coactionis includit*, atque etiam neceſſitatis; liber enim eſt, qui eſt ſui juris, & qui nec cogitur, neq; neceſſitate compellitur. At verò pergit D. Thomas: *Omnis autem privatio diſtinguitur ſecundùm ea quæ privantur. Unde ſecundùm ea quę cogere poſſunt vel impedire, oportet diſtinctionem libertatis ſumi. Ut autem priùs dictum eſt*, (ſuperioribus ſcilicèt ejuſdem quęſtionis articulis) *duplex eſt coactio; quędam perfecta, quę quidem ſimpliciter coactio dici poteſt* (& quę ut dixit ſuperiori articulo, cõpulſio vocatur:) *& quædam imperfecta, quę potiùs impulſus, quàm coactio dici poteſt. Si ergo conſideretur ſecundùm quòd removetur perfecta coactio, ſic erit libertas à coactione, & neceſſitate; quę quidem per ſe, & ſemper liberum arbitrium ſequitur. Unde & in littera dicitur, quòd in omnibus invenitur, ſine qua peccatum imputari non poſſet. Si autem dicatur libertas per remotionem impellentis ſeu impedientis, hoc eſt dupliciter: quia hoc quod impellit liberum arbitriũ, aut impedit; vel facit hoc per ſe, ſicut habitus, & diſpoſitiones, quæ fiunt in ipſa anima, & ſic eſt libertas à peccato: vel impedit ſolùm & impellit per accidens, ſicut impotentiæ, & pœnalitates quæ ſunt uſum liberi arbitrii impedientes: & ſic eſt libertas à miſeria.*

Eandem diſtinctionem pluribus aliis in locis etiam explicat D. Thomas, ut 2.2.quæſt.183.art. ult. ad Rom.6. lect.4. & Joan. 8. lect.4. ubi etiam ex Scriptura probat, triplicem hanc libertatem diſtinguendam eſſe. Primam quidem *à neceſſitate*, ex Apoſt. 1. ad Corinth. 7. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis*. Secundam verò *à peccato*, ad Rom. 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ; nunc verò liberati à peccato, ſervi eſtis facti Deo*. Tertiam demùm, quæ eſt *à miſeria*, ex Apoſtolo ad Rom. 8. *In libertatem gloriæ filiorum Dei*. Ex quo colligitur, primam pertinere ad naturam, ſecundam eſſe munus gratiæ, tertiam verò eſſe dotem gloriæ.

Verùm in ea S. Thomæ explicatione, inprimìs ea verba obſervãda ſunt, quòd ſi removeatur *perfecta coactio, ſic erit libertas à coactione, & neceſſi-*

ceſſitate. Ubi manifeſtiſſimum eſt, ſub ipſa coactione comprehendi à D. Thoma neceſſitatem. Unde intelligi poterit cur toties à D. Thoma dictum ſit, cùm de libertate loquitur, eam exigere immunitatem à coactione: cùm tamen de ea immunitate à neceſſitate non adeò frequenter loquutus fuerit: quod quibuſdam extra D. Thomę ſcholam minùs lectioni, & phraſi S. Doctoris aſſuetis occaſio fuit, ut exiſtimaverint, apud Sanctum Thomam, voluntarium ac ſpontaneum, idem eſſe quòd liberum. Verùm ex hoc loco, ut ex aliis infra referendis, apertè intelligitur, ſub ipſa immunitate à coactione à D. Thoma immunitatem à neceſſitate comprehenſam fuiſſe. Et meritò quidem, quia ut eodem loco in 2. diſt. 25. qu. 1. art. 2. ubi inquirit: Utrùm liberum arbitrium poſſit cogi, obſervat quòd *eſt duplex coactio, quędam ſufficiens, quę compulſio vocatur; quędam verò inſufficiens, quę dicitur impulſio.* At verò ex ipſius ſententia, immò & omnium Philoſophorum conſenſu ſatis conſtat, voluntatem ab ultimo fine ſummoque bono dumtaxàt compelli poſſe, ut ipſum amet; quia nemo eſt qui nolit eſſe felix. Eâque ratione D. Thomas confert voluntatem cum intellectu, quòd ſicut ad aſſentiendum principiis intellectus compellitur; ita voluntas ad amandum ſummũ bonum, & beatitudinem rapitur. At verò cętera bona poſſunt quidem aliquo modo voluntatem impellere, ſed nullo modo eam poſſunt compellere: unde circa ea omnia voluntas manet indifferens. Sed prætereà etiam ſæpiùs aliàs expreſsè meminit D. Thomas immunitatis, nedùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate; monuitque, ad libertatem ita pertinere, ut nunquàm ſejungi poſſit, ut dicetur infra, ubi de indifferentia. Nec demùm eum latere potuit dictum eſſe à Magiſtro Sententiarum in eadem diſt. 25. *Si diligenter inſpiciatur, liberum arbitrium dici arbitrium, quia ſine coactione & neceſſitate valet appetere vel eligere, quod ex ratione decreverit.* Et cùm deinde Magiſter ſubjungit: *corrupta eſt ergo per peccatum libertas arbitrii, & ex parte perdita*: ita hæc verba D. Thomas intelligit, & explicat; *Corruptam dicit propter libertatem à neceſſitate, quæ naturalis eſt, ſicut etiam alia naturalia per peccatum corrumpuntur, licèt ſemper maneat: perditam verò oſtendit propter libertatem à peccato, quæ quidem ex toto adveniente peccato tollitur, ſicut & alia innocentiæ, & gratiæ dona.*

Alterum eſt etiam quod obſervari velim: ſcilicèt dictum à S. Thoma citatis ſupra locis libertatem, ſeu immunitatem à peccato eſſe veram, & propriam libertatem, aut ut preſſiùs loquar eſſe libertatis perfectionem, quod licèt alio forſan in loco opportuniùs referre poſſit; cùm tamen hic à D. Thoma dictum ſit, non eſt hìc prætermittendum, contra eorum ſententiam qui exiſtimant prœviis motionibus divinis ac phyſicis lędi, & perimi omninò libertatem. Quod ſanè adeò à vero alienum eſt, & à vera D. Thomæ ſententia, ut è contra S. Doctor exiſtimaverit ſemper gratię divinæ motione adſtrui, foveri, roborari, perficique libertatem; è contra verò peccatô, non equidem deſtrui, ſed tamen inclinari, multòque debiliorem effici. Quid enim efficit divina motio, niſi ut homo vitet peccatum, gravem ac prementem alioquin tentationem vincat, ac immunis ſit à peccato: Atquì & ea fuga peccati, & tentationum victoria, & à peccato immunitas ex D. Thoma pertinet ad veram libertatem. Quid verò contra accidit ſi gratia homini deſit divinaque motio, ruit homo in peccatum præceps, cupiditati ſubjicitur, voluptati, ſibi, dęmonique ſervit peſſimis dominis: Atquì ex S. Thoma peccati ſervitus, veriſſima animæ ſervitus eſt, libertati aut libertatis perfectioni adverſa: Ergo tantùm abeſt ut ex divina motione libertatis excidium timendum ſit, ut è contra ſi deſit motio, languida ſit libertas velutì ſub vinculis poſita. Cùm ergo motio divina excitat voluntatem, tum voluntas velutì captiva olim filia Sion ſolvit vincula colli ſui quibus deprimebatur, erigitque ad cęlum, Deumque caput, & liberior, & vegetior evadit.

At verò libertatem ſeu immunitatem à peccato veram eſſe libertatem aut libertatis perfectionem,

Probat inprimìs D. Thomas in 2. citat. diſt. 25. q. 1. art. ult. ad 2. hac ratione; quia *Quamvìs liberum arbitrium poſſit, & in bonum, & in malum; tamen per ſe in bonum ordinatum eſt: & ideò illud quod impedit ipſam à bono*, cujuſmodi eſt & peccatum, *ſimpliciter impeditivum ipſius eſt, & corruptivum: & propter hoc libertas ab eo quo impeditur à bono, ſimpliciter libertas dicitur, quę eſt libertas à peccato.* Hæc D. Thomas. Igitur ex D. Thoma peccatum eſt verè, & *ſimpliciter impeditivum, & corruptivum libertatis*, aut perfectionis libertatis, quod intelligendum eſt ſemper: quia impedit libertatem ne feratur in bonum ad quod per ſe libertas ordinatur. Ergo è contra immunitas à peccato, quę efficit ut in bonum feratur, per ſe pertinet ad libertatem: atque adeò libertas à peccato eſt vera, & perfecta libertas.

Probat idem prætereà D. Thomas 2. 2. qu. 83. art. ult. & præter probationem jam allatam deſumptam ex proprio objecto voluntatis, alteram refert ex ipſa libertatis origine vel regula, ſcilicèt ratione: *Quia*, inquit, *homo ſecundùm naturalem rationem, ad juſtitiam inclinatur, peccatum autem eſt contra naturalem rationem; conſequens eſt quòd libertas à peccato ſit vera libertas.* Etenim cùm homo verè ſit id quod eſt ſecundùm rationem, ut inquit S. Thomas ad Rom. 8. lect. 4. ſola libertas hominis, eſt vera perfectaque libertas, quâ homo vult eligitque ſecundùm rationem: Atquì cùm homo bonum proſequitur, & malum odit, & à peccato ut à facie colubri fugit, agit ſecundùm rectam rationem, quod nemo ſanus negabit: Ergo illa libertas hominis vera libertas eſt, quæ eſt libertas à peccato.

Confirmat eandẽ rationem, cùm ea verba Apoſtoli explicat: *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitię*, ad Rom. 6. Lect. 4. ubi propria ſedes eſt, & locus opportunus. *Cùm homo*, inquit, *ſit id*

quod

quod eſt ſecundùm rationem, tunc homo verè ſervus ſt, quãdo ab aliquo extraneo abducitur ab eo quod eſt rationis. Idem habet iterùm cùm illud explicat, *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Joan.8.Lect.4.*Unumquodq;* inquit, *eſt illud quod convenit ei ſecundùm ſuam naturam: quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur ſecundùm ſe, ſed ab impreſſione alterius, quod eſt ſervile: homo autem ſecundùm ſuã naturam eſt rationalis: quãdo ergo movetur ſecũdùm rationẽ, proprio motu movetur, & ſecũdùm ſe operatur, quod eſt libertatis: quando verò peccat, operatur prꝛter rationẽ, & tunc movetur quaſi ab alio retentus terminis alienis*. Hoc enim propriè, & ſervum, & captivum efficit, ut alicubi aliàs explicat D.Thomas in Epiſtolas D.Pauli, quòd quis *ſub alienis terminis* ſit, à Domino ſcilicèt impoſitis, iiſque detineatur. Unde etiam explicat D. Thomas, Fide velutì captivum abduci intellectum, quòd ſub *alienis terminis* ponatur. Quòd enim intellectus ratioq; principiis naturaliter cognitis coërceatur, iiſque ſe ſubjiciat, non ſunt alieni termini: nuda enim veritas apertaq; principia certò cognita, termini ſunt proprii, & velutì cancelli, & fines quibus intellectus naturâ ſuâ continetur. At verò quòd intellectus veritati ſolâ revelatione cognitæ, & ſub caligine, & obſcuritate poſitæ, velutì Deo ignoto ſubjiciatur, & rebus non apparentibus, & ſolâ dumtaxàt revelatione cognitis, quæ & ipſa etiam non minùs obſcura eſt, majorem aſſenſum adhibeat, quàm primis principiis, aut evidentiſſimis demonſtrationibus adhiberet; hæc vera intellectûs captivitas eſt, ponitur enim *ſub terminis alienis*. Nemo enim ſervus dicitur, quòd iis pareat quibus natura parêre juſſit; ſed hæc ingenuitas filiorum eſt, qui parentibus ſubjiciuntur. Unde & pari ratione parêre Deo jubenti ac moventi ſumma eſt libertas, eaque ſervitus eſt filiorum quæ vera ingenuitas eſt. At verò peccati ſervitus, veriſſima ſervitus eſt, cùm homo ſub terminis minimè à Deo, naturâ, ratione poſitis, ſed à cupiditate, voluptate, ac dęmone injectis, captivus ducatur; &, quod veræ ſervitutis eſt, gemat, laboret, nullâque quiete, ac pace fruatur.

Probat tertiò D. Thomas libertatem à peccato veram eſſe libertatem, cõparatione inter libertatẽ à juſtitia, & libertatem à peccato. Unde obſervat S. Doctor, addi quidẽ poſſe quartam velutì libertatis ſpeciem, quę eſt *libertas à juſtitia*, ut enim inquit 2.2.q.183.ar.ult. *Invenitur in rebus ſpiritualibus duplex ſervitus, & duplex libertas: una quę eſt ſervitus peccati, altera verò eſt ſervitus juſtitię. Similiter etiã eſt duplex libertas: una quidem à peccato, alia verò à juſtitia, ut patet per Apoſtolum qui dicit ad* Rom.6.*Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitię: nunc verò liberati à peccato, ſervi eſtis facti Deo.* At verò latiſſimum inter utrãq; libertatem diſcrimen intercedere advertit S. Thomas, quod nimirùm libertas à peccato, cui conjungitur ſervitus Dei, veriſſima ſit libertas: at è contra, libertas à juſtitia, cui conjungitur peccati ſervitus, ſpuria ſit falſaque libertas, & ſolùm ſpecie tenùs, ac *ſecundùm opinionem* perditorũ *hominum, qui ſummum bonum exiſtimant cõcupita ſequi*, inquit alibi D.Thomas: quod loco hìc citato probat eadem ratione. *Quia homo ſecundùm naturalem rationem ad juſtitiam inclinatur, peccatũ autem eſt contra naturalem inclinationem, conſequens eſt quòd libertas à peccato, ſit vera libertas, quæ conjungitur ſervituti juſtitię, quia per utrãq; tendit homo in id quod eſt conveniens ſibi.*

Unde & in 2. citatâ diſt. 25. art. ult. cùm ſibi objeciſſet, quòd *plus differt juſtitia à peccato, quàm peccatum à miſeria, cùm prima ſe habeant ut oppoſita, ſecunda ut cauſa, & effectus: ſi ergo aſſignatur alia libertas à peccato, & à miſeria; multò fortiùs debet diſtingui libertas à peccato, & à juſtitia.* Solvit hoc argumentum D. Thomas, negatque parem utriuſque eſſe rationem, libertatis à peccato, & libertatis à juſtitia: prima enim à peccato, veriſſima eſt libertas: at altera omninò falſa ac ſpuria libertas eſt. Et quidem libertatem, & à peccato, & à miſeria diſtingui oportere ſatìs conſtat, quòd quamvìs & habitus pravus, & infirmitas naturæ eâ ratione conveniant, quòd utraq; ad peccatum voluntatem trahat, & inclinet; diſcrimen tamen ſit, quòd pravus habitus per ſe ad peccatum ſub ipſa ratione peccati voluntatem inclinet, cùm omnibus habitibus commune ſit ad ſimiles ejuſdemque rationis actus inclinare potentias quas informant: at verò *pœnalitas*, ſeu ipſa corruptio naturę pronitaſque ad malum, tendit, quidem ad bonum ſenſibile quod interdùm eſt adverſum rationi; unde & per accidens inclinat pertrahitque ad peccatum; ſed non propriâ ſuâ ratione; cùm bonum ſenſibile neceſſariò non ſit cum peccato conjunctum, ſed poſſit interdùm eſſe rationi conforme. Unde cùm diverſo modo pravus habitus, & pronitas naturæ ad peccatum inclinent, & adverſentur libertati; dici potuit utraque libertas ſeu immunitas, & à ſervitute peccati, & à ſervitute corruptionis naturæ, ad libertatem pertinere; & eſſe velutì ſpecies libertatis diverſas libertatem à peccato, & libertatem à miſeria; cùm utraque hæc libertas à malo retrahat, & ad bonum inclinet, ſi invicem conferantur. At verò de libertate à peccato, & libertate à juſtitia, longè diverſa ratio eſt. Prima enim ad libertatem pertinet, ſecùs verò altera, quia ut reſpondet D. Thomas, & jam retulimus ſupra: *Quamvìs liberum arbitrium poſſit & in bonum & in malum; tamen per ſe in bonum ordinatum eſt: & ideò illud quod impedit ipſum à bono, ſimpliciter impeditivum ipſius eſt, & corruptivũ: & per hoc libertas*, ſeu immunitas, *ab eo quo impeditur à bono ſimpliciter libertas dicitur, quæ eſt libertas à peccato.* Quis verò dixerit idem de juſtitia eſſe ſentiendum, ſcilicèt impedire libertatem à bono ſimpliciter proſequendo; cùm è contra habitus juſtitiæ ac virtutis, hominem adjuvet, roboret, perficiatq; ab bonum agẽdum: Ergo quamvìs dici poſſit libertatem à peccato & à miſeria per ſe ad libertatẽ pertinere, cùm utraq; à malo retrahat & ab bonum inclinet: dici tamen nullâ ratione poterit

terit, quòd libertas à justitia per se ad libertatem pertineat; cùm è contra à bono retrahat, & ad malum inclinet. Cùm enim liberum arbitrium seu libertas in communi ad bonum ordinetur, necesse est ut variæ velutì species etiam ordinentur ad bonum.

Probari demùm, & explicari idem potest exemplo, quod eodem loco affert D. Thomas, & comparatione voluntatis, & intellectûs. Ita enim veritas ex una parte, & ex altera falsitas aut ignorantia ad rationem, & intellectum pertinet, sicut ad voluntatem justitia ex una parte, & peccatum ex altera. Atquì in primis veritatem, & rectitudinem cognitionis ad rectum intellectum, & veram rationem pertinere nemo est qui dubitet: Ergo etiam immunitatem ab errore, ignorantia, & falsitate, etiam ad intellectum veramque rationem pertinere necesse est; error enim aut ignorantia, ut D. Thomæ verbis utar, *est impeditivum, & corruptivum* boni, & rectitudinis rationis. At verò cui inquàm in mentem veniret, aut inter Philosophos audiendus esset, qui affirmaret immunitatem à veritate, & rectitudine cognitionis, & discursûs, id est errorem, falsitatem, aut ignorantiam per se ad rationem, & intellectum pertinere: Ergo pari ratione, cùm voluntas ad bonum naturâ suâ ordinetur ac feratur, immunitas à peccato praviſque habitibus, quibus ne ad bonum tendat impeditur, ad libertatem pertinere necesse est: immunitatem verò à virtute & justitia, id est, peccatum & injustitiam nullo planè modo ad libertatem pertinere, sed potiùs eam lædere, eam inclinare, eam impedire, & ut verbo D. Thomæ utar, *eam corrumpere*.

Atque ex his omnibus colligi potest: in primis propriè, & in rigore posse intelligi, quod tum à Patribus, tum etiam à Philosophis olìm toties celebratum est: D. Augustino lib. 13. de Trinit. D. Ambros. ep. 7. Simpliciano scripta, Philone lib. *Quòd omnis probus liber*. Cicerone Parad. 5. Persio Satyr. 5. &c. scilicet, *Omnem sapientem liberum esse*. Cùm enim liberum arbitrium per se ad bonum virtutemque ordinetur, necesse est, ut vera libertas cum sapientia, & virtute conjuncta sit: è cõtra verò pravitatem cum stultitia, & servitute.

Colligi secundò potest (quod ut statueremus cætera retulimus) quantùm à vero & à D. Thomæ sententia alieni sint, qui existimant motione divinâ, quâ homo fit à peccato immunis, auferre, lædique libertatem. Qui enim ita statuunt, necesse est affirment, libertatem à justitia, aut veriùs privationem justitiæ, aut à justitia immunitatem ad libertatem pertinere, quod tamen negat expressissimis terminis D. Thomas. Etenim si falsa est ea libertas, ut reipsà, & ratione & S. Thomæ authoritate falsam esse demonstravimus, ergo divina motio, quæ eam libertatem à justitia seu veriùs privationem justitiæ aufert, & quæ licentiam peccandi, & violandi legem comprimit; nullo planè modo libertatem lędere dicenda est. Sed è contra à peccato immunitas vera erit perfectaque libertas, de qua multa alibi dicenda sunt. Et sanè mirum esset, inter ipsas Dei manus, & in ipso divinæ bonitatis sinu, quæ divinis motionibus voluntatem complectitur, prævìis, ut immeritam præveniat; physicis, ut arctiùs in amoris argumentum sibi copulet, libertatem extingui & præfocari: & in ipsa peccati voluptate quam ex Patribus aliqui nidum Diaboli nuncupant, & sub ipsa Dæmonis tyrannide, qui peccato cor ingreditur, & occupat, ad suamque voluntatem, ut inquit Apostolus, hominem captivum ducit, libertatem foveri: cùm è contra primum Religionis Christianæ fundamentum sit hominem sub crudelissimæ Dæmonis, cupiditatis, suique ipsius tyrannide constitutum, Redemptore indiguisse qui eum suâ gratiâ in libertatem assereret. Sed de his infra plura.

ARTICULUS II.

De Libertate arbitrii, consilii, & beneplaciti.

Divisionem hanc ex S. Bernardo lib. de Gratia, & Libero Arbitrio refert Sanctus Thomas, ne quid à SS. Patribus animadversum, scituque dignum prętermittat. Observat igitur Sanctus Doctor in 2. Sententiar. dist. 25. qu. 1. art. ultimo, divisionem hanc non pertinere per se ad veram rationem libertatis: contra verò, superiorem à Magistro Sententiarum allatam libertatis divisionem spectare per se ad veram libertatem: atque id probat hac ratione: quia cùm libertas exemptionem ab alligatione, coactione, constrictione, determinatione, & servitute includat, eam omnem immunitatem explicat hæc divisio. Immunitatem quidem à coactione, & constrictione, alligatione, & determinatione *libertas* naturæ *à necessitate*: immunitatem à servitute impediente, & per se inclinante, & adversante, *libertas* gratiæ *à peccato*: demùm, immunitatem ab omni impediente, & corruptione deprimente, & per accidens ad peccatum inclinante, *libertas à miseria*. Attamen nè quid, ut diximus, prætermitteret D. Thomas, quod apud SS. Patres, alicujus momenti reperire sit; hanc etiam divisionem à D. Bernardo allatam explicat; nec aliis meliùs quàm ipsius verbis explicari potest.

Sic igitur habet. *Dicendum: quòd Magister, ut ex dictis patet, distinguit liberum arbitrium secundùm ea à quibus est libertas*, & ex parte termini à quo: *& hæc est per se divisio ejus, ut dictum est*; quia essentialiter libertas includit negationem seu immunitatem, & exemptionem omnis impedimenti. *D. Bernardus autem distinguit libertatem secundùm terminum ad quem, & hoc est illud, quod sub electione cadit*: seu distinguit libertatem per ordinem ad media quæ ad consequendum finẽ eliguntur. *Cùm igitur nihil cadat sub electione, & assumatur ut medium, nisi secundùm quòd habet*

bet aliquam rationẽ boni; ſecundùm diverſos gradus bonitatis in humanis actibus diverſas libertates diſtinguit. Eſt enim aliquid in humanis actibus quod eſt licitũ, quia nulla humana lege prohibetur: & reſpectu hujuſmodi dicit eſſe libertatẽ arbitrii, quia in judicio noſtro conſiſtit, utrũ hoc ſequamur vel non. Ulteriùs eſt aliquid, quod non eſt tantùm licitum, ſed etiam utile, quia omnia licent, ſed non omnia expediunt, ut Apoſtolus ait; & ſecũdùm hoc aſſignat libertatem conſilii: quia conſilium eſt de meliori bono quòd eſt expediens ad ſalutem. Eſt etiam aliquid quòd delectat, & reſpectu hujus aſſignat libertatem complaciti. Unde dicit quòd libertas arbitrii habet diſcernere quid liceat: libertas autem conſilii probare quid expediat: libertas autem complaciti experiri quid libeat. Hæc Divus Thomas, quibus ita D. Bernardi mentem attigiſſe videtur, ut nec apertiùs ipſe S. Bernardus explicare ſuam mentem potuiſſe videatur.

Eandem Diviſionem explicat iterùm D. Thomas quæſt. 24. de verit. artic. 1. ad 11. ubi notat, quòd cùm inter media, circa quæ libertas verſatur, ſit triplex genus bonorum, ſcilicèt honeſtum, utile, delectabile, quod ipſe Divus Bernardus ſerm. in Vigil. Nativit. ita explicat, *quod decet, quod expedit, quod delectat*: huic triplici bonorum generi triplex hæc libertas reſpondet. Sed cùm hęc Theologis parùm uſui eſſe poſſint, nihil eſt aliud addendum.

ARTICULUS III.

De Libertate Voluntatis, & libertate arbitrii.

FAteor hanc libertatis diviſionem à paucis etiam ex ipſis S. Thomæ Diſcipulis fuiſſe expreſsè obſervatam, aut ſaltem explicatam, quòd eam non omninò neceſſariam enodandis, & explanandis hujus controverſiæ difficultatibus exiſtimaverint. Et verò ipſe etiam fateor non omninò neceſſariam eſſe: abſit enim ut exiſtimem, aut etiam unquàm in mentem cuiquam venire velim, tandiù defuiſſe Scholæ noſtræ præſidia, quibus ſententias ſuas deffenderet ac tueretur.

Verùm ea eſt, quod ſæpius annotavimus, Divi Thomæ doctrinæ inexhauſta copia, ut quo plùs inſpicitur, nova ſemper & majora lumina conſpiciantur: & profiteri etiam ipſe cogar, in rebus Theologicis etſi non omninò novitius, me poſt longum tempus, & impigrè navatam operam in evolvendis D. Thomæ operibus, nunquàm integrum D. Thomæ articulum, ac potiſſimùm ex his quos in quæſtionibus diſputatis longiores edidit; quin plurima quæ antea me latuerant, veluti profundiùs ſcrutanti eruta, detectaque in conſpectu venerint: qua in re ſi qui unquã Sanctorum Patrum libri cum Scriptura Sacra conferri poſſint, eâ dote nemini ex Sanctis Patribus inferior eſt S. Thomas, quod ſumma brevitate plura contraxerit; ut quòd à Sanctis Patribus in illud Joan. 5. 39. *ſcrutamini Scripturas*, obſervatũ eſt, magno ſtudio magnoque labore, & ſemper profundiùs in Scriptura Sacra effodiendum eſſe, quòd eo plura ſuppeditentur quò plura eruuntur; non immeritò de S. Thoma dici poſſit: & quiſquis hujus operibus perlegendis incumbit, ſuo experimento comprobat, ex ea infinita propemodùm copia rerum, & doctrinæ abundantia, plura ſemper erui, & à ſe animadverti: ſi tamen *non in ſola ſuperficie*, quod in Scriptura Sacra agendũ eſſe inquit ipſe D. Thomas, *ſed ad profundum* longa aſſiduaque perſcrutatione perveniat; & ut Proverb. 2. de ſapientia inveſtiganda dicitur, *Si quæſierit eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderit*. Ita enim qui pretioſa metalla quærunt, quo viſcera terræ profundiùs penetrant, eo majori copiâ theſauros reperiunt.

Cæterùm, ut eam diſtinctionem non inſinuatam ſolùm leviter aut verbis ambiguis, ſed apertiſſimis etiam terminis à D. Thoma expreſſam demonſtrem, referenda ſunt quæ habet quæſt. 24. de verit. ubi ſolet multò majori otio, & copiâ, difficultates reſolvere. Articulo enim primo ubi quærit, *Num homo ſit liberi arbitrii*, poſt plurima quæ ſibi objicit uſque viginti argumenta, ultimo tandem, & vigeſimo ita ſibi opponit. *Liberum neceſſitati opponitur: ſed reſpectu quorundam voluntas hominis neceſſitatem habet, de neceſſitate enim vult Beatitudinem: Ergo non habet reſpectu omnium libertatem: & ita non eſt liberum arbitrium quantùm ad omnia.*

Reſpondet verò huic argumento, ac diſtinguit duplicem libertatem, libertatem voluntatis quę fini adhæret, & libertatẽ arbitrii, vel judicii, quę circa media verſatur, & ea quæ ſub electione cadunt. *Dicendum*, inquit, *quòd cùm electio ſit quoddam judicium de agendis, vel judicium conſequatur; de hoc poteſt eſſe electio quod ſub judicio noſtro cadit: judicium autem in agendis ſumitur ex fine, ſicut de concluſionibus ex principiis. Unde ſicut ex principiis non judicamus ea examinantes, ſed naturaliter eis aſſentimur, & ſecundùm ea omnia alia examinamus: ita & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio diſcuſſionis, vel examinationis, ſed naturaliter approbamus, propter quod de eo non eſt electio, ſed voluntas. Habemus ergo reſpectu ejus LIBERAM VOLUNTATEM, cùm neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet ſecundùm Auguſt. 5. de Civit. Dei: Non autem LIBERUM JUDICIUM propriè loquendo, cùm non cadat ſub electione.*

Hæc Sanctus Thomas, quæ ſine aliqua annotatione prætermitti non debent. Ac in primis obſervandum eſt, quàm conſentanea iſta ſint ſuperioribus, & aliis quæ ubique docuit, & ut cum D. Auguſtino loquar, quàm eadem ſit & venuſta *vna facies eloquiorum*. Etenim ut notat 1. 2. quæſt. 13. ſtatim art. 1. certum eſt, electionis nomine

duo involvi, alterum quod ad intellectum, alterum quod ad voluntatem pertineat. Unde à Philosopho 6. Ethic. dictum est, quem refert sæpiùs Divus Thomas, quòd electio est *appetitivus intellectus, vel intellectivus appetitus*, ideſt, vel electio est ipsum intellectûs judicium quod motum voluntatis, & appetitum rationalem efficit; vel est ipse voluntatis, & appetitûs rationalis motus qui judicium intellectûs consequitur: atque ea ratione, eoque sensu inquit hìc D. Thomas, *Quòd electio est quoddam judicium de agendis, vel judicium consequitur*. Postremum tamen id quod ipse existimat, reponit: scilicèt electionem judicio posteriorem esse, ipsumque consequi, & eo regulari: ità enim loco citato, quod Aristoteles sub dubio reliquerat, ac ex Patribus plurimis Sanctus Thomas omninò resolvit: nec quisquam modò Theologorum est qui dubitet, quòd *Electio* ut inquit etiam art. 3. *non consequatur sententiam, vel judicium, quod est sicut conclusio syllogismi operativi*.

De electione itaque idem ac de judicio quo regulatur est sentiendum. In judicio verò, sicut & in syllogismo hic progressus ordoque servatur. De principiis nunquàm intellectus judicat, neque ea ad examen revocat, sed iis naturaliter, & immotus adhæret, ex iisque conclusiones eorum servato ordine deducit. Idem verò est voluntatis progressus. *De ultimo fine non judicamus, judicio discussionis, vel examinationis, sed naturaliter approbamus*. Nulla enim ars est, ut diximus supra, quæ de suo fine dubitare possit, aut de illo disputet. Finem primò supponit, & ex fine quem votis omnibus, & infinitis si capax eum esset assequi peroptat, cujus regulis omninò subjicitur, & à quibus dependet; deinde de mediis quibus comparari possit ex ipsis artis regulis, & servato ordine finis disponit.

Quo pacto igitur habet se erga finem libertas? *De fine habemus liberam voluntatem, sed non habemus liberum judicium*, aut liberum arbitrium. Certum enim est utrumque pro eodẽ sumi à Divo Thoma, ut constat ex eadem quæst. 24. de Verit. quæ tota est de libero arbitrio: ubi art. 1. cùm *ex judicio rationis*, quo homo se movet, non verò naturali, & indito, quo solùm bruta moventur, libertatem arbitrii repeteret, concludit: *Ideò* homo *est liberi arbitrii, ac si diceretur liberi judicii de agendo vel nõ agendo*. Quòd idẽ habet 1. p. q. 83. a. 1.

En igitur expressam apertissimis verbis, nec indicatam solùm à D. Thoma distinctionem, inter liberam voluntatem, & liberum arbitrium. Atque utriusque discrimen ita explicari potest. Versatur libera voluntas circa finem: versatur liberum arbitrium circa media de quibus est electio. Non repugnat liberæ voluntati naturalis inclinationis necessitas: repugnat libero arbitrio. Indifferentiam summam exigit liberum arbitrium, quod mediis omnibus dominatur, ipsaque sibi subjicit, ab iis omninò independens: at eam frigidam indifferentiam non patitur voluntas, quæ fini summo amore inhæret, ipsi subjicitur, ab eoque omninò dependet. Voluntatis libertas à sola coactione immunis est: libertas arbitrii etiam à necessitate. Sola spontaneitas voluntatis libertatem efficit, eâque ratione voluntas liberè vult, quâ vult: at libertas arbitrii indifferentiã exigit, & ultra spontaneum voluntatis motum, etiam indifferens arbitrium, dominiumque voluntatis, quæ pro arbitrio agit. Est enim voluntas cæca, solo amore ducitur, tota ex fine suspensa est, & ad finem dumtaxàt per se inclinatur, in quo cùm eum semel complexa est, conquiescit, veluti omni alia curâ, & labore vacua: & ea est libertas voluntatis. At verò in motu est libertas arbitrii: sequitur enim rationis judiciũ, quod res in omnes partes versat, eas discutit, & expendit: ut juxta varia earum merita, & mensurâ quâdam amorem impertiat, & dispenset, prout ratio finis exigit. Demùm voluntatis libertas non ea est, qua meremur vel demeremur; cùm ille finis amor naturalis sit, nec possit finem non amare voluntas, & eò non ferri, quò tanquàm pondere trahitur: at ea qua meremur, libertas est arbitrii, in qua vel laudi locus est, si ad finem collimet, dum media eligit: vel vituperio, si nulla habita finis ratione, per media feratur, vel adversa fini media sectetur.

Sed quod maximè in ea distinctione observandum est, & quo hujus usus multò utilior evadet: Ea est voluntatis libertas, de qua intelligendus venit D. Augustinus, interprete D. Thoma: cùm inquit toties, *Voluntatem liberè velle ea ipsa ratione quâ vult; & necessitatem naturalis inclinationis libertati non repugnare*: de libertate enim voluntatis qualem jam descripsimus, ea aliaque similia à D. Augustino dicta intelligenda sunt, non de libertate arbitrii, quæ indifferentiam comitem habet, à qua nulla arte, nullaque vi sejungi unquàm potest, dum circa media versatur: non enim de uno arbitrium est.

Nec verò prælaudato solùm loco, ea distinctione utitur D. Thomas, & D. Augustini mentem modumque loquendi explicat, sed pluribus etiam aliis in locis, etsi interdum minùs apertè eandem usurpat. Etenim eodem sensu intelligẽdum D. Augustinum, inquit 1. par. quæst. 82. art. 1, quòd *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, vt Augusſt. dicit*. Ubi iterũ expressam *voluntatis libertatem* habet diversam à libertate arbitrii, cui adversa est quæcumque necessitas naturalis. Quin etiam quæst. 22. de verit. art. 5. tria vel quatuor argumenta se se invicem consequentia ea distinctione excipit: cùm enim statuisset, voluntatem necessariò in Beatitudinem ferri, eamque velle necessariò: objicit sibi Num. 1. *Secundùm Augustinum in 5. de Civitate Dei: si aliquid est voluntarium, non est necessariũ; sed omne quod volumus, est voluntariũ*. Ergo nihil est necessariò volitum, *& voluntas non vult aliquid de necessitate*. Num. 3. *Libertas opponitur necessitati: sed voluntas est libera; ergo non de necessitate aliquid vult*. Num. 4. *Pretereà: Bernardus dicit, quòd liberum arbitrium ex ingenita voluntate, nulla ne-*

cessitate

ceſſitate movetur : ſed dignitas voluntatis auferri non poteſt : ergo non poteſt voluntas aliquid de neceſſitate velle. Num.5.*Prætereà: Poteſtates rationales ſe habent ad oppoſita ſecundùm Philoſophum: ſed voluntas rationalis eſt potentia, eſt etiam in ratione, ut dicit in 3. de anima. Ergo ſe habet ad oppoſita, & ita non eſt determinata ad unum.*

Reſpondet ad hæc omnia argumenta Divus Thomas, eâdem ſemper ſolutione; Libertati voluntatis, proût natura quædam eſt, neceſſitatem minimè repugnare, etſi repugnet voluntati, ut eſt potentia rationalis, regiturque rationis judicio, & arbitrio. Unde ad 1. Reſpondet : *quòd authoritas illa,* ſcilicèt S.Auguſtini, *eſt intelligēda de neceſſitate coactionis, quę repugnat voluntati, non autē de neceſſitate naturalis inclinationis, quę ſecundùm Auguſtinum in 5.de Civit.voluntati non repugnat*, aut voluntatis libertati, ut mox ſubjungit : eodem planè ſenſu quo ſupra dictum eſt, repugnare quidem arbitrii libertati, at non repugnare libertati voluntatis, quæ non poteſt non verſari circa ultimum finem. Apertiùs ad alterum Num.3.*Dicendum,* inquit, *quòd libertas ſecundùm Auguſtinū opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturali inclinationi.* Igitur ex Divo Thoma aliqua eſt libertas quæ naturalis inclinationis neceſſitati non repugnat : & ea eſt libertas voluntatis, non arbitrii. Unde non eſt quòd quiſquam hæreat, cùm audit libertati neceſſitatem non opponi : nihil enim in D. Thomæ principiis certius. Neceſſitas non opponitur libertati voluntatis quæ amore finis rapitur : ſed repugnat libertati arbitrii quod circa media verſatur. Eadem eſt reſponſio ad alterum: *Neceſſitas naturalis non repugnat dignitati volūtatis, ſed ſola neceſſitas coactionis.* Quin imò hæc maxima voluntatis dignitas eſt, ut fini inhæreat, ſicut dignitas eſt intellectûs quòd inhæreat primis principiis.

Paulò obſcurior eſſe videtur ad ultimum Reſponſio : profundior tamen vel ea ratione habenda eſt, quòd primam hujus diſtinctionis radicem detegat. *Dicendum,* inquit, *quòd voluntas in quantùm eſt rationalis, ad oppoſita ſe habet; hoc enim eſt conſiderare ipſam ſecundùm quòd eſt ei propriū, ſed proût eſt natura quędam, nihil prohibet eam dēterminari ad unum.* Supponit enim duplicem in voluntate rationem diſtinguendam eſſe : primam ut voluntas natura quædam eſt, & communis appetitus; & hoc pacto libertas neceſſitatem ferre poteſt, nec de ea intelligitur eſſe ad oppoſita. Sed prætereà intelligi etiam poteſt ſecundùm quòd eſt ei proprium ac peculiare, ut eſt appetitus rationalis, qui ſcilicèt ratione, judicio, arbitrioque regitur; & eo pacto voluntas eſt rationalis potentia, quæ ad oppoſita verti poteſt, neceſſitatis, & determinationis ad unum immunis; & ea eſt libertas arbitrii : quę licèt non in alia quam voluntate potentia ſedem habeat, non eſt tamen libertas voluntatis, ut natura eſt, & ad finem ſua ſponte fertur, ſed voluntatis ut inter media verſatur, & ratione judice, & arbitra unum præ cæteris eligit.

Cæterùm præter illa omnia loca, quæ jam expendimus, illuſtrior alius locus eſt, & qui ſanè multum negotii faceſſere poſſet, niſi præmiſſa jam ea obſervatio, & explicatio duplicis libertatis nodum omnem diſſolveret. Quæſtione enim decima de Potentia art.2. inquirit, Utrùm in Divinis ſit una tantùm Proceſſio, vel plures. Num. 5. objicit ſibi. *Quòd voluntas libera eſt; quod ergo procedit per modum voluntatis, procedit etiam per modum libertatis. Si ergo Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, oportet quòd procedat per modum libertatis : quòd autem procedit per modum libertatis, poteſt procedere, & non procedere &c.*

Reſpondet verò huic argumento ex principiis jam conſtitutis. *Dicendum,* inquit, *quòd naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut S.Auguſtinus docet in l. 5.de Civit.Dei. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia vel coactio in hoc, quòd aliquid ſecundùm ordinem nature ſuę movetur, ſed magìs in hoc quòd naturalis motus impeditur: ſicut cùm impeditur grave ne deſcendat ad medium. Unde voluntas liberè appetit felicitatem, licèt neceſſariò appetat illam. Sic autem & Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate ſeipſum amet, & neceſſarium eſt quòd tantum amet ſeipſum, quantum bonus eſt, ſicut tantum intelligit ſeipſum quantum eſt. Liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Hactenùs D. Thomas.

Commovere iſta poſſent aliquem D. Thomæ principiis non ſatis aſſuetum : neque hunc locum prætermiſit Janſenius Tom. 3. de gratia Chriſti lib. 6. cap. 24. quo probaret Divum Thomam in eadem fuiſſe ſententia, quam Divo etiam Auguſtino tribuit, libertatem in ſola immunitate à coactione eſſe repoſitam. Verùm ea, quæ ſpecie tenùs videri poſſet principiorum diſcordia, facilè amovetur hac libertatis diſtinctione, quam retulimus, & omnia mirum in modum ſibi conſentiunt. Equidem veriſſimum eſt, neceſſitatem libertati voluntatis non repugnare, & voluntatem liberè appetere felicitatem, & Deum liberè amare ſeipſum, & Spiritum Sanctum liberè à Patre procedere : ſed qua libertate ? Libertate ſcilicèt voluntatis, & non libertate arbitrii. Et ſanè mirari ſubit, quàm accuratè ſcripſerit ubique Divus Thomas: nuſquam enim vel unicum verbum miſcuit, quo ſignificaret, voluntatem ut eſt rationalis potentia, utque regitur ratione, & arbitrio, ſeu libertatem ipſam arbitrii, cum neceſſitate poſſe cohærere. Verſabatur enim dubio procul etiam dum illa ſcriberet, ante mentis oculos, quòd aliàs toties ſcripſerat, aliam eſſe conditionem voluntatis ut natura eſt, & ad finem tendit : & aliam voluntatis ut ratione judice regitur, & circa media verſatur : neque unquàm iſtas dotes miſcuit, ut dixerit *voluntatem liberè* libertate arbitrii, *appetere felicitatem, licèt neceſſariò eam appetat :*

petat : aut neceſſitatem naturalis inclinationis libertati arbitrii non adverſari. Imò certè utramque diſtinguit, ut vidimus, & animadverti poteſt tum eadem quæſt. 24. de Verit. tum & 1. par. qu. 83. in cujus etiam ſecundo articulo expreſsè inquit. *Quòd ea ad quæ naturaliter inclinamur, non ſubſunt libero arbitrio, ſicut dictum eſt de appetitu beatitudinis*, ſcilicèt præcedenti quæſt. 82. art. 1. ubi tamen inquit, quòd *Neceſſitas voluntatis*, qua quis appetit neceſſariò beatitudinem *non aufert libertatem voluntatis*.

Cæterùm antequàm huic articulo finem imponam, duo paucis obſervanda ſunt. Primò libertatis nomine abſolutè intelligendam eſſe libertatem arbitrii, aut libertatem voluntatis ut eſt potentia rationalis, & ut ratione regitur, & eſt ad oppoſita : etſi enim voluntas ut natura, & ut ſimplex volitio fertur ad ultimum finem præeunte ſemper intellectu ſimplicique intelligentiâ qua ad ultimum finem ducitur, ut eum amplectatur, alioqui enim voluntas cæca eſt, & dubia ſemper eſſet qua ſe parte verteret : attamen cùm ratio libertatis, dominium ſignificet ; nihil dubium quin ratio libertatis perfectior ſit in voluntate ut rationalis eſt potentia, & ut verſatur circa media quibus dominatur, & à quibus independens eſt, quàm ſit in voluntate ut natura, quæ fini ſubjicitur, non dominatur.

Alterum verò quod obſervari velim eſt, alio prætereà ſenſu dictum eſſe à D. Thoma, quòd neceſſitas naturalis non adverſatur libertati, ſcilicèt eo ſenſu, quòd ſicut principia ſunt cauſæ concluſionum ; & ſimplex intelligentia eſt veluti fons rationis, quæ vario diſcurſu concluſiones ex principiis deducit, ut ſæpiùs dictum eſt ſupra : ita planè voluntas ut natura, & ut fini inhæret, fons eſt & origo totius libertatis quæ circa media exercetur : ſicut & volitio finis cauſa eſt cur media eligantur.

Cùm igitur à S. Thoma dictum eſt, naturalem neceſſitatem non adverſari libertati, nihil verius dici potuit duplici ſenſu ; in primis cùm duplex libertas jam à nobis diſtincta fuerit, naturalis, neceſſitas non adverſatur libertati voluntatis, etiam in eodem actu ; quia idem actus quo voluntas Beatitudinem amat, liber eſt : at non libertate arbitrii, ſed libertate voluntatis. Secundò non adverſatur etiam libertati arbitrii alio ſenſu, non quòd idem actus neceſſarius eſſe poſſit, & liber, ea libertate arbitrii, & judicii ; ſed quia actus neceſſarius cauſa eſt actûs liberi, ſicut volitio finis cauſa eſt electionis mediorum. Unde dictum eſt ſæpiùs à S. Thoma, actus liberos à neceſſariis oriri, ſicut motum omnem ab immobili : & in ipſis etiam Angelis, *Naturalem dilectionem eſſe principium electivæ, quia id quod pertinet ad prius habet rationem principii. Unde cùm natura ſit primũ quod eſt in unoquoque, oportet quòd id quod ad naturam pertinet, ſit principium in quolibet.* 1. par. quæſt. 60. art. 2. Et multò expreſsiùs inquit 1. par. quæſt. 82. art. 2. quòd *Neceſſitas naturalis non repugnat voluntati : quin imò neceſſe eſt, quòd ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas ex neceſſitate inhæreat ultimo fini qui eſt beatitudo ; finis enim ſe habet in operativis ſicut principium in ſpeculativis, ut dicitur in 2. phiſic. Oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, ſit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura rei eſt primum in unoquoque, & omnis motus fundatur in immobili.*

QUÆSTIO III.

De Libertatis indifferentia.

DIctum jam ſatìs eſt ex ea ad ſummum bonum adhæſione, quod unicum ſatiare voluntatem poteſt, oriri ſummam erga bona particularia indifferentiam, quorum non poſſit non eſſe tenuiſſima bonitas ; unde oritur ille cruciatus animi etiam inter ipſas delitias, quibus ſe ſemper homo deluſum perſentit ; cùm reipsà nulla unquàm extra Deum requies, nullæ veræ delitiæ eſſe poſſint. Unde Divus Anſelmus in Proſologio : *Cur per multa*, inquit *vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui ? ama unum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum quod eſt omne bonum, & ſatìs eſt.* Quem locum refert Divus Thomas Opuſc. 61. cap. 2. ut & deindè illud Sancti Auguſtini in libris Confeſſ. *Væ animæ audaci quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram : verſa & reverſa in tergum, & in latera, & dura ſunt omnia, tu ſolus requies à labore.* Sed cùm plures circa eam voluntatis indifferentiam difficultates eſſe poſſint ; alii nimiùm eam conſtringant, alii nimiùm eam laxare videantur : de ea in particulari exactè agendum eſt.

ARTI-

ARTICULUS I.

Indifferentiam, & à neceſſitate immunitatem ad libertatem pertinere. Ex D. Thoma, hæretica opinio eſt quæ negat. Liberum eſſe amorem Beatificum repugnat.

PRincipio conſtituendum eſt, indifferentiam, & nedùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate immunitatem omninò ad libertatem pertinere. Magnos à nonnullis ab hinc annis hęc quæſtio tumultus excitavit, dum plurimi in errorem jam ab Eccleſia proſcriptum lapſi, efficaciam gratiæ defenſuri, aliam ſe poſſe viam ſternere exiſtimarunt, aliiſque argumentis, quàm unquàm uſus fuerit S. Thomas, ejuſque Scholæ Diſcipuli, & eam efficaciam gratiæ defendere, & cum libertate conciliare. Exiſtimarunt enim faciliùs explicari poſſe gratiæ cum libertate conſenſionem, ſi libertas in ſola voluntate, non equidem reluctante & invita, ſed ſponte, ultroque agente reponeretur, quamvis neceſſariò ex imperio ac vi gratiæ, & victricis delectationis ageret, quæ voluntatem trahit, allicit, ſuiſque illiciis ita conſtringit, & alligat, ut ſeſe expedire voluntas non poſſit; quamvis tamen non omninò indifferentiam agendi vel non agendi negare viderentur, quam ſtatui viatoris hominis junctam eſſe non negabant, quandiù à ſummo bono, & ultimo fine poteſt voluntas deſciſcere. Verùm negabant omninò neceſſariam eſſe eam indifferentiam agendi vel non agendi, eamque ad veram libertatem pertinere, cui ſubindè nihil deperiret ſi deeſſet illa indifferentia, accederetque ex efficaciſſima vi gratiæ agendi neceſſitas. Unde & amorem beatificum liberum eſſe contendebant: nec magis libertatem exerceri unquàm, aut integram eſſe, quàm cùm voluntas ultimum finem, ac beatitudinem proſequitur, ipſique indiſſolubili nexu juncta inhæret: ex ea libertatis notione, liberum eſſe quod volumus, eoque liberiùs quo vehementiori amore voluntas ad objectum tendit, & arctiori vinculo illigatur.

Cæterùm cùm multiplex eſſe poſſit indifferentia, altera exercitii, ſeu agendi, & non agendi; altera verò ſpecificationis, ſeu benè, vel malè agendi, nullâ habitâ ratione finis: hinc altera ſententia orta eſt eorum extra Scholam S. Thomæ, qui hanc ſecundam indifferentiam, quamvis infelicem voluntatis, etiam ad libertatem pertinere arbitrantur non minùs quàm alteram ingenuam ac tractabilem, quæ jugum à Deo ſibi impoſitum ferre poteſt, & quæ ita agit, ut tamen poſſit non agere.

At verò D. Thomæ ſententia inter extremas medium tenet: inprimis affirmat, immunitatem à neceſſitate, ſeu indifferentiam omninò ad libertatem pertinere: at non pertinere alteram benè vel malè agendi; ſed ita coërceri poſſe, ut quò minor erit ea peccandi potentia, eò perfectior libertas futura ſit. Hæc ex D. Thoma, quem unum hìc audimus, & conſulimus, probanda, & explicanda ſunt.

Probatur itaque inprimis immunitatem à neceſſitate ad libertatem pertinere. Et ſanè adeò expreſsè ſolidèque eam ſententiam explicat, & probat S. Thomas, ut mirum ſit, repertos aliquando Theologos qui in adverſam invitum, & reluctantem pertrahere ſanctum virum voluerint. Igitur quæſt. 6. de Malo ubi agit *de electione humana, ſeu de libero arbitrio*, & inquirit, *Num homo habeat electionem actuum, aut ex neceſſitate eligat*: (Ea enim loca, ut ſæpiùs admonuimus, inter cætera ſemper deligimus, in quibus D. Thomas eas ex profeſſo quæſtiones pertractat, quæ in controverſiam vertuntur: ex quibus locis æquitas poſtulat, ut ſi quæ alia dubia ſint explicentur) Eâ igitur quæſtione ita habet.

Reſpondeo, dicendum, quòd quidam poſuerunt, quòd volũtas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quòd volũtas cogeretur; non enim omne neceſſariũ eſt violentum, ſed ſolùm id cujus principiũ eſt extra: unde & motus naturales inveniũtur aliqui neceſſarii, non tamen violenti; violentum enim repugnat naturali, ſicut & volũtario, quia utriuſq; principiũ eſt intra, violenti autem principiũ eſt extra. Hęc autem opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus: non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit. Eſt etiã annumeranda inter extraneas Philoſophię opiniones: quia non ſolùm contrariatur Fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volẽdũ, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperiũ, circa quę Philoſophia Moralis conſiſtit. Hujuſmodi autẽ opiniones, quę deſtruunt principia alicujus partis Philoſophię, dicũtur poſitiones extraneę ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partìm quidẽ propter proterviam, partìm propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt, ut dicitur in 4. Metaphyſ. Hæc D. Thomas. Quibus certè nihil apertiùs dici potuit, ut ſuam mentem explanaret, ut poſt hæc de ejus mente dubitare velle, eſſet planè velle mediâ in luce tenebras quærere.

Ita verò explicatâ eâ ſententiâ, præter eas rationes, quòd adverſa *Opinio ſit hæretica, & principia Philoſophię Moralis evertat*: de quibus deinde aliquid erit dicendum: ſuam ſententiam probat D. Thomas omni ex parte, quâ probari poteſt. Cùm enim voluntas inprimis regatur ratione, unde libertatem oriri ſæpè animadvertimus: deinde voluntas duplici modo ſolùm moveri poſſit, nimirùm ex parte objecti, unde oritur actûs volun-

luntatis ſpecificatio ; ac etiam ex parte ſubjecti, unde oritur principium motûs quantùm ad exercitium : inde probat S. Thomas, voluntatem quantùm ad exercitium moveri, & à ſeipsa, & etiam à Deo, ſed nullam ex ea motione neceſſitatem in ipſam voluntatem refundi. Ac tertiò tandem moveri voluntatem ab objecto quantùm ad ſpecificationem, & inde etiam oriri indifferentiam : quia cùm inter tot objecta ampliſſimus campus ſit, liberrimè poteſt voluntas circumquaque ferri, & ſpatiari, habitâ tamen ratione finis, ſervatoque hujus ordine, ne ea ingenua libertas in nimiam licentiam deflectat.

Probat igitur primò ex parte originis libertatis, neceſſitatem omnem, & ad unum determinationem à voluntate abeſſe. Cùm enim neceſſe ſit, inclinationem omnem ex forma aliqua conſequi ut jam dictum eſt ſæpiùs, cùm nulla inclinatio propter ſe ipſam eſſe poſſit, ſed oporteat eſſe naturæ alicujus ad conſentaneum finem aſſequendum ; neceſſe eſt quòd voluntas conſequatur formam per intellectũ apprehenſam. At verò, inquit D. Thomas, *Forma intellecta eſt univerſalis, ſub qua multa poſſunt comprehendi. Unde cùm actus ſint in ſingularibus, in quibus nullus eſt qui adæquet potẽtiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa. Sicut ſi artifex concipiat formam domûs in univerſali ſub qua cõprehenduntur diverſæ figuræ domûs, poteſt voluntas ejus inclinari ad hoc quòd faciat domum quadratã, vel rotũdam, vel alterius figuræ.* Hęc ibi.

Quæ ratio in hanc formam reduci poteſt. Voluntas cùm ſit rationalis, & intellectualis naturę inclinatio conſequitur formam per intellectum apprehenſam, & ejuſdem conditionis eſſe debet : Atquì ea forma ab intellectu apprehenſa univerſaliſſima eſt, ac planè infinita complectitur : Ergo. Minorem probat D. Thomas : quia forma per intellectum apprehenſa diſtinguitur à forma apprehenſa à brutis, quòd hęc ſemper ſingularis ſit, utpotè recepta in ſenſu, & quæ ſuperiori potentiâ aliquâ ſpirituali immaterialis, & univerſalis effici non poſſit ; quamvis tamen non eadem ſemper ſit : plures enim ſucceſſivè bruta ejuſmodi varias formas recipiunt, unde nunc metuunt, nunc gaudent, nunc fugiunt, nunc proſequuntur : quâ ratione, ut egregiè obſervat D. Thomas; *Bruta medio modo ſe habent* inter res naturales & homines. *Nam forma*, inquit, *apprehenſa per ſenſum eſt individualis, ſicut & forma naturalis, & ideò ex ea ſequitur inclinatio ad unum actum* determinatum, *ſicut in naturalibus*. Unde in brutis nulla libertas eſſe poteſt. *Sed tamen non ſemper eadem forma recipitur in ſenſu, ſicut in rebus naturalibus, quia ignis ſemper eſt calidus ; ſed nunc una, nunc alia recipitur, putà nunc forma delectabilis, nunc triſtis : unde nunc fugit, nunc proſequitur, in quo convenit cum principio humano.* Differt verò ab homine brutum, quòd cùm quęlibet hęc forma ſingularis ſit, etiam ad unum actum determinatum movet, & inclinat ; unde nulla cum ea determinatione libertas jungi poteſt. At verò forma in intellectu recepta, utpote ſpiritualis, & immaterialis effecta, unicam rationem aliquam cõmunem repræſentare poteſt, quæ penè infinita complectatur : unde & neceſſe eſt conſequi inclinationem ſimilem, & ejuſdem conditionis, ideſt infinitæ propemodùm amplitudinis, quæ nulli determinato actui ſit illigata. Unde abeſt à voluntate omnis determinatio ad unum & oritur à neceſſitate immunitas, in qua repoſita eſt hæc libertas indifferentiæ, & arbitrii, & voluntatis rationalis potentiæ ad oppoſita. Hæc prima Divi Thomæ ratio. In qua

Obſervanda ſunt hęc verba, quibus nihil oportuniùs ad explicandam libertatem, eamque cum Divina motione conciliandam excogitari poteſt, & quibus nova ſolidaque ratio continetur ad probandam eam indifferentiam : *Cùm actus*, inquit, *ſint in ſingularibus, & nullus ſit qui adæquet potentiam* ; neceſſe eſt, *ut univerſalis remaneat inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa*. Nihil opportuniùs dici poteſt ad ſolvendum totius difficultatis nodum, etiam ſub ipſa motione Divina remanere integram indifferentiam voluntatis, & dominium quod in ſuos actus exercet, ſummamque ab ipſis independentiam. Etenim cùm major ſit voluntatis amplitudo, quàm ut unico actu tota illa capacitas impleri poſſit, ſiquidem ita naturâ conſtitutum eſt, ut potentia latiùs pateat quàm quilibet ipſius actus ; fit inde ut ſub ipſa etiam motione, cùm voluntas unum actum elicit, alteri tamen in eadem volũtate locus relictus ſit. Unde voluntas etiam dum actum elicit, cùm ſit eo actu univerſalior, & ſuperior, independens ab eo eſt, cùm & alium habere poſſit : eâ verò ratione qua independens eſt, etiam, & cum ſumma indifferentia actũ reſpicit, ſuoque dominio ſibi ſubjicit, cum ipſum, & retinere, & rejicere à ſe poſſit, & alterum illius loco ſubſtituere : etſi enim cùm uuũ elicit, alium ſimul elicere non poſſit, ſicut nec unius lineæ duo termini eſſe poſſunt : attamen cùm nullus umquàm amplitudini, & capacitati potentiæ par eſſe poſſit, nec poſſit eam amplitudinem implere, voluntas, & ab eo actu independens eſt, & circa ipſum indiferens, ac in ipſum dominium exercet, etiam tunc cùm voluntas à Deo movetur. Siquidem motio divina neque voluntatis amplitudinem coarctat, neque majorem actui latitudinem tribuit : qua ratione, & attenta voluntatis conditione, quæ ſumma amplitudine prædita eſt, apertiſſimum eſt, poſſe vim omnem, & efficaciam divinæ motionis cum indifferentia libertatis conciliari. Quæcumque enim motionis divinæ vis ſit, non impedit tamen quin voluntas majorem amplitudinem habeat, & ſuperior potentia ſit, quæ actum quemlibet ſingularem ſuæ capacitati implendæ imparem, cum ſumma independentia, & indifferentia reſpiciat. Igitur ex eo capite, & ſi originis libertatis ratio habeatur, neceſſe eſt, quòd libertas ſummam habeat amplitudinem nulli actui illigatam, ſed ab omni neceſſitate immunem.

Probat ſecundò D. Thomas ex altero capite

can-

eandem voluntatis indifferentiam, ſcil.ex principio quo volũtas moveri poteſt. Supponit verò inprimis; quòd *Potentia aliqua dupliciter movetur: uno modo ex parte ſubjecti, alio modo ex parte objecti. Ex parte ſubjecti quidem, ſicut viſus per immutationẽ diſpoſitionis organi movetur, ad clariùs vel minùs clarè videndum: ex parte verò objecti, ſicut viſus nunc videt album, nunc videt nigrum. Et prima quidẽ immutatio pertinet ad ipſum exercitiũ actûs, ut ſcilicèt agatur vel non agatur, aut meliùs vel debiliùs agatur. Secũda verò immutatio pertinet ad ſpecificationem actûs: nam actus ſpecificatur per objectum.* Pluribus verò de actuum ſpecificatione additis ſubjungit. *Sic ergo ad oſtendendum, quòd voluntas non ex neceſsitate movetur; oportet conſiderare motũ voluntatis, & quantùm ad exercitium actûs, & quantùm ad determinationem actûs qui eſt ex objecto.* His verò ita ſuppoſitis:

Probat voluntatem nunquàm neceſſariò moveri quantùm ad exercitium actûs, ſed ita moveri aut agere, ut ſummam indifferentiam ſimul ſervet non agendi. Inprimis enim voluntas equidem movet ſeipſam, ſicut & cæteras potentias movet: at nunquàm ſeipſam movet niſi ex conſilio rationis: Atquì conſilium eſt inquiſitio rationis quæ circa multa, & diverſa, & oppoſita, etiam verſatur. Ergo ex hac parte nullam neceſſitatem habet voluntas, nullamque ad unum determinationem, cùm plura ſe ſe offerant inter quæ eligere poſſit quod libuerit. Unde concludit Sanctus Thomas. *Cùm ergo voluntas ſe conſilio moveat, conſilium autem ſit inquiſitio quędam, non demonſtrativa, ſed ad oppoſita viam habens, non ex neceſsitate voluntas movet ſeipſam.*

Verùm ſubdit S. Thomas: *Cùm voluntas non ſemper voluerit conſiliari, neceſſe eſt quòd ab aliquo moveatur ad hoc quòd velit conſiliari. Etſi quidẽ à ſe ipſa, neceſſe eſt iterùm quòd motum voluntatis præcedat conſilium, & conſilium præcedat actus voluntatis: & cùm hoc in infinitum procedere non poſsit, neceſſe eſt ponere, quòd quantùm ad primum motum voluntatis, moveatur voluntas cujuſcumque, non ſemper actu volentis, ab aliquo exteriori, cujus inſtinctu voluntas velle incipiat.*

Poſteà verò rejicit quorundam opinionem, qui exiſtimabant, voluntatem à corpore cæleſti poſſe moveri, & à quibus dicebatur referente Ariſtotele in 3.de Anima; *quòd talis eſt voluntas in hominibus, qualem inducit Pater virorum, Deorumque, id eſt, Celum vel Sol*: rejecto verò eo errore concludit S.Thomas: *Relinquitur ergo ſicut cõcludit Ariſtoteles, cap.de Bona Fortuna: Quòd id quod primò movet voluntatem, & intellectum, ſit aliquid ſupra voluntatem, & intellectum, ſcilicèt Deus.*

Verùm cùm indè ſtatìm mẽti occurrat, ſi Deus primò moveat voluntatem, & quidem ut infra inquit Reſponſione ad 3. *immutabiliter, propter efficaciam virtutis quę deficere non poteſt*, occurrat inquam, lędendam fore libertatem; cogitationem hanc amovet D. Thomas, additque: *Quòd cùm Deus omnia moveat ſecundùm rationem mobiliũ, ut levia ſurſùm, & gravia deorſũ; etiã voluntatem movet ſecundùm ejus conditionem, non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminatè ſe habentem ad multa. Patet ergo quòd ſi conſideretur motus voluntatis ex parte exercitii actûs, non movetur ex neceſſitate.*

Hæc ſecunda ratio D. Thomæ cui plura addemus aliis in locis ut magìs explicetur. Cùm enim inprimis Dei cauſalitas, & efficientia ampliſſima ſit, omneſque modos perfundat, & pervadat: etiam & ipſam libertatem efficit, ipſamque indifferentiam activam. Deinde cùm cauſas omnes conſentaneè ad earum naturam Deus moveat; ita libertatem movet, quòd præeunte ratione, quæ objecta mixta involutaque pluribus defectibus repræſentat; etiam & ipſa voluntas ex modo agendi ita unum eligat; quòd tamen juxta conditionem ipſius, indifferentem, ut ita dixerim, amorem impendat, & qualem objecta merentur. Neque enim aliud efficit motio, niſi ut voluntas rerum quas proſequitur meritis parem amorem impendat; majorem vel minorem juxta varios bonitatis ipſarum gradus, ſed inferiorem ſemper amori qui proſecutioni ultimi finis reſervatur; quem ſemper voluntas ſummo amore proſequitur; cùm erga cætera ſemper indifferens ſit. Atque adeò ita voluntas movetur, *quòd tamen ſe habet indeterminatè ad multa*, in quo poſita eſt indifferentia agendi, & non agendi, & à neceſſitate immunitas.

Probat demùm D.Thomas tertia ratione de qua mox aliqua diximus, voluntati nullam poſſe imponi neceſſitatem, non ſolùm quantùm ad exercitium actûs, quę eſt indifferentia contradictionis, quod probatum eſt alterà ratione; ſed neq; etiam quantùm ad ſpecificationem, ſeu ex parte objecti. Ita verò ſe ſe explicat. *Si autem conſideretur motus volũtatis ex parte objecti determinantis actum voluntatis ad hoc vel illud volendum: conſiderandum eſt, quòd objectum movens voluntatem eſt bonũ conveniens apprehenſum. Unde ſi aliquod bonum proponatur quod apprehendatur in ratione boni, nõ autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem. Cùm autem conſilia, & electiones ſint particularia quorũ eſt actus, requiritur ut id quod apprehenditur ut bonũ & conveniens, apprehendatur ut bonum & conveniens in particulari, & non in univerſali tantùm. Si ergo apprehendatur aliquid ut bonũ conveniens ſecundùm omnia particularia, quę cõſiderari poſſunt, ex neceſſitate movebit voluntatẽ, & propter hoc homo ex neceſſitate appetit beatitudinem, quę ſecũdùm Boëtium eſt ſtatus omniũ bonorum congregatione perfectus. Dico autem ex neceſſitate, quantùm ad determinationem actûs, quia non poteſt velle oppoſitum; non autem quantùm ad exercitiũ actûs; quia poteſt aliquis non velle tunc cogitare actu de beatitudine; quia etiam ipſi actus intellectûs, & voluntatis particulares ſunt. Si autem tale ſit bonum, quod non inveniatur eſſe bonũ ſecundùm omnia, quę conſiderari poſſunt, non ex neceſſitate movebit, etiam quantùm ad determinationem actûs: poterit enim aliquis velle oppoſitum, etiam de illo actu cogitans; quia eſt fortè bonum vel conveniens ſecundùm aliquid aliud particulare conſi-*

consideratum : sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi ; & sic de aliis. Hęc D. Thomas.

Atque hæc ratio ad hanc formam reduci potest. Necessitas quantùm ad specificationem tunc contingit, quando voluntas ad plura, & diversa seu disparata, seu contraria objecta ferri non potest, sed ad unum dumtaxàt prosequendum determinatur: & vice versâ indifferentia voluntatis quantùm ad specificationem, quæ nedùm est inter diversa, & disparata, sed etiam inter contrariè opposita, & quæ dicitur indifferentia contrarietatis; ea est, quâ voluntas potest unum velle, & ejus oppositum: Atquì nullum objectum est in particulari quod ita determinet voluntatem, ut voluntas non possit oppositum: Ergo nullum est in particulari objectum, quod auferat indifferentiam contrarietatis, & necessitatem quantùm ad specificationem injiciat. De Majori nullum esse dubium potest. Minor verò probatur; quia verum quidem est quòd communis Beatitudo, summum bonum, & finis in communi, ita movent, rapiuntque voluntatem, si ea voluntati repræsententur, ut non possit oppositum velle; nemo enim miser esse vellet: & Beatitudo bonum est, inquit Aristoteles, quod omnes appetunt. At verò quòd attinet ad objecta particularia, nullum est quod adeò perfectum esse possit, quin plurima ipsi desint, totque perfectiones quot in aliis reperiuntur. Ac prætereà nullum in toto rerum ambitu objectum reperire est, quod si una parte placeat, aut prodesse possit, non possit etiam alia ex parte, aut reipsà nocere, aut molestiam aliquam inferre: sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi; remedia enim austera ipsis malis interdùm duriora, & acerbiora sunt. Ergo nullum bonum est particulare, quòd ita voluntatem determinare possit, & ita illigare, ut non possit se se voluntas expedire, & ad aliud ferri.

Unde verò oriri possit prępostera interdùm electio, quę à voluntate fit, ut vitrum margaritæ, & terrã cęlo anteponat; explicat deinde S. Thomas, tripliciq; de causa id accidere inquit; *Quòd voluntas feratur in id quod sibi offertur, magis secundùm hanc particularem considerationem quàm secundùm aliam, potest contingere tripliciter: Uno quidem modo inquantùm una prępondérat: & tũc movetur voluntas secundùm rationem, putà cùm homo prœeligit id quod est utile sanitati, eò quod est utile voluptati. Alio verò modo inquantùm cogitat de una particulari circũstantia, & non de alia, & hoc contingit plerùmq; per aliquam occasionem exhibitam vel ab interiori vel ab exteriori, ut ei talis cogitatio occurrat. Tertio verò modo contingit ex dispositione hominis; quia ex Philosopho, qualis unusquisque est, talis finis videtur ei. Unde aliter movetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti; quia non idem est conveniens utrique, sicut etiam aliter accipitur à sano & ægro.* Hæc ibi.

Hactenùs integrum D. Thomę Articulum prosecuti sumus, nec longior existimari debet, cùm nec unicum verbum redundet, nec plura paucioribus verbis dici unquàm potuissent; & verè olìm dictum sit; *Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis*: Martial. Igitur ut hæc omnia paucis contraham, triplici ratione probat S. Thomas, indifferentiam ad libertatem pertinere. Primò ex parte rationis, quæ plura repręsentat; Secundò ex parte voluntatis, quæ ex conditione suæ naturæ, ut potentia est, unico actu impleri non potest; Tertiò ex parte objecti, quod cùm sit bonum infinitum, nullum particulare totam boni plenitudinem habere potest. Unde quodcumquè illud sit quod voluntas eligat, aut experiatur, & persentiat; remanet tamen adhuc vacua, & nondùm satiata voluntatis inclinatio.

Præter verò eas rationes ex principiis naturæ desumptas, & velutì metaphysicas, alias refert S. Thomas: ut nihil omninò quod ad hanc sententiam stabiliendam conducere possit, ab Angelico Doctore prætermissum sit. Et ut paucis ejus rationes prosequar.

Primò inquit, *Hæc opinio est hæretica*, scilicèt quòd ex necessitate moveamur: cùm toties Scriptura Sacra doceat relictum esse hominis arbitrio ut bonum vel malum eligat; Et ut ibidem in argumento, *Sed contra*, inquit S. Doctor, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: hoc autem non esset nisi haberet liberam electionem, quæ est appetitus consiliati, ut dicitur 3. Ethicor.* Plurima alia, & fermè omnia quæ ex Scriptura Sacra referri possunt, colligit D. Augustinus lib. de Libero Arbitrio. *Revelavit enim nobis*, inquit cap. 2. *per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium*; Et cùm plura retulisset, ut omnia fermè comprehendat: *Ubi*, inquit, *dicitur: noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquod faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satìs liberum demonstratur arbitrium.*

Secundò, *Hęc opinio*, inquit S. Thomas, *tollit rationem meriti, & demeriti in actibus humanis: non enim videtur esse meritorium vel demeritoriũ quod aliquis sic de necessitate agit quòd vitare non possit.* Et verò certum est, ut habet idem D. Thomas, 1. 2. qu. 109. art. 8. *Quòd nullus peccat in eo quod vitare non potest, ut S. Augustinus dicit in libro de duabus animabus, & de libero arbitrio.* Et iterùm qu. 24. de Verit. art. 10. *Secundùm S. Augustinum*, inquit, *nullus peccat in eo quod vitare non potest, quia jam hoc esset necessarium.* Quę Divi Augustini sententia instar oraculi ab omnibus Theologis excepta est: habetur verò apud S. Augustinum lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 18. ubi sic inquit: *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: quæcumq; ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat nè fallatur. An tanta fallacia est ut caveri omninò non possit: si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod vitare non potest: peccatur autem, caveri igitur potest.*

Ter-

Tertiò: *Eſt* etiam, inquit S. Thomas, *hæc opinio annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones: quia ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis*. Verſatur enim Moralis Philoſophia circa genus morum, ipſaſque morum regulas, & humanos actus qui his regulis morum regi, & ab extremis ad medium revocari poſſunt, & debent: Atqui ſi nulla ſit in actibus voluntatis indifferentia, & voluntas neceſſitate feratur, ea omnia everteruntur. Atque hujus rationem egregiam habet D. Thomas in 2. diſt. 24. quæſt. 2. art. 2. Utrùm in ſenſualitate ſit peccatum? *Quia nullus motus ponitur in genere moris niſi habita cõparatione ad voluntatem, quæ eſt principium moralium, ut ex 6. Metaphiſ. patet.* Et ideò: *Ibi incipit genus moris, ubi primò incipit dominium voluntatis*. Unde, ut poſtea inquit, *Ubi eſt completum voluntatis dominium*, ibi eſt etiam completum aut meritum aut demeritum; & ea proportione qua dominium minuitur, etiam minuitur ipſum meritum aut demeritum, ut liquet de motibus primò primis, adeò ut ſi nullo modo vitari poſſint, nullum ſit demeritum. Et verò quo pacto regulis morum actus neceſſarii regi poſſint, ſi ſint determinati ad unum. Caſſus eſſet in his regendis omnis labor, ſicut & in natura quæ nec flecti nec mutari poteſt; *Ad mores enim ſemper natura recurrit — damnatos, fixa, & mutari neſcia*; Juvenal. Satyra 13. Et quem modum ratio imponere poſſet, aut quo pacto ad medium temperatum revocare, ſi voluntas neceſſitate ad unum determinatè ferretur, ipſique fixa adhæreret?

Quartò, addit iterùm D. Thomas, Si non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur: *Tollitur deliberatio*: hæc enim de neceſſariis eſſe non poteſt, ut docet S. Doctor 1. 2. quæſt. 14. *Tollitur præceptum*: Ut enim inquit D. Auguſtinus lib. de gratia, & libero arbitr. cap. 2. Ipſa Divina precepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum arbitrium, quo jubenti Deo obtemperare poſſet. Ideoque inexcuſabilis homo eſt, quia impoſitis præceptis non latet quid agendum ſit; & libero arbitrio cui gratia, niſi ex ejus culpa, non deeſt, obtemperare poteſt. Unde inquit D. Auguſtinus eodem capite: *Nemo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cùm peccat*. Quod ex libro Proverb. cap. 19. verſ. 3. D. Auguſtinus deſumpſit ubi cùm vulgata habeat; *Stultitia hominis ſupplantat greſſus ejus, & contra Deum fervet animo ſuo*. ἀφροσυνὴ ἀνδρὸς λυμαίνεται τὰς ὁδὸς αὐτοῦ καὶ τὸν θεὸν αἰτιᾶται τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ *Inſipientia viri violat vias ſuas; Deum verò cauſatur*, vel accuſat *in corde ſuo*: Ita legit ibidem Sanctus Auguſtinus.

Demùm, inquit D. Thomas, Si ex neceſſitate movemur ad volendum; *Tollitur punitio, & laus*. Hoc enim habet totius humani generis vox, neminem dignum aut præmio aut pœna, qui ad agendum neceſſitate conſtringitur. Ut enim inquit S. Auguſtinus lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. *Nec hi libri* (ſacri ſcilicèt) *obſcuri mihi ſcrutandi erant ut diſcerem, neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit quod Juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt: Nonnè iſta cantant in montibus Paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

His omnibus D. Thomæ rationibus addi poteſt, jam à SS. Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ita definitum eſſe contra Michaëlem Bajum, cujus eæ propoſitiones proſcriptæ ſunt. Prima, *Quod voluntariè ſit, etiam ſi neceſſitate fiat, liberè tamen ſit*. Item altera: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Item hæc tertia: *Homo peccat damnabiliter in eo quod neceſſario facit*. Quæ omnes propoſitiones proſcriptæ ſunt; & quidem, ut in fine Bullæ Pontifex aſſerit, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento. Et verò prima hæc propoſitio generalis, & communis de quacumque neceſſitate intellecta confixa eſt, nec ſolùm de ea neceſſitate quam Manichæi ex principio malo, aut Stoïci ex Fato, & inevitabili rerum ordine ac ſerie, aut Aſtrologi ex poſitione ſyderum inducebant: Sed in communi, & univerſim de omni neceſſitate qua fit ut actio in poteſtate noſtra poſita non ſit.

Adde tandem graviſſimum hoc incommodum in quod adverſa ſententia incidit, quòd libertas etiam circa Deum clarè viſum verſari poſſit, quod planè repugnat; ſiquidem ex communi omnium Patrum, omniumque Philoſophorum ſententia, libertas in dominio eſt poſita, quia liber eſt, qui eſt Dominus ſui, ac ſui juris: nec ſolùm voluntas jure libertatis in ſuum actum dominium exercet, ſed etiam ratione actûs in ipſum objectum dominium extendit: Atquì ea perverſitas eſſet non libertas quòd voluntas ultimo fini dominari vellet, cùm è contrà tota ejus felicitas in ea ſubjectione ſit poſita.

Quod ſi quis contenderet, quòd voluntas ſolùm in ſuum actum, non verò in objectum medio actu dominium excercet, neque ea ſolutione ſuam cauſam juvaret: quia etiam falſum eſt quòd voluntas quæ Deo fruitur ſui actus dominium ſervet, aut ſui juris ſit: quia ſumma, & infinita bonitas voluntatem ita rapit, ut extra ſe voluntas feratur. Unde & D. Dionyſius, quem refert S. Thomas 2. 2. quæſt. 75. art. 2. aliiſque in locis, inquit, quod amor extaſim facit, nec ſinit amantes eſſe ſui juris. Atque id etiam evidentiſſima S. Thomæ ratio convincit. 1. par. quæſt. 82. art. 2. ubi inquit, *Quòd movens tunc ex neceſſitate cauſat motionem in mobili, quando poteſtas movẽtis excedit mobile, ita quod tota ejus poſſibilitas moventi ſubdatur. Cùm autem poſſibilitas ſit reſpectu boni univerſalis, & perfecti, non ſubjicitur ejus poſſibilitas tota alicui particulari bono, & ideò non ex neceſſitate movetur ab illo*. Idem habet

quæst. 6. de Mal. art. un. ad 7. ubi inquit, *Quòd activum ex necessitate movet quando superat virtutem passivi*. Igitur cùm tota voluntatis possibilitas subjiciatur potestati moventis, siquidem Divina bonitas superat vires omnes voluntatis easque omninò exhaurit; non habet in sua potestate voluntas actum, sed eum divina bonitas ipsi rapit sibique vindicat: nec est voluntas sui juris, nec habet sui Dominium: & licèt actum vitaliter eliciat, physiceque ad illum se moveat, non movet tamen se moraliter, sed ad illum actum à bonitate divina eliciendum compellitur. Unde, & D. Thomas centies fermè dixit, nullum voluntatem habere dominium, nisi eorum quorum potest esse electio: Finem verò ultimum non esse inter ea recensendum, quorum nos sumus domini. Unde 1.par. qu.82. ar. 1. cùm statuisset, necessariò voluntatem adhærere ultimo fini, sicut intellectus inhæret primis principiis: Objicit sibi: *Secundùm voluntatem sumus domini nostrorum actuum; sed ejus quod ex necessitate est, non sumus domini. Ergo actus voluntatis non potest de necessitate esse*. Respondet: *Dicendum quòd sumus domini nostrorum actuum, secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere, electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, ut dicitur in 3. Ethic. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus*. Quibus similia centies repetit Divus Thomas. Ex quibus omnibus certissimè liquet, quòd cùm divina bonitas voluntatem omninò rapiat, non est in hujus potestate amor, sed eum divina bonitas sibi vindicat possidetque, ut sub dominio ipsius magis quàm ipsius voluntatis esse dicendus sit, ea ratione D. Thomæ, quòd rapiente divina bonitate actum, voluntas apud se retinere ipsum non possit, cùm tota *possibilitas*, & capacitas voluntatis subjiciatur *potestati* divinæ bonitatis voluntati dominantis.

Hæc si advertisset Jansenius, & qui eum ducem sequuti sunt, nunquàm existimassent amorem Beatificum liberrimum esse, etiam propriè dicta libertate, seu libertate arbitrii; & solam coactionem non verò simplicem necessitatem repugnare libertati, ut fusè concedit lib 6. de gratia Christi Salvatoris. Non enim ista distinguit quæ nos distinximus suprà, liberam voluntatem aut libertatem voluntatis, & liberum arbitrium, ut liquet potissimum ex primò illius libri capite: sed ista omnia permiscet, liberum voluntatis arbitrium, arbitrium voluntatis, liberam voluntatem: nec animadvertit etiam sæpissimè à Patribus, & potissimùm à D. Thoma, coactionis nomine etiam necessitatem includi, quòd utraque non *impulsio* solùm, sed etiam vera *compulsio* sit, ut expressè ex S. Thoma annotavimus. Ac præterea duo iterùm permiscet, & confundit quæ diversissima sunt: scilicèt Beatum non posse peccare, & Beatum liberrimo ferri in Deum amore. Primùm enim extra controversiam omnẽ est: & in schola D. Thomæ infrà apertè probabimus, alterum omnibus à S. Doctore principiis ubique constitutis è diametro repugnare. Et si ea omnia exactè distinguantur, & magnam lucem afferent, & à falso veritatem secernent. Ne quid tamen hìc prætermittamus, unde major explanatio accedere possit, quæ à Jansenio aliisque objici solent, hìc resolvenda sunt.

ARTICULUS II.

Solutio duplicis objectionis ex D. Thoma desumptæ: quòd libertas sita sit in immunitate à coactione: & quòd necessitas naturalis non repugnet libertati.

PRætermitto quæ ex Divo Augustino objicit Jansenius, cùm hanc sibi provinciam plurimi assumpserint, nec res difficilis sit, & ex observatione subjungenda resolvi omnia facilè possint: sed immoror solùm pro meo instituto in his solvendis quæ ex Divo Thoma objici possunt.

Objicit itaque lib. 6. cap. 24. ex D. Thomæ sententia in 2. dist. 21. art. 4. hominis dictum *esse liberum arbitrium ex eo quòd cogi non possit*, quod sæpius à D. Thoma repetitum fuisse negari non potest.

Verùm Respondeo, à D. Thoma sub coactionis nomine etiam necessitatem fuisse comprehensam, quòd expressissimis apud Divum Thomam terminis supra animadvertimus. Etenim in 2.dist. 25. quæst. 1. art. 5. cùm initio dixisset, quòd *Libertas in sui ratione negationem coactionis includit*: & deinde addidisset: *quòd duplex est coactio, quædam perfecta, quæ quidem simpliciter coactio dici potest, & quædam quæ est imperfecta, quæ potiùs impulsio quàm coactio dicitur*; posteà subjungit: *Si ergo consideretur libertas secundùm quod removetur perfecta coactio, sic erit libertas à coactione, & necessitate*. Ubi manifestum est quòd sub ipsa coactione etiam perfecta, & quæ major est coactione imperfecta, seu simplici impulsione, necessitas comprehenditur. Neque id sine ratione à D. Thoma dictum est; cùm enim articulo 2. ejusdem quæstionis, ubi quærit: *Num liberum arbitrium cogi possit*, dixisset; quòd, *Est duplex coactio, quædam sufficiens quæ compulsio vocatur, quædam verò insufficiens quæ vocatur impulsio*: compulsionis nomine ipsam necessitatem quæ imponitut voluntati intelligi significat; idque duplici de causa. Primò, quia cùm voluntas rapitur objecti bonitate, quæ totam ipsius capacitatem ita implet, ut nulli alteri bonitati amandæ locus voluntati relictus sit, & ita sibi voluntatem astringit, ut in alteram partem se se nunquàm voluntas vertere possit; tunc reipsà voluntas compellitur, sicut, & intellectus

ctus prima veritate, & ut loquitur D. Thomas, primis dignitatibus primiſque principiis ita compellitur, ut iis ſeſe neceſſariò ſubjiciat. Secundò : quia neceſsitas amandi impoſita voluntati multò major eſt quàm ſit ſola impulſio, cui obſiſtere facilè voluntas poſsit, cùm ſit *Coactio* ſolùm *inſufficiens*; Ergo ea neceſsitas vera compulſio dicenda eſt. Atquì compulſio omnis, *Coactio* quædam eſt, ut dictum eſt ſuprà. Igitur omnis *neceſsitas* etiam *Coactio* quædam eſt. Neque id mirùm videri debet, cùm etiam efficax motio quocumque tandem modo explicetur, in Scriptura Sacra iis nominibus explicari ſoleat, quæ coactionem quandam ſignificare videatur. Unde S. Thomas 3. cont. gent. cap. 48. demonſtrat, *Quòd per auxilium divinæ gratiæ homo non cogitur ad virtutem*. Et ſtatim etiam his verbis caput inchoat. *Poſſet autem videri alicui, quòd per divinum auxilium aliqua coactio homini inferatur ad bene agendum, ex hoc quod dictum eſt:* „*Nemo venit ad me niſi pater qui miſit me traxerit eum*: „ *& ex hoc quod dicitur ad Rom.* 8. „ *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, 2. ad cor. 5. *Charitas Chriſti urget nos*; Trahi enim, & agi, & urgeri coactionem importare videtur. Sed illud prætereà aperties eſt Iſaïæ cap. 59. *Cùm venerit quaſi fluvius quem ſpiritus Domini cogit*; quæ tamen omnia ſignificant equidem efficacem impulſum, ſed non tamen vim illatam voluntati. Ergo nihil mirùm quòd ipſa agendi neceſsitas coactio quædam dicta fuerit, cùm utraque compulſio quædam ſit : ac prætereà uſurpata interdùm ea fuerint à Sacra Scriptura verba quę quandam coactionem ſignificare viderentur, cùm tamen neque neceſsitatem ſignificare certum ſit.

Obſervandum prætereà eſt, explicatam ſæpiùs eſſe à D. Thoma libertatem per immunitatem à coactione, quòd hìc explicandi modus frequens ſit apud D. Auguſtinum : atque ea occaſio fuit cur D. Auguſtinus hunc uſurparet : nimirùm quòd Manichæi dicerent, homines cogi ad peccandum ex mala anima quæ cuique ineſſet. Unde Fortunatus Manichæus Diſputatione ſecunda, cùm Auguſtino reſponderet, inquit : *Inviti peccamus, & cogimur à contraria, & inimica nobis ſubſtantia*. Et deinde : *Hoc nos dicimus, quòd à contraria natura anima cogatur delinquere*. Contrà verò S. Auguſtinus repugnare omninò ſtatuit, ullum eſſe peccatum, ſi coactione fiat. Unde diſputatione prima eundem Fortunatum premebat S. Doctor : *Ergo nunc quæro abs te, quomodò habeamus peccatum, ſi natura contraria nos cogit facere quod facimus ? qui enim cogitur neceſſitate aliquid facere, non peccat : qui autem peccat, libero arbitrio peccat*. Atque id probat deinde idem D. Auguſtinus Diſput. ſecunda. *Si quis* enim inquit, v. g. *ligaretur ab aliquo ceteris membris, & de manu ejus falſum ſcriberetur ſine propria ejus voluntate; quæro ſi hoc judici patefieret, poſſet ne hunc hominē falſitatis nomine condemnare* ? Unde ibidem ſemper ſtatuit S. Doctor, quòd niſi libera eſſet voluntas, in nobis peccata nulla eſſent. Atque eandem rationem ubique proſequitur, quoties cum Manichæis agit, ut videre etiam eſt lib. de duabus animabus.

Quare ut ſeſe Manichæis D. Auguſtinus opponeret, libertatem aut voluntatem contrà definivit, quòd *Sit motus animi, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiſcendum*; ut liquet ex lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 10. Atque huic definitioni alteram peccati ſubjungit cap. ſeq. 11. *Peccatum eſt* inquit, *voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere* : poſitaque ea duplici definitione errores Manichæorum omninò evertit, & demonſtrat omninò repugnare, animas naturâ malas eſſe; hac duplici ratione : quia ſcilicèt repugnat malas eſſe niſi peccent; neque id negabant Manichæi, & dubio procul ſi quid agerent, neceſſe erat malè agere, quod eſt peccare. At verò ut jam probatum ſupponit : *Peccatum eſt voluntas retinendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Ergo repugnat, animam neceſſitate peccare, & malam eſſe, quia ab eo quod à natura eſt, liberum non eſt abſtinere. Et deinde ſi peccatum *ſit voluntas retinendi quod juſtitia vetat; & volūtas ſit etiam motus animi cogente nullo*, ut jam probatū ſupponit, ergo impoſſibile eſt, animas cogi ut peccent, aut naturâ malas eſſe, & malè agere, cùm hæc duo repugnent : ſiquidem naturâ cogerentur ad peccandum, & tamen peccatum motus eſt animi cogente nullo. Unde cap. 13. poſtquàm hanc utramque definitionem, & voluntatis, & peccati fusè probavit, & explicuit; probat quòd naturæ eſſe malæ nullo modo poſſunt: *Unde hoc docemus* ? inquit, *de ſuperioribus definitionibus voluntatis atque peccati : quia dicere animas, & eſſe malas; & nihil peccare, plenum eſt dementiæ : dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt : & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, ideſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent : ſi denique iis abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccata earum tenere non poſſumus*. Hæc duplex Auguſtini ratio quarum altera coactionem, altera neceſſitatem excludit : cùm peccatum dumtaxàt illud ſit ad quod voluntas non cogitur, & à quo liberum ipſi eſt abſtinere. Hæc ibi S. Auguſtinus.

At verò, cùm id S. Doctor contra Manichæos ſtatuiſſet, voluntatem, & libertatem quæ in peccato eſt, motum eſſe animi cogente nullo; celebris deindè in Eccleſia fuit ea definitio, ab omnibuſque ut certa uſurpata. Unde, & Julianus referente D. Auguſtino lib. 1. operis ultimi cap. 28. eam definitionem tanquàm omninò certam, & de qua nemo dubitaret, uſurpabat. *Libertas*, inquit, *arbitrii, poſſibilitas eſt vel non admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis ne-*

ceſſitatis. Et lib. 5. cap. 28. *Liberum*, inquit, *dici non poteſt, niſi quod ſine aliquo inevitabili naturalium coactu in jure emancipatæ conſtiterit voluntatis*.

Ea igitur occaſio fuit tum ut D. Auguſtinus eam definitionem uſurparet, tum etiam ut deinde poſt S. Auguſtinum D. Bernardus, Magiſter ſententiarum, D. Thomas, ac veteres omnes eâ uterentur. Unde non ſemper expreſſa ea diſtinctio facta eſt inter voluntarium, & liberum; ſed ſub ipſo voluntario liberum etiam intelligebatur: quamvis tamen deinde S. Thomas ſcholaſtico rigore uſus expreſsè ſæpiùs utrumque diſtinxerit, ut vidimus ſuprà, & fuſiùs proſequitur 1.2.qu. 6. ubi voluntarii, & involuntarii naturam, & conditiones explicat.

Atque ea obſervatio confirmari poteſt ex eo quod etiam apud Græcos eadem vox, & neceſſitatem, & compulſionem, & coactionem ſignificet. Unde, & 1. ad Cor. 7. verſ. 37. ab Apoſtolo dictum eſt μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος. Id eſt, *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habet circa propriam voluntatem*. Et Luc. 14. verſ. 23. ἀνάγκασον εἰσελθεῖν *compelle*, aut ut etiam Arias Montanus vertit, *coge intrare*: ubi liquet eadem voce hæc tria neceſſitatem, compulſionem, & coactionem etiam in Sacra Scriptura ſignificari. Unde nihil mirùm ſi ea interdùm verba miſceantur, & unum pro altero uſurpetur. Quod eò etiam faciliùs apud Latinos Patres fieri potuit, quòd *neceſſitandi* verbum latinum non ſit. Unde à Patribus nitidum, & accuratum ſcribendi modum ſectantibus, & latinè ſcribentibus uſurpari non potuit; ſed ejus loco & *compellendi*, & *cogendi* verba uſurpata ſunt.

Objicit ſecundò Janſenius ex D. Thoma *Quòd naturalis neceſſitas ſecundùm quòd voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſtinus docet in 1. de Civit. Dei*. Hæc à S. Thoma nec ſemel dumtaxàt, ſed & ſepiſſimè dicta fuiſſe negari non poteſt. Imò, & locum integrum ex quæſt. 10. de potent. art. 2. ſupra retulimus, ubi addit D. Thomas quòd *Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate ſeipſum amet*. Atque idem de proceſſione Spiritus Sancti inquit, quòd *liberè Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate*.

Verùm objecta hæc jam duplici explicatione præoccupavimus, & ſanè nihil profundiùs à S. Thoma dici unquàm potuit: ita enim neceſſe eſt, liberos omnes actûs à neceſſariis, & libertatem à voluntate ut natura eſt, oriri, quod tanquàm principium certiſſimũ ubiq; repetit Divus Thomas, quoties eam quæſtionem inſtituit, & reſolvit, *Utrùm voluntas aliquid de neceſſitate velit*. Ex quibus nos jam plura ſupra retulimus. Unde, & quæſt. 22. de verit. art. 5. cùm dixiſſet etiam in ipſa voluntate rationẽ naturæ reperiri, ex qua ut radice libertas oriatur. Addit quòd *Sicut natura eſt voluntatis fundamentũ, ita appetibile quod naturaliter* (& neceſſariò) *appetitur eſt aliorum appetibilium* (quæ liberè eliguntur) *principium, & fundamentum*. Et certum eſt electionem in qua maximè poſitum eſt libertatis exercitium, ex volitione finis, & beatitudinis quæ neceſſariò appetitur, oriri. Unde meritò à S. Thoma dictum eſt, 1. par. quæſt. 82. art. 1. *quòd neceſſitas naturalis non repugnat libertati*. Quinimò *neceſſe eſt, illud quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, eſſe fundamentum aliorum*.

Altera prætereà explicatio jam ſuprà tradita hùc etiam revocari poteſt. Alio enim etiam ſenſu intelligit S. Thomas, neceſſitatem libertati non repugnare, quòd altera ſit libertas voluntatis, altera libertas judicii, & arbitrii. Et primam quidem neceſſitatis, quæ ex amore finis oritur, impatientem non eſſe; ſecùs verò alteram quæ cùm ratione regatur ad diverſa, & oppoſita ſaltem contradictoriè ferri debet. Cùm enim, inquit S. Thomas, 1. par. quæſt. 83. art. 1. *Judicium* quo homo agit *non ſit ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero arbitrio potens in diverſa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita, ut patet in dialecticis ſyllogiſmis, & Rhethoricis perſuaſionibus. Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia; & ideò circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum*.

Unde veram libertatem arbitrii cum neceſſitate conjungi non minùs repugnat, quàm motum ipſum fieri immobilem: cùm neceſſitatis ſit uno eodemque modo ſe ſemper habere; ac libertatis judicii ſit, ad diverſa & oppoſita hinc inde ferri poſſe. Et libertate quidem voluntatis, Deum ſe ſe liberè amare, Spiritum Sanctum liberè procedere, Beatum liberè Deum amare fatemur ultrò: ſed vera, & ſimpliciter ac propriè dicta libertate, quæ alia non eſt quàm arbitrii, omninò negamus. Hæc enim ultima dumtaxàt veræ libertatis dotibus ſola prædita eſt, quibus altera caret, ſcilicèt libertas voluntatis. Et facilè etiam credi poteſt, à D. Thoma ſtudio ſolùm explicandi S. Auguſtinum, voluntati ut naturæ eſt ſumma neceſſitate fini alligatæ, libertatis nomen indidiſſe. Libertas enim qua voluntas in ſuos actus dominium exercet, non poteſt non eſſe libertas arbitrii. Unde, & S. Thomas ſuperiùs citatum articulum ita concludit, *Neceſſe eſt quòd homo ſit liberi arbitrii, in quantum rationalis eſt*, ſeu ut ratione ducitur, & rationis judicio, & arbitrio, in diverſa fertur.

Atque ea diſtinctione duplicis libertatis explicari poſſe arbitror alterum locum D. Thomæ, alioquin difficilem: cùm enim eâdem quæſt. 6. de malo 22. argumento ſibi objeciſſet, *Qui facit quod non vult, non habet liberam electionem. Sed homo facit quod non vult, ad Rom. 7., Quod odi malũ illud facio,,. Ergo homo non habet liberã electionem*. Reſpondet D. Thomas. *Dicendum: quòd ille qui facit quod non vult, non habet liberam actionem, ſed*

poteſt

poteſt habere liberam voluntatem. Videtur enim D. Thomas illud S. Pauli de motibus primò primis, & qui rationem antevertunt intellexiſſe. Ac de illis inquit, quòd ſi antevertant rationem, non poteſt homo habere *liberam actionem*; id eſt, ut argumentum habet cui reſpondet; *non habet liberam electionem*, nec ſubjacet motus ille præceps libertatis arbitrio, quamvis tamen liber eſſe poſſit libertate voluntatis quæ neceſſitati non adverſatur.

Præter hanc duplicem interpretationem, quâ illud D. Thomæ aſſertum explicuimus, ſcilicèt naturalis inclinationis neceſſitatem libertati voluntatis minimè repugnare, tertiam addam quâ utuntur aliqui, peræquè veram ac certam: ſed utrùm locis à nobis memoratis eam intellexerit S. Thomas non facilè dixerim. Duplicem enim priorem ab ipſo Præceptore traditam fuiſſe expreſſis ejus terminis retulimus, at hujus Tertiæ teſtimonium ſatìs apertum non reperio. Cùm igitur à D. Thoma dictum eſt, neceſſitatem non repugnare libertati, intelligitur non repugnare libertati potentiæ, quamvis tamen poſſit repugnare libertati actionis. Cùm enim voluntas ampliſſima ſit potentia, varios, & variæ conditionis actus habere poteſt: habet enim & actus neceſſarios circa finem, habet & liberos circa media, & utramque illorum actuum conditionem etſi adverſam, & in uno ſingulari actu repugnantem, major, & amplioris capacitatis voluntas complectitur. Veriſſimè igitur à S. Thoma dictum eſt, *Neceſſitatem non repugnare voluntati*, vel non auferre libertatem voluntatis: voluntatis, inquam, ut potentia eſt: cùm voluntas circa finem actus neceſſarios habere poſſit. At nemo unquàm à D. Thoma dictum demonſtrabit, neceſſitatem non repugnare libertati actûs, eamque non auferre, cùm planè principium immotum ſit S. Thomæ ſententiæ, liberum actum judicii cum neceſſitate repugnare.

Hanc verò ex D. Thoma interpretationem qui aſſerunt, ſumptam arbitrantur ex q. 6. de Malo, loco à nobis mox allato: ubi inquit, quòd *Qui facit quod non vult, non habet liberam actionem, ſed poteſt habere liberam voluntatem*. Ubi denegat S. Thomas libertatem actioni, quam non denegat voluntati: affirmat quòd cùm homo incautus nihilquè cogitans ſentientis appetitûs præcipiti ſubitoque motu corripitur, eſt liberæ voluntatis, ſed non liberæ actionis; quia licèt ipſa neceſſitas ſubiti motûs auferat libertatem ab ipſo eodem motu, non aufert tamen libertatem à potentia voluntatis, quæ poteſt deinde aliis actibus ſummè deliberatis, & ex imperio rationis ejuſdem motum liberrimè cohibere, & comprimere.

Verùm etſi quod eâ interpretatione affertur veriſſimum ſit, & facilè etiam cum ſuperioribus conciliari poſſit. Utrùm tamen ita intellexerit D. Thomas meritò dubitari poteſt: cùm eo loco intelligere videatur, quòd dum etiam *Quis facit quod non vult, & non habet liberam actionem*, ſimul tamen *habeat liberam voluntatem*: non ſolùm poſteà cùm alios actus elicit. Unde duplex interpretatio, quam ſupra retulimus, & hujus loci verborum contextui, & aliis locis Divi Thomæ expreſſæ ſententiæ magìs conſentanea eſſe videtur.

ARTICULUS III.

Diluitur altera objectio: ex D. Thoma ad merendum non requiri immunitatem à neceſſitate.

OBjicit tertiò Janſenius: Ex ſententia Sancti Thomę opus eſſe vel vituperio vel laude dignum, meritorium vel demeritorium, eâ dumtaxàt ratione quòd voluntarium ſit, quamvis aliunde ſit determinatum ad unum. Idque primò probat ex D. Thoma in 3. diſt. 12. qu. 2. a. 1. ad 3. ubi inquit D. Thomas, *Quòd impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti, & demeriti, non impotentia quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia: quia hoc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntatem confirmatam in bono.* Secundò probat ex eo quòd S. Thomas in eodem articulo dixerit: *Quòd poſſe peccare per accidens pertinet ad laudem, inquantùm oſtendit, opus quod laudatur, ex neceſſitate factum non eſſe. Sed quamvis removeatur à Chriſto potentia peccandi, non tamen ponitur coactio quæ voluntario contrariatur, & laudis rationem tollit.*

Reſpondeo inprimis frequentiorem, & attentiorem S. Thomæ operum lectionem has nubeculas depellere potuiſſe. Et quidem Sanctum Thomam immunitatem nedùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate, ad meritum exegiſſe adeò ex ſuperioribus conſtat, ut adverſam ſententiam hæreticam eſſe, eâque Philoſophiam omnem Moralem everti dixerit. Plura ejuſmodi referri poſſent, ſed in re adeò certa non eſt immorandum. Non eſt tamen prætermittendus locus ubi hanc expreſsè difficultatem reſolvit, ſcilicèt in qu. 22. de Verit. a. 7. quem integrum inſtituit, ut hanc quęſtionem expendat. *Num aliquis mereatur volendo illud quod ex neceſſitate vult.* Ubi apertè, ut vides, inquirit, Utrùm ad merendum immunitas à neceſſitate requiratur? Hanc verò quæſtionẽ ita reſolvit poſt plurima quę nos ſupra retulimus. *Quando quis ex propria ratione adjutus divinâ gratiâ apprehẽdit aliquod ſpeciale bonum, ut ſuam beatitudinem, in quo verè ſua beatitudo conſiſtit, tunc meretur: non ex hoc quòd appetit beatitudinem quam naturaliter appetit, ſed ex hoc quòd appetit hoc ſpeciale, quod non naturaliter appetit, ut viſionem Dei, in quo tamen ſecundùm rei veritatem ſua beatitudo conſiſtit. Si verò aliquis per rationem deducatur, ut appetat aliquid ſpeciale ut ſuam beatitudinem, putà corporales delectationes, in quibus*

tamen

tamen ſecundùm rei veritatem ſua Beatitudo non conſiſtit ; ſic appetendo Beatitudinem , demeretur ; non quia appetit beatitudinem , ſed quia indebitè appetit hoc ut beatitudinem , in quo beatitudo non eſt . Patet igitur quòd volendo id quod quis naturaliter vult , ſecundùm ſe non eſt meritorium nec demeritorium ; ſed ſecundùm quòd ſpecificatur ad hoc vel illud , poteſt eſſe meritorium, vel demeritorium . Et hoc modo Sancti merentur appetendo Deum , vel Vitam æternam. Hæc D.Thomas, quæ ultima verba de Sanctis ſeu Juſtis dum in terris vitam degunt intelligenda ſunt ; de his enim toto Articulo loquebatur ; neque enim in Cælo meriti locus relictus eſt . Compertiſſimum eſt igitur ex D. Thomæ ſententia certa, iiſque in locis tradita, ubi ex profeſſo de eo agebatur , ad merendum vel demerendum , immunitatem à neceſſitate requiri . Videſis in 4.diſt.49. qu.1.ad 3.ubi eadem difficultas pertractatur .

Ad primum igitur ex 3. Sentent. deſumptum diſt.11. quæſt.2. art. 1. dicendum ; omninò extra cauſam , & argumentum de quo agitur , locum illum D. Thomæ allegari . Quærit enim eo loci S. Doctor : *Utrùm Chriſtus potuerit peccare ?* Atq; adeò ibi agit non de qualibet libertate , aut libertatis indifferentia , ſed de ea quam vocant contrarietatis , quæ fertur ad bonum , & malum morale , & quæ cum potentia peccandi conjuncta eſt : quam & à Chriſto , & à Beatis alieniſſimam eſſe cum S. Thoma contendimus , & probabimus infra. At verò hìc inquiritur de libertate indifferentiæ , quam vocant contradictionis , & quæ eſt potentia agendi , & non agendi intra idem genus boni moralis , quæ una in Chriſto , & Beatis admittenda eſt , & quæ cum infinita ſanctitate non repugnat : neque ulla unquàm conſequentia deduci poteſt , quòd ſi prima contrarietatis indifferentia , id eſt , potentia peccandi auferatur , aut ad veram rationem libertatis , & naturam non pertineat , etiam altera indifferentia contradictionis, ſive poteſtas agendi vel non agendi auferri poſſit . Atque eâ ratione miſceri omnia à Janſenio animadvertimus , nec ſatìs hæc duo diſtingui . Equidem non pertinet ad naturam libertatis contrarietatis indifferentia , vel potentia peccandi , ſeu benè vel malè agendi ; at pertinet indifferentia contradictionis , & agendi ſeu non agendi integra expeditaque facultas , id eſt , ab omni impedimento , vel coactionis vel neceſſitatis immunis . Neque ullâ legitimâ conſequutione inferri licet , quòd ſublatâ omni potentiâ peccandi à Chriſto , non ſuperſit tamen vera , vel non agendi facultas , vel agendi plura diverſa quidem juxta idem genus moris , ſed non tamen contraria , ut ſtatim expendemus .

Igitur ut ſolutio argumenti integra , & exacta referatur; objecerat ſibi S. Thomas : *Sicut peccatum requirit voluntatem, ita & meritum : ſed ſecundùm Auguſtinum nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: Ergo etiam nullus meretur vel laudatur de hoc quod dimittere nō poteſt. Si ergo Chriſtus non potuit peccare , non eſt laudandus de hoc quòd non peccavit ;* ita objicit ſibi S. Thomas. Ubi manifeſtiſſimum eſt , vim argumenti in eo poſitam eſſe , aut non aliud exigere , niſi quòd *ſicut peccatum requirit voluntatem* , & libertatem arbitrii , & immunitatem à neceſſitate , *ita & meritum.* Ita enim intelligi jubet propoſitio ex Divo Auguſtino ſubjuncta , *nullus peccat in eo quod vitare non poteſt .* Igitur cùm D. Thomas reſpondet : *Quòd impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti, & demeriti , non impotentia quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia , quia hoc voluntarium non tollit* : ita neceſſariò explicandus eſt ; quòd *impotentia coactionis* , ſive quæ oritur ex coactione omnimoda , & quæ comprehendit etiam ſimplicem neceſſitatem, *quæ* utraque *opponitur voluntario* perfecto , & libero , *tollit rationem meriti , & demeriti.* Oſtenſum eſt enim ſupra, à D. Thoma ſub ipſa coactione neceſſitatem comprehendi,quòd utraque compulſio quædam ſit . Sed *impotentia* peccandi *quæ eſt ex perfectione in bonitate* , vel exceſſu *in malitia,* non aufert rationem meriti ; *quia hoc voluntarium non tollit* , perfectumque liberum , ſed *ponit voluntatem confirmatam in bono* , vel etiam obfirmatam in malo . Quantacumque enim eſſe poſſit perfectio in bonitate , & ſanctitate quæ hominem efficiat confirmatum in gratia , quantacumq; eſſe poſſit malitia ex pravo habitu qui voluntatem in malo obfirmatam efficiat : prima equidem potentiam peccandi aufert , non tamen rationem meriti , neque altera etſi potentiam auferret benè agendi, (nunquàm enim reipsà aufert dum homo vivit :) non auferret tamen rationem demeriti : quia neutra imponeret neceſſitatem agendi, ſed relinqueret duplicem indifferentiam : primam agendi & non agendi : alteram agendi & hoc , & illud intra genus boni moralis , vel intra genus mali moralis . Quia nunquàm , vel confirmatio in bono , vel obfirmatio in malo, ad unum numero actum determinat , ſed relinquit potentiam plura agendi : & Apoſtoli in gratia confirmati plurimarum virtutum exercitio mereri ſemper nova gratiæ argumenta poterant : & Pharao cujus erat *Cor induratum*,quamvìs reſipiſcere non potuiſſet deſideriis cordis traditus , plura ſemper in Hebræos moliri poterat , & theſauros iræ ſibi accumulare . Atque eo pacto certum eſt, quòd etſi Chriſtus peccare non potuerit , laudem tamen mereri potuerit, ſibique corporis gloriam, & nobis gratiam ; quia ut infra ſtatìm dicendum eſt , non erat determinatus ad unum ſecundùm genus boni moralis , & virtutis : unde plura efficere poterat ſummâ indifferentiâ, & ab omni neceſſitate immunis , & liber .

Ad ſecundum argumentum prona eſt faciliſque ſolutio , quamvìs etiam aliquid ſpeciale habeat , ut mirum ſit nobis potuiſſe objici . Plura enim ſunt in his D. Thomæ verbis,quæ objiciuntur, obſervanda , & quæ omninò adverſam ſententiam jugulant , noſtramq; confirmant. *Primò* enim inquit D. Thomas : *quòd poſſe peccare , per accidens pertinet ad laudem , inquantùm oſtendit*

opus

opus quod laudatur, ex neceſſitate factum non eſſe : ergo ex D.Thoma , ut opus meritò laudari poſſit , non debet *ex neceſſitate factum eſſe*. Requiritur ergo ad merendum immunitas , & libertas à neceſſitate, nec ſatis eſt voluntarium opus, & ſpontaneum , licèt cum neceſſitate conjunctum. Hæc prima obſervatio , quæ adverſæ ſententiæ capitaliter oppoſita eſt. *Secundò* : Cùm à Divo Thoma additur , *Sed quamvis removeatur à Chriſto potentia peccandi , non tamen ponitur coactio quæ voluntario contrariatur , & laudis rationem tollit* : manifeſtum eſt, pro uno & eodem à S. Doctore ſumptam , & neceſſitatem, & coactionem ; alioquì enim ejus ratio nihil concluderet. In hanc enim formam hæc ratio reduci poteſt . Debet opus quod laudatur eſſe immune *à neceſſitate* ; ſed in Chriſto eſt immunitas à coactione . Ergo meretur laudem. Ubi luce clarius eſt nullam eſſe vim argumenti ; aut veriùs indignum fore argumentum quòd ab homine , vel primis Dialecticæ regulis imbuto proponeretur , niſi pro eodem ſumeretur & neceſſitas , & coactio quæ voluntario perfecto opponitur . Unde iterùm evidentiſſimè conſtat quòd cùm toties à S. Thoma dictum eſt , libertatem requirere immunitatem à coactione , etiam coactionis nomine ſimplicem neceſſitatem comprehendit. *Tertiò*. Sed demùm manifeſtè hæc duo D. Thomas diſtinxit , quæ nos etiam diſtinguenda eſſe ſupra animadvertimus , & quæ ſententiæ adverſæ Authores perperàm confundunt : ſcilicèt impotentiam peccandi , & neceſſitatem agendi. *Quamvis*, inquit, *removeatur à Chriſto potentia peccandi, non tamē ponitur coactio*, ſeu neceſſitas . Locum hunc S. Thomæ non animadverteram , nec obſervaſſem forſitan unquàm, niſi inde argumentum ſe depromere poſſe exiſtimaſſent adverſæ ſententiæ Authores . Sed veriſſimè nihil objicere poterant quod apertiùs ſententiã quàm hìc defendimus , & ſolidiùs ſtabiliret , & confirmaret ampliùs , eorum verò ſententiam , ac principia dejiceret . Sed

Dices , ex allata D. Thomæ authoritate deduci poſſe argumentum in patrociniũ adverſæ ſententiæ.Etenim impoſſibile eſt perfectionem aliquam, & quidē quam vocant ſimpliciter ſimplicē,ſeu integram omni ex parte,& nulli imperfectioni permixtam alteri ejuſdē conditionis perfectioni repugnare,eamq;auferre: is enim cõmunis eſt Theologorum omnium ſenſus,bonitatem,ſapientiam, potentiam, & alias ejuſmodi, etſi diſparatas perfectiones, ita inter ſe ſe velutì amicas eſſe,ut nulla unquàm alteri repugnet,ſed mutuò ſe ſe cõplectantur; imò in Deo,amiſsâ eâ quâ in rebus creatis ſejunguntur limitatione,adeò invicē jungi, ut omnes non ſint niſi una perfectio : Atquì libertas voluntatis eſt perfectio ſimplex; ipſaq; voluntatis firmitas, & adhęſio quâ in bono confirmatur , eſt altera perfectio vel perfectionis modus , qui ęquè facilè vel faciliùs cum altera perfectione ſcilicèt libertate jungi poteſt : Ergo impoſſibile eſt quòd una auferat alteram,& quòd adhęſio ad ſummum bonum extinguat libertatem . Sed ea felix *impotentia* deſerendi ſummum bonum non aufert *rationem meriti* , aut perfectè liberi , ſed *efficit ſolùm voluntatem confirmatam in bono* .

Reſpondeo inprimìs , & totum argumentum , ipſiuſque omnes propoſitiones concedo ; ut enim dictum eſt ſupra ex D. Thoma 1. par. quæſt. 82. art.1.*Neceſſitas naturalis non repugnat voluntati; quinimò neceſſe eſt, quòd ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis , ita voluntas inhæreat ultimo fini qui eſt beatitudo : oportet enim quòd illud quod alicui convenit immobiliter , ſit fundamentum, & principium aliorum ; quia omnis motus fundatur in immobili* . Igitur tantùm abeſt ut ea divini amoris immobilitas libertatem auferat à Beatis , ut è contra , & fundamentum , & principium illius ſit .

Reſpondeo ſecundò : diſtinctione libertatis potentiæ & actûs. Beatus qui Deum amat , non habet liberam actionem , ſed tamen liberam voluntatem. In forma igitur : Una perfectio alteram ejuſdem rationis , & conditionis perfectionem nulli imperfectioni admixtam non aufert ; Concedo hanc majorem propoſitionem: Atquì in Beato amor immobilis aut immobilitas amoris eſt perfectio ſimpliciter ſimplex,vel perfectionis ſimplicis modus ; Concedo etiam minorem propoſitionem : Ergo illa immobilitas divini amoris non auſert libertatem : Diſtinguo Conſequens ; Nõ aufert *libertatē potentiæ, ſeu voluntatis*;Concedo: Non aufert *libertatem actionis*, Nego, Quin imò ut ex S. Thoma dictum eſt , neceſſe eſt quòd in illo amore immobili *fundetur omnis motus* .

Dices iterùm : poſſe ſuperius argumentum inſtaurari hoc pacto . Nullo planè modo una perfectio alteri repugnare poteſt , quin eæ ſimul jungi poſſint , & in ipſa voluntate , & in ipſis etiam actibus voluntatis : Atquì immobilitas , & neceſſitas ſunt perfectiones ſimplices aut ſimplicium perfectionum modi , quorum eadem videtur eſſe conditio , ac de ipſis perfectionibus : Ergo nedùm in eadem potentia voluntatis , ſed in eodem actu amoris beatifici jungi potuerunt , qui ſimul erit , & neceſſarius & liber .

Reſpondeo : Diſtinguo Majorem. Perfectiones jungi poſſunt in ipſis actibus , quibus ineſſe non poſſunt, ſeu qui ſunt extra illarum perfectionum objecta ; Nego : quibus ineſſe poſſunt , & qui ſunt intra illarum perfectionum objecta ; Concedo : Atquì neceſſitas , & libertas ſunt veræ perfectiones, aut perfectionum modi; Concedo Minorem : Ergo etiam in eodem actu amoris Beatifici jungi poſſunt, negari poſſet conſequentia : ſed quia ratio reddenda eſſet , cur ita negetur , opportuniùs diſtingui poteſt cõſequens : & ipſe Beatificus amor eſt actus cui libertas convenire poſſit , ſive eſt intra objectum libertatis ; Nego : & eſt extra objectum libertatis , ſeu non pertinet ad totum ordinem liberi , Concedo .

Sed ſi cui hæc ſolutio intricatior videatur , neget omninò totius argumenti ſuppoſitum . Supponit enim argumentum , libertatē poſſe verſari circa Deum ut ultimum finem,& amatum in ſeſe;

quod

quod à vero alienum est, & D. Thomæ sententiæ adversum. Ideòque distinximus, quòd si aliquis actus esse possit intra objecta illarum perfectionum, & ad illarum ordinem pertinere; tunc utraq; perfectio potest in eodem actu reperiri. At verò amor Beatificus non est intra objectum libertatis; nec ad ordinem liberi pertinet; & vice versâ ipsa libertas non versatur circa finem, & Deum in se se amatum. Sunt enim varia actuum, & potentiarum objecta: variæ sphæræ, quibus actus, & habitus, & potentiæ continentur, & clauduntur: ut ad aliam sphæram aut circulum, & ordinem potentiæ transire non possint. Natura unum ordinem constituit, aut una velutì sphæra, & circulo clauditur; in eoque ordine reperiuntur ultimus finis, voluntas ut natura, amor quo voluntas fini adhæret, & necessitas naturæ comes, quæ voluntatem cum ultimo fine conjungit. Hic primus circulus ad quem nec voluntas, ut libera, nec media, nec liberi actus reperiuntur. At verò alius est ordo à primo dependens, & alius circulus primo conjunctus, ipsique inferior, non naturæ sed libertatis: in quo continentur media ex fine dependentia, voluntas ut libera electio quæ circa varia media ferri potest, & libertas aut indifferentia libertatis, quæ voluntatem liberè ferri finit, & discurrere circa media, quę elegit: eam revocat tamen, & coërcet ex ordine finis ne libertas, quę à natura instituta est, ut serviat fini, in licentiam peccandi abeat, & instar servi profugi nullâ habitâ ratione imperii Domini, solâ libidine hinc inde ducatur.

Atque hæc ex D. Thoma confirmari facilè possunt. Et quidem quæ à nobis hactenùs dicta sunt, hæc omnia satìs probant, voluntatem scilicèt, ut naturam versari circa finem, & voluntatem, ut liberam versari circa media; de quibus supra. Sed apertior locus est in quo rem de qua agitur velutì acu contingere, & demonstrare licet. Etenim D. Thomas opusc. 3. & compendio Theologię (quod etiam ut ultimum S. Thomę testamentum nemo non agnoscit, & suscipit, cùm illud sicut & Theologicam Summam prę̃ventus morte absolvere nõ potuerit) c. 174. *In quo sit miseria hominis quantùm ad pœnam damni?* postquàm ostendit damnatorum hominum volũtatem in malo obfirmatam esse; hęc addit: *Nec tamen homines in tali miseria constituti libero arbitrio carent, quamvìs habeãt voluntatem immobiliter firmatam in malo, sicut nec Beati, licèt habeant voluntatem firmatam in bono. Libertas enim propriè ad electionem se extendit; electio autem est eorum quæ sunt ad finem: ultimus autem finis naturaliter appetitur ab unoquoque. Unde omnes homines ex hoc quòd sunt intellectuales, appetunt naturaliter felicitatem tanquàm ultimum finem; & adeò immobiliter, quòd nullus potest velle fieri miser. Nec hoc libertati repugnat arbitrii, quæ non se extendit nisi ad ea quę sunt ad finem.* Nihil apertiùs dici unquàm potuit. Cùm enim certum sit Beatorum *voluntatem firmatam esse in bono*: inde consequi videbatur, quòd in eo statu *constituti libero arbitrio careant*. At id non consequitur, inquit S. Thomas, *Quia libertas arbitrii propriè* non nisi *ad electionem se extendit; electio autem est eorũ quæ sunt ad finem*: non verò se extendit libertas ad finem, quia *ultimus finis naturaliter appetitur*, & necessariò, non liberè.

Sed dices, si libertas circa finem ferri non potest: Ergo saltem aliquid libertati deperit, & aliqua perfectio deest libertati, illa scilicèt quæ ex fine derivari potest. Sed negat consequentiam D. Thomas: quia ad libertatem non pertinet ut circa finem versari possit, & ea quæ ex fine derivari posset perfectio nullo planè modo libertati debita esse potest. *Ultimus finis igitur naturaliter appetitur* necessariò, *immobiliter, nec tamen hoc repugnat libertati*: quia libertas *non se extendit nisi ad ea quæ sunt ad finem*. Nec ad libertatem pertinet ut ad finem se se extendat. Sed finis extra sphæram, & extra objectum libertatis positus est, nec potest libertas ad finem pertingere aut se se extendere.

Hæc satis argumento solvendo, & ausim dicere, hac observatione, vel solutione omninò exhaustam esse difficultatem. Sed tamen cùm varios pluresque defectus habeat hoc argumentum, in quo videtur esse positùs cardo totius difficultatis, juvabit etiam pluribus solutionibus eos defectus detegere: & hæc ultima solutio superiores illustrabit.

Respondeo igitur ultimò ex iisdem principiis, libertatem esse quidem perfectionem, at eam non nisi circa media, & creaturas exerceri posse, sed si circa Deum exerceri posset, omninò perfectio esse desineret, & esset summa imperfectio. Atque hujus exemplum esse potest in ipsa libertate divina. Summa est, & perfectissima in Deo libertas: at ea circa creaturas dumtaxàt versatur, quas summo dominio sibi subjicit, quas immutat ut libet, à quibus omninò est independens: sed si eadem circa ipsum Deum, vel processiones divinarũ personarum exerceretur, quis dubitat quin summa esset imperfectio. Ut enim advertit Sanctus Thomas 1. par. quæst. 41. art. 2. *Eorum voluntas ut libera principium est, quæ possunt sic, vel sic, vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est à natura divina; sed hoc pertinet ad rationem creaturæ; quia Deum esse per se necesse est; creatura autem facta est ex nihilo.* Hæc D. Thomas. Atque idem in aliis divinis perfectionibus contingit. Omnipotentia enim creaturas solùm quas immutat pro termino habet, non Divinas Personas: neque ea potentia quâ Filius à Patre procedit Omnipotentia dicenda est, sed veriùs Unipotentia. Unde ratio actûs puri cùm sit summa perfectio, non adversatur quidem divinæ omnipotentiæ, quæ est altera divina perfectio, quia omnipotentia circa creaturas quas potest immutare, ut voluerit, versatur. Sed si omnipotentia circa Deum ipsum exerceri posset, nulla esset perfectio, ipsique ratio actûs puri adversaretur.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Solvitur alterum argumentum: Ex Divo Thoma liberum Chriſti arbitrium etſi determinatum ad unum, mereri potuiſſe.

OBjiciunt prætereà alteram D. Thomæ, & expreſſiorem, ut putant, authoritatem, qua Sanctus Doctor ait, quòd etſi Chriſti voluntas ad unum numero determinata fuiſſet, nihilò tamen minùs mereri poterat. Ita enim in 3. diſt. 18. art. 2. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quòd etiamſi liberum Chriſti arbitrium eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti: quia in illud non coactè, ſed ſpontè tendit, & ita eſt actus ſui Dominus.*

Hæc apud S. Thomam, & totidem verbis haberi negari non poteſt. Verùm ut Reſpondeam; in primis non poteſt non eſſe hic juſta conquerendi cauſa de his Autoribus à quibus hęc objiciuntur: ſi enim quę habet S. Thomas eò loci, integra nõ dimidiata referrentur; aut nulla aut non admodùm ardua eſſet difficultas. Igitur ut omnia reſtituam: Quærit D. Thomas eò loci. *Utrùm Chriſtus potuerit mereri?* & argumento quinto ita ſibi objicit. *Naturalibus non meremur, quia ſunt determinata ad unum; ſed liberum arbitriũ in Chriſto erat determinatum ad bonum: Ergo ipſe per liberum arbitrium mereri non potuit.* Quid verò huic argumẽto Reſpondet? Negat in primis, liberum Chriſti arbitrium ad unum numero determinatũ fuiſſe. Reſpondet ſecundò, quòd licèt eſſet ad unum determinatum, libertatem tamen non amitteret. Cur vero relicta eſt prima illa Reſponſio, qua ſaltem videri poteſt, quòd etſi aliquid adverſę ſentẽtię propitiũ ſcripſiſſet, non eam tamen adeò certam exiſtimaret, ut ea ſolvendo argumento omninò par eſſet. Sed audiendus in primis S. Thomas.

Ad quintum. *Dicendum, quòd liberum arbitriũ Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundùm numerum, ſed ſecundùm genus, ſcilicèt ad bonum, quia in malum non poteſt, ſed tamen poteſt facere, & non facere: & hoc non excludit libertatem arbitrii, quia poſſe peccare nec eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anſelmus. Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit, ſecundùm quòd per habitum gratiæ & gloriæ, terminatur in eo ad quòd eſt naturaliter ordinatũ, ſcilicèt in bonũ; quia liberum arbitrium quamvis in nobis ſe habeat ad bonum & ad malum, non tamen eſt propter malum, ſed propter bonum.* Hæc D. Thomas: quæ ſanè nulli explicationi extortæ patere poſſunt, adeò expreſſa ſunt.

Hæc igitur prima S. Thomæ Reſponſio, qua negat liberum arbitrium Chriſti eſſe ad unũ determinatum; ac ſubindè etiam exigit D. Thomas neceſſariam immunitatem nedum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, & determinatione ad unum; quamvis neceſſaria non fuerit hæc indifferentia contrarietatis, quæ nullo planè modo ad libertatem pertinet, & quæ ſi deſit, nihilominus perfecta libertas eſt. Unde apertum eſt, hæc duo à S. Thoma longo intervallo ſejuncta eſſe quæ aliqui interdùm confundunt: nullam eſſe in Chriſto potentiam peccandi; non tamen abeſſe indifferentiam, & immunitatem à neceſſitate. Utraque diſtinguenda eſt. Prima eſt ſumma libertatis perfectio: altera verò ipſius libertatis eſſentia, & prima ratio; quæque nunquàm à libertate in quocumque ſtatu ſejungi poteſt, & quam in Chriſto, Angelis, ac Beatis reperiri neceſſe eſt.

Hæc, inquam, prima Sancti Thomę ſolutio; quâ veriſſimam ejus ſententiam contineri dubitari non poteſt, cùm aliis in locis quamplurimis, ubi eandem difficultatem ſibi objicit, non aliam ſolutionem adhibeat, præter eam quam modò retulimus. Etenim in Summa Theologica, quam ut ultimum Angelici Doctoris teſtamentum omnes agnoſcunt 3. par. quæſt. 18. art. 4. Ubi expreſsè inquirit: *Utrùm in Chriſto fuerit liberum arbitrium*: & ubi propria ſedes erat veram hac in cauſa ſententiam ferendi; probat in Chriſto liberum eſſe arbitrium, eo principio quod ſuprà toties ſtatuimus, nimirùm eſſe in Chriſto electionem quæ verſatur circa media, non enim circa finem verſatur liberum arbitrium, ſed dumtaxàt circa media: ut vel illa unica ratione, quam ſuprà non prætermiſimus, omninò adverſa ſententia juguletur. Neque ægrè feret, ut puto, Eruditus Lector, ſi vel ipſum D. Thomæ articulum referam, quò agnoſcet, quàm hujus principia ſuperioribus conſentanea ſint, & oppoſitæ ſententiæ adverſa. Ita igitur habet.

Reſpondeo Dicendum, quòd ſicut dictum eſt, ſcilicèt præcedenti articulo, *in Chriſto fuit duplex actus voluntatis, unus quidem quò ejus volũtas ferebatur in aliud ſecundùm ſe volitũ, quòd pertinet ad rationem finis: alius autem ſecundùm quẽ ejus voluntas ferebatur in aliquid per ordinẽ ad aliud, quod pertinet ad rationem ejus quod eſt ad finem. Differt autem, ut Philoſophus dicit in 3. Ethicorũ, electio à voluntate, in hoc, quòd voluntas per ſe loquendo, eſt ipſius finis, electio autem eorum quę ſunt ad finem, & ſic ſimpliciter voluntas eſt idem quod voluntas ut natura; electio autem eſt idem quod volũtas ut ratio, & eſt proprius actus liberi arbitrii, ut in prima parte dictum eſt. Et ideò cùm in Chriſto ponatur voluntas ut ratio, neceſſe eſt etiam ponere electionem, & per conſequens liberum arbitriũ, cujus actus eſt electio, ut in prima parte habitũ eſt.*

Hæc S. Thomas. Ubi in primis adverti poteſt quod inquit, quòd ſimpliciter *voluntas, eſt voluntas ut natura*. Inde enim colligi poteſt, cur à S. Doctore dictum ſit, naturalem inclinationem, aut determinationem ad unum non repugnare libertati voluntatis; nimirùm, quia ſimpliciter *voluntas, eſt voluntas ut natura*, cùjus libertas poſita

sita est in immunitate à coactione. Sed præterea clarissimè eo Articulo principium illud statuit, quo vel unico fundamentum sententiæ adversæ planè evertitur. Ideò in Christo est liberum arbitrium, quia est electio; electio verò solùm circa media versatur: Ergo liberum Christi arbitrium circa media, quorum est electio versari potest, & exerceri. Ergo versatur circa ultimum finem, & Deum in sese clarè visum, & summè amatum: sed Deus clarè visus, & summè amatus est omninò extra objectum liberi arbitrii, & pertinet ad voluntatem ut natura, non ut libera est. Unde sicut impossibile est versari voluntatem ut natura est, & necessariò, circa media, & creaturas; ita planè repugnat versari voluntatem ut ratio, aut ut libera est circa Deum ultimum finem. Hęc sanè distinguenda sunt, ut clarissimum D. Thomæ ingenium distinxit, non confusè permiscenda, ut sententia quam hìc impugnamus permiscet. Unde & illud in scholas paradoxum invectum est, ea solum ratione qua volumus nos liberos esse: quod sanè perinde est, ac si quis diceret, ea solùm ratione quâ intelligimus etiam ratiocinamur. Simplicem enim, & simplicium intelligentiam correspondere, & præire voluntati ut natura est, diximus suprà: voluntatem verò ut ratio est, seu ut libera est, quæ judicio regitur, correspondere rationi ipsique subjici.

Verùm, non poterat in eodem loco ubi agebatur de libero arbitrio, non occurrere eadem difficultas, quo pacto cum impeccabilitate libertas arbitrii cohęrere posset. Objicit itaque sibi Sãctus Thomas 3.loco, *Liberum arbitrium se habet ad utrumque: sed voluntas Christi fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare: Ergo in Christo non fuit liberum arbitrium.* En idem planè argumentum, quod in 3. Sententiarum sibi objecerat. Quid verò Respondet? *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas Christi, licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum; & ideò pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad Beatos.* En planè eandem solutionem quam suprà retulit, liberum Christi arbitrium esse determinatum ad unum *secundùm genus*: ut nulla ratione dubitari possit, hanc verissimam fuisse Sãcti Thomę sententiam, & quæ perpetuò animo sedit. Atque eandem habet solutionẽ quęst. 29. de verit. ar.6. Ubi quęrit, *Utrùm Christus mereri potuerit?* Statim enim primo loco idem argumentum sibi objicit, & Respondet: *Dicendum; quòd licèt anima Christi esset determinata ad unum secundùm genus moris, scilicèt ad bonum; non tamen erat determinata ad unum simpliciter: poterat enim hoc vel illud facere, & non facere, & ideò libertas in illo remanebat, quæ requiritur ad merendũ.* Hanc eandem & solam solutionem utroque loco adhibet, quam dubio procùl satìs esse, ex veris certisque principiis desumptam existimavit.

At dices: Expressè à S. Thoma assertum est, quod *etiamsi* liberum Christi arbitrium esset *determinatum ad unum numero, sicut ad diligendũ Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationẽ laudis sive meriti.* Ergo existimavit hanc etiam sententiam veram esse, aut saltem probabilem. Respondent in primis nonnulli Sanctum Thomam in sententia aliquorum Veterum fuisse loquutum, qui Christo singularem prærogativam tribuebant; quòd cùm in eo esset hæc utraque, & comprehensoris, & viatoris conditio; existimabant quòd licèt ut comprehensor divina visione frueretur, & amore Beatifico ad unum numero determinatus esset, scilicèt, ad diligendum Deum; attamen ut viator eodem amore, & eadem charitate mereri poterat. Et verò etiam ab Origene exceptam fuisse voluntatem Christi ab ea communi mutabilitatis arbitrii lege, cui cæteras omnes subjici arbitrabatur, & qua possent etiam in omni statu ad bonũ & ad malum flecti; refert ipse D. Thomas 1. par. quæst. 64. art. 2. ubi agit de obstinatione dæmonum. Ita igitur quidam Veteres liberum Christi arbitrium etiam cum determinatione ad unum mereri posse existimabant. Certum enim est, amorem Christi à primo conceptionis instanti fuisse Beatificum, neque eum amorem potuisse vel momento suspendi. Unde & D. Thomas 3.par. quæst. 19. art. 3. eandem concedit fuisse charitatem comprehensoris, & viatoris, & quæst. 29. de verit. art. 6. expressè inquit, *quòd charitate eâdem fruebatur, & merebatur; sicut eâdem voluntate*: de quo infrà. Unde cùm ea de causa specialem, & singularem fuisse Christi prærogativam quidam olim Veteres existimarent, eâ sententiâ quibusdam probabili usum fuisse S. Thomam, potest non immeritò existimari.

Et sanè quisquis D. Thomæ genium, & modestiam, & colendi SS. Patres, aut Veteres etiam Theologos studium agnoverit, non mirabitur D. Thomam hoc suæ modestiæ, & aliorum veneration concessisse, ut aliorum interdum sententiis, quamvis eas ipse non probaret, uteretur. Resolvit 1. par. ac invictissimis etiam rationibus ita demonstrat, Angelos omnis materiæ expertes esse, ut nemo post ipsum de ea re unquàm dubitaverit, & adversam sententiam omninò profligasse non immeritò dici possit: attamen quia & adversa sententia frequens erat tum apud Patres Græcos, tum etiam apud Philosophos, potissimùm Platonicos: Unde & dæmones dicebat Apulejus *Animalia animo passiva, mente rationalia, tempore æterna*: addebatque Porphyrius esse *Natura fallacia*, quorum potestati, & operationi, quę magicis artibus fieri solent tribuebant, ut sæpiùs refert D. Thomas 1.par.quęst.51.qu.6.de potentia art.10. & 4.contra gent.cap.107. Quia, inquam hæc sententia communis erat apud Græcos Patres, eam sæpiùs usurpat D. Thomas in solutionibus argumentorum, & interdum ut argumenta solvat, non solùm certam, & quam ipse suis argumentis indubitatam efficit solutionem adhibet, scilicèt Angelos omni materia carere, sed etiam PP. Græcorum sententiâ utitur, habere Angelos tenuissima corpora, eoque modo argumenta

menta ſolvit quo Patres ipſi Græci ſolvere debuiſſent. Atque id etiam contigiſſe D. Auguſtino notat quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis, art. 7. *Utrùm ſubſtantia ſpiritualis corpori aëreo uniatur?* Cùm enim ex S. Auguſtino retuliſſet 3. de Geneſi ad litt. & 4. de Civit. Dei, *Quòd Dæmones habent corpora aërea*; poſteà addit ad primum: *Quòd ubicumque Auguſtinus dicit Dæmones habere aërea corpora, non loquitur aſſerendo, quaſi ex propria ſententia, ſed ſecundùm opinionem aliorum. Unde dicit Auguſtinus in 12. de Civit. Dei: Sunt quædam ſua etiam Dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus viſum eſt.*

Quin etiam notat D. Thomas in 2. diſt. 13. quæſt. 1. art. 3. ad 3. plurima interdum fuiſſe ab Ariſtotele dicta, *Non ad aſſerendum, ſed quia erāt ſuo tēpore apud quoſdam probabilia.* Et nemo neſcit obſervatum eſſe à D. Thoma, Ariſtotelem cùm æternitatem mundi ſtatuit, probabili aliorum ſententia uſum fuiſſe, in qua nihil ipſe definiret. Et quæſt. unica de anima art. 5. quo probat animam ſeparatam intelligere, cùm illud Ariſtotelis ſibi oppoſuiſſet; *Dicere animam intelligere, ſimile eſt ac ſi dicat eam quis texere vel ædificare.* Reſpondet; *Quòd illa verba Ariſtoteles dixit, non ſecundùm propriam ſententiam, ſed ſecundùm opinionem illorum qui dicebant, quòd intelligere eſt moveri, ut patet ex his quæ præmiſit.* Demum & S. Hieronymum aliquando aliorum ſententiâ uſum fuiſſe, obſervat D. Thomas quæſt. 4. de malo art. 6. ad 1. ubi eam quæſtionem pertractans, *Utrùm peccatum originale ab Adam ad omnes derivetur?* Cùm videretur opponi, quòd *Mors eſt pœna originalis peccati: ſed quidam in fine mundi qui reperientur vivi Domino venientes ad judicium, non morientur, ut dicit Hieronym. ad Marcellam.* Reſpondet: *Quòd Hieronymus non ponit hoc aſſerendo, ſed ſecundùm opinionem quorundam, ut patet ex Epiſtola quam ſcribit ad Minervium, de Reſurrectione carnis &c.* Non eſt igitur præter morem magnorum virorum probabilibus aliorum ſententiis uti. Et ſi quis aſſerat hunc etiam à Sancto Thoma morem hic uſurpatum fuiſſe, ut cùm de Chriſti merito ageretur, ſententiam quam aliqui probabilem exiſtimabant adhibuerit, nullam ut puto Divo Thomæ injuriam irrogabit.

Verùm, ego profundiorem fuiſſe Sancti Thomæ mentem eò loci exiſtimo, & voluiſſe ea duplici ſolutione difficultatem omnem tanta quanta eſſe poteſt exhaurire. Etenim cùm univerſim duo ſint objecta voluntatis, ſcilicèt ultimus finis ſeu Deus ipſe, & media ſeu creaturæ, de quibus difficultas eſſe poſſit, quo pacto poſſit liberum arbitriū circa illa verſari; utrumque explicat S. Thomas de libero Chriſti arbitrio: ut & illud quod Theologis ſemper ſummè arduum viſum eſt, quo pacto, qua arte, hæc duo animę, & voluntatis Chriſti privilegia, ſcilicèt impeccabilitas, & quę inde cōſequitur determinatio ad bonum, vel in communi, vel in ſingulari, & ipſa libertas conjungi poſsint.

Et quidem quòd attinet ad objecta creata, Reſpondet S. Thomas; *Quòd liberum Chriſti arbitrium non erat determinatum ad unum ſecundùm numerum, ſed ſecundùm genus ſcilicèt in bonum.* Poterat enim varios virtutis actus exercere, & ut dicebat S. Chryſologus, varias ſeſe immutabat in formas, Rex, Sacerdos, Victima, Paſtor, ovis: & hoc pacto impeccabilitatem, & determinationem ad unum cum libertate conjungi nulla difficultas eſt. Cùm enim eſſet liberū Chriſti arbitrium ad unum genus moris, ſcilicèt bonum, determinatum, nulla relicta erat potentia peccandi. Cùm verò intra illud genus ad plura ferri poſſet, erat etiam à neceſſitate immunis. Et hæc eſt prima S. Thomæ ſolutio qua objectum argumentum diluit, & explicat qua ratione jungi poſſint, & impeccabilitas, & indifferentia, quæ opponi videbantur.

Verùm cùm potiſſima ſit difficultas, quo pacto poſſit liberum Chriſti arbitrium circa ultimum finem, ipſumque Deum verſari, ubi non poteſt non eſſe ad unum in ſingulari determinatio, quæ quamvis cum impeccabilitate facilè jungi poſſit, difficilè tamen cum indifferentia, & immunitate à neceſſitate conciliari poſſe videtur: Ut nodum ſolvat S. Thomas, & ut difficultatem omnem exhauriat, ſecundam affert ſolutionem: non ſolùm, inquit, liberum Chriſti arbitrium eſt ab omni neceſſitate immune, quia eſt ſolùm determinatum ad unum ſecundum genus; ac etiam impeccabile, quia eſt ſolùm determinatum ad bonum: ſed præterea: *Etiam ſi determinatum ſit ad diligendum Deum quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis ſive meriti; quia in illud non coactè ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus.*

En veriſſimè difficultatem omnium maximam, quam noluit prętermittere aut diſſimulare Divus Thomas: & quam etiam iiſdem ſemper principiis reſolvit. Certum eſt habuiſſe Chriſtum à primo conceptionis inſtanti perfectiſsimum, & Beatificū, & Divino proximum amorem, & ne momento quidem actum illum unicum æternitate menſuratum interrumpere potuiſſe: ſed tamen adhuc etiam certum eſt, perfectiſsimam in Chriſto fuiſſe liberi arbitrii rationem, & indifferentiam, & à neceſsitate immunitatem. Cur vero, aut quo pacto? *Quia*, inquit D. Thomas, *eſt actus ſui Dominus.* Atque inde eluceſcit jam totius difficultatis reſolutio, & explicatur quàm facillimè, quo ſenſu intelligi debeat D. Thomas, & quo pacto ſumi poſſit hęc determinatio *ad unum numero, ſcilicèt ad diligendum Deum*: nimirùm eo pacto quo Chriſtus poteſt eſſe ſui amoris, *& ſui actus Dominus*, ſcilicèt ut ad creaturas terminatur, ſive ut Divina bonitas amata eſt ratio amandi creaturas. Certum enim eſt, hominem eſſe ſuorum actuum Dominum, non ratione ſoliùs voluntatis, quę verſatur circa ultimum finem; ſed ratione liberi arbitrii, quod verſatur circa media. Nihil enim certiùs apud D. Thomam quàm quòd actus liberi arbitrii ſit electio, ut ex eo ipſo articulo, quo probat in Chriſto liberum eſſe arbitrium, retulimus: eſt enim libertas vis elective mediorū. At verò cōſtat

ex D.Thoma 1.2.tota quæst.13. de electione, fieri non posse ut electio sit de fine : dominatur enim finis voluntati, & ex volitione finis voluntas mediis, & rebus creatis dominatur.Sed nihil expressiùs unquàm dici potuit quàm quod habet 1.par. quæstione 82. articulo 1.*Utrùm voluntas aliquid ex necessitate appetat* ? ubi cùm sibi objeciſſet, *Secundùm voluntatem sumus domini nostrorũ actuum : sed ejus quod ex necessitate est non sumus domini : Ergo*. Respondet, *Dicendum, quòd sumus domini nostrorum actuum secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere: electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, ut dicitur in 3. Ethic. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum sumus domini*. Igitur ut S. Thomę locũ in controversia positum ex aliis certis ac indubitatis explicemus ; constat ultimum finem esse extra objectum liberi arbitrii, liberumque arbitriũ non se *extendere nisi ad ea, quæ sunt ad finem* : de quo vide suprà hac dis.quæst.3.art.1.ex cap. 124. opusc.3. Constat appetitum, & amorem *Ultimi finis non esse de his quorum domini sumus* : cõstat, *quòd sumus domini nostrorum actuum secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere*. Igitur cùm à D. Thoma dictum est, quòd etiamsi liberũ Christi arbitrium, *esset determinatum ad unum numero sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis, & meriti ; quia in illud non coactè sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus* : Cùm, inquam, ita à D.Thoma dictum est; intelligit liberum Christi arbitrium esse determinatum ad diligendum Deum, non eo sensu quòd in ipso amore liberum arbitrium exerceatur, siquidem ultimus finis est extra objectum liberi arbitrii, neque appetitus aut amor finis est de his quorum sumus domini ; sed quatenus ea dilectio Dei, & ille Beatificus amor circa Deum versatur, ut est ratio amandi creaturas. Etenim ita necesse est, quòd licèt electio *Non sit de fine, sed de his, quæ sunt ad finem* : attamèn electio supponat volitum finem, sicut voluntas ut libera supponit voluntatem, ut naturam; & ratio supponit intellectum simplicem. At verò hoc pacto liberum Christi arbitrium ut versatur circa Divinam bonitatem summo amore amatam,ut est ratio diligendi creaturas, ipsosq; homines pro quibus erat passurus ; hoc pacto voluntas *Non amittit libertatem, aut rationem laudis, & meriti*. Non equidẽ ita ut ea adhæsio ad Deum in sese libera sit ; sed quia est fundamentum libertatis, ut fertur ad creaturas homineſque quos diligere potest, & non diligere ; quibus varia conferebat beneficia, quæ negare poterat ; & ea ratione *erat actus sui dominus*: quia ut dictum est, *Illud quod est in nobis cujus domini sumus, possumus velle, & non velle*.

Quòd verò dixit S. Thomas, liberum Christi arbitrium etsi ad unum determinatum non amittere libertatem : *Quia in illud non coactè, sed sponte tendit* : nullam difficultatem habet. Constat enim ex superioribus, sub immunitate à coactione,etiam & immunitatem à necessitate comprehendisse ; & voluntarii nomine etiam liberum intellexisse : quia *voluntarium*,scilicèt perfectum; *dicitur esse in nobis, ita quòd domini illius sumus, secundùm quòd possumus velle, & non velle*.

Atque hæc omnia explicari facilè possunt comparatione ipsius libertatis divinæ, cũjus veluti radium, & participationem aliquam tenuem necesse est esse creatam omnem libertatem. Compertum est enim divinam libertatem esse ipsam divinam voluntatem,quę divinam bonitatem necessariò amat; non enim aliud objectum formale habere potest, quàm ipsam Divinam bonitatem ; attamèn & ipsa divina voluntas, ut ipsam bonitatem divinam amat, ut est ratio amandi creaturas, libera est. Unde & idem divinus amor ut in Divinam bonitatem in sese terminatur eamq; amat, summè necessarius est : ut verò eam amat, quatenùs est ratio amandi creaturas, easque producendi, aut jam conditis varia beneficia conferendi liberrimus est. Idem omninò de amore Christi,& necessario & libero. Nec ulla difficultas objici potest, quam in altera de divino liberoque Dei amore quæstione objicere non liceat: ut utriusque difficultatis eadem debeat esse solutio.

Sed dices prætereà expresse dictum esse à Divo Thoma quæstione 29. de veritate artic. 6. *Num Christus mereri potuerit* ? Responsione ad 6. *Quòd charitas quantùm est de se semper est nata esse merendi principium ; sed quandoque non est merendi principium propter habentem qui est extra merendi statum : sicut patet de Sanctis in patria. Christus autem non erat extra statum merendi, quia viator erat, & ideò charitate eâdem fruebatur, & merebatur, sicut eâdem voluntate* : Ergo.

Respondeo ex superioribus nullam difficultatem supereſſe. Cur enim si idem amor in Christo & necessarius esse potuit, & liber, non potuit etiam Christus eâdem charitate necessaria frui, & eâdem charitate libera mereri? Sed alteram comparationem habet ipse D. Thomas, quæ satis superque hanc solutionem indicat. Consultò enim charitas à S.Doctore conjuncta est cum voluntate ; ut significaret ea comparatione voluntatis, charitatis Christi conditionem omnem explicari. Certum est, & necessitatem & libertatem voluntati convenire : at longè diversa ratione. Necessitate voluntas in finem ultimum fertur : libertatem circa media exercet ; & tamen eadem voluntas est, sed quæ diversa objecta respicit, & pro diversitate objectorum aut libertatem habet aut necessitatem. Idem omninò de charitate, & de amore beatifico intelligi voluit D. Thomas, cùm inquit, quòd *eâdẽ charitate Christus fruebatur, & merebatur, sicut eâdem voluntate*. Eâdem charitate fruebatur, ut Deum amabat ; eâdem charitate merebatur, & libertatem exercebat, ut extendebatur ad creaturas, Angelos scilicèt, & homines: vel quod omninò idem est, eâdem charitate, & amore fruebatur ut charitas ad Divinam bonitatem in sese ferebatur,in eaque ut ultimo fine conquiescebat; eâdem charitate merebatur, & libertatem exercebat, ut ad divinam bonitatem ferebatur,

batur, non quidem in ſe ſe, ſed ut erat ratio amãdi creaturas, hoc enim pacto liberrimus erat amor: cùm poſſet beneficia conferre, vel non cõferre &c.

Confirmari poteſt ex eodem D. Thoma hęc ſolutio: Primò quòd etiam charitas infuſa cùm ſit virtus Theologica, non aliud objectum habere poſſit quàm Deum, & bonitatem divinam: & tamen id minimè impedit, quominùs ad proximum extendatur; ut explicat D. Thomas 2. 2. q. 25. a. 1. *Quia idem eſt actus qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum ſub tali ratione. Sicut eadem eſt viſio quâ videtur lumen, & color ſecundùm luminis rationem.* At verò ſubdit S. Thomas; *Ratio diligendi proximum Deus eſt*. Igitur & idem amor qui ad divinam bonitatem terminatur, ad creaturas extendi poteſt, quia ratio diligendi creaturas divina bonitas eſt.

Confirmatur ſecundò, ita intellexiſſe D. Thomam, quòd Chriſtus *eâdem charitate fruebatur, & merebatur*, ut tamen erant diverſa objecta, modo explicato, ſcilicèt Deus, & creaturæ; Confirmatur inquam, ex his quæ habet S. Doctor in explicatione, & probatione Articuli; inquit enim, ad meritum aliquid ex parte naturæ requiri, ſcilicèt libertatem; quia *per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit Dominus ſui actus; ſic enim ſuum actum quaſi pretium pro præmio dare poteſt: eſt autem quis Dominus ſui actûs per liberum arbitrium*. En planè eandem rationem, idemque principium quod ubiq; alibi D. Thomas uſurpat. Requiritur igitur etiam in Chriſto ad *merendum libertas*. Sed in quo poſita eſt? In eo quòd Chriſtus dum meretur, *Sit Dominus ſui actûs*. Quo pacto verò *eſt Dominus ſui actûs*? *Per liberum arbitrium*. Junge verò ſuperiora principia: proprius actus liberi arbitrii etiam in Chriſto eſt electio: electio autem non eſt de fine, ſed de his, quę ſunt ad finem: eâ igitur ratione Chriſtus & merebatur, & libertatem exercebat, quatenùs ferebatur non in finem aut divinam bonitatem in ſe ſe, ſed ad ea quę ſunt ad finem, nimirùm creaturas, ſcilicèt homines pro quibus, ut ad Deũ eos revocaret, in mundum Mediator venerat.

Dices tandem: Etiam dictum eſſe à D. Thoma, quòd in Beatis electio verſatur circa Deum. Etenim in 2. diſt. 25. qu. unicâ art. 1. *Utrùm in Deo ſit liberum arbitrium*? cùm ſibi quarto loco obiciſſet, videri, *quòd ſaltem liberum arbitrium non ſit in Beatis, quę electio eſt eorũ quæ ſunt ad finem; ſed veniente fine ceſſant ea, quę ſunt ad finem: cùm ergo Beati fini ultimo conjuncti ſint, videtur quòd ad eos non pertineat electio, & per conſequens nec liberum arbitrium.* Reſpondet S. Doctor, ea quæ ſunt ad finem eſſe duplicis generis: alia à fine diſtant, alia conjuncta ſunt: ſicut v. g. in generatione naturali ignis, aliæ ſunt diſpoſitiones quæ ad formam diſponunt, & formâ recedente pereunt: aliæ verò ſunt, quæ ipſam formam comitantur, & cum ea conjunguntur, cujuſmodi eſt calor. *Ita dico*, inquit, *quòd quædam ordinata ſunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipſi fini conjungunt, ut videre, amare, & hujuſmodi; & reſpectu horum erit ſempiterna, & libera electio: non imperfectorum quæ à fine diſtant, ut fides, ſpes, & hujuſmodi*. Hæc S. Thomas.

Reſpondeo hæc veriſſimè dici: Sed quid inde inferri poteſt quod faveat adverſæ ſententiæ? Affirmat D. Thomas, quòd in Beatis erit ſempiterna, & libera electio reſpectu horum actuum *videre, & amare*, & quidem libera electio; de ea enim agitur in argumento: atque adeò quòd ejuſmodi actus, & viſio, & amor erunt actus liberrimi. Verùm ad quodnam objectum terminantur hi actus, *& videre, & amare*; & reſpectu cujus objecti his actibus exercetur libertas? Per ordinem ad divinam eſſentiam quæ videtur, & divinam bonitatem in ſe ſe? At id nec dixit Sanctus Thomas, non ſolutio argumenti requirit, nec hujus principia patiuntur. Aſſerit quidem quòd reſpectu horum actuum *videre, & amare*, erit ſempiterna, & libera electio. At de objectis horum actuum nihil dicit, neque indicat etiam, ſed tacet omninò. Et verò neque argumentum requirit: objectum enim fuerat quòd in Beatis non eſt liberum arbitrium, quia non eſt electio: Reſpondet D. Thomas eſſe electionem reſpectu actuum qui ſimul cum fine remanent, & cum eo conjunguntur. At verò, nunquid etiam & cum fine remanent, & cognitio ipſaque viſio, & amor creaturarum, Angelorum, hominumque? Satìs eſt igitur ſolvendo argumento eos actus eſſe liberos, electionemque circa ea objecta verſari, ut liberum arbitrium remaneat, & exerceatur libertas.

ARTICULUS V.

Utrùm ſtante indifferentiâ judicii, poſſit voluntas neceſſariò moveri.

NOn poteſt non eſſe maximi momenti hæc quæſtio, cùm celebrem de divina motione, hujuſque concordiæ cum voluntatis libertate, controverſiam attingat: quam D. Thomæ Diſcipuli cum ſuo Magiſtro inde ex parte repetere ſolent, quòd cùm indifferentia judicii radix ſit libertatis, & voluntatis indifferentiæ, fieri nullâ ratione poſſit, attentâ utriuſque potentiæ, & voluntatis, & intellectûs connexione, & ſympathia, ut voluntas objectum ſub indifferentia propoſitum neceſſariò amet, & eligat.

Verùm cùm id negari abſolutè non poſſet, nova deinde à Recentioribus excitata eſt quæſtio: Utrùm ſcilicèt de potentia Dei abſoluta fieri poſſit, ut ſtante indifferentiâ judicii voluntas neceſſariò ad amandum objectum moveatur: affirmantibus plerumque Recentioribus, quòd inde novum argumentum ad impetendam motionem prævium validum fore exiſtimarent. Si enim prælucente eâ judicii rationiſque indiffe-

rer-

rentiâ, voluntas necessariò moveri possit, vix, ut putant, intelligi poterit, quin prævia motione physicâ ea necessitas voluntati non imponatur, cùm nulla major motio eâ motione physicâ esse possit quæ divinæ omnipotentiæ vis & efficacia est. Plura alia addunt, magnâ etiam subtilitate excogitata, nimirùm, quòd cùm voluntas duplicem potentiam habeat, scilicèt agendi, & non agendi, Deus posset ad unam concursum conferre, & negare ad alteram. Unde fiet ut voluntas agat, & quidem solùm agat, & non possit non agere, cùm ad potentiam non agendi, aut aliud agendi, concursus à Deo denegetur.

Verùm de his quæstionibus metaphysicis, & de possibili solùm rerum statu, & ordine, non admodùm sollicitum esse oportere arbitror. Sed cùm apud omnes conveniat, in constituto jam rerum ordine ejusmodi concursum non negari; Quæstionem in ea suppositione & in eo dumtaxàt sensu pertracto, & ex Divo Thoma affirmo fieri non posse, quòd in constituto jam solitoque rerum ordine, & servatâ intellectûs, & voluntatis mutuâ consensione; voluntas necessariò moveatur ad amandum vel eligendum objectum, quod intellectus cum indifferentia ad amandum vel non amandum repræsentat: quantumcunque efficax motio sit, quâ voluntas à Deo moveatur.

Probatur itaque inprimìs, quòd eadem fermè in terminis à D. Thoma quæstio proposita sit, in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 2. ubi inquirit, *Utrùm liberum arbitrium possit cogi?* certum enim est, non intelligi solùm id ab ipso de coactione propriè sumpta; sed etiam de coactione, ut solam necessitatem, & determinationem ad unum significat: & utramque ab ipso, coactionem scilicèt, & necessitatem, sub nomine compulsionis fuisse comprehensam; ut etiam in Scriptura Sacra utramque eodem nomine comprehendi animadvertimus supra; eaque omnia, necessitatem, compulsionem, & coactionem, interdùm à Patribus pro eodem usurpari, quia necessitandi nomen latinum non est.

Resolvit itaque D. Thomas quæstionem propositam utroque sensu, & de coactione in rigore sumpta, & de coactione ut solam necessitatem significat? Unde sensus tituli est, *Utrùm liberum arbitrium possit cogi; & utrùm ipsi possit necessitas imponi.* Quæ, ut liquet, eadem quæstio est quam hìc pertractamus. Eandem difficultatem excitat, quæstione 22. de Verit. art. 8. ubi iterùm inquirit, *Utrùm Deus voluntatem cogere possit?* Et de hoc quidem posteriori loco plurima dicenda occurrent in solutionibus argumentorum: hìc verò solum in explicatione primi ex 2. sentent. desumpti immoramur. Resolvit itaque difficultatem S. Thomas eo pacto. *Respondeo; quòd est duplex coactio, quædam sufficiens, quæ compulsio vocatur: quædam verò insufficiens, quæ vocatur impulsio.* De hac secunda nihil dicendum occurrit: est enim quædam solùm inclinatio ratione habituum superaddita, quibus voluntas pronior efficitur ad unam partem eligendam, ad quam habitu veluti pondere impellente inclinatur. De altera verò sic habet. *Sciendum est igitur, quòd in partibus animæ quædam sunt quæ compelli possunt: sed dupliciter. Quædam enim compelluntur ex subjecto, sicut illę vires quæ sunt organis affixæ. Cùm enim sine organis operationes habere non possint: compulsis organis ipsæ virtutes prohibentur, vel compelluntur, earum operationibus violenter extortis.* Hæc de prima compulsione, ut est vera coactio & violenta, agente, seu potentiâ nihil ad actum conferente, sed veriùs renitente: & ea est ex parte subjecti.

Pergit verò D. Thomas, de altera compulsione, ut est sola necessitas. *Quædam verò sunt; quæ quidem subjecto non compelluntur, quia organis affixę non sunt, compelluntur tamen objecto, sicut intellectus. Ipse enim non est actus alicujus partis corporeæ, ut Philosoph. dicit 3. de Anima text. 4. & 6. & tamen demõstrationis vi cogitur.* En apertissimè quæstionem propositam: dubitari enim non potest, quin hìc coactionis nomine solam impositam necessitatem Divus Thomas intelligat: hæc enim coactio quæ demonstrationis vi fieri potest, nõ alia est quàm necessitas; cùm alioquin, ut docet ipse D. Thomas, & res ex ipsis terminis constat, impossibile sit potentiam ullam propriè cogi, dum in proprium objectum fertur. Si enim agat, non potest aliquid non conferre: at si aliquid conferat, non propriè cogitur: cùm coactio sit ab agente externo, ipsâ potentiâ nihil conferente. Compellitur igitur intellectus *ex objecto* & demonstrationis vi: at verò voluntatem hoc pacto ex objecto cogi posse, ipsique necessitatem imponi, negat D. Thomas: Unde statim addit: *Voluntas autem neque subjecto cogi potest*, coactione in rigore sumpta sola externa vi orta; *Cùm non sit organo affixa, neque objecto*, imposita scil. necessitate, & determinatione agendi. Atque hujus statim rationem affert. *Quantumcumque enim*, inquit, *aliquid ostendatur esse bonum, potestati ejus remanet eligere illud, vel non eligere.* Atque hujus iterum statim rationem repetit ibidem, ex indifferentia judicii quo objectum cum indifferentia proponitur. *Cujus ratio est*, inquit, *quia objectum intellectus est verum, objectum autem voluntatis est bonum. Invenitur autem aliquod verum, in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, ut patet in dignitatibus: Unde intellectus non potest subterfugere, quin illis assentiat. Similiter etiam invenitur aliquod falsũ, quod nullam veri apparentiam habet, ut patet in oppositis dignitatũ: unde illis nullatenùs intellectus assentire potest. Similiter etiam si proponatur voluntati aliquid bonum, quod cõpletam boni rationem habeat, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur; non potest voluntas hoc non velle: unde nullus potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem quæ ad finem ultimum ordinantur, nihil invenitur adeò malum, quin aliquod bonum admixtum habeat: nec aliquod adeò bonũ, quod in omnibus sufficiat. Unde quantumcumque*

ostẽ-

oſtendatur bonum vel malum, ſemper poteſt adhærere, & fugere in contrarium, ratione alterius quod in ipſo eſt: ex quo accipitur, ſi malum eſt ſimpliciter, ut apparens bonum; & ſi bonum eſt ſimpliciter, ut apparens malum: & inde eſt, quòd in omnibus quæ ſub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc ſolo determinationem habens, quòd felicitatem naturaliter appetit, & non determinatè in hoc vel illo.

Hactenùs D. Thomas. Ex quibus in primis de hujus ſententia dubitari non poteſt; cùm adeò expreſsè aſſerat, voluntatem neque *ex ſubjecto*, id eſt, coactione propriè ſumpta, cogi poſſe, ut cogi poſſunt potentiæ organis affixæ, v. g. potentia viſiva, quæ *prohiberi* poteſt, vel potentia executiva, & loco motiva, quæ poteſt *compelli*: ſed neque etiam *ex objecto*, coactione pro ſola neceſſitate impoſita, acceptâ: ut intellectus *ex objecto, & vi demonſtrationis cogitur*. Et apertiſſimâ etiam duplici ratione id probat, quæ poteſt in hanc formam redigi. Unde

Probatur: Si voluntati manente indifferentiâ intellectûs, poſſet neceſſitas imponi, & poſſet ad unum neceſſariò determinari voluntas, vel id fieret ex parte ſubjecti, vel ex parte objecti: Atquì ex nulla hac utraque parte fieri poteſt: Ergo ex nulla. Minor Probatur. Inprimìs impoſſibile eſt neceſſitatem voluntati imponi ex parte ſubjecti: quia id fieret, vel *quia prohiberetur ejus actus*, vel quia *compelleretur* ipſa voluntas, & velutì neceſſitate impoſitâ *extorqueretur* ejus actus; non enim alio modo intelligi poteſt voluntatem *ex parte ſubjecti* compelli. At ſi prohiberetur ejus actus, videretur equidem cogi voluntas, & hoc forſitan pacto dici poſſet voluntatem poſſe cogi; ſi negato omni divino concurſu voluntas nihil prorsùs ageret, ſed inſtar potentiæ mortuæ, & extinctæ eſſet. Verùm jam altera quæſtio eſt, cùm hìc ſolùm de neceſſitate agatur, non de coactione. Quamvìs neque etiam tunc propriè dicta eſſet coactio: ſiquidem cùm ipſa ſit prima naturæ intellectualis inclinatio, ſi nihil ageret, nullus eſſet in contrarium conatus, neque poſſet ipſa reniti, ut reniti poteſt, ſi aliæ potentiæ agere prohiberentur: Unde nec de ea coactione, quæ alterius eſſet rationis, quidquam dicendum eſt. At verò quòd voluntas poſſit *compelli* agere, negat D. Thomas: quia potentiæ quidem organis affixæ compelli poſſunt, *earum actibus violenter extortis: Sed voluntas non eſt organo affixa*: unde ex parte ſubjecti nulla poteſt ipſi neceſſitas imponi: & cùm voluntas nunquàm agere poſſit, niſi in objectum feratur, jam non ſolùm ex parte ſubjecti, ſed ex parte objecti compelleretur. Unde,

Probatur eadem Minor quantùm ad alteram partem, ſcilicèt quòd ex parte objecti non poſſit voluntas compelli, ſeu non poſſit ipſi neceſſitas imponi: quia impoſſibile eſt quòd voluntas compellatur, ipſique injiciatur neceſſitas amandi objectum, quod indifferenter ſolùm amandum proponitur: Atquì non aliter ſtante indifferentiâ judicii repræſentari poteſt: Ergo impoſſibile eſt abſolutè, ſtante indifferentiâ judicii, voluntati neceſſitatem imponi. Minor, quamvìs per ſe ſatìs evidens, duplici ratione S. Thomæ probatur.

1. Impoſſibile eſt quòd voluntas neceſſariò feratur ad bonum, ipſumque neceſſariò eligat, & amet, quod non omninò voluntati ſatiandæ, & explendæ ſufficit, & quod ut habens aliquid mali admixtum proponitur: Atquì quandiù eſt ea indifferentia judicii, objectum ita permixtum involutumque defectibus repræſentatur, ut non undecumque bonum ſit, nec omninò voluntatem ſatiare poſſit. In hoc enim poſita eſt ea indifferentia judicii. Ergo. Major apertior eſt quàm ut probari debeat; ea enim parte quâ non eſt bonum, ſed malum admixtum habet; poteſt ab eo voluntas fugere: & ſi voluntatem omninò non ſatiet, poteſt voluntas aliud quærere: & ſuppono, ut jam initio monui, à Deo concurſum non negari.

2. Sed prætereà accedit D. Thomæ altera ratio ex comparatione voluntatis cum intellectu. Verum quidem eſt quòd intellectus immobiliter adhæret primis principiis, in quibus *nulla falſitatis apparentia admiſceri poteſt*: at impoſſibile eſt quòd in rebus dubiis, & incertis, & dum ea dubia, & incerta eſſe cognoſcit, & advertit, iis immobiliter adhæreat: quid enim aliud ſibi principia vendicare poſſunt quàm aſſenſum firmum, & immobilem. Ergo pari ratione poteſt quidem voluntas compelli, & neceſſariò allici, & trahi ab objecto *quod completam rationem boni habet*, & quod ipſam omninò ſatiare poteſt: at verò quòd omninò rapiatur neceſſariò ab objecto quod etiam habet in ſe aliquam rationem mali, quâ ipſam repellere poſſit, quodque eam omninò ſatiare non poteſt, & quod etiam ab intellectu indifferenter amandum proponitur: non minùs repugnat quàm quòd intellectus certiſſimum objectum habeat, ipſique firmiſſimè adhæreat, quod tamen incertum eſſe animadvertit, vel quod oculus creperam, & dubiam lucem, ipſumque crepuſculum, tanquàm clariſſimam, & meridianam lucem videat, ſi quem exigit utraque potentia, Deus concurſum non deneget.

Hactenùs ea quæ habet D. Thomas eo Articulo explicuimus. De his quæ habet in ſolutionibus argumentorum, aliqua infra, ubi objectiones ſolvuntur, referemus. Sed quia complurima habet S. Thomas aliis in locis, quibus eadem difficultas & reſolvi & explicari poſſit, ex iis quædam referenda ſunt.

Probatur itaque alterâ ratione ex S. Thoma. Tota, & adæquata ratio libertatis ex modo cognitionis dependet, ab eoque omninò menſuratur: Ergo impoſſibile eſt, ut dum integra eſt plenaque indifferentia judicii, non ſit etiam indifferentia voluntatis, & impoſſibile eſt quòd voluntas neceſſariò feratur ad objectum ſub indifferentia propoſitum. Antecedens eſt D. Thomæ quæſt. 24. de Ver. art. 2. *Utrùm liberum arbitriũ ſit in brutis?* ubi ſic habet: *Sciendum quòd cùm ad operationem noſtram tria cõcurrant, ſcilicèt cogni-*

gnitio, appetitus, & ipsa operatio: tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionē sequitur, cùm appetitus nō sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur. Et deinde: *Totius libertatis radix est in ratione constituta. Unde secundùm quòd aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberū arbitriū*: & tandē probat in brutis liberū arbitrium esse non posse; quia *Quamvis bruta habeant aliquā similitudinē rationis, inquantùm participant quandam prudentiam naturalem, secundùm quòd natura inferior attingit aliqualiter ad illud, quod est naturę superioris: quę quidem similitudo est secundùm quòd habet judicium ordinatum de aliquibus. Sed hoc judicium est eis ex naturali estimatione, non ex aliqua collatione, cùm rationem sui judicii ignorent: propter quod hujusmodi judicium non se extēdit ad omnia sicut judicium rationis, sed ad quędā determinata.* Hæc S. Thomas. Ergo ex D. Thoma ratio libertatis ex modo cognitionis dependet, ab eaque omninò mensuratur. Unde ex eo D. Thomæ loco triplex ratio facilè deduci potest, quâ probetur, stante indifferentiâ judicii nullam unquàm necessitatem voluntati posse imponi.

Prima ratio. Voluntas nihil aliud est quàm *Appetitus qui cognitionem sequitur, cùm non sit nisi boni quod sibi per cognitionem proponitur*: necesse enim est in primis, ut omnis inclinatio sequatur formam aliquam, ut jam aliàs dictum est, & deinde etiam dicemus: & inclinatio intellectiva non potest aliam formam nisi per intellectum apprehensam sequi: & deinde necesse est *potentias appetitivas potentiis apprehensivis esse omninò proportionatas*, ut etiam à S. Thoma dictum est 1. par. quæst. 83. Ergo impossibile est, quòd si intellectus proponat objectum sub indifferentia, id est, indifferenter amandum vel non amandum, etiam & voluntas ad illud cum indifferentia non tendat; aliàs non esset ea proportio, quam inter formam & inclinationem, inter potentiam cognoscentem, & appetitivam, inter regulam, & regulatum, ex institutione naturæ intercedere necesse est.

Secunda ratio desumi potest ex his quæ subjungit D. Thomas. *Quòd sicut aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberum arbitrium.* Etiam, ut advertimus supra ex eodē D. Thoma 1. par. quæst. 83. art. 4. dupliciter intellectus considerari potest: Primò ut simplicium intelligentia, & simplex intellectus: & hoc pacto versatur circa prima principia, ut circa proprium objectum. Secundò verò ut ratio, & ut conclusiones ex principiis deducit. Et hoc pacto quâdam veluti libertate discurrit, & quandam indifferentiam habet, qualis inesse potest intellectui, ut quam maluerit ex principiis conclusionem deducat, servato tamen, non prætermisso ordine principiorum. Idem de voluntate dicendum. Voluntas ut natura, regitur simplici cognitione, ferturque in ultimum finem, qui est instar principiorum; & eo pacto determinationem, & necessitatem habet, quâ fini alligatur. Sed præterea, ut est voluntas deliberata, regiturque ratione, versatur circa media, quamvis servato ordine finis, habetque summam indifferentiam quodlibet ut voluerit eligendi ad obtinendum finem: Atquì impossibile est inverti illum ordinem à natura institutum; quòd simplex intelligentia indifferentiam habeat circa principia; vel quòd circa conclusiones simplici intuitu feratur: vel iterùm quòd ratio circa principia discurrat; vel quòd simplex intelligentia libertatem regat: vel quòd ratio voluntatem ducat ut natura est: Ergo etiam impossibile est, quòd voluntas dum ratione regitur, habeat determinationem, & necessitatem, ac si regeretur simplici intellectu aut simplicium intelligentiâ: & quòd voluntas ut natura est, libertatem habeat circa ultimum finem, ac si regeretur ratione. Hæc enim omnia objecta distincta, & diversa sunt: nec natura patitur ut invertantur; sed necesse est quòd dum ratio plura media suggerit in ordine ad finem eligenda, eaq; sub indifferentia seu indifferenter eligenda, & amanda proponit, etiam voluntas ad eadem eligenda vel amanda cum indifferentia feratur. Neq; sanè magis fieri potest quòd medium indifferenter propositum, necessariò ametur; quàm vice versâ, quòd objectum ut necessariò amandum propositum, liberè ametur; & voluntas Angeli circa divinam bonitatem clarè visam, indifferens sit; & voluntas hominis viatoris utrumque indifferenter eligat, & optet, vel felicem vel infelicem esse.

Tertia ratio desumitur ex comparatione voluntatis, & appetitûs brutorum. Ideò enim appetitus brutorum habet determinationem, & fertur necessariò ad unum, quia agunt solùm ex *naturali æstimatione, non ex aliqua collatione*: eorum enim *judicium non se extendit ad omnia, sicut judicium rationis, sed ad quędam determinata.* Et hęc unica, & adequata ratio est, cur bruta nullam libertatem habeant, nullamq; veram, & ut ita dixerim, universalem indifferentiam ex perfecta plurium collatione ortam. Nam alioquin, ut prosequitur D. Thomas statìm post superiora; *Est in eis quędam similitudo libertatis arbitrii, inquantùm possunt agere vel non agere unū & idem, secundùm suum judicium; ut sic sit in eis quasi quædam conditionata libertas. Possunt enim agere si judicant esse agendum, vel non agere si non judicant.* Verùm necessariò judicant esse agendum, quia eorum judicium non est in eorum potestate, cùm sit ex naturali instinctu, & *naturali æstimatione, & non ex collatione rationis.* Unde subdit D. Thomas: *Sed quia judicium eorum est determinatum ad unum, per consequens, & appetitus, & actio ad unum determinantur. Unde secundùm Augustinum 11. super Genes. ad litteram, moventur visis: & secundùm Damascenum, agūtur passionibus: quia scilicèt naturaliter de tali viso, & de tali passione sic judicant.* Atque id oritur semper ex eodem principio: quia non agunt *Ex collatione rationis*, quâ plura inter se conferre possint, ut quod convenientius fuerit eli-

eligant. *Unde neceſſe habent ab ipſa viſione alicujus rei, vel à paſſione inſurgente moveri ad fugiẽdum vel proſequendum. Sicut ovis viſo lupo, neceſſe habet timere, & fugere: & canis inſurgente paſſione iræ, neceſſe habet latrare, & proſequi ad nocendum. Sed homo non neceſſariò movetur ab his quæ ſibi occurrunt, vel à paſſionibus inſurgẽtibus, quia poteſt ea recipere, vel refugere*: oppoſita ſcilicet ratione, & altero principio, quia agit ex collatione rationis, quâ plura inter ſeſe confert ut convenientius eligat. *Et ideò homo eſt liberi arbitrii, non autem bruta*. Hæc ibi S. Thomas.

Igitur unica, & adæquata ratio, cur in brutis nulla ſit perfecta libertas eſt, quia *Sicut aliquid ſe habet ad rationem*, rationiſque judicium, *ita ſe habet ad liberum arbitrium*. Etenim neceſſaria eſt inter utramque potentiam connexio: & ſicut in brutis eſt ſolùm quædam umbra rationis, quia quamvis plura judicia ſucceſſivè habere poſſint, tamen quodlibet judicium ſemper determinatum eſt ad unum: ita ſolùm eſt quædam umbra libertatis, quia licet poſſint agere, & non agere: attamen cùm agunt, vel fugiunt, vel proſequuntur, eorum appetitus vel ad fugam, vel ad proſecutionem neceſſariò determinatur. Ergo etiam cùm ex diverſis principiis neceſſe ſit diverſos oppoſitoſque effectus oriri: Ideò tanquàm ex adæquata, & unica ratione in homine voluntas non eſt determinata ad unum; quia etiam judicium ad unum determinatum non eſt. Atque adeò quandiù erit univerſale, & circa plura judicium, ſeu quandiù erit indifferentia judicii, impoſſibile eſt, ut non ſit indifferentia libertatis.

Confirmatur hæc ratio: & prima hujus diſcriminis radix inter appetitum brutorum, & voluntatem hominum ex S. Thoma refertur. Etenim ut ipſe diſcurrit, & jam advertimus ſuprà ex quæſt. 6. de malo. Neceſſe eſt ut omnis inclinatio ſequatur aliquam formam. Ita enim inſtituta natura eſt, & totius naturę ordo his tribus conſtat; naturâ, ſeu formâ, quæ naturam conſtituit; fine, ad quem natura tendit, non enim propter ſeipſam natura eſt; & inclinatione quę naturam ad finem refert. At verò cùm Triplex ordo rerum, aut Triplex gradus naturæ, & inclinationis diſtingui poſſit, ſcilicèt in re naturali, omnis ſenſûs experte, in brutis ſentientibus, & in natura rationali ſcilicèt homine: ubique videre eſt, inclinationem ſemper formę eſſe ſumma proportione conſentaneam. In primis enim *Forma rei naturalis*, inquit D. Thomas, *eſt forma individuata per materiam. Unde, & inclinatio eam conſequens, eſt determinata ad unum*. At verò in natura rationali quę eſt in altero extremo, & quæ in triplici illo naturæ ordine primum locum occupat: *Forma intellecta eſt univerſalis ſub qua multa poſſunt comprehendi. Unde cùm actus ſint in ſingularibus, in quibus nullũ eſt quod adæquet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa*. Sed demùm inter utrumque extremum bruta in medio poſita ſunt. *Undè principium activum in brutis animalibus medio modo ſe habet. Nam forma apprehenſa eſt individualis, ſicut, & forma rei naturalis*, non verò univerſalis, ſicut in homine: *& ideò ex ea ſequitur inclinatio ſicut in rebus naturalibus determinata ad unum. Sed tamen* ſi eâ parte cõveniunt cum rebus quę ſenſu carẽt, alterâ diſtinguuntur: ſiquidem *Non ſemper eadem forma recipitur in ſenſu, ſicut eſt in rebus naturalibus, quia ignis eſt ſemper calidus; ſed nunc una, nunc alia forma recipitur: putà nunc forma delectabilis, nunc triſtis: Undè nunc fugit, nũc proſequitur, in quo convenit cum principio humano*.

Hic igitur eſt inſtitutus rerum ordo, ut ſemper inclinatio formam conſequatur, eique conformis ſit. Quando forma ad unum determinata eſt, etiam & inclinatio eſt ad unum determinata; Si verò forma univerſalis ſit, etiam & inclinatio paris eſt conditionis, & univerſalis ac indifferens. Et impoſſibile eſt eſſe inclinationem determinatam ad unum, quandiù forma erit indeterminata ad plura, quia eſſentialiter unum ab alio dependet: & impoſſibile eſt hunc modum agendi inverti, niſi natura ipſa invertatur: ſicut impoſſibile eſt in intellectu, cùm plena deliberatio eſt, perfectuſque uſus rationis, ut forma in intellectu recepta non ſit univerſalis ac plura repræſentet: Ergo etiam ex parte voluntatis erit planè impoſsibile, ut quando plena eſt ex parte intellectûs indifferentia, inclinatio ſit determinata ad unum, & non indeterminata, & indifferens ad multa. Unde poſſet equidem, ut dictum eſt ſuprà, inverti ille ordo à Deo, eo pacto quòd poſſet ſuſpendere omnem actum voluntatis, & impedire, ne ageret: ſed quòd voluntas agat neceſſariò, & actus ſit determinatus ad unum quandiù ipſa forma intellectûs, ipſaque ratio eſt indeterminata ad plura, & plura repræſentat; tam repugnare videtur, quàm repugnat quòd ipſa potentia voluntatis ſit inſtar appetitûs brutorum, & naturâ ſuâ determinata ad unum: quia nõ minùs in actu ſecundo quàm in actu primo, volũtas debet conformari formæ ad quam conſequitur.

Confirmatur iterùm, ex eo quòd ſi manente indifferentia judicii, voluntas poſſet eſſe determinata ad unum, deberet voluntas vel deprimi ad modum agendi brutorum, quorum appetitus ex limitatione eſt determinatus ad unũ, vel evehi ad modum agendi Angelorum, quorum voluntas ex ſumma perfectione eſt ad unum, ſcilicèt ultimum finem, & Deum clarè viſum determinata: Atquì impoſſibile eſt ut manente indifferentia judicii voluntas ſeu ad brutorum modum agendi deprimatur, ſeu evehatur ad modum agendi Angelorum. Etenim de brutis jam ſatis dictum eſt: unica enim, & adæquata ratio eſt cur appetitus in brutis ſit determinatus ad unum quia forma ſenſu apprehenſa eſt determinata ad unũ, nec aliter unquàm eſſe poteſt, quia rationes rerum ſunt & æternæ, & immutabiles: Ergo impoſſibile eſt quòd manente indifferentia rationis voluntas ſit ad unum determinata: & in quibus ratio unica, & adæquata eſt: ſi affirmatio ſit

causa affirmationis, etiam, & negatio est causa negationis. Similiter impossibile est evehi ad modum agendi Angelorum; hæc enim necessitas, & immutabilitas oritur præcisè ex eo quòd voluntas versetur circa Deum ultimum finem, qui solùm est objectum voluntatis ut natura est; non verò liberi arbitrii, ut dictum est suprà. Et cùm omnem plenitudinem boni in se se habeat, etiam implet totam capacitatem voluntatis, ipsamque rapit, aut veluti alligat, & constringit ut aliud velle non possit: Atquì impossibile est ut manente indifferentia intellectûs, voluntas hoc pacto ad unum constringatur: quia voluntas ex essentiali ratione agendi aliunde constringi & velutì alligari non potest nisi ex objecto, & objecto quod est summum bonum: Ergo quandiu objectum indifferens est, & quandiu, ut ita dixerim, laxat habenas voluntati, ideſt, quando non repræsentatur voluntatì objectum unicum quod infinitum sit, sed intellectus plura repræsentat, in quibus ratio summi boni divisa est, ideoque voluntati permittit, ut in pluribus quærat quod in uno non reperit; impossibile est voluntatem veluti alligari, & constringì, & ad unum determinari.

ARTICULUS VI.

Variæ Responsiones Refelluntur.

CLarissimis S. Thomæ testimoniis efficacissimisque Rationibus, aut veriùs demonstrationibus ex eodem desumptis, duo vel tria fingi possunt quæ reponantur.

Responderi igitur *Primò* posset, pertractatam à Divo Thoma alio sensu quæstionem, quàm in controversiam vocetur: & S. Thomam, sensisse quidem, reipsâ stante indifferentia judicii nunquàm contingere, quin sit ex parte voluntatis indifferentia summa, & plena libertas: non negasse tamen quin possit aliter divinâ potentiâ fieri, & quin possit voluntas ita ad unam partem determinari, & ad unum objectum amandum, & prosequendum ita applicari, & constringi, & alligari, ut necessariò illud dumtaxàt unicum objectum, & amet, & prosequatur. Unde sicut quantùm ad specificationem sine controversia ita determinari potest voluntas, ut necessariò intra illam speciem agere debeat, nec possit extra illam sphæram ulla ratione ferri; ut patet in Christo, & Beatis, in quibus indifferentia quam habent agendi, & non agendi intra solam speciem aut genus boni moralis posita est: ita poterit determinari voluntas ad unum quantùm ad exercitium, ut unicum dumtaxàt objectum necessariò prosequatur, & non possit non illud prosequi.

Secundò Responderi potest, jis omnibus rationibus convinci quidem, in constituto jam rerum ordine, eoque servato, aliter non posse fieri quin voluntas sequatur rationis dictum, hujusque lumine ducatur: cùm præterea Deus ex suavi providentia nunquàm neget concursum debitum, & quem voluntas exigit, ut intellectum sequatur: Sed non probari quin ex supremo Dominio quod Deus habet supra voluntates, inverti possit ille ordo, & illa veluti connexio, & concordia voluntatis cum intellectu abrumpi: ruptoque illo fœdere, aut œconomiâ utriusque potentiæ inversâ, poterit voluntas nulla habita ratione judicii intellectus unum amplecti, & ad illud quod complectitur ita constringi, ut nec illud deserere unquàm possit, nec ad aliud unquàm ferri: maximè cùm à Deo denegari possit concursus ad alterum: & ut dictum est suprà, cùm duplex sit in voluntate potestas agendi, & non agendi; potest concursu perpetuo ea potestas agendi ad actum applicari, & potest denegari à Deo Divinaque potentia concursus huic secundæ potentiæ non agendi. Unde, & voluntas continuo concursu applicata semper aget, & negato concursu ad non agendum, non poterit non agere: atque adeò semper necessariò aget. Sed

Tertiò Responderi potest, hæc quæ ex D. Thoma prosecuti sumus, convincere quidem, quòd stante judicii indifferentia, stet etiam semper illæsa libertatis indifferentia, si nulla alia suppositio fiat, nihilque aliud accedat ex parte principii, & veluti ex parte subjecti: at nihil vetat quo minùs præter illud quod est *ex parte objecti*, scilicèt indifferentiam judicii, alterum Deus addat *ex parte subjecti*, & imprimat formam aliquam instar habitûs, sed multò efficaciorem, quæ voluntatem ad unum determinaret. Et sanè ejusmodi esse videtur ea motio quam Thomistæ admittunt, cùm & prævia sit, & physica, neque sit in potestate voluntatis. Sed quamvìs non esset ejusmodi ea motio, negari tamen non potest quin Divinâ potentiâ, & fortiori motione id possit fieri. Unde sicut à D. Thoma dictum est, posse inferiores potentias, & organis affixas ex parte subjecti etiam cogi, ita etiam poterit eâ motione ex parte principii, & subjecti, non quidem voluntas cogi, cùm id repugnet: sed poterit ipsi necessitas imponi.

Hæc simul jungimus, ut cùm simul juncta sint, vis omnis, & quanta esse potest, & apertior sit, & major videatur. Verùm, & hæc nullius momenti sunt, & quàm facillimè, ex superioribus, & ipso D. Thomæ textu refelluntur, totque sese offerunt jis opponenda, ut necesse sit ea contrahere.

Prima Responsio impugnatur. In primis enim cùm hìc potissimùm sententiæ S. Thomæ rationem habeamus, falsum est omninò pertractatam esse solùm quæstionem à S. Doctore nulla habita ratione Divinæ potentiæ. Id enim vel unus dumtaxàt Articuli titulus falsi convincit: Quærit enim S. Thomas, *Utrùm liberum arbitrium possit cogi?* à quo verò nisi à Deo posset? Unde, &

in

in corpore Articuli, ut retulimus ſuprà, de nulla alia cauſa loquitur, quàm de ipſo Deo. Ergo negari non poteſt quin à D. Thoma divinæ potentiæ ratio habita ſit; & ſaltem eo ſenſu pertractata ſit quæſtio, utrùm Deus ita immutare voluntatem poſſit, ita eam movere, ut vel eam cogat, vel ipſi neceſſitatem imponat, ſervatâ tamen utriuſque potentiæ naturâ, & naturali modo agendi, & niſi more brutorum agatur ex ſolo inſtinctu, & determinatione judicii ad unum: Hoc enim dumtaxàt ſenſu, ſervato ſcilicèt naturali modo utriuſque potentiæ, tractatâ à Divo Thoma quæſtionem dumtaxàt, fateor: Nam quid fieret ſi ordo ille inverteretur, inutilem puto exiſtimavit inquirere. De his enim quæſtionibus quantumvis ſubtilibus non immeritò cum Seneca dicas: Quid eſt acutius ariſtâ, ſed in quo utilis eſt. Hoc igitur ſenſu, quem diximus, reſolvit D. Thomas, voluntatem nunquàm ita moveri, & immutari, aut compelli poſſe, quin *Quantumcumque aliquid oſtendatur eſſe bonum* (niſi ſit ſummum bonum) *poteſtati ejus remaneat eligere vel non eligere.* Quia vel eſt *ſimpliciter malum* ut voluptas prohibita, & tunc eſt ſaltem *apparens bonum*: vel eſt *ſimpliciter bonum*, ut impletio præcepti, & tunc etiam eſt *apparens malum*. Atque adeò ſemper eſt aliquid quod poſſit voluntatem vel allicere, vel repellere. Unde cùm ſibi primo loco ita objeciſſet D. Thomas. *Videtur quod liberum arbitrium cogi poſſit; quòd enim immutatur ab aliquo agente, cogitur ab illo. Sed ut dicit gloſſa ad Roman. Deus poteſt immutare volũtatem hominum in quodcumq; voluerit: Ergo videtur quòd voluntas à Deo cogi poſſit.* Quo loco dubitari non poteſt, vim argumenti in eo poſitam eſſe, quòd Deus ita voluntatem immutare, & tanta adeòq; efficaci motione eam movere poſſet, ut dici poſſet non immeritò quòd voluntas ea motione cogeretur, vel ipſi neceſſitas agendi imponeretur.

Reſpondet S. Thomas, conceditque nedum poſſe Deum movere voluntatem, ſed etiam reipsà eam movere, ea motione quæ videri poſſit cogere voluntatem, ipſique neceſſitatem imponere; cùm etiam eam ſuâ omnipotentiâ moveat. Negat tamen ideò neceſſitatem imponi; eo quòd cùm voluntatẽ juxta ejus exigentiam moveat, id eſt ſinat voluntatem agere ſuo connaturali modo, & ducem rationem ſequi, non verò eam, more brutorum, judicio ad unum determinato veluti trudat, & adigat; tantùm abeſt ut ea motio libertatem impediat, quin etiam eam efficiat. Quia licèt Deus *ſuâ Omnipotentiâ* voluntatem moveat; ita tamen eam movet, ut voluntas juxtà ipſius exigentiam non niſi ad objectum indifferens feratur, quod poteſt eligere vel non eligere. Verba S. Thomæ hæc ſunt. *Dicendum*, inquit, *quòd Deus operatur in voluntate, & libero arbitrio ſecundùm ejus exigentiam. Unde ſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominùs tamen hoc ſua omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur voluntariè velit*, & liberè.

Ubi animadverti etiam poteſt, quòd cùm argumentum, quod ſibi D. Thomas objecerat, de poſſibili ageret; *Videtur quòd liberum arbitriũ poſſit cogi*: attamen quæſtionem mutat S. Doctor, & Reſpondet, de facto, & reipsà voluntatem non cogi, nec neceſſitatem ipſi imponi. Et cùm exiſtimari non poſſit, inconſultò, & errore à Divo Thoma ſtatum quæſtionis immutatum fuiſſe; neceſſe eſt, id ab ipſo factum ſit, vel quòd abſolutè exiſtimaverit, rem eſſe omninò, & ſimpliciter impoſſibilem, quòd ulla unquàm ſuppoſitione facta, voluntati poſſit neceſſitas imponi ex parte ſubjecti, & principii, ſed ſolùm ex parte objecti, ut explicuit in corpore articuli: vel quòd ſi fieret alia ſuppoſitio, qua interciperetur hic modus connaturalis agendi voluntatis, nec moveretur juxtà ipſius exigentiam, & impediretur ne ſequi poſſet ductum rationis, qualis eſt ea Adverſariorum ſuppoſitio de denegato concurſu, exiſtimaverit quæſtionem hanc planè inutilem eſſe, ut reverà inutiliſſima eſt. Unde cenſuit eo ſenſu quæſtionem reſolvendam, quòd cùm Deus voluntatem movet, etiam eâ motione tantâ, ut de ea meritò quæri poſſit; *Utrùm liberum arbitriũ poſſit cogi*, licèt *ſuâ omnipotentiâ* voluntatem moveat; attamen ſi Deus voluntatem *ſecundùm ejus exigentiam* moveat, & ſinat eam agere, & intellectum ſequi, nec utriuſque potentiæ concordiam & fœdus abrumpat, nunquàm contingere, imò nec contingere umquàm poſſe, quòd agendi neceſſitas voluntati imponatur: ea ſemper ratione egregia, quia vel objectum eſt *ſimpliciter malum*, & tunc eſt *apparens bonum*: vel eſt *ſimpliciter bonum*, & tunc eſt etiam *apparens malum*. Atque adeò ſemper eſt aliquid quod poſſit voluntatem vel allicere, vel repellere.

Ad alterum verò quod additur, poſſe ſine controverſia voluntatem quantùm ad ſpecificationem, ad unum neceſſariò determinari; eadem omninò difficultas eſt. Si enim ex parte intellectûs plena ſit indifferentia judicii, quod repreſentet objectum ex parte conſonum regulis morum, & ex parte diſſonum, v. g. divitias, vel propter periculum moderatè amandas, vel tanquàm voluptatum omnium inſtrumenta, nimio ardore conquirendas: aut breviùs exemplo S. Thomæ, quo nullum aptius eſſe poteſt; ſi repræſentet objectum *ſimpliciter bonum*, ſed tamen etiam repreſentet ut *apparens malum*, aut vice verſa: ſine controverſia negandum eſt, ſub ea indifferentia judicii poſſe non eſſe integram indifferentiam voluntatis. Quod enim judicium intellectûs voluntas ſequeretur? aut nullo omninò regeretur, aut ipſi non conformaretur, quorum utrumque, & modum agendi voluntatis, & naturam omninò deſtruit: *cùm non ſit niſi appetitus boni quod ſibi per vim cognitivam proponitur* ex D. Thoma ſuprà. Quòd ſi nulla ſit indifferẽtia judicii, & ſemper repreſentetur objectũ ita ſimpliciter malũ, ut etiam non ſit apparens bonum; nihil mirum quòd ad illud unum neceſſariò voluntas moveatur, ad quod etiam determinatum eſt intellectûs judicium. Unde & in Chriſto, & in Angelis, in qui-

bus est ea determinatio voluntatis quantùm ad specificationem, & ad bonum morale; alienissimum est à vero, quòd sit ea indifferentia, aut veriùs ea imperfectio errorque judicii, & quòd v.g. Christo Domino impletio divini præcepti, aut subeunda mors, etiam ut apparens malum repræsentaretur, quod ut effugeret, postponenda, & prætermittenda esset impletio paterni præcepti. Unde etiam argumentum desumi potest ea comparatione validum. Impossibile est esse voluntatem determinatam ad unum quoad specificationem, nisi eadem sit determinatio ex parte judicii: Ergo pari ratione impossibile est esse determinationem quoad exercitium, seu nullam esse agendi, & non agendi voluntatis indifferentiam, nisi eadem determinatio sit intellectûs, qui non proponit objectum sub indifferentia amandum, & non amandum, sed solùm necessariò amandum.

Secunda Responsio ex superioris impugnatione jam sponte concidit: si enim invertatur ordo rerum, si voluntas non regatur ductu rationis, nec agat humano more, & tunc spolietur libertate; quid tùm? aut quid inde consequetur? hæc enim unica controversia utilis est, cui explicandæ immoramur, fieri non posse quòd stante indifferentia Judicii, ideſt, dum ratio objectum aliquod, putà divitias, vel statum coniugalem sive cum suis delitiis, sive cum suis oneribus adjunctisque molestiis, indifferenter amandum proponit, voluntas unquàm adigi possit ut *illud* necessariò amet, quocumque genere motionis moveatur: Atque hoc unum negamus. Quia quantumvis v.g. voluntas matrimonium aversari possit, propter adjunctum periculum in quod salus conjiciatur; quamdiù tamen intellectus ut apparēs bonum voluptatem comitem repræsentabit, poterit voluntas statum conjugalem velle amplecti.

Sed dices: Posset saltem Deus negare concursum, & cùm sit duplex potentia agendi, & non agendi, si Deus potentiam ad agendum continuo concursu applicatam detineret, negaretque concursum alteri potentiæ non agendi, voluntas semper ageret, & non posset non agere, atque adeò ageret necessariò.

Sed in primis necesse est parùm probabilem esse eam sententiam, quæ ut defendatur cogit advocare miracula. Sed si, ut dictum est, agatur de denegatione concursus debiti, nihil ad nos, qui inutiles quæstiones prætermittimus: & sanè si omninò voluntas impediatur agere, quis dubitet quin auferatur libertas, aut quòd nullus esse possit usus libertatis. Sed quod inde sententiæ D. Thomæ præjudicium inferri potest? qui his inutilibus suppositionibus prætermissis, è contrà supponit quòd reipsà est, voluntatem equidem *à Deo sua divinâ omnipotentiâ moveri*; & in quodcumque Deus voluerit immutari posse, sed tamen *Secundùm ejus exigentiam* moveri, & permitti judicium rationis sequi.

Igitur potest Deus perpetua motione voluntatem applicare ad aliquem actum, eamque movere *immutabiliter propter efficaciâ divinæ virtutis, sed tamen*, ut subdit D. Thomas, *propter naturam volũtatis motę quę indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas*. Nimirũ quia quantumvis Deus continua motione voluntatem moveat, & immutabiliter ad unum objectum applicatam teneat, attamen quia non movet nec applicat ad objectum, quod sit summũ bonum, sed ad objectum in quo hæc duplex ratio veri & apparentis, seu mali, seu boni, conjuncta est, quodque proinde indifferenter, vel amandum vel nõ amandum voluntati proponitur, *nunquàm inducitur necessitas, sed remanet libertas*: nec erit verum quòd voluntas non possit nõ agere, & quòd necessariò agat. Unde & parùm apposita de denegato concursu ad non agendum hęc suppositio videtur; quo tamen unico fundamento fulciri posse hæc recentiorum sententia videtur.

Tertia verò solutio vix impugnatione peculiari eget, posteaquàm toties, & tot S. Thomæ, & testimoniis, & argumentis probatum est, prævia motione voluntatem moveri, qua motione etiam intra ipsam voluntatem operatur Deus, eamque suâ omnipotētiâ immutat, in qua etiam vim imprimit, & alia ejusmodi multa quæ longum esset recensere, quibus præviam, & efficacem motionem explicari contendimus. At verò ea motione aut alia quacunque, dum manet indifferentia judicii, ut probetur extingui libertatem, magnoperè laborandum erit, cùm etiam ad miracula confugere necesse sit, & denegationem divini concursus advocare.

Præterea, Argumento ad hominem impugnari potest, & ea solutio, & ipsa principalis sententia Recentiorum, eorumque præcipua probatio in ipsos retorqueri. Etenim Suarez Tom. 1. de Gratia Prologomeno 1. de arbitrii libertate cap. 4. cùm statuisset Deum posse ita movere volũtatem stante integro judicio rationis de objecto ex se indifferente, ut motu non libero, sed simpliciter necessario, ad illud feratur, suam assertionem ita probat.

„ Tertiò, inquit, probatur assertio ratione fun-
„ data in omnipotētia Dei, & in sententia Augu-
„ stini in Enchirid. cap. 98. dicentis posse Deum,
„ quia omnipotens est, mutare voluntatem ho-
„ minis, quando voluerit, & vbi voluerit. Nam
„ ad eandem omnipotentiam spectat, posse illam
„ mutare quomodò voluerit, si in modo nulla
„ appareat implicatio contradictionis: ergo non
„ solùm potest mutare voluntatem servando ejus
„ libertatem, sed etiam necessitando illam, &
„ liberum usum impediendo. Probatur hæc ul-
„ tima consequentia, quia nulla major repu-
„ gnantia in uno quàm in altero modo inveni-
„ tur. Imò difficiliùs videtur voluntatem muta-
„ re efficaciter, salva ejus libertate, quàm eam
„ necessitando: quia in priori modo oportet in
„ eadem actione conjungere potestatem non
„ agendi, cum infallibilitate agendi, quod vide-
„ tur difficile: in modo autem posteriori cessat
„ illa difficultas; quia si motio inducit necessi-

„ tatem,

„ tatem, conſequenter habebit infallibilem effe-
„ ctum. Aliunde verò ex parte ipſius voluntatis
„ creatæ nulla eſt ſpecialis repugnantia; quia
„ licèt habeat duplicem poteſtatem, agendi ſci-
„ licèt, & non agendi, poteſt per omnipoten-
„ tiam Dei ſecundùm alteram ſini operari, & ſe-
„ cundùm alteram impediri, nè ſuammet opera-
„ tionem poſſit ſuſpendere: tunc autem opera-
„ tio erit neceſſaria, & non libera quoad exer-
„ citium, quia libertas in operatione non eſt ſo-
„ la entitas actûs vel modus intrinſecus ejus,
„ ſed eſt denominatio à poteſtate agendi, & non
„ agendi, utique ad utrumque expedita, ſeu
„ non impedita. Ergo tunc actus carebit tali
„ denominatione, & conſequenter erit neceſſa-
„ rius. Neque in eo quòd Deus impediat uſum
„ illius poteſtatis in voluntate creata aliqua re-
„ pugnantia cogitari, vel inferri poteſt. Quia
„ cùm omnis poteſtas cauſæ ſecundæ ſit ſubdita
„ poteſtati cauſæ primæ, facilè poteſt per illam
„ impediri, nè ſuamet poteſtate utatur, & op-
„ poſitum videtur multùm derogare omnipo-
„ tentiæ Dei, & ejus eminentiæ ſuper omnem
„ poteſtatem creatam. Unde hac ratione poteſt
„ efficaciſſimè impedire, nè voluntas velit, ne-
„ gando illi ſuum concurſum, & conſequenter
„ neceſſitando illam ad non volendum. Ergo
„ etiam poteſt impedire uſum poteſtatis ad ſuſ-
„ pendendum actum, & ſic illam neceſſitare ad
„ agendum. Hactenùs Suarez in probationem
ſuæ ſententiæ.

Atquì hæc eadem ratio ex Dei omnipotentia, omninò eandem vim habet, & uſurpari facillimè poteſt, ut probetur, ſtante indifferentiâ judicii, poſſe etiam phyſicè voluntatem moveri à Deo, quod negat Suarez. Etenim ut ipſa D. Auguſtini verba referamus, in Enchirid. c. 68. *Quis ita deſipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum convertere non poſſe?* Quod adeò verum cenſet; & ad prima Fidei elementa pertinere, ut dixerit deinde c. 98. *Periclitatur noſtræ Fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Omnipotentem credere profitemur*, niſi ſummum illud in voluntates dominium Deo tribuatur. Igitur exigit Summum dei dominium quod habet in hominum voluntates, ſummaque ejus poteſtas, ut eas cùm voluerit, quando voluerit, immutare poſſit. Ergo etiam ſtante indifferentiâ judicii, Deus poterit voluntatem movere, & immutare quomodò voluerit, etiam per modum efficientis cauſæ, & phyſicè, intactâ, ſalvâque ejus libertate. Sed

Dices: Hæc duo contradictionem involvere, ſcilicèt moveri, & determinari ad unum, & integram eſſe voluntati libertatem: atque adeò nullâ etiam Dei potentiâ poſſe fieri. Sed inprimis, unde colligi poterit ea repugnantia, & contradictio; neque enim nos ullam repugnantiæ umbram animadvertimus, neque ullam omninò animadvertit unquàm, etſi perſpicaciſſimus Sanctus Thomas; ſed prætereà, viciſsìm nos reponimus, involvi repugnantiam, quòd ſtante indifferentia judicii voluntas neceſſariò moveatur. Unde retorqueri facilè poteſt argumentum, hôc pactô, Non minùs, ſed multò magis repugnat, quòd ſtante indifferentia judicii Deus voluntatem neceſſariò moveat, auferatque libertatem; quàm è contra quòd ſtante eâdem indifferentiâ judicii liberè voluntatem immutet ſervetque libertatem incolumem: Atquì ut altera opinio exiſtimat, ad Divinam omnipotentiam pertinet, ſummumque Dei dominium in voluntatem humanam, ut primum poſſit: Ergo ex eadem Divina omnipotentia ſummoque Dei dominio poterit fieri, & alterum, & voluntas immutari poterit, & libertas ſervari illæſa. Conſecutio Majoris evidens eſt, quòd inter utrumque nullum diſcrimen ſit. Et cur ſi primum ad Divinam omnipotentiam pertineat, non pertineat alterum? Sed ut argumentum validius ſit; cedo, quòd intra phyſicæ motionis genus aliqua motio tam valida, & tantæ efficaciæ eſſe poſſit, ut voluntatem ad unam partem objecti cogniti omninò affigat, eamque ita conſtringat ut auferat ipſius libertatem. Sed cur intra ejuſdem phyſicæ motionis genus aliqua altera motio blandior, & voluntati propitior, eſſe non poterit, quæ & efficaciam cum ſumma ſuavitate conjungat, & voluntatem ſuâ efficaciâ moveat, & immutet, & libertatem ſuâ ſuavitate foveat, & ſervet illæſam? Sanè ſi primum ad Divinam omnipotentiam pertineat, quâ ratione negari poterit non pertinere ſecundum.

Prætereà probatur evidentiſſimè, multò faciliùs intelligi poſſe, quòd Deus phyſicè voluntatem liberè agentem moveat ſtante indifferentiâ judicii, quàm quòd ſub eadem indifferentia eam moveat neceſſariò. Nam inprimis ut ſtante indifferentia judicii voluntas neceſſariò moveatur, certiſſimum eſt, oportere inverti connaturalem modum agendi voluntatis, & totam illam naturæ intellectualis œconomiam turbari, quæ exigit ut voluntas intellectu regatur, ipſique conformetur. Quod fœdus abrumpi intelligi non poteſt, niſi per miraculum, negato concurſu, & læſis juribus utriuſque potentiæ. At verò ut voluntas ſub indifferentia judicii phyſicè moveatur ad liberè volendum; quid aliud requiritur, niſi ut connaturalis agendi modus voluntatis juvetur, roboretur, ac perficiatur? Quod ut apertius ſit,

Supponamus, veram eſſe adverſam ſententiam, nullamque eſſe phyſicam motionem, ſed voluntatem primò ſe ipſam movere, & determinare ad objectum aliquod omninò indifferens, putà ſtatum vel conjugalem vel religioſum amplectendum. Quid verò in illa ſuppoſitione continget, quis erit modus agendi voluntati connaturalis, aut quid ipſi conveniet?

Certum eſt inprimis, voluntati convenire ut ſe ipſam efficienter, & phyſicè moveat, & determinet: agit enim ut vera cauſa efficiens, & phyſica quamvis libera; ut dubitari non poteſt. *Secundò* convenit ut ad unicum dumtaxàt objectum feratur, & unicum dumtaxàt actum eliciat; neque enim plures elicere ſimul actus, aut plura

ſimul

simul objecta respicere potest. *Tertiò* etiam convenit, quòd actum quem elicit, omninò infallibiliter, & certò eliciat; neque enim aliter esse potest, quòd dum actum elicit, infallibiliter non eliciat: quia quod est, necesse est esse, dum est. *Quartò*, & tamen etiam dum actum elicit, certum est integram libertatem servari, immò perfectissimam libertatem esse, actualem scilicèt, cùm universìm cujusque potentiæ, & habitûs ultima perfectio sit ipsius usus, & exercitium, seu ipsemet ipsius actus secundus. Undè & à Magistro Sententiarum in 2. dist. & à S. Thoma 1.2. quæst. 8. art. 2. observatum est, eodem nomine, & potentiam & actum nominari: immò sæpiùs potissimùm apud S. Augustinum, nomine voluntatis vel charitatis, intelligi potiùs ipsum volitionis vel amoris actum, quàm ipsam potentiam voluntatis, vel charitatis habitum. Et verò nunquàm perfectior scientia est, quàm cùm actu fit demonstratio quæ actualis scientia dicitur. *Quintò*, atque inde etiam fit, quòd dum voluntas actum elicit, eligitque statum Religiosum, posset etiam non eligere, cùm remaneat integra libertas, & potestas non agendi: quòd enim infallibiliter actum illum eliciat, illumque statum eligat, ideò est, quia vult illum eligere, & si vellet non eligeret; sed non vult non eligere, & ideò liberè, quamvìs infallibiliter, eligit. *Sextò* demùm his addendum est, quòd ideò etiam liberè eligit, quia regitur voluntas judicio indifferente intellectûs, quòd statum illum ita eligendum proponit, ut tamen non omninò necessarium sit ipsum eligere, atque adeò ita proponit ut possit eligi, & non eligi. Hæc omnia, ut certum est, convenirent voluntati dum actu movetur in objectum, si se ipsam moveret, seseq; ipsam primò determinaret.

At verò his ita constitutis, fiat nunc altera suppositio; & quod nos ut certissimum ex D. Augustino, & D. Thoma existimamus, supponatur saltem esse, ut quid inde contingeret animadverti, & velutì æquâ lance ponderari possit, suspensis hinc inde ponderibus, & ex qua parte graviora incommoda timenda sint. Et quidem ex altera parte invertendum fore modum connaturalem agendi voluntatis, si stante indifferentiâ judicii voluntas necessariò moveretur, jam in confesso est. At verò è contra, dum voluntas sub indifferentia judicii eo modo quo diximus agit, physicè à Deo moveatur; Quid inde continget? nihil omninò ex illo ordine connaturali agendi immutabitur, nulloque planè modo hic ordo invertetur, sed dumtaxàt adjuvabitur, roborabitur & perficietur voluntas; nihilque aliud ea motio efficiet, nisi quòd voluntatem ad ea omnia quæ enumeravimus præstanda juvabit, & confirmabit: quod sigillatìm omnia recensendo, & quæ reponi possint rejiciendo, ita explicare possumus.

Dices primò: Eâ suppositione factâ motionis physicæ, inverteretur connaturalis modus agendi voluntatis, illiusque jura læderentur, quæ exigunt ut ipsa se se primò moveat ac determinet. Sed contra; hoc primum à vero alienissimum est, ut infra magìs expendemus ex S. Thoma. Convenit quidem voluntati ut se ipsam moveat, & moveat etiam primò *in suo ordine*, sed non convenit ut se se moveat primò ac simpliciter, nec requiritur, quòd sit prima causa; sicut inquit S. Thomas, non requiritur quòd ut aliquid alterũ moveat sit prima illius causa, nec per hoc quòd *moveatur ab alio, excluditur quin moveatur à se* 1.par.q.105.a.4. Et animadvertendum hìc est, de Divina omnipotentia quæstionem institui. Quid verò repugnet voluntatem à Deo priùs moveri, & applicari? sicut exempli gratiâ, & ut rem ipsã oculis subjiciamus, cùm pueri manus discentis primas literas efformare suppositâ magistri manu regitur; movet equidem manum puer, & primus in suo ordine Discipuli addiscentis, movet; neque tamen id vetat quin in superiori ordine magistri docentis, ipsius manus manu magistri moveatur, appliceturque formandis literis, eoque regatur. Atque ita intelligendum est, quòd *animæ in manu Dei sunt*; & ut legit S. Augustinus in psal. 34. serm. 1. Deus *apprehendit animam, & debellat inimicos*, ut intelligatur quòd cùm anima pugnat vincitq; Deus ipse per ipsam & pugnat, & vincit. *Quid enim est nostra anima nisi Deus illam teneat & pugnet de illa &c. Ergo quidquid vult facit de anima nostra, cùm in manu ejus est utitur eâ quemadmodùm vult*: sicut figulus lutum versat, & artifex instrumentum movet. Ideòque & Deus, & nos ipsi cooperamur, neque Deus efficit ut *homines nolentes credant quod* absurdissimè diceretur, *sed ut volentes ex nolentibus fiant*, ut inquit S. Augustinus, ut infra magis explicandum est. Sed

Dices secundò: Superiori suppositione factâ, motionis præviæ, inverteretur connaturalis modus agendi voluntatis, & libertatis jura læderentur, quia voluntas infallibiliter eâ motione moveretur, & tamen servari debet libertas, quæ duo simul jungi non possunt.

Sed contra in primìs, quia quod grave esse incommodum arbitrantur Adversarii, expressissimè docet S. Thomas: cùm ut jam retulimus, doceat hæc duo simul conjungi, quòd Deus *immutabiliter propter efficaciam suæ virtutis*, voluntatem moveat, *& tamen propter naturam voluntatis, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducatur necessitas, sed remaneat libertas*, qu. 6. de Malo. Sed præterea, quo pacto inverti potest connaturalis modus solitusque agendi voluntatis, si infallibiliter moveatur, cùm è contra connaturalis ordo agendi libertatis omninò exigat, ut cùm vult, infallibiliter velit: neque aliter fieri potest, quia necesse est, rem esse, dum est. Et tamen quamvìs infallibiliter velit, attamen liberè vult. Ergo non invertitur ordo, nec jura libertatis lęduntur, si ita voluntas moveatur ut infallibiliter velit, & tamen liberè velit dum liberè vult, neque arduum est intelligere hæc duo posse conjungi, & infallibiliter, & liberè actum elici. Sed

Dices: hęc intelligi quidem posse de voluntate, quæ sola se ipsam determinat; si quæ enim necessitas

ſitas ſit, hanc ſibi dumtaxàt voluntas neceſſitatem imponit, & tum hæc ſuppoſitio non antecedit ſed concomitatur voluntatem: ſi enim vult, neceſſe eſt ut velit, dum actu vult. Unde non aufertur libertas, ſed integra, & illæſa remanet. At verò ſi voluntas à Deo moveretur, jam neceſſitas illa agendi à Deo imponeretur: Unde & eſſet ſuppoſitio antecedens, quæ libertatem omnem adimit, & extinguit.

Sed contrà: hęc ultima, & potiſſima objectio, & impugnari facilè, & dejici omninò poteſt: cur enim ſi voluntas hanc ſibi agendi neceſſitatẽ ſalva libertate, aut veriùs infallibilitatem agẽdi imponere poſſit, ut & infallibiliter, & tamen liberè ſimul agere poſſit: cur non poſſit Deus voluntatem, & *immutabiliter propter efficaciam ſuæ virtutis*; & tamen liberè, *propter naturam voluntatis* movere? Hic enim, ut jam diximus, de divina omnipotentia, & de ſummo Dei dominio agimus. Cur verò ſi voluntas in ſeipſa hæc duo, libertatem, & immutabilitatem poſſit jungere, Deus in ipſa voluntate efficere non poſſit? Conſtat enim hæc duo ex ipſa rei natura adverſa non eſſe, nec pugnare invicem, aliàs nullâ potentiâ jungi poſſent, maximè potentiâ ſoliùs voluntatis, quæ inferior eſt. Quòd ſi hæc duo omninò inter ſe jungi in voluntate, & ab ipſa voluntate, non repugnet: Ergo poterunt hæc duo in voluntate jungi à Deo cujus infinita potentia eſt: & cùm ex S.Auguſtino de correptione cap. 14. *Deus habeat magìs in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; ſi voluntas poſſit in ſeſe utramque hanc dotem conjungere & immutabilitatem, & libertatem; qua ratione negari poterit divinæ omnipotentiæ, quin utramque dotem, & perfectionem voluntati conferre poſſit? Unde cùm Deus ut prima cauſa, altioris ſit ordinis, hujus motionis ſuppoſitio nec antecedens ſolùm, nec concomitans ſolùm dicenda eſt, ſed eminentiſſimè utramque rationem habet: ut antecedens, movet, *& immutabiliter* movet *propter efficaciam* ſuæ virtutis; & ut concomitans, libertatem ſervat, *propter naturã voluntatis*. Sed urgeri poteſt prætereà hęc ratio ſumpta ex divina omnipotentia, altero argumento ad hominem. Non eſt negandum divinæ potentiæ, quod movere poſſit voluntatem, & phyſicè & liberè, ſi nulla ſit in ea motione, & modo movendi voluntatem repugnantia, & contradictio: Atqui nulla eſt vel minima etiam contradictionis, & repugnantiæ umbra. Ergo. Minor probatur. Si quæ enim eſſe poſſet, ea eſſet maximè, quòd *Oporteat in eadem actione conjungere poteſtatem non agendi cũ infallibilitate agendi, quod videtur difficile*: Atqui reipsà illud quod difficilè aliis videri poteſt, non eſt viſum difficile Divo Thomæ, neque repugnantia eſt, hæc duo in voluntate jungi, *poteſtatem non agendi cum infallibilitate agendi*. Ergo nulla eſt reipsà repugnantia aut repugnantiæ umbra. Majorem concedit adverſa ſententia.

Minor verò apertiſſima eſt, cùm S.Thom. quem jam retulimus ſuprà qu. 6. de electione humana ar. unico ad 3. expreſsè dixerit, quòd Deus *voluntatem movet immutabiliter propter efficaciam divinæ virtutis, quæ deficere non poteſt, ſed tamen propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed remanet libertas*. Ergo judice D. Thoma nulla contradictio eſt, aut repugnantia, quòd hæc duo conjungantur, poteſtas non agendi cum infallibilitate agẽdi: ſed facilè intelligi poteſt, quòd in eadem actione ſit agendi infallibilitas, *propter efficaciam divinæ virtutis, quæ immutabiliter voluntatem movet, nec poteſt deficere*: & tamen in eadem actione ſit etiam poteſtas non agendi, *propter naturam voluntatis motę quę indifferenter ſe habet ad diverſa; unde non inducitur neceſſitas ſed remanet libertas*, & poteſtas non agendi. Unde ex hoc loco, ſi D.Thomas judex audiatur, facilè hæc controverſia dirimi poterit. Etenìm non eſt negandum quin Deus poſſit, & phyſicè, & liberè voluntatem movere, poſſitque libertas ſub motione phyſica illæſa remanere, ſi in eadem actione conjungi poſſit poteſtas non agendi cum infallibilitate agendi. Atquì judice D. Thoma, poteſt conjungi ea infallibilitas agendi cum poteſtate agendi, & poteſt immutabiliter moveri voluntas non ex præſcientia, & præviſo conſenſu, non ex circumſtantiis, *ſed propter efficaciam divinæ virtutis moventis quæ deficere non poteſt*, quocumque tandem nomine vocetur, ſivè phyſica, ſivè efficiens, ſeu alio nomine; perinde enim eſt, dummodò hæc *efficacia virtutis moventis*, tanta ſit, ut *immutabiliter* voluntatem moveat: & tamen *ſub ea efficacia virtutis immutabilitèr moventis voluntatem*, illæſa integraque *remaneat libertas, & non inducatur neceſſitas propter naturam voluntatis motæ, quę indifferenter ſe habet ad multa*. Ergo judice D.Thoma finita lis eſt, & poteſt Deus phyſicè movere voluntatem, & ſub ipſa motione poteſt voluntas ſervare libertatem.

Nec verò S.Thomas iſta dumtaxàt ſemel ſcripſit, ut exiſtimari poſſit, hæc à S. Doctoris calamo nimium properante, & velociter ſcribente excidiſſe. Iſta enim & conſultò ſæpiùs ſcripſit, ut ſatis ex ſuperioribus compertum eſt, & plurima infrà referemus, ubi de concordia divinæ motionis cum libertate agendum eſt. Sed quod caput eſt, nec negari etiam poteſt, quin id etiam expreſſùm ſatis in ipſa S.Scriptura ſit. Cùm enim toties dictum ſit, Eſther 13. 9. Judith. 16. 17. ad Rom.9. *Divinę voluntati* neminem *poſſe reſiſtere*, & tamen alioquìn certum ſit illæſam voluntati ſervari libertatem, etiam dum virtuti divinæ non reſiſtit; non poteſt eſſe dubium, quin hæc duo ſimul jungi poſsint, ac reipsà conjungantur in eadem actione, infallibilitas agendi, & tamen poteſtas non agendi. Dubium eſſe dumtaxàt poſſet de legitimo S.Scripturæ ſenſu, utrũ hæc infallibilitas cui reſiſti non poſsit, oriatur ſolùm vel ex efficacia divinæ virtutis, vel ex præſcientia, alioque capite. Atque hanc dubitationem elevat authoritas D. Auguſtini, & D. Thomæ, à quibus toties dictum eſt, eam infallibilitatem oriri

ex

ex efficacia Divinæ virtutis, & ex *Divina omnipotentia*, & ſummo dominio, quod Deus in voluntates hominum non minùs quàm in res cæteras habet: Ergo &c.

Sed antequàm huic articulo finem imponam, cùm hìc ſeſe occaſio offerat, Lectorem rogo animadvertat, quinam Divinæ omnipotentiæ magìs tribuant, & altiùs ac ſublimiùs de Deo cogitent, & ſentiant; an qui negant, an qui affirmant Deum poſſe *ſuæ virtutis efficaciâ*, in ipſa voluntate iſta duo conjungere, ſcilicet immutabilitatem, & libertatem, quæ voluntas in ſeſe reipsâ conjungit. Et quidem ſi à nobis dictum ſit, non poſſe fieri quòd ſub indifferentia judicii voluntas moveatur, ea ratione dictum eſt, quòd certum ſit & in confeſſo apud omnes, id fieri non poſſe, niſi inverteretur connaturalis modus agendi voluntatis, quem dubium non eſt exigere ut voluntas intellectûs judicio regatur, atque omninò conformis ſit, cùm *totius libertatis radix ſit in ratione conſtituta, & ſecundùm quòd aliquid ſe habet ad rationem, ita ſe habeat ad liberum arbitrium*, ut ſuprà ex D. Thoma dictum eſt. Quòd ſi Deus velit illum ordinem rerum invertere, nemo noſtrum pertinaciùs negabit, quin denegare concurſum poſſit, ut olim igni Babylonico, eoque negato concurſu, facultatum omnium ac potentiarum uſum, & exercitium ſuſpendere. At verò hìc agitur de connaturali modo agendi voluntatis, de ipſa voluntatis poteſtate, qua nec ſolùm poteſt hanc duplicem quam ſæpiùs diximus in ſeſe perfectionem conjungere, immutabilitatem, & libertatem, ſed etiam reipsâ conjungit. An non multò digniùs multòque ſublimiùs de Deo ſentiunt qui exiſtimant, Deum ſua motione Divinâque gratiâ, & ut loquitur Sanctus Thomas, *efficaciâ ſuæ voluntatis*, ita poſſe voluntatem movere, ut immutabiliter quidem eam moveat, ſed tamen libertatem in ea illæſam ſervet; quàm qui negant ita poſſe à Deo fieri, etiam infinitâ ſuâ potentiâ: quod tamen ab ipſa voluntate fit poteſtate ſibi à Deo conceſſa, licet voluntatis poteſtas tenuiſſima ſit Divinæ omnipotentiæ participatio. Non dubito quin iſta quiſquis ſeriò perpenderit, facilè ſibi ſuadeat, Divinâ, & infinitâ potentiâ poſſe fieri, quod poteſtate creaturæ finitâ, & limitatâ fit, ubi nulla imperfectio eſt, ſed agitur ſolùm de duplici perfectione voluntati conferenda. Hæc dicta ſint occaſione ſumpta ex altera quæſtione quam pertractavimus: ſed de his aliàs plura erunt dicenda.

ARTICULUS VII.

Solvuntur objectiones: D. Thomæ authoritas non rectè explicata.

VIX ulla alicujus momenti ratio objici poteſt cui ſolvendæ immorari neceſſe ſit, aut quæ ex ſuperioribus facilem ſolutionem non habeat. Duo tamen ſunt quæ ſolutionem aliquam mereri videri poſſunt.

Objicit itaque primò Suarez cap. 4. num. 9. authoritatem S. Thomæ, ut probet, Deum poſſe ita movere voluntatem, ſtante integro judicio rationis de objecto ex ſe indifferente, ſeu non neceſſario, ut motu non libero, ſed ſimpliciter neceſſario in illud feratur. *Hanc aſſertionem*, inquit, *expreſsè docuit S. Thomas quæſt. 22. de verit. art. 8. Ubi in principio corporis dicit, poſſe Deum neceſſitare voluntatem, non cogere: & aliis locis ſolùm negat poſſe Deum cogere voluntatem.* Ergo ex D. Thoma *expreſsè* etiam ſtante integro judicio rationis de objecto ex ſe indifferente, poteſt moveri voluntas neceſſariò.

Reſpondeo. Cùm in me receperim certam D. Thomæ ſententiam in hac gravi de Divina motione controverſia, ejuſque appendicibus, ex omnibus S. Doctoris partibus colligere, & explicare: non poſſum prætermittere quin hunc locum paulò attentiùs excutiam, ubi affirmat Suarez, *expreſsè* doceri à D. Thoma negatam à nobis ſententiam.

Igitur hanc difficultatem reperio à D. Thoma tribus potiſſimum in locis pertractatam. *Primò* 1.2. quæſt. 6. art. 4. ubi inquirit, *Utrùm violentia voluntati poſſit inferri?* Atque in eo loco mirari ſubit ſummam D. Thomæ diligentiam in ipſis etiam terminis deligendis. Cùm enim ſibi de coactione in rigore ſumpta quæſtionem pertractare vellet, non inquirit, *Utrùm voluntas cogi poſſit?* cùm coactionis nomine etiam impoſita neceſſitas potuiſſet intelligi, ſed inquirit, *Utrùm violentia poſſit inferri voluntati?* quòd non niſi de coactione dura, & in rigore ſumpta, propriè poteſt accipi. Et reſolvit Angelicus Doctor, voluntati vim inferri non poſſe; nec de neceſſitate impoſita ullam ſingularem in Summa Theologica quæſtionem inſtituit; ſed ſolùm eam difficultatem 1. par. quæſt. 82. & 83. & 105. aliiſque in locis reſolvit, quibus probat, nunquàm voluntatem moveri poſſe neceſſariò, niſi ad vltimum finem, ſummumque bonũ; ad alia verò particularia bona non poſſe non liberè, & cum ſumma indifferentia moveri, rationibus ſæpiùs explicatis, & ex indifferentia rationis deſumptis.

Secundò, pertractat eandem difficultatem in 2. diſt. 25. q. 1. cujus articuli ſecundi corpus integrũ, & ne mutato quidem apice retulimus ac explicuimus, quæ omnia relegi poſſunt: & quibus, ut ex ipſo textu apertiſſimè conſtat, aſſeritur expreſsè

preſsè à D. Thoma, quòd *Si proponatur voluntati aliquid bonum, quod completam boni rationem habeat, ut ultimus finis propter quē omnia appetūtur; non poteſt hoc voluntas non velle: in his autem quæ ad finem ultimum ordinātur, nihil invenitur adeò malum quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquod adeò bonum eſt quod in omnibus ſufficiat. Unde quantūcumq; oſtendatur bonum vel malum, ſemper poteſt adhærere, & fugere in contrarium.* An verò iſta ſignificent, dictum à D. Thoma *expreſsè*, quòd ſtante indifferentiâ judicii, neceſſitas voluntati imponi poſſit? Cùm è contra dici poſſit, omninò contrarium *expreſsè* fuiſſe aſſertum à D. Thoma: ſiquidem exertè dixit S. Doctor ac probavit etiam; *Quòd ſi proponatur voluntati bonum quod in omnibus ſufficiat*, voluntatem *ſemper poſſe adhærere, & fugere*: Atque id apertiùs animadvertet quiſquis alterum locum expenderit, quem ſubjungimus.

Tertiò igitur, pertractat etiam eandem difficultatem quæſtione 22. de Veritate art.8. ubi inquirit, *Utrùm Deus voluntatem cogere poſſit?* & ſtatìm initio ita aſſerit. *Reſpondeo dicendum, quòd Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate, non tamen poteſt eam cogere.* Hæc reverà habet D.Thomas: at verò quo ſenſu *expreſsè* aſſerit voluntati poſſe neceſſitatem imponi? An fortè etiã ſtante integro judicio rationis de objecto indifferente? Nihil magis alienum à vero; ut explicatione totius articuli demonſtratum eo: & maximum etiam erit operæ pretium; cùm ea quæ habet S. Doctor egregiè confirment noſtram de motione prævia ſententiam.

Probat itaque, quòd *Quantumcumque voluntas immutetur, non dicitur cogi in illud: cujus ratio eſt*, inquit, *quia velle aliquid eſt inclinari in illud, coactio autem vel violentia eſt contraria inclinationi illius rei quę cogitur. Cùm igitur Deus voluntatem immutat, facit ut præcedēti inclinationi ſuccedat alia inclinatio; & ita quòd prima auferatur, & ſecunda maneat. Unde illud ad quod inducit voluntatem, non eſt contrariū inclinationi jam exiſtenti, ſed inclinationi quę priùs inerat: unde non eſt violentia, nec coactio.* Hęc ibi: quibus ſi addatur, hanc inclinationem liberam eſſe poſſe, cùm nimirùm ad objectum ſub indifferentia amandum vel non amandum propoſitum feratur; nihil erit opportunius ad explicandam divinæ motionis ſummam ſuavitatem, & cum libertate concordiam. Atq; ea eſt D. Auguſtini ſententia, cùm toties inquit, unâ delectatione alteram delectationem vinci: eodemq; ſenſu à D. Bernardo de Gratia, & Lib. Arb. cùm illud explicat, *Compelle intrare*, dictum eſt: *Hoc quippe intendit benignus Pater cùm terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non ſalvet invitos: quatenùs dum de malo mutat voluntatem in bonum; transferat, non auferat libertatem.*

Probat verò poſteà D. Thomas, Deum poſſe voluntatem immutare hôc pactô. *Poteſt autem Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur ſicut in natura. Unde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis actio voluntatis inquantùm eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate ut immediatè agente, ſed à Deo ut primo agente, qui vehementiùs imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ut ex dictis patet, ita & multò ampliùs Deus.* Hæc ibi: quibus niſi immutatio ſeu motio prævia, & phyſica explicetur, vix intelligi poteſt, quibus unquàm clarioribus verbis explicari unquàm potuiſſet. Quid enim aliud his verbis ſignificari poſſit, quòd *Sicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multò ampliùs Deus*; cujus rationem affert ex eo quòd *Cùm ſit primum agens, vehementiùs imprimit.* Unde & articulo ſequenti concedit equidem poſſe voluntatem ab Angelo moveri ex parte objecti quô allici poſſit; at *Ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem: & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa voluntatis; quod ſecundùm Fidem Deus eſt. Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quam ei dedit, transferre de uno in aliud, ſecundùm quòd vult.* Sed de his alibi jam ſatis eſt dictum.

Poſtquàm verò probavit D. Thomas, explicuitque Deum poſſe immutare voluntatem; explicat deinde quo pacto voluntati neceſſitas imponi poſſit, & præmittit voluntatem immutari poſſe dupliciter: *Primò*, ſolâ motione impreſſâ à Deo primo agente, qui vehementiùs imprimit: *Secundò*, etiam formâ ſuperadditâ, & impreſſo habitu quo voluntatem inclinat. *Immutat autem voluntatē dupliciter, uno modo movendo tantùm*, & ſolâ motione impreſsâ; *quando ſcilicèt voluntatem movet ad aliquid volendum, ſine hoc quòd aliquam formam*, vel habitum *imprimat volūtati: ſicut ſine appoſitione alicujus habitûs quandoq; facit ut homo velit hoc quod priùs nō volebat. Alio modo imprimēdo aliquam formam*, ſive habitum, *in ipſam voluntatem. Sicut enim ex ipſa natura quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum; ita ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia vel virtus, inclinatur ulteriùs ad volendum aliquid aliud ad quod priùs non erat determinata naturali inclinatione.*

Hæc de duplici modo quo poteſt immutari voluntas, vel impreſsâ ſola motione, vel habitu ſuperaddito. Eâ verò explicatione pręmiſsâ, quo pacto poſſit voluntati imponi neceſſitas explicat S. Thomas, & ita pergit. *Sed hęc quidem inclinatio ſuperaddita quandoq; eſt perfecta, quandoq; imperfecta. Quando quidem eſt perfecta, facit neceſſariam inclinationem in id ad quod determinat. Sicut per naturam de neceſſitate inclinatur voluntas in appetendum finem; ſicut contingit in Beatis, in quibus charitas perfecta inclinat ſufficienter in bonū, non ſolùm quantùm ad finem ultimum, ſed quantùm ad ea quæ ſunt ad finem. Aliquando verò forma ſuperaddita non eſt uſquequaque perfecta ſicut in viatoribus: & tunc ex forma ſuperaddita voluntas inclinatur quidem, ſed non ex neceſſitate.* Hactenùs integer D. Thomæ Articulus, nec prætermiſſo quidem unico verbo. Ubinam verò dictum eſt *expreſsè* à S. Thoma, quòd ſtante indifferen-

tia judicii voluntas necessariò moveri possit à Deo? Dixit equidem S. Doctor, Deum posse voluntati necessitatem imponere: at ubinam dixit, posse eam necessitatem voluntati imponi, stante indifferentia judicii? Quinimò ipso eodem loco qui affertur, idipsum manifestissimè negat; cùm expressè asserat, quòd cùm illa inclinatio, seu forma quam Deus imprimit, est perfecta, & replet totam capacitatem voluntatis, ut est amor ultimi finis in omnibus, & amor Dei clarè visi in Beatis, tunc imponitur necessitas voluntati; quia nec remanet indifferentia judicii. Ergo manifestissimè verũ non habet quod assertum est, dictum esse *expressè* à S. Thoma, quòd etiam stante indifferentia judicii, Deus poterat necessitare voluntatem; cùm è contra ab eo expressè dictum sit, necessitatem voluntati tunc solùm imponi, quando *Inclinatio perfecta est, sicut contingit in Beatis*.

Sed cùm ille ex S. Thoma locus ab Adversariis laudatus sit, animadverti potest, quid ex eo ab iis prætermissum fuerit. Prætermittũt enim quod à S. Doctore dictum est, quòd *Sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius Deus*: Prætermittunt, quòd *Actio non solùm est à voluntate immediatè agente, sed etiam à Deo primo agente, qui vehementiùs imprimit.* Prætermittunt etiam quod habet Articulo immediatè sequenti, quòd *Mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quòd secundùm Fidem Deus est*. Hæc omnia prætermittunt, quæ manifestissimè S. Thomæ sententiam de prævia motione adstruunt: & illud dumtaxàt ex D. Thoma desumunt, & laudant, quòd *Deus potest immutare voluntatem de necessitate, non tamen cogere*, quæ etiam alienissimo à S. Doctoris mente sensu explicant.

Objici iterùm potest, quòd Hæreticis à quibus negata libertas est, nunquàm in mentem venerit ut negarent indifferentiam judicii. Etiam permanente integra judicii indifferentia, & dum plenissimum rationis judicium singulare objectum voluntati, conversionem v.g. proponeret, existimarunt, vi divinæ motionis, & gratiæ, necessitatem voluntati imponi. Ergo quamvis ita reipsà non sit, saltem ita esse non repugnat. Consequentia inde colligi potest; quòd non adeò desipere existimandi sint Hæretici, ut si id rationi omninò repugnaret, admisissent. Non repugnat igitur, neque in eo errarunt, quòd ita fieri posse supposuerint; sed quòd ita esse existimaverint. Sed prætereà, nullus unquàm ex Patribus qui olim Manichæos impugnarunt; nullus ex Theologis qui Sacro Concilio Tridentino interfuerunt, aut qui Calvinum, vel Lutherum impugnarunt, ea ratione usi sunt, quòd ita non posset fieri: & tamen si ita repugnasset, citiùs expedita res fuisset, & validior fuisset impugnatio: si repugnare ii Theologi demonstrassent, quòd vigente pleno rationis judicio, voluntati necessitas imponeretur.

Respondeo, eam fuisse Hæreticorum infelicitatem, ut nedùm à Fide, sed etiam à vera ratione plurimùm aberrarent. Supra advertimus, non malè forsitan à Scoto observatum fuisse, *latenter* olim à Philosophis duo contradictoria admissa esse, dum una ex parte existimarent, Deum necessariò agere: atque adeò necessariò movere omnia; & tamen alia ex parte putarent, non omnia necessariò moveri, sed servari in rebus contingentiam. Dixi forsitan; quòd mihi certum non sit: & è contra existimem, eos Philosophos qui Deum necessariò agere arbitrabantur, fato omnia subjecisse; eosque sensisse, nihil esse in rebus contingẽs, sed necessariò omnia evenire, qui fuit Stoïcorũ error. Et verò si Deum ipsum fato subjecerint, quis existimet cætera à fato eos exemisse; existimabant enim, ut notat S. Thomas 3. cont. Gent. c. 84. n. 9. vetustissimi Philosophi, quòd *Secundùm illud Homeri, talis est intellectus in diis, & hominibus, qualem in die inducit Pater virorum Deorumque, id est Sol, vel magìs Jupiter, quem dicebant summum Deum, intelligentes per ipsum totum Cælum, ut patet per S. Augustinum lib. 4. de Civit. Dei c. 11.* Atq; *hinc etiam processit Stoïcorum opinio*, subdit D. Thomas, *qui dicebant, cognitionẽ intellectûs causari ex hoc quòd imagines corporũ nostris mẽtibus imprimũtur, sicut speculũ imagines, & pagina recipit literas impressas absque eo quòd aliquid agat, ut Boëtius in 5. de Consolat. &c. Unde & Stoïci fuerunt qui præcipuè necessitate quadam fatali hominum vitam duci posuerunt.* Non igitur credibile est, à Philosophis, qui Deum ipsum fato subjiciebant, existimatum fuisse, ab eadem fatali lege res inferiores eximi. Et verò Deum etiam cæteraque fato subjecta fuisse, ita inquiebat Seneca in Oedip. *Fatis agimur, credite Fatis -- Non solicitæ possunt curæ -- mutari rati stamina fusi &c. Non illa Deo vertisse licet.* Unde & nescio quis dixit: *Gloriari potuisse Clotho, quòd Jovem ipsum ex Juo fuso tenuique filo pendulum videret.* Lucian. Adeò verum est, quod D. Augustinus dixit l. 6. de Civit. Dei c. 5. ea Gẽtiles olim de suis Diis dixisse. *Quæ non modò in hominem, sed nec etiam in contemptissimum hominum cadere possunt.* Verùm ut ut sit, & qui fuerint qui ita existimarint, Deum necessariò agere, & inferioribus contingentiam relinqui, rectè à Scoto observatum est, *latenter* ab iis duo contradictoria admissa fuisse. Idem omninò dicendum de Hæreticis, aut latenter aut apertè duo contradictoria ab eis admissa fuisse, dum relictâ indifferentiâ judicii, necessitatem voluntati impositam esse vi divinæ gratiæ existimarunt. Neq; id mirum videbitur iis, qui vertigine, & sopore percussos Hæreticos aliis etiam crassis contradictionibus se implicuisse animadvertent, de quo infra aliquid referemus. Unde ex tam corrupto judicio quid certi concludi potest? & malè cum Theologis ageretur, si Hæretici in judices advocarentur.

Confirmari hæc responsio potest, quòd negari non possit ab iis etiam qui ista objiciunt, quin

Hære-

Hæretici duo contraria aut latenter aut apertè admiſerint. Non ægrè enim fatentur, quòd ſervato ſolito rerum ordine, nec turbatâ voluntatis cum intellectu ſympathiâ, & ex communis providentiæ lege, fieri non poſſit ut monſtrante intellectu objectum indifferens, voluntas in illud neceſſariò feratur: atq; adeò quòd ſtãte ſolito rerum ordine hæc duo ſimul jungi repugnet: Atquì certum eſt, Hæreticos ita intellexiſſe, quòd ſervato communi etiam rerum ordine, & dum vigebat rationis judicium, voluntas neceſſitate adigeretur. Ergo negari non poteſt quin pugnantia Hæretici admiſerint. Atque adeò nihil inde pro adverſa ſententia colligi poteſt, & hæc objectio omninò extra quæſtionem eſt, de qua agimus, ubi non de communi Divinæ Providentiæ lege, ſed de abſoluta Dei potentia agitur.

Confirmari iterùm, & apertiùs etiam poteſt quòd Hæreticos ſecum turpiter pugnaſſe hac in, ipſa re, ſeq; manifeſtiſſimis contradictionibus implicuiſſe dubitari non poſſit. Sic refert ipſe Bellarminus lib. 4. de Gratia, & Lib. Arb. c. 5. ubi ipſo titulo notandas fore à ſe *Lutheri, & Melanchonis contradictiones* pollicetur. Et quidem de Luthero inprimìs refert ita docuiſſe, quòd *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, & titulus ſine re, quia nulli eſt in manu quippiam cogitare boni, vel mali, ſed omnia ut Wicleſi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet, neceſſitate abſoluta eveniunt, quod & Poëta voluit dum dixit, Certa ſtant omnia lege. Et Chriſtus Matthei 6. Folium arboris non cadet in terram ſine Patre veſtro qui in Cælis eſt.* Ac deinde de Melanchone iſta idem Bellarminus refert. *Itaque in quæſtionem vocatur, ſitne libera voluntas, & quatenùs libera ſit. Reſponſio. Quandoquidem omnia quæ eveniunt, neceſſariò juxta divinam prædeſtinationem eveniunt, nulla eſt arbitrii libertas. Quid igitur, inquies, nulla eſt in rebus contingentia, nihil caſus, nihil fortuna? Omnia neceſſariò evenire Scripturæ docent: & ſi videatur tibi, in rebus humanis eſſe contingentia, judicio rationis hìc imperandum eſt.* Hęc ibi: ubi errores Stoïcorum turpiter ab his Hęreticis revocatos fuiſſe nemo non videt. Et tamen poſteà, ab iis in operibus ſaltem naturæ, & quantùm ad officia vitæ civilis, libertas ultrò admiſſa eſt, & laudatum etiam ipſum liberi arbitrii nomen quod iis anteà exoſum erat; adeò vis veritatis ad ſui aſſenſum, vel ipſos invitos cogit. Unde ex eodem Luthero hæc deinde refert idem Bellarminus: *Multi de libero arbitrio indiſcretè loquuntur. Idcircò hanc brevem informationem adſcripſimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum, vel omittendum opera externa, per legem, & pœnas adactus.* Et infra: *Voluntas humana eſt vis libera, ut facere poſſit juſtitiam carnis, ſeu juſtitiam civilem, ubi lege, & vi agitur, ut non furari, non occidere &c.* De Melanchone verò hæc etiam refert: *Monendi ſunt rudiores ut à Phyſicis ſumant diſtinctiones, & appellationes partium hominis. In homine eſt pars cognoſcens, & judicans, quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio. Altera pars appetens vocatur voluntas: vocatur autem liberum arbitrium mens, & voluntas conjuncta.* Reprehenditque etiam Melanchon Vallam, quem anteà laudaverat: *Valla*, inquit, & *plerique alii non rectè detrahunt voluntati hominis libertatem, quia fiunt omnia decernente Deo.* Et alibi: *Stoïcas illas de Fato, ſeu Vallæ abſurdas imaginationes, quæ propter divinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus.* Hæc ibi: quæ craſſiſſimæ contradictiones ſunt, quibus apertum eſt, utrumque hæreticum ſe implicuiſſe; ut nec mirum eſſe debeat, ſi alteram etiam contradictionem adjunxerint, vigente rationis judicio, adimi libertatem.

Atque hinc facilè ad alterum reſponderi poteſt, quòd nullus ex Theologis contra Lutherum, & Calvinum ea ratione uſus fuerit, non poſſe libertatem adimi ſtante judicio rationis. Reſpondeo enim inprimìs: quid neceſſe erat philoſophica immiſcere contra homines à quibus nec ipſa ratio audiebatur, qui fato omnia tribuebant, & advocabant Stoïcorum errores; adeò ut nec in noſtra eſſet poteſtate quidpiam cogitare boni vel mali. Sed prætereà ſupervacanea etiam fuiſſet hæc impugnatio, cùm de manifeſtiſſima hæreſi convinci facilè poſſent: de ſublata ſcilicèt arbitrii libertate; quam ineſſe homini ubique fermè Sacræ Scripturæ clamant: cùm alioquin inutilis foret omnis exhortatio, injuſta punitio, nullaque eſſent hominum peccata. Sed demùm neque id verum eſt, prætermiſſam fuiſſe à Theologis eam rationem: cùm Bellarminus ipſe eodem lib. 4. de Grat. & Lib. Arb. c. 10. eam rationem advocet, ex ipſa rei natura deſumptam: quia *Talis eſt*, inquit, *in unoquoque appetendi modus, qualis eſt cognoſcendi: appetitio enim cognitionem ſequitur, nec fieri poteſt*, inquit, *ut quis appetat rem incognitam.* At verò in hominibus, inquit, eſt cognitio finis, & mediorum, quę ad finem aſſequẽdum opportuna ſunt. Ergo hominum appetitio ex neceſſitate quidem fertur in finem, & media, quæ cum fine connexa eſſe cognoſcuntur; ſed in alia non poteſt niſi contingenter ferri: Atquì hoc eſt, hominem eſſe liberum libertate contingentiæ, poſſe videlicèt vel eligere, vel rejicere media, quæ ratio docet cum fine non eſſe neceſſariò connexa. Hæc fermè Bellarminus, quibus Hæreticos impugnat, & ex ipſa conditione rationis, libertatem ineſſe homini demonſtrat, nec fieri poſſe, inquit, quòd alius ſit modus appetendi, alius verò modus cognoſcendi. Atque id etiam ex S. Gregorio Nyſſeno confirmat lib. 7. de Philoſophia cap. 1. Quòd conſultatio ad electionem ordinatur: ac proinde ubi eſt vis conſultiva, ibi eſt etiam elective: ubi autem eſt vis elective, ibi eſt libertas arbitrii; & alia hujuſmodi, quibus liquet, libertatem ex cognitionis modo D. Gregorium Nyſſenum repetiiſſe. Quod idem à cæteris SS. Patribus ubique, & in Dogmaticis, & in Polemicis contra Hęreticos factum eſt, ut etiam ex ſuperioribus conſtat, cùm de libertatis definitione ageretur, in qua rationem libertatis fontem, & regulam eſſe agno-

verunt, & ex Magistro Sententiarum retulimus. Quòd si eam quæstionem prætermiserint, scilicèt nullâ potentiâ fieri posse, quòd vigente rationis judicio libertas adimatur; rectè consultòque hæc quæstio ab ipsis prætermissa est: cùm omninò inutilis sit. De statuto enim rerum ordine cum Hæreticis agendum erat; in eoque fieri non posse rectè contendebant Theologi ut alius sit modus appetendi, alius cognoscendi, ut ex Bellarmino retulimus. Quid verò fieret si constitutus ille ordo inverteretur, inutile erat inquirere. Et quidem si concessissent, posse aliquando tandem voluntatem auferri etiam prælucente judicio rationis, causam Hæreticorum adjuvissent, quod sanè imprudentiæ fuisset: si verò negassent, ansam Hæreticis dedissent, calumniandi, quòd jura Divinæ omnipotentiæ læderentur, & novæ concertationes exortæ fuissent: unde consultiùs ab eis hæc quæstio prætermissa est, si reipsà ab omnibus prætermissa sit: neque enim vacat de ea re admodùm inutili inquirere, quam non omninò à Bellarmino prætermissam fuisse jam diximus.

QUÆSTIO IV.

Quæ indifferentia ad libertatem pertineat.

PErtinere ad naturam ipsius libertatis, à necessitate immunitatem, & indifferentiam, hactenùs satìs demonstravimus, & invictis S. Thomæ tum testimoniis, tum rationibus, ita evicimus, ut verisimile sit ab his Authoribus, qui novam de libertate in sola immunitate à coactione repositâ sententiam in Scholas invehere voluerant, si ea quæ retulimus ex D. Thoma, observata fuissent; aut mutassent omninò sententiam, aut eam D. Thomæ sententiæ adversam esse, ejusque, ac veræ Theologiæ principiis repugnare non dubitassent.

Sed altera jam ex parte pugnandum est adversùs eos qui in oppositam omninò sententiam declinarunt: quique libertatem vagam suspensam, & peræquè ad bonum ac malum propendentem, admittendam esse existimant; quâ velutì emancipatus homo nequidem Deo subjici possit, nisi eum blandis admonitionibus, suasionibus, & motione morali alliciat: secùs verò si majori potentia cum ipso agere velit, & fortiori modo ac potentiori gratia, & motione efficaci concurrere.

Sed demonstrandum modò est, hac sententiâ veram libertatis notionem destrui, & imaginem deformari, cùm per se se ad bonum, virtutem, Deum unicè diligendum, ultimumque finem consequendum, à natura, & Authore naturæ Deo libertas ordinata sit: quamvìs aliquis ipsi ex sua origine, & ex nihilo unde extracta est nævus adhæreat: qui tamen nævus ita abstergi, aut tegi possit, ut nihil ipsius naturæ depereat. Ubique Sanctum Thomam hìc loquentem referemus; eò enim tacente muti sumus, cùm nobis in votis sit, in Theologicis nihil nisi D. Thomam scire.

ARTICULUS I.

Triplex ex S. Thomæ indifferentia libertatis: Contrarietatis indifferentia ad veram libertatis notionem non pertinet.

PLurima habet D. Thomas, multisque in locis, unde vera libertatis notio desumi potest, & intelligi quid ad ejus naturam, quid ad defectum pertineat. Plura retulimus supra & jam principia ipsa sæpiùs stabilivimus. Sed ita omnia colligit S. Thomas quæst. 22. de Veritate, inter quæstiones quas vocant disputatas, ut nihil ultra addi posse videatur. Ita verò habet Articulo sexto: ubi inquirit, *Num voluntas de necessitate velit quidquid vult?* Triplicem verò distinguit voluntatis, & libertatis indifferentiam. Primam *quantùm ad actum*, quatenùs voluntas agere potest, & non agere, quæ ab aliis indifferentia contradictionis dicta est. Secundam *quantùm ad objectum*, ut plura, & diversa eligere potest, quæ tamen omnia ad ultimum finem conducere possint: & ea sub indifferentia quam contrarietatis vocant, comprehendi potest: sed veriùs indifferentia, cum D. Thoma, quantùm ad objectum, seu etiam indifferentia circa diversa, & disparata dicenda est. Tertiam verò *quàtùm ad ordinem finis*, in quantùm potest velle bonum vel malum, quæ propriè contrarietatis libertas, & indifferentia vocari solet.

Sed nè quis à nobis quidquam imponi arbitretur, integrum D. Thomæ Articulum referendum esse existimavimus, ut & omnium connexio faciliùs percipiatur, & quàm sint omnia superioribus consentanea quisque facilè per se se dijudicet. Sic ergo articulum inchoat. Respondeo, *Dicen-*

, ẽndum, quòd ex hoc aliquid dicitur esse necessariũ; quòd est immutabiliter determinatum ad unũ. Unde cùm voluntas indeterminatè se habeat respectu multorum, non habet respectu omnium necessitatem sed respectu eorũ tantùm ad quæ naturali inclinatione determinatur, ut dictum est, superioribus articulis: *& quia omne mobile reducitur ad immobile, & indeterminatũ ad determinatum, sicut ad principium; ideò oportet quòd id ad quod voluntas est determinata, sit principium appetendi ea, ad quæ nõ est determinata, & hoc est ultimus finis.*

Vides quàm hæc sint consentanea iis quæ sæpiùs diximus, voluntatis indifferentiam non esse ita à natura institutam, ut circa finem exerceri possit aut debeat: sed ab ipsa natura voluntatem esse determinatam ad finem, & ex ea determinatione indifferentiam omnem quam habet ad ea, quæ sunt infra finem debere coërceri: imò ex ea determinatione ad unum, indifferentiam oriri, quia omnis motus reducitur ad immobile ut ad suum principium.

Pergit verò S. Thomas, & quæ sit ea voluntatis indeterminatio ostendit. *Invenitur autem indeterminatio voluntatis respectu trium, scilicèt respectu objecti, respectu actûs, & respectu ordinis ad finem. Respectu objecti quidem est indeterminata voluntas quantùm ad ea quæ sunt ad finem ipsum ultimum, ut dictum est: quod ideò contingit, quia ad finem ultimum multis viis perveniri potest, & diversis diverse viæ competunt perveniendi in ipsũ. Et ideò non potuit esse appetitus voluntatis determinatus in ea quæ sunt ad finem, sicut est in rebus naturalibus, quæ ad certum finem, & determinatum, non habent nisi certam, & determinatam viam. Et sic patet quòd res naturales sicut de necessitate appetunt finem, ita & ea quæ sunt ad finẽ, ne nihil sit in eis quòd possint appetere, vel non appetere. Sed voluntas de necessitate appetit ultimũ finem, ut non possit ipsum non appetere: sed non de necessitate appetit aliquid eorum quæ sunt ad finẽ. Unde respectu hujus est in potestate ejus appetere hoc vel illud.*

Hæc prima indeterminatio, seu voluntatis indifferentia, quæ ex volitione finis determinatur quidem ad medium aliquod eligendum: sed cùm pluribus mediis finis comparari possit, in quo distinguitur rationalis natura à rebus inanimatis, quæ unicâ dumtaxat viâ ad suum finem terminumque pervenire possunt, ut lapis casu, ignis motu sursum &c. inde fit, quòd medium quodlibet singulare voluntas summâ indifferentiâ respiciat, ab eoque independens sit, cùm aliud assumere possit ad finem obtinendum.

Secundò: Est voluntas indeterminata respectu actûs: quia circa objectum determinatum potest uti actu suo cùm voluerit, vel non uti. Potest enim exire in actum volendi respectu cujuslibet, & non exire, quod in rebus naturalibus non contingit. Grave enim semper descendit deorsum in actu, nisi aliquid prohibeat: quod exinde cõtingit, quòd res inanimatæ non sunt motæ à seipsis, sed ab aliis: unde nõ est in eis moveri, & non moveri. Res autem animatæ moventur à seipsis: & inde est quòd voluntas potest velle, & non velle.

Hæc secunda indeterminatio, quam iterùm probat, & explicat S. Thomas comparatione rerum naturalium, Sol enim, ignis, plantæ, & alia hujusmodi semper sunt in actu ad quem naturâ suâ moventur, nec ipsis in potestate relictum est posse agere vel non agere.

Tertiò: Indeterminatio voluntatis est respectu ordinis in finem, inquantùm voluntas potest appetere id quod secundùm veritatẽ in finem debitum ordinatur, vel secundùm apparentiã tantùm: & hæc indeterminatio ex duobus contingit, scilicèt ex indeterminatione circa objectũ, in his quæ sunt ad finẽ; & iterùm ex indeterminatione apprehensionis, quę potest esse recta, & nõ recta. Sicut enim ex aliquo principio vero dato nõ sequitur falsa conclusio, nisi per aliquã falsitatem rationis assumentis aliquam falsam, vel falsò ordinantis principium in conclusionẽ: Ita ex quo inest appetitus rectus ultimi finis, nõ posset sequi, quòd aliquis aliquid inordinatè appeteret, nisi ratio acciperet aliquid inordinatè in finem, quod non est ordinabile in finem: sicut qui appetit Beatitudinem appetitu recto, nunquàm deducetur in appetendam fornicationem, nisi in quantũ apprehendit eam ut quoddam hominis bonum, in quantùm est quoddam delectabile bonum, & sicut ordinabile in beatitudinem, velut quandam imaginem ejus. Et ex hoc sequitur indeterminatio voluntatis quę potest bonum, vel malum appetere.

Hæc tertia voluntatis indeterminatio, qua potest vel ad finem mediis consentaneis, & virtutem sequendo pertingere: vel ab eo decidere, dum opposita media per vitiorũ prærupta sectatur. Hanc verò voluntatis indeterminationem & indifferentiam adesse probat Sanctus Thomas ex proximo ipsius principio, scilicèt rationis judicio, quo voluntas regitur, & interdum seducitur; qui utriusque potentiæ defectus ex altero etiam remotiori principio oritur, ut dicemus Articulo sequenti: ex eo quòd alteri agenti interdum succumbat à quo vinci potest, & quòd delectatione, vel suggestione, vel alio aliquo ab eo quod ipsi naturale est, ad id quod est ipsi innatûrale, ut loquitur S. Thomas, pertrahitur.

His verò ita explicatis, comparat D. Thomas hanc triplicem indeterminationem; ostenditq ue ad naturam libertatis quæ propriè pertineat, vel quæ sit ipsius nævus, ex imperfectione statûs libertati adhærens.

Cùm autem, subdit, *voluntas dicatur libera, in quantùm necessitatem non habet; libertas in tribus considerabitur, scilicèt quantùm ad actum, in quãtùm potest velle, & non velle; & quantùm ad objectum, in quantùm potest velle hoc, vel illud, vel ejus oppositum; & quantùm ad ordinem finis, in quantùm potest velle bonum vel malum.*

Hæc triplex indifferentia quam suprà distinximus. Prima quantùm ad actum, quæ est indifferentia contradictionis, ut potest agere vel non agere. Secunda quantùm ad objectum, seu indifferentia circà diversa, fini tamen consentanea

nea, neque unquàm propriè contraria, quia nulla virtus alteri propriè adversatur. Tertia tandem quantùm ad ordinem finis, quæ est indifferentia contrarietatis ad bonum & malum, & circa media vel consentanea, vel adversa fini. Quæ verò ad libertatem pertineat per se, & ex institutione naturæ, ipsamque in omni statu comitetur, vel ab ea sejungi possit, ita explicat S. Thomas:

Sed quantùm ad primum horum inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ respectu cujuslibet objecti: secundum verò horum est respectu quorundam objectorum, scilicèt respectu eorum, quæ sunt ad finem, & non ipsius finis, & etiam secundùm quemlibet statum naturæ. Tertium verò non est respectu omnium objectorum, sed quorundam; eorum scilicèt quæ sunt ad finem: nec verò cujuslibet statûs naturæ, sed illius tantùm, in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo, & conferendo; non potest esse voluntas mali, in his quæ sunt ad finem, sicut patet in Beatis, & pro tanto dicitur quòd velle malum, nec est libertas nec pars libertatis, quamvis sit libertatis signum. Hæc omnia S. Thomas. Ex quibus ne unum quidem verbum detrahere voluimus, ut omnium faciliùs connexio perciperetur. Et

Confirmari hæc multis possent, cùm similia sæpiùs repetendi, eademq; principia usurpandi se se Divo Thomæ occasio sæpiùs obtulerit. Sed cùm hæc adeò aperta sint, & ex professo à D. Thoma pertractata, ut certam ac constantem ipsius sententiam esse nemo jure dubitare posse videatur, plura referre supervacaneum foret. Vide tamen 1. 2. quæst. 9. & 10. & quæst. 6. de Malo art. unico &c. ex quibus plura sequenti articulo.

Igitur constat ex his, quid propriè ad libertatem pertineat, & sine quo in nullo statu reperiri possit: quod si deesset, interiret libertas, vel quod sine hujus dispendio abesse possit. Duplex prima indifferentia ad libertatem pertinet, scilicèt indifferentia quoad actum, seu agendi vel non agendi; & altera quoad objecta, seu indifferentia circa diversa, quæ tamen ad finem obtinendum conducere possunt: & si prima saltem non supereset, nulla posset esse libertas. Unde colliges, quantùm necesse sit ex D. Thomæ principiis, ad libertatis constitutionem abesse necessitatem, neque posse amori Beatifico libertatem inesse: cùm in omni statu naturæ, gratiæ, & gloriæ, in Deo, & Angelis, ac Beatis, hæc duplex indifferentia reperiri debeat, quæ ab amore beatifico abest. At verò de tertia indifferentia contrarietatis ad bonum & malum, longè diversa ratio est. Hanc enim in Deo reperiri repugnat, eamque status gloriæ in Angelis, & Beatis omninò amovet; status verò gratiæ coërcet: nunquàm enim illud S. Joannis 1. Epist. cap. 3. nutare poterit. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Constat itaque ex S. Thoma, eam indifferentiam quæ est ad bonum, & malum, & quam contrarietatis vocant, minimè ad libertatem pertinere, sed defectum esse ipsius libertatis, qui ipsi; non ex suæ naturæ principio, scilicèt Deo, sed dumtaxàt ex ea origine aut termino unde educta est, scilicèt nihilo, adhæret, ut Sanctus Thomas eodem loco ad 2. argumentum docuit. *Quòd voluntas sit flexibilis ad malum, non habet secundùm quod est à Deo, sed secùndùm quod est ex nihilo.* Ex quibus manifestissima consecutione infra demonstrabimus, tantùm abesse, quòd motio quâ voluntas ad bonum determinatur ac movetur, libertatem aut lædat aut destruat; ut etiam ea motione libertas multò perfectior evadat: quia licèt ea motio non auferat mutabilitatem voluntatis, nec eam impeccabilem reddat, quæ summa est perfectio, & voluntatis, & libertatis; efficit tamen, ut voluntas à peccato immunis sit; quæ verissima est libertas à peccato, de qua multis supra egimus.

Sed ut hæc adhuc ex primis principiis educantur, alterum etiam addendum est.

ARTICULUS II.

Prosecutio ejusdem Argumenti, indifferentiam contrarietatis ad libertatem per se non pertinere.

Cùm maximi momenti hæc quæstio existimanda sit, atque ex his principiis hìc constitutis concordia divinæ motionis cum libertate explicanda sit, & omninò dependeat; non erit grave Lectoribus si hanc quæstionem pluribus prosequamur: cùm etiam tot habeat Sanctus Thomas, & quidem scitu dignissima, ut unico Articulo satis commodè comprehendi non possint. Sed cùm non soleat Divus Thomas nisi gravissimis rationibus, quæ in medium affert stabilire, in varia capita variis rationibus distincta omnia secerni possunt, ut etiam tractatio aliunde apertior sit.

Primò igitur, indifferentiam quoad ordinem finis, seu contrarietatis ad bonum & malum, ad libertatem minimè pertinere, probat D. Thomas, ex ipsa ratione, & natura libertatis, ad quam solùm pertinet hoc vel illud eligere, eorum quæ ad finem conducunt. Quæ eadem ratio est quam aliàs fusè prosequuti sumus, quòd libertas sit vis electiva mediorum, temperata, & coërcita ratione finis, nè se præcipitem ferat, si nulla finis vel honesti, aut debiti ratio haberetur. Unde præter sæpiùs dicta, quæ omnia possunt huc advocari, probat etiam Divus Thomas in 2. dist. 7. quæst. 1. artic. 1. ubi de Angelis Beatis agens, *Utrùm peccare possint?* inquit: quòd licèt Angelus in his actibus qui conjungunt fini, visione scilicèt, & amore, modo sæpiùs explicato determinatus sit; in aliis tamen non ita determinatus est,

quin

quin poſſit, *Hoc facere vel non facere, aut hoc vel illud facere; non tamen propter hoc peccare poteſt: quia ſecundùm Anſelmum in Proſologio; poſſe peccare non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis: quia liberum arbitrium eſt libertas eligendi hoc vel illud eorum quæ in finem ducunt.*

Hæc prima ratio ex ipſa libertatis natura deſumpta: quòd nimirùm liberum arbitrium nihil aliud ſit quàm vis electiva eorum quæ in finẽ ducunt, non verò eorum quæ à fine abducunt, & dimovent: cùm non magis ad libertatem pertinere poſſit, quòd ea eligat, quæ ultimo fini adverſa ſunt, quàm ad rationem pertineat, ut repugnãte ordine, & connexione principiorũ concluſiones deducat. Atque eo pacto illud intelligit D. Thomas dictũ ab Ariſtotele, quodque etiam objici poſſet, ſcilicèt poteſtates rationales, nimirùm rationem ipſam, & voluntatem quę ratione ducitur, eſſe ad oppoſita. *Rationalis enim poteſtas*, inquit S. Thomas, *dicitur oppoſitorum quæ ſub electione cadunt, quorũ proprium eſt liberum arbitriũ: electio autem non eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem: & hæc non eliguntur niſi ſecundùm regulã finis, quæ eſt in æſtimatione. Et ideò de fine non poteſt voluntas contrariè ſe habere: voluntas enim nõ poteſt eſſe de miſeria, neque de malo in quantùm hujuſmodi: ſed ſemper eſt de bono, & de beatitudine, ad quam tamen conſequendam poſſunt homines diverſas vias eligere: ſecũdùm quòd in illis meliùs æſtimant ſe poſſe felicitatem conſequi. Unde poteſt eſſe error in electione eorũ quæ ſunt ad finẽ ipſum. Et ideò apud illos quorũ eſt indeficienter recta æſtimatio finis, ſicut apud Angelos qui ipſo fine perficiuntur; impoſſibile eſt eſſe voluntates alicujus eorũ quæ à fine deordinantur, cujuſmodi eſt volũtas peccati: ſed tamẽ poſſunt velle hoc vel illud cujus à fine neutrũ deordinat. Et ſic ſalvatur proprietas rationalis poteſtatis, in quãtùm poſſunt hoc facere vel non facere, quamvis non poſſint in hæc oppoſita bonum & malum.* Vix una linea eſt, quæ ſingularem obſervationem non mereretur, & quę adductam rationem validè non confirmet. Ita verò hæc ratio in communem formam reduci poteſt. Libertas eſt vis electiva mediorum, *& propriè liberum arbitrium eſt dumtaxàt oppoſitorum quæ ſub electione cadunt*: Atquì electio eſt ſolùm de his quæ ſunt ad finem, & quæ eliguntur *ſecundùm regulam finis*, non verò de his quæ deordinantur à fine, cujuſmodi eſt voluntas peccati: Ergo libertas eſt dumtaxàt eorum quæ ad finem conducunt, non verò de his quæ à fine avocant, & in quibus eſt potentia peccandi.

Secundò: Probat D. Thomas altera ratione quam ſuprà fusè proſequuti ſumus, quæ tamen hìc non poteſt prætermitti: comparatione ſcilicèt inter voluntatem, & intellectum. Sed nec paucioribus verbis perſtringi poſſet quàm à S. Thoma perſtricta ſit. 1. par. quæſt. 62. art. 8. *Liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea quæ ſunt ad finem ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones: manifeſtum eſt autem quòd ad virtutem intellectûs pertinet, ut in diverſas concluſiones procedere poſſit ſecundùm principia data; ſed quòd in aliquam concluſionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius: Unde quòd liberum arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: ſed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.* Argumentum ſyllogiſmi leges omnes perfectiſſimè ſervat, & veriſſima demonſtratio eſt, cujus nulla propoſitio vel leviſſima ſimilitudine veri negari poteſt. Certum eſt libertatem verſari circa media, non ſecùs ac ratio verſatur circa concluſiones. Quis verò unquàm exiſtimet ad rationis naturam pertinere, ut nullo habito reſpectu principiorum, hinc inde primum quod occurrerit pro concluſione arripiat, & extra chorum ſaltet. Igitur nec ad libertatem pertinere poteſt, ut *nullo ſervato ordine finis, quod eſt peccare*, temerè obvia quæque proſequatur, & in omnia ſe ſe effrænis conjiciat. Vide ſuperiùs dicta.

Tertiò: Probat iterùm S. Thomas ex ipſa inſtitutione naturæ, quæ voluntatem ad bonum dumtaxàt, & non ad malum ordinavit, in 2. diſt. 25. quæſt. 1. *Utrùm in Deo ſit liberum arbitrium? Ad rationem*, inquit, *liberi arbitrii non pertinet ut indeterminatè ſe habeat ad bonum vel ad malum: quia liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum eſt, cùm bonum ſit objectum voluntatis, nec in malum tendat, niſi propter aliquem defectũ qui apprehenditur, ut bonum; cùm non ſit volũtas, vel electio niſi boni, aut apparentis boni: & ideò ubi eſt perfectiſſimè liberum arbitrium, ibi in malum tẽdere non poteſt: ſed hoc ad libertatẽ arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit. Et hoc Deo convenit: bona enim quæ facit poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt.* Atque eandem rationem ſuprà expendimus, ubi de libertate à peccato actum eſt: & oſtendimus eam veriſſimam eſſe libertatem; quòd cùm libertas per ſe ordinetur ad bonum, non poteſt non ipſi opponi peccatum, quo à bono retrahitur; ac ſubinde immunitas à peccato ad veram libertatem pertinet. Videnda ſunt quæ ibi diximus, ne eadem hìc repetamus.

Quartò: Probari poteſt ratione non abſimili, ex eo quòd non poteſt pertinere per ſe ad perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem, quę eſt in Deo, Chriſto, Angelis, ac Beatis, ut ad malum, & peccatum ordinetur: cùm evidens ſit, nec in Deum, nec in Chriſtum, aut Beatos, vel minimum defectum, umbramque peccati cadere poſſe. Unde & S. Thomas, cùm de votis agit, 2.2. quæſt. 88. art. 4. inquit, *Quòd ſicut non poſſe peccare non diminuit libertatem, ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bono non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & Beatis: & talis eſt*, inquit, *neceſſitas voti, ſimilitudinem quandam habens cum confirmatione Beatorum. Unde Auguſtinus dicit in eadem Epiſtola 44. ad Armentarium, & Paulinam, quòd felix neceſſitas eſt, quæ in meliora compellit.*

Confirmatur primò ex his verbis, ex quibus

non

non una solùm ratio deduci potest. Inprimis non potest pertinere ad perfectionem simpliciter simplicem, ut quocumque modo ad peccatum inclinet, habeatque indifferentiam contrarietatis, qua *nulla major imperfectio* esse potest; cùm perfectio simpliciter simplex integra ex omni parte esse debeat, nec minimam labem in sese ferre possit: Atquì libertas non potest non esse hujus conditionis perfectio plena, integraque, cùm in Deo sit, Christo Domino, Angelis ac Beatis: Ergò non potest ad peccatum inclinare, aut tanquàm partem essentialem includere indifferentiam contrarietatis ad bonum, & malum.

Confirmatur iterùm: Si ea indifferentia, atque potentia peccandi ad libertatem pertineret, quò magìs voluntas ab ea potentia recederet, & à se eam indifferentiam amoveret, seque in bono cõfirmaret, quantùm posset, sibique veluti necessitatem benè agendi imponeret, & sese votis adstringeret; eo magìs minueretur libertas voluntatis: Atquì id omninò falsum est, imò à pietate quàm maximè est alienum: quisquis enim se votis adstringit, sibique adimit quantùm potest eam libertatem vagam, & effrænem, imponitque sibi necessitatem sectandi meliora, & viciniora saluti, non ideò libertatem amittit, aut minuit, sed similitudinem quandam cum confirmatione Beatorum acquirit: Ergo.

Confirmatur iterùm ex his quæ fusiùs explicat D. Thomas quæst. 16. de malo art. 5. *Utrùm liberum arbitrium in Dæmonibus possit reverti ad bonum?* ubi eadem principia quæ suprà retulimus revocat, jisque novam lucem affundit. Refert verò in primis errorem Origenis, qui existimaverat olim, damnatos homines, dæmonesque posse aliquando vi tormentorum compulsos, suaque libertate usos in bonum converti, ac deinde divinâ misericordiâ sublevatos omninò tormentis eximi. Et animadvertit S. Doctor errorem Origenis profectum esse ex eo pravo principio: *Cujuslibet creaturæ liberum arbitrium in quolibet statu esse vertibile ad bonum, & malum.* Quia ut inter argumenta objicit: *Quod natura est tale, semper est tale: sed Angelus naturaliter habet quod possit converti ab bonum: Ergo semper potest in bonum converti, sicut ante peccatum, ita & post peccatum*, maximè ut adddit num. 15. quia *Mutatio status non tollit libertatẽ arbitrii quæ est ei naturalis: sed libero arbitrio per se convenit converti posse in bonum: Ergo. Verùm*, subjicit statim S. Thomas: *Considerandũ est, quòd Origenis error provenit, quòd non consideravit quid per se pertineret ad liberi arbitrii potestatẽ, sine quo homo in nullo statu reperitur*. Deinde Quæstionem resolvit, ostenditque quæ sit illa arbitrii potestas, quam in omni omninò statu voluntati convenire necesse est. *Est ergo considerandum, quòd ad rationem liberi arbitrii per se pertinet, quòd in diversa ferri posset &c.* Hęc in communi verissima liberi arbitrii potestas est, quòd ad unum constricta non sit, sed liberiùs circa multa versari possit. Hanc verò amplitudinem convenire voluntati probat Doctor Angelicus cõparatione brutorum, quibus cùm à natura judicium ad unum determinatum sit, ita ad illud unicum agendum constringuntur, ut aliud agere non possint: unde videmus quòd quælibet animalium species suam industriam habet docente naturâ: omnis aranea texit, omnis hirundo nidum construit, omnis formica congregat, & omnis dulcia defecta modulatur carmina lingua, cantator cygnus funeris ipse sui.

Cæterum, cùm triplex intelligi possit ea diversitas, aut arbitrii potestas, quæ in diversa ferri potest; non æquè omnis ad libertatem pertinere censenda est. Est enim, inquit, prima diversitas secundùm diversitatem mediorum quæ eliguntur; est & altera secundùm differentiam boni, & mali, cùm voluntas aut bonum prosequitur, aut ab eo peccato recedit: est demum, & tertia secundùm differentiam mutationis ipsius voluntatis, sua libertate in omnes partes volubilis, quæ interdum non vult quod ante volebat. Prætermittit S. Thomas hìc alteram libertatis indifferentiam quam alibi explicuit, scilicèt indifferẽtiam contradictionis, qua voluntas potest velle, & nolle; quòd hæc ad rem de qua erat illi quæstio pertractanda, non pertineret. Constituta verò hac triplici differentiâ, de qualibet judicium profert, nùm ad libertatem pertineat, & quemlibet hominis statum comitetur. Jta verò resolvit.

Prima, inquit, differentia, aut potestas quâ in diversa ferri voluntas potest, est *secundùm differentiam rerum quæ eliguntur propter finem*: & ea potestas eligendi plura, libertatem in omni etiam statu comitatur: Unde non potest ad ejus naturam nõ pertinere. *Unicuique* enim *naturaliter convenit unus finis, quem naturali necessitate appetit, quia natura semper tendit ad unum: sed quia ad unum finem multa ordinari possunt, appetitus intellectualis vel rationalis naturę potest tẽdere in diversa eligendo ea quę sunt ad finem*; & in ea electione aut potestate eligendi plura in ordine ad finem, non potest non esse constituta vera ratio libertatis: Tum quia libertas est ipsa vis elective mediorum, & in ea electione positum est libertatis exercitium: tum quia ex eo quòd plura sunt media eligenda, quibus ad finem pervenire potest voluntas; inde consequitur, quòd indifferenter quodlibet respiciat, ab eoque independens sit, cùm eô relictô aliud amplecti possit, atque hujus ope finem assequi. Unde cuilibet in particulari voluntas dominatur, ipsumque suo dominio plenissimè subjicit, uni dumtaxàt ultimo fini, & summo bono addicta. Unde in omni natura intellectuali, & in omni statu, ea potestas plura eligendi reperitur. *Et hoc modo*, inquit D. Thomas, *Deus tanquàm proprium finem naturaliter vult suam Bonitatẽ, nec potest non velle eam. Sed quia ad bonitatem ejus ordinari possunt diversi modi, & ordines rerum; voluntas ejus non sic fertur ad unum in suis effectibus, quin quantùm est de se possit ferri ad aliud: & secundùm hoc cõpetit Deo libertas arbitrii. Simi-*

liter

liter & Angelus, & homo, habent finem naturaliter ſibi præſtitutum, Beatitudinem; unde naturaliter appetunt eam, nec poſſunt velle miſeriam, ut Auguſtinus dicit 8. *de Trinit: ſed quia ad Beatitudinem diverſa poſſunt ordinari, in eligendo ea quæ ſunt ad finem, poteſt voluntas tam hominis quàm Angeli boni vel mali in diverſa ferri*. Hæc igitur veriſſima libertatis ratio, quæ naturam omnem intellectualem comitatur, & quæ ita inſerta eſt, ac veluti implantata naturæ, ut nunquàm avelli poſſit, neque ullam vel minimam imperfectionis umbram admittat: Unde in Deo, Angelis, Beatiſque omnibus reperitur.

At verò longè alia ratio eſt de ſecunda altera poteſtate eligendi bonum, & malum: unde ſtatim proſequitur S. Thomas. *Secunda diverſitas in quam liberum arbitrium poteſt, attenditur ſecundùm diſtantiam boni, & mali: ſed iſta diverſitas non per ſe pertinet ad poteſtatem liberi arbitrii, ſed per accidens ſe habet ad eam, in quantùm invenitur in natura deficere potenti*. En expreſſam ſententiam S. Thomæ, & quid de ea infelici potentia peccandi exiſtimet. Abſit ut ea ad naturam libertatis, rei nobiliſſimæ, & perfectiſſimæ, & quæ tanquàm aliquid Divinum in anima fulget, pertinere exiſtimetur, *Per accidens ſe habet*; & cùm ea in Beatis deperditur, vel in juſtis gratiâ coërcetur, nihil veræ libertati deperit, ſed imperfectione ſublata, multò liberior, ac perfectior ipſa libertas evadit.

Probat verò, eam poteſtatem ad libertatem pertinere non poſſe, eâdem ratione, qua ubique aliàs utitur. *Cùm* enim, inquit, *voluntas de ſe ordinetur ad bonum ſicut in proprium objectũ; quòd in malum tendat, non poteſt contingere, niſi ex hoc quòd malum apprehendatur ſub ratione boni; quod pertinet ad defectum intellectûs, vel rationis, unde canſatur libertas arbitrii. Non autem pertinet ad rationem alicujus potentiæ quòd deficiat in ſuo actu; ſicut non pertinet ad rationem potentiæ viſivæ, quòd aliquis obſcurè videat. Et ideò nihil prohibet inveniri liberum arbitrium, quod ita tendat in bonum, quòd nullo modo poteſt tendere in malum, vel ex natura ſua, ſicut in Deo, vel ex perfectione gratiæ, ſicut in hominibus, & Angelis Beatis*. Igitur ad libertatem infelix ea ad malum potentia nullo modo per ſe pertinere poteſt: cùm è contra, & inſtitutioni naturæ repugnet, à qua libertas ad bonum ordinata fuerat: neque ullam potentiam in ambitu naturæ reperire ſit, ad quam *ut in ſuo actu deficiat* pertinere poſſit: ſicut nec ad rationem potentiæ viſivæ pertinet, quod obſcurè videat; neque ad rationem aëris, quòd abſente luce tenebris obvolvatur, ut aliàs expendimus.

Tertia demum diverſitas ſupereſt, *in quam liberũ arbitrium poteſt*: & quæ *attenditur ſecundùm differentiam mutationis. Quę quidem non conſiſtit in hoc, quòd aliquis diverſa velit: nam, & ipſe Deus vult ut diverſa fiant ſecundùm quòd cõvenit diverſis temporibus, & perſonis*: & hæc pertinet ad primam, quâ diverſa eliguntur, prout ratio finis exigit: *ſed mutatio liberi arbitrii*, de qua hic agitur, *conſiſtit in hoc, quòd aliquis illud idem, & pro eodem tempore*, aut eâdem circumſtantia temporis, *non velit, quod priùs volebat; aut velit quod priùs nolebat. Et hæc diverſitas non per ſe pertinet ad rationem liberi arbitrii, ſed accidit ei ſecundùm conditionem naturæ mutabilis. Sicut non eſt de ratione potentiæ viſivæ quod diverſimodè videat*. Sed hoc contingit quandoque propter diverſam diſpoſitionem videntis, cujus oculus quandoque eſt purus, quandoque autem turbatus. Et ſimiliter etiam mutabilitas ſeu diverſitas liberi arbitrii non eſt de ratione ejus, ſed accidit ei inquantùm eſt in natura mutabili. Hactenùs S. Thomas: Ex quibus

Confirmari poteſt ſuperior ratio, & in hanc formam reduci. *Illud per ſe pertinet ad liberi arbitrii poteſtatem, ſine quo homo in nullo ſtatu reperiri poteſt*. Atquì ea ſola poteſtas liberi arbitrii, *qua poteſt tendere in diverſa eligendo ea quæ ſunt ad finem*, ita ſe habet, ut ſine ipſa nulla intellectualis natura reperiri poſſit; non verò ea qua poteſt in diverſa contrariè, & prætermiſſo ordine finis, *quę attenditur ſecundùm differentiam boni & mali*: Ergo illa dumtaxàt ad libertatem per ſe pertinet, minimè verò hæc ſecunda. Minorem quantùm ad ſecundam partem in qua verſatur præſens difficultas multis probat S. Thomas. Primò ratione communi: quia *Non pertinet ad rationem potentię quòd à ſuo actu deficiat*, & à ſuo objecto, ad quod attingendum naturâ ſuâ inſtituta eſt: Atquì *liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum eſt, cùm ſit objectum voluntatis*. Secundò: ex regula menſuraque liberi arbitrii: quia *cùm voluntas aut electio non ſit niſi boni, aut ſaltem apparentis boni*, non contingit *quod in malum tendat, niſi propter aliquem defectum rationis, quę malum apprehendit ut bonum*: Atquì reperiri voluntas poteſt, quæ nunquàm niſi in bonum tendit, quia & intellectus conjunctus regulæ nunquàm errare poteſt. Tertiò: comparatione aliarum potentiarum: non enim pertinet ad rationem potentiæ viſivæ quod obſcurè videat; ſed multò perfectior erit potentia viſiva glorificati corporis quæ in ſumma ſemper luce verſabitur: Ergo. Quartò demùm, comparatione & ipſius Dei, & Angelorum, *in quibus tamen liberum arbitrium ita tendit in bonum, quòd nullo modo poteſt tendere in malum*. In qua tamen impotentia peccandi cum libertate conjuncta varii gradus diſtinguendi ſunt. Deo enim *ex natura ſua* ea convenit: *ex perfectione* verò, & conſummatione gratiæ *hominibus, & Angelis Beatis*: ad eos accedunt homines etiam in via conſtituti, & confirmati in gratia; quorum ita firmatur voluntas ac libertas natura ſua mutabilis, ut ab eo amicitiæ, & gratiæ ſtatu excidere non poſſint, nec niſi venialiter peccare: minor in cęteris ſub ipſa gratia conſtitutis, qui potentiâ cum actu etiam conjunctâ peccare poſſunt, & gratiam amittere.

ARTICULUS III.

Potentiam peccandi non esse à Deo, nec esse in Christo, & Beatis.

SUperiorem sententiam, scilicèt indifferentiam contrarietatis, seu facultatem benè, & malè agendi, minimè ad libertatem pertinere, hæc quæ modo subjungimus luculenter confirmabunt; Cùm non possit non esse à Deo authore quidquid ad veram libertatis rationem pertinet. Unde si probatum fuerit potentiam peccandi nō esse à Deo; inde manifestissima consecutione non poterit non deduci, potentiam peccandi etiam non spectare ad veram libertatem; quæ integra perfectaque remanere poterit, eâ infelici potentiâ, aut verius impotentiâ, cohibitâ vel omninò sublatâ.

Observandum tamen est: Primò, quòd cùm plures status à S. Thoma suprà distincti sint, in quibus libertas, & indifferentia contrarietatis aut reperiri poterat, aut ab his exulare: & præterea, cùm potentia peccandi eadem sit cum ea indifferentia contrarietatis; nihil vetat reperiri statum ad quem ea peccandi potentia, aliquo saltem modo statim explicando, pertineat. Atque id expressè docuit ipse D. Thomas 2. ad Annibal. dist. 25. quæst. unic. art. 4. ubi probat, *eandem esse libertatem, qua quis est liber ad bonum, & malum*. Et cùm sibi opposuisset, quòd *Posse peccare, ut Anselmus dicit, neque est libertas arbitrii, neque pars libertatis: sed posse peccare pertinet ad arbitrii libertatem: Ergo est eadem libertas in bonum, & malum*. Respondet, quòd *Posse peccare non est de necessitate liberi arbitrii in quacumque natura, vel in quocumque statu: & secundùm hoc intelligendum est dictum Anselmi. Pertinet autem ad arbitrii libertatem in aliqua natura, & in aliquo statu: & quantùm ad hoc libertas ad malum pertinet ad potentiæ libertatem quæ est respectu boni & mali*.

Pertinet itaque aliquo modo hæc potentia peccandi ad libertatem in aliqua natura, & in aliquo naturæ statu; dum scilicèt homo in via est, & necdum pervenit ad terminum, ubi cum ultimo fine, & operationum regula conjunctus sit. Quinimò, & aliquo sensu, nimirùm quantùm ad radicem, in ipso termino remanere eam potentiam, licèt sub ipsa gloria sepultam, dubitari non potest, cùm ea radix in ipsa creata natura sit. Si igitur de libertate sermo sit, & de ratione liberi arbitrii in Deo, & Angelis, & hominibus, secundùm aliquam communissimam analogiam, ut loquitur S. Thomas, quæst. 24. de verit. art. 10. ad 18. cùm sit perfectio simpliciter simplex: ea ratione nullo planè modo ad libertatem pertinere poterit ea potentia peccandi. At verò cùm de creaturis agitur, in quibus omnia permixta sunt, nec potest unquàm ea labes abstergi, quòd ex nihilo sint; etiam in his est potentia peccandi; sed tamen non eodem gradu; sicut nec eadem immaterialitas, nec eadem cognitionis perfectio, ut explicandum est sequenti Articulo: & quò propiùs ad Deum accedunt, eò minor est potentia peccandi, & perfectior libertas, de quo plura infra.

Secundò observandum est, ea quæ rebus conveniunt, non eodem semper modo convenire, maximè verò quæ ad imperfectionem ac defectum pertinent, ut notat S. Thomas 1. 2. quæst. 65. art. 3. aliisque in locis ubi de fide agitur. Aliquando enim defectus ad ipsam naturam, speciemque pertinet; ut defectus rationis ad naturam bruti, inevidentia objecti ad fidem, absentia ad spem: Unde impossibile est removeri eum defectum, & brutum ratione præditum esse, visionem cum fide, & cum spe possessionem conjungi. At verò interdùm ea imperfectio solùm convenit, vel ratione status, vel ratione subjecti; *sicut absentia objecti respectu charitatis, passionum lucta respectu appetitus sensitivi, aut virtutum moralium*; ac in rebus etiam naturalibus; pueritia respectu hominis; privatio lucis respectu Lunæ, aut aëris. Tum verò sublata ea imperfectione remanet ipsa substantia rei, quæ fit eò perfectior, quò longiùs ab ea imperfectione recedit. Dubitari enim non potest, quin in patria ardentior sit ex præsentia objecti charitas, puriores sint virtutes morales, composita pace inter passiones sentientis appetitus in glorificato corpore &c.

At verò fermè ejusmodi existimanda est esse *hæc potentia peccandi, expedita saltem, & qualis* in hominibus dum mortales, & morituri vivunt, reperitur: sublatâ enim eâ potentiâ peccandi proximâ & expeditâ, integra remanet libertas voluntatis. Imo multò perfectior est, quamvis ea potentia peccandi, ut in radice, non possit in ipsa natura non remanere. Sicut v. g. in Beatis assumpto corpore; istius, quæ modò est in sentiente appetitu, veluti luctæ, & dissentionis radix, non potest à natura auferri; cùm ipsi inserta sit: sed obruta, & sepulta magnitudine gloriæ in ipsa natura veluti profundissimè, & remotissimè latebit: sicut etiam, & in ipsa Luna oppleta lumine post diem judicii, remanebit ea capacitas aut potentia, qua lumine privari possit.

Tertiò observandum est, posse aliquid ad naturam tripliciter pertinere, ut ex S. Thoma colligitur. Alterum enim est, quod pertinet ad constitutionem naturamque rei; alterum verò, quod est naturæ inclinatio, qualis est inclinatio ad virtutem, & bonum morale in natura intellectuali, & distinctionem hanc habet S. Thomas qu. 24. de verit. art. 10. ubi de libero arbitrio in malo obfirmato agens, cùm inquirit quo pacto inclinatio ad bonum aut ligari aut extingui omninò possit? Inquit, quòd aliud *est naturale quod est de cōstitutione naturæ*: aliud verò est *naturale ad quod natura inclinatur: & hoc modo est naturale, posse*

poſſe ferri in bonum. Sed tertium demùm addi poteſt, quod S. Thomas magìs *innaturale* vocat quàm naturale: quod equidèm naturam conſequitur, & ipſi aliquo pacto adhæret; ſed ad illud per ſe natura non ordinatur: cujuſmodi ſunt defectus qui in artibus, ſcientiis, potentiiſque accidunt, ad quos ipſæ artes, & potentiæ ordinantur: ſed è contra ejuſmodi defectus non accidunt, niſi ex eo quòd artes vel potentiæ à ſuo ordine, ſuiſque regulis deflectunt, vel retrahuntur; & hujuſmodi eſt potentia peccandi: eoque pacto ad naturam pertinet, non ut naturam conſtituens, non ut inclinatio naturam conſequens, & ex natura inſtituta; ſed ut defectus naturæ adhærens, cùm potentia *ab eo quod eſt ſibi naturale, ad id quod eſt innaturale trahitur*, ut mox ex D. Thoma referemus. His verò ita ſuppoſitis.

Probatur ex D. Thoma, potentiam peccandi non eſſe à Deo. Hanc enim ipſam quæſtionem inſtituit D. Thomas in 2. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. *Utrùm potentia peccandi ſit à Deo?* Ubi non poteſt non eſſe locus aperiendi quid ſentiat, & ſuam ſententiam probandi. Ita verò inquit, *Potentia cognoſcitur per actum. Unde ex conſideratione actus peccati judicium ſumendum eſt de potentia peccandi. In actu autem peccati ſunt duo, ſcilicèt ſubſtantia actus, & deformitas vel defectus debitarum circumſtantiarum. Unde oportet quòd etiã in ipſa potentia peccandi duo attendantur; ſcilicèt ipſa potentia quæ eſt principium actus, & hæc eſt eadem quæ eſt principium actus ordinati & inordinati, & hæc eſt à Deo. Conſideratur etiam in ea defectus quidam, ſecundùm quem actum deficientem producere poſſit. Potentiæ enim perfectiſſimæ nunquàm deficiunt ab eo, ad quod ordinatæ ſunt, ut patet in neceſſariis. Unde quòd potentia impediatur vel retrahatur ab eo ad quod naturaliter ordinata eſt; oportet quòd ſit ex defectu ejus, in quãtùm ſcilicèt alteri agẽti quod impedit ſuccumbit. Unde cùm potentia voluntatis humanæ ſit per ſe ordinata ad bonũ, defectus à bono in actu ejus, oportet quod cauſetur ex aliquo defectu in ipſa per quẽ ab aliquo vinci poteſt, vel delectatione, vel ſuggeſtione, vel quocumque alio; ut ab eo quod eſt naturale ſibi, ad id quod eſt innaturale trahatur. Hic autem defectus eſt ſecũdùm quòd ex nihilo eſt. Hujuſmodi autem defectus ſcilicèt quòd creatura ex nihilo ſit, Deus directè cauſa non eſt, ut Avicenna probat: quia quod convenit rei ſecundùm ſe, non cauſatur in eo ex alio: res autem creata ſi ſibi relinquatur nihil eſt. Unde hoc quod eſt ex nihilo eſſe, non eſt creaturæ à Deo, quamvis eſſe creaturæ ſit à Deo.* Atque inde tandem concludit. *Sic ergo potentia peccandi, ſecundùm id quòd potentia eſt, à Deo eſt; ſed quantùm ad defectum qui implicatur, non eſt à Deo.* Hæc S. Thomas.

Probatur igitur, eaque ratio ſic in forma explicatur. Eadem eſt, & actûs, & potentiæ ratio, cùm omnis potentia à ſuo actu ſpecificetur, ad quem ut ad objectum inclinatur, & ut ad ipſum tendat, à natura inſtituta eſt: Atquì in actu peccati duo ſunt diſtinguenda, ipſa peccati ſubſtantia quæ ens eſt, & habet quæ entis ſunt, veritatem, bonitatem, perfectionem; & ſub ea ratione non poteſt non eſſe à Deo ut authore: alterum verò eſt ipſa deformitas, defectus, & privatio rectitudinis debitæ; & hæc deformitas aut privatio nunquàm poteſt eſſe à Deo: Ergo etiam in ipſa potentia peccandi duo diſtinguenda ſunt; ipſa potentia quæ tendit ad actum, & ea non poteſt non eſſe bona, perfectaque, & à Deo producta, eſtque ipſa voluntatis potentia, cùm eadem ſit voluntas qua *Peccatur, & rectè vivitur*, ut ex S. Auguſtino refert D. Thomas: Alterum verò eſt ipſe defectus potentiæ, quæ fertur ad objectum indebitum, & prętermiſſo ordine finis, ut cùm prohibitam voluptatem appetit; ex quo oritur deformitas actus, & privatio rectitudinis, & hæc non poteſt eſſe etiam à Deo. Ergo abſolutè potentia peccandi non eſt à Deo.

Minor quantùm ad hanc partem, quòd hic defectus ſive in actu, ſive in ipſa potentia, non ſit à Deo, probat S. Thomas dupliciter: *Primò* quia hic defectus aliunde oritur, tanquàm à cauſa proxima, & immediata: ſcilicèt ex eo quòd alteri agenti, vel delectationi, vel ſuggeſtioni, potentia ſeu voluntas *ſuccumbit, ab eoque vincitur: & ab eo quod ſibi naturale eſt, ad id quod eſt innaturale pertrahitur.* Etenim, inquit D. Thomas, potentiæ perfectæ nunquàm deficiunt, ut videre eſt in potentiis neceſſariis: & ſi quando deficiant, oritur ex eo quòd ab altero agente impediantur: quandiu enim non impediuntur, nunquàm deficiunt: quia cùm ad bonum aſſequendum per ſe ex natura ſua ordinentur, & tendant, bonum etiam, niſi impediantur, attingunt. Ita verò in voluntate contingit: nunquàm ab attingendo bono morali, & proſequenda virtute deficit, niſi impediatur à fortiori agente, tentatione ſcilicèt ingruente, & premente, quæ ſuperat voluntatis vires: unde oritur neceſſitas Divinæ gratiæ, quæ vires augeat voluntatis, & quæ ſi deſit, ſuccumbit vinciturque voluntas. Ergo. *Secundò* eandem Minorem probat Sanctus Thomas, & quòd hujuſmodi defectus non poſſit oriri à Deo; quia oritur ex eo quòd potentia, utpotè ens creatum, ſit ex nihilo: Atquì illius, ſcilicèt quòd ſit ex nihilo, Deus cauſa non eſt: quia ut ab Avicenna egregiè dictum refert S. Thomas, *Quod convenit rei ſecundùm ſe*, & à ſe, & nemine agente, *non cauſatur ab alio*: Atquì quòd voluntas ſit ex nihilo, imò quòd nihil ſit, convenit ipſi ſecundùm ſe, & nemine agente: *quia ſi ſibi relinquatur, nihil eſt*, & in nihilum recidit: venit enim creatura, ut aliàs ex D. Cirillo retulimus ex regione quæ dicitur nihil, & niſi divinâ potentiâ perpetuò teneatur, redit in ſuam patriam, & fit nihil: Ergo quòd *ſit ex nihilo*, non ipſi convenit à Deo, ſed à ſe. Liquet ergo, potentiam peccandi, ſicut & peccatum, ſimpliciter non eſſe à Deo authore.

Atque inde duo infert D. Thomas eodem articulo in ſolutionibus Argumentorum, quæ prætermitti non debent. *Primum*: quòd *poſſe pecca-*

re dicitur à S. Anſelmo, *non eſſe pars libertatis; quia non requiritur ad libertatem voluntatis, ut ad peccatum poſſit, ſed ſufficit ad rationem libertatis, ut in utrumque contradictoriorum poſſit*: quod ſæpiùs ex S. Thoma diximus, cùm neque ad naturæ conſtitutionem pertineat, neque ſit inclinatio à natura inſtituta, & de intentione naturæ; quia mali neque eſt intentio, neque finis; ſed accidit quòd ordo finis prætermittatur, ut ex Sancto Dionyſio ſæpiùs refert D. Thomas: *Sed ſufficit ad rationem libertatis, ut in utrumque contradictoriorum poſſit*. Ideſt ad libertatem pertinet indifferentia contradictionis, ſeu indifferentia agendi, & non agendi, non verò indifferentia contrarietatis, ſeu potentia bene, & malè agendi. Quin imò, ut ex D. Anſelmo expreſsè addit S. Thomas in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. *Potentia peccandi ſecundùm Anſelmum non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ſed diminuit libertatem*. Quo argumento probat, in Chriſto non fuiſſe potentiam peccandi, cùm in Chriſto conſtituenda ſit perfectiſſima libertas, quæ perfectior cenſenda eſt, ſi nulla ſit potentia peccandi: quod deinde in corpore Articuli confirmat. *Secundum* verò quod obſervat S. Thomas, eſt, quòd poſſe peccare nedùm non pertinet ad libertatem voluntatis, ſed neque etiam pertinet ad potentiam; quia ad potentiam non aliud pertinere poteſt quàm uſus potentiæ. At verò *uſus rei dicitur ad quem res principaliter ordinatur: potentia autem qua in peccatum poſſumus, non ordinatur ad malum, ſed ad bonum: & ita peccare non eſt uſus ejus*, ſed veriùs abuſus. Rectè enim à D. Auguſtino dictum eſt lib. 83. qq. quæſt. 30. quòd *utile quidquid eſt, utèdo eſt utile: ita nemo utitur niſi utili; non ergo utitur quiſquis malè utitur*. Unde uſus potentiæ ad peccandum, abuſus potentiæ eſt, nec ad potentiam propriè pertinet, ſed ad impotentiam: cùm peccatum omne, gravis lapſus, & caſus ſit, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate.

Objicit verò ſibi plurima D. Thomas. Nihil enim fermè in rebus Theologicis addi novi poteſt, quod à S. Thoma præoccupatum non fuerit: unde ab eodem S. Doctore deſumenda ſunt argumenta quæ objici ſolent aut poſſunt: plurimumque illuſtrabuntur ea quæ ſuperiùs diximus, ſolutionibus quæ ab ipſo afferuntur. Omnia verò fermè collecta reperio in 2. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. *Utrùm voluntas qua homo naturaliter vult bonum, & qua vult malum ſit eadem?* Ubi ut quæſtionem reſolvat tria diſtinguit: Tripliciter enim ſumi poteſt illud quo aliquis bonum, & malum velle poteſt. *Primò*: eſt principium inclinans ad bonum, & malum; & hoc pacto diverſa ſunt principia, quæ per ſe inclinant ad bonum, & malum. Voluntas enim ſenſualitatis, ſeu peccati fomes, inclinat naturaliter in ſenſibile bonum, quod ſibi quidem conveniens eſt, ſed malum eſt homini ut homo eſt, & ut ratione regi debet. Voluntas verò rationis, & ut ſequitur cognitionem univerſalium principiorum juris, tendit, & inclinat ad bonum, quod hominis bonum eſt. *Secundò*: ſi ſumatur illud principium quod poteſt eligere, & bonum & malum, quodque velutì medium eſt inter utramque illam ſeu ſenſualitatis ſeu rationis inclinationem, & utramque ſequi poteſt; ſic una eademque eſt voluntas qua peccatur, & qua rectè vivitur. *Tertiò*: ſi verò ſermo ſit de ipſo actu voluntatis quo voluntas vult bonum aut malum; ita nullum dubium eſt, eſſe diverſos actus, ut & diverſa objecta, quæ etiam contraria ſunt. Cùm verò dixerit S. Thomas, non eandem eſſe voluntatem quæ inclinatur ad bonum, & malum, ſed voluntatem rationis dumtaxàt ad bonum naturâ ſuâ ferri, non verò ad malum, niſi quatenùs ab ordine à natura inſtituto deficit, & deflectit, præpedita aut victa ab altera, ſcilicèt ſenſualitatis voluntate, qua ad ſenſibile bonum etiam prætermiſſo ordine, & excuſſo rationis fræno, præceps tendit ac fertur: inde plura objicit ſibi D. Thomas quibus probari poſſet, eandem eſſe potentiam quæ ad bonum, & ad malum fertur, adeòque etiam potentiam peccandi eſſe à Deo, non minùs quàm potentiam rectè agendi.

Objicit, inquam, ſibi quàm plurima, ex quibus hæc tria præcipua ſunt. Primò: *Potentia rationalis ſe habet ad oppoſita, ſed voluntas quædam eſt rationalis potentia: Ergo ſe habet ad oppoſita. Ergo eadem eſt boni & mali*.

Secundò Objicit. *Sicut ſe habet verum, & falſum ad cognitionem; ita & bonum, & malum ad affectionem: ſed eadem potentia videlicèt ratio quæ eſt veri, eſt etiam falſi; Ergo eadem voluntas quæ eſt boni naturaliter, eſt etiam mali*.

Tertiò: *Potentia determinata ad unum, nō poteſt eſſe principium actus meritorii: ſed ſi volūtas alia eſt quę fertur ad bonum, & quæ in malū; una erit determinata ad bonum, & alia ad malum, vel ſaltem altera erit determinata: Ergo neutra earum poterit eſſe principium meriti vel demeriti*.

Reſpondet verò, & quidem ad Primum: *Quòd quamvis potentia rationalis ſit ad oppoſita, non tamen ad utrumque oppoſitorum æqualiter ordinatur, ſed ad unum naturaliter, & ad alterum ſecundùm quòd à perfectione propriæ naturę deficit: & ideò alia eſt voluntas quę naturaliter tendit ad bonum, ſcilicèt voluntas rationis*. Et hæc ſuaptè natura & per ſe non tendit ad malum, nec unquàm ab eo recto tramite deflectit, niſi quia ab alia, quam D. Thomas vocat voluntatem ſenſualitatis, retardatur, impugnatur, & vincitur: Unde ſubdit, quòd *alia eſt voluntas quę naturaliter tendit in malum hominis ſecundùm quòd eſt homo, ſcilicet voluntas ſenſualitatis, & præcipuè ſecundùm quòd eſt per fomitem corrupta*. Hæc D. Thomas, quæ ſolutio dubio procul nodum argumenti ſatìs diſſolvit.

Verùm cùm hoc argumentum ſæpiùs occurrat, eoque probari poſſet etiam, & in Chriſto, Beatis ac Angelis eſſe potentiam peccandi, eoſque peccare poſſe, cùm voluntas ſit potentia rationalis quæ ad oppoſita ſeſe habere debeat. Addenda eſt ex eodem D. Thoma altera ſolutio quam

habet

habet in 2. diſt. 7. a. 1. Utrùm Angeli beati peccare poſſint? *Reſpondet* igitur dicendum, *quòd rationalis poteſtas dicitur eſſe oppoſitorum, quæ ſub electione cadunt, quorum propriè eſt liberū arbitrium, electio autē nō eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finē, & hæc non eliguntur niſi ſecundùm regulam finis.* Cætera ſupra retulimus, quæ legi poterunt. Unde & in Beatis, & Chriſto, poteſt quidem eſſe perfecta electio; at eorum ſolùm quæ conducunt ad finem: *Poſſunt hoc, & illud Beati eligere, quorum neutrum deordinat à fine.* Et eo pacto, inquit S. Thomas, *ſalvatur proprietas rationalis poteſtatis, inquantùm poſſunt hoc facere, vel non facere: quamvis non poſſint in hæc oppoſita bonum, & malum.* Vide eundem 1. par. quæſt. 62. art. 8. *Utrùm Angelus peccare poſſit?* Ubi eadem principia advocat; Ad libertatem pertinere plura eligere *ſervato ſolùm ordine finis, non verò prætermiſſo*: quod non ſemel referre oportet, ut ſatis obſervari poſſit, cùm nihil in hac difficultate majori obſervatione dignum ſit.

Ad ſecundum verò, & comparationem cum intellectu, reſpondet S. Doctor, *Quòd quamvis eadem ratio poſſit eſſe, & veri, & falſi; non tamen ex eodem habet, quòd ſit utriuſque; ſed ex virtute primorum principiorum, quæ ſunt naturaliter cognita, habet ut veritatem cognoſcat: ex phantaſia verò habet quòd falſum judicet. Similiter in electione voluntatis eſt rectitudo ex naturali inclinatione cum auxilio gratiæ: ſed eſt in ea peccatum ex corruptione inferiorum virium.* Et ſanè nunquàm oritur error ex primis principiis quæ ſemper certiſſima ſunt: ſed oritur error ex eo quòd phantaſia, ratioque inferior, & particularis ſe ſe immiſceat, ut dictum eſt ſupra, & principiorum ordo prætermittatur. Atque idem in voluntate contingit, nunquàm enim ex ſola volitione finis poteſt prava electio oriri, ſed quòd ea voluntas ſenſualitatis, & pravæ cupiditates inſurgant. Et cùm ut quiſque affectus eſt, ita judicet: & qualis eſt, talis & finis videatur; his cupiditatibus velutì decepta ratio voluntatem decipit, & per vitia ac præcipitia deducit.

Ad ultimum autem reſpondet *Quòd voluntas eſt ſecundùm hoc determinata in unum naturaliter tendens, ita quòd in alterū naturaliter non tendit; non tamen in illud naturaliter tēdit de neceſſitate, ſed voluntariè tendit. Unde & poteſt illud non eligere. Similiter poteſt etiam non eligere illud peccatum in quod ſenſualitas corrupta inclinat: quia inclinatio naturalis, ut dictum eſt, eſt ſecundùm exigentiam naturæ inclinantis.* In forma igitur diſtinguenda eſt Major. Potentia determinata ad unum, ita ut neceſſariò ad illud tendat, non poteſt eſſe principium meriti, concedenda eſt Major Propoſitio: ſecùs, neganda eſt. Et verò quamvis voluntas inclinetur in bonum, non ita tamen inclinatur, ut non poſſit ab ea inclinatione deflectere; ſicut nec ita voluntas ſenſualitatis, ſeu peccati fomes, aut corruptionis pondus, ita ad peccatum pertrahunt, ut non poſſit voluntas ipſis reſiſtere; cujus egregiam rationem affert S. Thomas, *quia inclinatio naturalis eſt ſecundùm exigentiam naturæ inclinantis.* Unde cùm natura cujus eſt ea inclinatio ratione libertatis ad neutram partem alligata ſit, poteſt & unam inclinationem ſequi, & alteram impedire.

Objici alterum forſitan poſſet, quod dubito tamen alicui in mentem venire poſſe, ut noſtræ ſententiæ adverſum: nimirùm definitum eſſe contra Janſenium, in ſtatu naturæ lapſæ requiri ad meritum & demeritum, indifferentiam à neceſſitate, etiam & indifferentiam contrarietatis: atque adeò debere pertinere ad veram rationem libertatis etiam contrarietatis indifferentiam. Sed quiſquis ita objiceret, parùm ſuperiora animadvertiſſet, cùm à nobis ex D. Thoma dictum ſit, adeò immunitatem à neceſſitate ad libertatem requiri, ut S. Doctor oppoſitam ſententiam hæreticam dixerit, & Philoſophiæ Moralis principia omnia evertere.

Sed inprimìs reſpondeo, definitum quidem eſſe, ad meritum & demeritum libertatem indifferentiæ requiri, ſeu immunitatem à neceſſitate, ſed de indifferentia cōtrarietatis, nihil dictum eſt: cùm ſatis ſit ſola libertas contradictionis, & expreſsè à S. Thoma dictū ſit, quòd *ſufficit ad rationem libertatis ut in utrumque contradictoriorum poſſit*; qualis erat in Angelo in primo inſtanti, quo mereri quidem potuit, non tamen peccare: & qualis fuit in Chriſto, in quo cum facultate merendi ſumma impeccabilitas conjuncta fuit.

Sed ſecundò reſpondeo, hæc duo plurimùm, & penè in immenſum diſtare; quòd ea contrarietatis libertas ad libertatis rationem pertineat, & quòd ea aliquo pacto conſequatur, ſicut umbra corpus conſequitur, aut ex ferro naſcitur rubigo. Primum enim omninò falſum eſt, hoc verò poſtremum eſt certum: conſequitur equidem libertatem, aut etiam comitatur pro hoc ſtatu corruptæ naturæ, hæc potentia peccandi, ſicut umbra corpus: ſed non magìs fermè ad libertatis rationem hæc potentia pertinet quàm umbra ad corporis naturam, aut rubigo ad ferrum. Nemo igitur eſt pro hoc ſtatu naturæ corruptæ, qui non habeat eam potentiam etiam expeditam; ſed tamen non ita habet, ut ad libertatem pertineat. Unde ſi ea deeſſet, major eſſet, & perfectior libertas; ſicut ſi deeſſet corporis umbra lucidius eſſet, & majori undique luce perfuſum corpus.

Tertiò reſpondeò, quòd potiſſimùm dictum eſt, non pertinere eam potentiam peccandi ad libertatis rationem, intelligendum eſſe de libertate ſecundùm ſe, & quantùm ad propriam ipſius rationem, & naturam, quæ ad bonum dumtaxàt, & non ad defectum ordinatur, quæque ad meritum neceſſaria eſt, & ſufficit, qualis eſt in Chriſto, Angelis, Beatiſque. At verò nemo dixerit, Chriſtum eſſe in ſtatu naturæ corruptæ; imò nec B. Virginē, in qua, juxta D. Thomā, ex plenitudine gratiæ, quæ in omnes ipſius animæ vires redundabat, omninò extinctus eſt peccati fomes; adeò ut ejus gratia fuerit juſtitiæ originalis, quæ cum

ſtatu

ſtatu naturæ corruptæ minimè convenit. In Apoſtolis verò in gratia confirmatis licèt ex parte fuerit ligatus ille fomes, magìſque à corruptione naturæ receſſerint; erat tamen in ipſis ex parte ſolutus,& adhuc venialiter peccare poterant. Unde etiam in ipſis erat hæc potentia peccandi, minor tamen quàm in aliis, ideòque perfectior libertas, de quo magìs infra dicendum eſt.

Sed antequàm huic Articulo finem imponam, non erit abs re ex D. Auguſtino quædam perſtringere, quibus intelligi poterit, ea quæ à Divo Thoma dicta ſunt, ex S. Auguſtino deſumpta eſſe. Eadem enim omnia principia ſunt, quæ fuſiùs à D. Auguſtino explicata, D. Thomas contraxit, & ad Scholæ uſum deduxit.

Inprimis, potentiam peccandi ad libertatem minimè pertinere tanquàm principium omninò certum perpetuò S. Auguſtinus inculcat contra Julianum, qui eam potentiam ad libertatem pertinere contendebat. Unde & referente eodem D. Auguſtino lib. 1. operis ultimi contra Julian. cap. 74. libertatem ita definiebat Julianus: *Libertas arbitrii, quâ à Deo emancipatus homo eſt, in admittẽdi peccati, & abſtinendi à peccato poſſibilitate conſiſtit.* Ubi etiam S. Auguſtinus reprehendit, quòd hominem emancipatum à Deo dixerit. *Emancipatum hominem dicis, nec attẽdis hoc cum emancipato agi, ut in familia Patris non ſit.* Neque id in Juliano reprehendiſſet S. Doctor, quòd libertatem ad utramque partem, & virtutem, & vitium ferri poſſe ſolùm dixerit: ſed quòd eam ad utramque partem potentiam omninò ad libertatem pertinere vellet, nullamq; eſſe hominis laudem quòd virtutem coleret, niſi etiam & in vitia præceps ferri poſſet. Unde & utramque partem in ipſa arbitrii definitione velutì ex æquo reponebat. Ibidem enim cap. 82. eandem libertatis definitionem repetit: *Poſſibilitas eſt vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis neceſſitatis, quæ in ſuopte jure habet utram ſuggerentium partem ſequatur, id eſt ardua aſperaque virtutum, vel demerſa, & paluſtria voluptatum.* Et c. 84. inquit: *Hæc eſt arbitrii libertas propulſatrix neceſſitatis, ut nemo ſit bonus vel malus, cui non ſit liberum eſſe contrarium.* Atq; inde à Maſſilienſibus deſumptũ eſt, quod refert D. Proſper ab iis dictum, quòd *Pari momento animus ſe vel ad vitia, vel ad virtutem movere poſſet*; ea ſcilicèt ratione quòd nullam eſſe laudem exiſtimarent, ſi virtus coleretur, niſi voluntas etiam vitii capax eſſet.

Atquì id perpetuò D. Auguſtinus impugnat, iiſq; rationum momentis, quæ jam ex Divo Thoma expendimus; potiſſimùm verò quòd hominis voluntas libertaſque per ſe ad bonum, & conſecutionem ultimi finis ordinata ſit: ideòque non poſſit divinæ ordinationi, ipſiuſque naturæ inſtitutioni, non opponi quidquid eam ab ea conſecutione ultimi finis revocat. Probat verò S. Auguſtinus, ac fusè proſequitur lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 20. ac deinde per plura capita factum hominem, ut ſummo bono ac ultimo fine frueretur. Qua ratione deceptus Janſenius eſſe videtur, quòd cùm apud D. Auguſtinum voluntatem circa ultimum finem Deumque verſari reperiſſet, eo ſenſu quòd ad ejus conſecutionem ordinata ſit, exiſtimavit libertatem circa ipſum verſari; cùm tamen è contra omninò ſtatuendum fuiſſet; voluntas enim circa finem quo fruendum eſt, libertas circa media quibus utendum eſt, verſatur: ut fruitio voluntati, uſus libertati reſpondeat. Et hominem quidem factum eſſe ut Deo frueretur, ex ipſa ejus prima inſtitutione probat S. Auguſtinus prælaudato cap. 20. *Magna quædam res eſt, homo factus ad imaginem Dei*: neque enim Deum niſi ſua imago capere, neque ſuam imaginem niſi Deus beare poteſt. Et ut inquit idem D. Auguſtinus tract. 23. in Joan. quod tanquàm maximum *Chriſtianæ Religionis* arcanum, & principium commendat. *Non facit animam beatam niſi unus Deus. Participatione Dei ſit beata; Non participatione ſanctæ animæ, ſit beata infirma anima; nec participatione Angeli, ſit beata ſancta anima; ſed ſi quærit beata eſſe infirma anima, quærat unde beata ſit ſancta anima; non enim beatus efficeris ex Angelo tu, ſed unde Angelus, & tu.* Atque ibidem jam dixerat, non poſſe *Beatificari & illuminari animam niſi ab ipſa ſubſtantia Dei*; quæ verba refert, & explicat S. Thomas 3. par. qu. 56. art. 2. Igitur per ſe, & ex ipſa inſtitutione naturæ, divinaque ordinatione, hominis voluntas ac libertas ad conſecutionem ſummi boni Deiq; ultimi finis ordinatur. Ergo quidquid ab eo ordine deflectit, & ab eo voluntatem revocat; divinæ ordinationi, & naturæ ipſius voluntatis, & libertatis inſtitutioni adversatur, nec poteſt ullo pacto ad voluntatis aut libertatis perfectionem pertinere.

Confirmari poteſt, quòd ex eodem principio à D. Auguſtino dictum ſit, peccatum non eſſe potentię, & libertatis uſum ſed abuſum, quod etiam ex D. Thoma diximus; ut enim inquit S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. tota quæſt. 30. *Abuti rectiùs dici ſolent qui non benè utuntur, non enim cuiquam prodeſt id quod malè utitur, & quod non prodeſt non utiq; utile eſt. Utile autem quidquid eſt, utendo eſt utile. Ita nemo utitur niſi utili. Non ergo utitur quiſquis malè utitur.* At verò cui peccatum utile eſſe poteſt? *Delinquit* enim injuſtus *in ſemetipſo* pſal. 36. ſeq; ipſum interimit: & peccatum *viperæ partus eſt qui ſcindit parentem*, ut etiam fusè proſequitur D. Ambroſius in eum Pſalmum, & ut ſublime Religionis Fideiq; principium commendet: *Nihil hâc ſententiâ ſublimius, neq; in illis qui ſibi ſapientiam ſeculi vendicarunt, nihil tale legi, nihil tale cognovi, quòd injuſtus ſibi delinquat, ſibi generet vulnera, ſe ipſum confodiat.* Non ergo uti libertate homo dicendus eſt, cùm peccat, ſed abuti. Atque adeò nullo modo ad perfectionem, aut ad uſum, aut naturam libertatis, ex D. Auguſtini ſententia pertinere poteſt potentia peccandi.

Confirmari præterea poteſt, quòd libertatem à peccato, item & libertatem aut immunitatem ab eo quo premimur corruptionis pondere, aut quo accendimur fomite peccati, ad veram liber-

tatem

tatem S.Auguſtinus pertinere exiſtimaverit; Et quod inde conſequitur, divinâ gratiâ, & charitatis inſpiratione, veram libertatẽ aut libertatis perfectionem acquiri. Quod toties S. Doctor inculcat contra Pelagium libris *de gratia Chriſti,& de natura, & gratia,*aliiſque; contra Celeſtium lib.*de perfect.juſtit.Contra Julianum* utroque opere:ut ſupervacaneum foret aliqua in ſingulari referre. Et verò hæc ad ipſam libertatis naturam pertinere,ratione ſuperiori,quę apertiùs à S.Thoma explicata eſt,omninò convincitur. Cùm triplex illa libertatis ſpecies *à neceſſitate,à peccato, & à miſeria,*libertatis,velutì generis,triplex vera ſpecies ſit: neceſſitas enim, habituſque vitioſi, ipſumque concupiſcentiæ pondus, verum libertatis uſum impediunt, ut ſuprà ſatìs explicuimus cùm de libertatis diviſione ageretur.Et ſanè cùm adeò expreſsè dictum ſit Joan. 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*. Et ad Rom. 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ, nunc autem liberati &c.*Et alia hujuſmodi quæ perpetuò D. Auguſtinus inculcat:inde ſemper ea Sãctorũ Auguſtini,& Thomæ ſententia vincet,quòd ea S. Scripturę verba in proprio, & germano ſenſu intelligat.Unde errabat Julianus referente D.Auguſtino ultimi operis cap.84.91.& aliis; quòd jis verbis ſolam peccati remiſſionem à Chriſto promitti intelligeret; nec exiſtimaret,eam à peccato immunitatem etiam ad libertatem pertinere; eô falſo principio, quòd ad libertatem potentiam peccandi requiri arbitraretur.

Confirmari demùm poſſet, quòd item perpetuò S. Auguſtinus exemplo libertatis Divinę & libertatis Beatorum, nullo modo ad libertatem pertinere quòd peccare poſſit, contra Pelagianos demonſtret: neque eo ſenſu ea exempla uſurpat, quòd exiſtimaverit, divinum amorem, ut circa divinam bonitatem verſatur, aut amorem Beatificum verè liberum eſſe, & libertatem in ſola ſpontaneitate repoſitam eſſe; ſed ex S.Thomæ principiis,quòd cùm libertatis radix, & origo ſit ea ad ſummum bonum adhæſio, non poſſit non eſſe libertas perfectior,ubi adhæſio perfectior eſt. Legendus verò D. Auguſtinus in Opere ultimo contra Julianum,ubi quàm ſæpiſsimè hoc exemplum divinæ libertatis refert. Ut cùm, explicatâ jam ea libertatis,ut ita dixerim, bicornis definitione,dixiſſet Julian.c.81. *Et boni igitur poſſibilitas, & mali bona eſt,* ſubjicit D. Auguſtinus. *Non eſt ergo liber Dominus de quo dictum eſt. Negare ſeipſum non poteſt &c.*

Ex quibus omnibus colligi ſatìs poteſt quam vim habeant D. Auguſtini argumenta: Convincunt enim, & veriſsimæ demonſtrationes ſunt, ſi eo ſenſu quem ex D.Thoma retulimus, & quo ipſe D.Thomas intellexit, & explicuit, intelligantur.

QUÆSTIO V.

De Libertatis perfectione.

PRiximus jam, potentiam peccandi minimè ad libertatis naturam pertinere: unde ſplẽdidiſſimam eſſe libertatis naturam,ſi integra ſit,ſatìs poteſt intelligi: *& Divinum quiddã eſſe præfulgens in anima,* inquit Bernard. ſer. 81. in cant. *tanquàm gemmam in auro* incluſam,in qua ſui ipſius imaginem Deum ſculpſiſſe videri poſsit: libertate enim potiſsimùm Dei imaginem hominem referre, communis Patrum ſententia eſt, ut ex Damaſceno ſpeciatim refert S. Thomas 1.par.qu.83.art.4.Neque enim, ut inquit Tertullianus lib.2. contra Marcionem cap.5.à facie,& corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformẽ Deum homo expreſſus eſt,ſed in ea ſubſtãtia quam à Deo traxit animæ ad formam Dei reſpõdentis arbitrii ſui libertate,& poteſtate ſignatus eſt. Cæterùm,cùm hujus imaginis perfectio ſimilitudo ſit; *ſimilitudo enim eſt de ratione imaginis,* ut inquit S.Thomas 1.par. quæſt.93.art.1. Cùmque ea addita ſimilitudo ex virtutibus accedat,quę Divinarum perfectionum quædam velutì lineamenta ſunt; inde ea imaginis perfectio major,vel minor evadere poteſt,quò major vel minor ex virtute ſimilitudo efficitur: rectè enim à D.Bernardo dictum eſt,lib.de gratia, & libero arbitrio: *Divinę ſimilitudinis ſummum gradum ſummi Angeli tenent,nos infimum,Adam medium,porrò Demones nullum.* De variis igitur hujus perfectionis libertatis gradibus hìc nobis agendum eſt: Unde colligi facilè poterit, quantùm divina motione, ac divinâ gratiâ, quæ virtutem animo inſerit,libertas perficiatur.

ARTICULUS I.

Varios eſſe perfectionis libertatis gradus.

IN communi priùs hæc quæſtio pertractanda eſt, quam deinde in ſingulari proſequemur. Supponendum verò eſt inprimìs diverſos poſſe intelligi perfectionis in libertate gradus,ut mirũ nemini videri debeat,ſi à nobis dictum fuerit Divina

vina motione perfici libertatem. Equidem quòd attinet ad immunitatem à necessitate, quæ duplicem indifferentiam comprehendit, scilicet indifferentiam agendi, vel non agendi, *ut in utrumque contradictorium possit*, ut loquitur S. Thomas, & indifferentiam agendi plura ac diversa *servato, non prætermisso ordine finis*, in qua utrâque indifferentia posita est vera notio libertatis: certum est eam immunitatem à necessitate, & utramque indifferentiam, & in omni natura, & in omni statu naturæ reperiri; quamvis in una quàm in alia perfectior esse possit, ut majorem in sese natura firmitatem habet: sicut in Angelis, etsi recessu à materia omnes omninò conveniant; ut tamen ea immaterialitas quædam est Divinæ simplicitatis, & immutabilitatis perfectio, major est in uno quàm in alio, eoque gradu quò perfectior est, & magis ad Divinam simplicitatem, & puritatem accedit.

Hôc verò sensu perfectiorem esse in Angelo, quàm in homine, & inæqualem esse etiã inter Angelos, aut majorẽ in Angelis, quàm in hominibus ex inæquali perfectione naturę facilè probari potest. Sed cùm in hominibus eadem natura sit, non potest inæqualis esse ea à necessitate immunitas, & utraque indifferentia. Verùm cùm etiam *hæc utraque indifferentia, & immunitas à necessitate*, seu vera libertas variis habitibus seu virtutum, seu vitiorum, aut expedita magis aut præpedita esse possit; etiam & inter ipsos homines, ut majoribus gratiis cumulati sunt, & ad statum Beatorum magis accedunt, aut quò magis ab eo recedũt, eò perfectior aut imperfectior libertas esse potest. Quæ omnia probanda sunt ex D. Thoma, quem unicum loquentem semper audimus.

Probatur igitur in primis, quòd eandẽ quęstionẽ expresè D. Thomas pertractet in 2. dist. 25. q. 1. quæ tota est de libero arbitrio. Ubi articulo 4. expresè inquirit, *Utrùm libertas arbitrii augeatur, vel minuatur*? quem articulum integrum referre necesse est, ut verisima D. Thomæ sententia apertiùs inspiciatur.

Probat itaque in *Sed contra*, ut vocant, duplici argumento, libertatem augeri, & minui. Cùm enim dubia proposuisset, quibus videri posset eandem semper esse, & ejusdem perfectionis in omnibus libertatem. *Sed contra* est, inquit, quod dicitur ad Roman. 7. *Non quod volo bonum hoc ago; hoc autem in persona hominis damnati dicitur, ut una glossa exponit; cùm ergo in statu innocentiæ nihil ad bonum impediret, videtur quòd liberum arbitrium augeatur, & minuatur.*

Hæc prima ratio qua supponit peccato libertatem minui: Atque adeò majorem, & perfectiorem fuisse in statu innocentiæ, in quo Adamus poterat non peccare, domitis & ligatis omnibus passionibus animi: cùm tamen in statu naturæ corruptę homo non possit non peccare, saltem venialiter, impellente perpetuò, & premente corruptione naturæ. Addit D. Thomas.

Prætereà: Non redimitur nisi quod in servitute fuit: sed per Sanguinem CHRISTI de peccato redempti sumus, ut Petri 1. dicitur: Ergo per peccatũ in servitutem trahimur, & ita libertas minuitur.

Hæc secunda ratio qua supponit, peccato libertatem minui, ac lædi, eamque peccati servitutem verę libertati infestam esse, & libertatem seu immunitatem à peccato verisimè ad libertatem pertinere: quod etiam nos suprà, ubi de distinctione triplicis libertatis, expresè animadvertimus. His verò rationibus in medium adductis, ita in articuli corpore difficultatis nodum resolvit.

Respondeo dicendum, quòd liberum arbitrium dicitur in eo quòd cogi non potest: sub qua coactione etiam necesitas intelligitur, ut suprà diximus: *coactio autem, ut priùs dictum est, est duplex, una compellens*, quæ est sufficiens, & compulsio vocatur, ut dicitur ejusdem quæstionis articulo secũdo, & cui resisti non potest, sub qua subinde ipsa necesitas comprehenditur: *& alia inducens vel impellens*, quæ & insufficiens coactio vocatur, cui facilè resisti potest, potentiâ etiam cum actu conjunctâ. *Hoc autem est naturale, & essentiale libero arbitrio, ut sufficienter non cogatur coactione compellente*, vel ad unum necessariò impellente, & adigente: *& hoc sequitur ipsum in quolibet statu, unde non augetur talis libertas*, nec diminuitur *per se, sed per accidens tantùm*; semper enim & in omni naturæ statu hæc libertas, & immunitas à coactione, & necesitate reperitur, quãvis juxtà gradus perfectionis naturæ perfectior, vel imperfectior sit: quod hac ratione probatur. *Omnis enim proprietas quæ consequitur naturam aliquam, quantò natura illa nobiliùs invenitur in aliquo, tantò etiam proprietas illa perfectiùs participatur ab eo, secundùm quem modum homo dicitur minùs intelligens quàm Angelus*; & inter Angelos unus alterum intelligentiâ, & spiritualitate, & immaterialitate superat: Unde, & perfectiores sunt in uno species quibus intelligit, quàm in alio; & creaturas omnes infinito intervallo Deus his dotibus antecedit: ideòque solus, & immortalis, & invisibilis dicitur, scilicet creaturarum comparatione. Et *ita*, inquit D. Thomas, *etiam libertas à necessaria coactione*, seu cogente necesitate, *nobiliùs invenitur in Deo, quàm in Angelo; & in uno Angelo, quàm in alio, & in Angelo quàm in homine*. Hęc ibi.

Igitur hæc libertas, quę est à necesitate, perfectior in uno quàm in alio esse potest ex majori immutabilitate, & perfectiori participatione Divinæ libertatis, quæ summam habet cum libertate immutabilitatem conjunctam, ex summa illa ad suam bonitatem adhęsione, ex qua, indepẽdentia à creaturis oritur, summaque indifferentia utendi jis, in qua positum est summum quod habet in rès omnes dominium.

Sed cùm dictum sit, præter eam coactionem sufficientem, quæ & compulsio dicitur: alteram esse insufficientem, quæ etiam impulsio vocatur, quæque oritur ex variis habitibus, quibus vel ad bonum impellitur, vel à bono & virtute retardatur; unde propriè non reperitur nisi in homine in quo esse potest ea potentia peccandi, & libertas

contra-

contrarietatis: addit S. Thomas: *Libertas autem illa, quę eſt ab impellentibus, & diſponentibus in unam partem, augetur & minuitur, acquiritur & amittitur, ſecūdùm quòd illę diſpoſitiones augētur & minuuntur, & acquiruntur vel amittantur. Unde libertas talis*, non ſolùm per accidens, & in ſua cauſa ut ſuperior, ſed *per ſe etiam augetur, & minuitur in homine ſecundùm diverſos ſtatus*. Perfectior enim fuit in Beatiſſima Virgine, quàm in Adamo in ſtatu innocentiæ: in Adamo perfectior quàm in Apoſtolis in gratia confirmatis: in his verò major & perfectior quàm in alijs Sanctis, quò magis ea peccandi potentia cohibetur; & minor deinde in ipſis peccatoribus in quibus ea à peccato libertas aut libertatis perfectio amiſſa eſt: in damnatis verò hominibus, & Dæmonibus omnium minima; in quibus ſolùm peccandi potentia reperitur cum immunitate à coactione & ex ſola adhæſione ad bonum in communi.

Ita verò explicatâ ac probatâ quæſtione in Articulo, ex quo ne unum quidem apicem prætermiſimus, objicit ſibi quæcumque objici poſſe videntur, quæ ad majorem diſtinctionem ita diſponimus, ut cuilibet argumento ſolutionem quam ipſe adhibet ſubjiciamus.

Objicit itaque primò. *Videtur quòd libertas arbitrii non augeatur neque minuatur. Illud enim quod pertinet ad rationem potentię, non variatur per actus vel habitus; cùm prima poſterioribus non varientur, ſed eis ſubjaceant: ſed libertas pertinet ad rationem potentiæ, quæ liberum arbitrium dicitur: Ergo non poteſt per actus vel habitus virtutis aut vitii augeri, & minui.* Hæc prima objectio, quę ad libertatem pertinet contrarietatis, quæ vel remotior eſt à peccato, vel ipſi propinquior, additis vel ſublatis habitibus.

Reſpondet D. Thomas. *Ad primum; Dicendū, quòd libertas à neceſſitate eſt quæ conſequitur naturam potentiæ, & ideò per actus, & habitus non variatur: ſed libertas à diſponentibus ſequitur habitum, & actum: & ideò ſecundùm diverſitatem actuum & habituum variatur.*

In forma igitur Diſtinguit Majorem: *Quod pertinet ad rationem potentiæ*, ut naturam conſequitur, *non variatur per habitus & actus*, Concedit: quod pertinet ad rationem potentiæ, ut inclinatur, & diſponitur ad bonum, & malum morale, Negat: Certum enim eſt virtutibus augeri inclinationem ad bonum, & vitiis retardari. Ad Minorem verò, etiam diſtinguit: *Atqui libertas pertinet ad rationem potentię*: libertas à neceſſitate pertinet ad rationem potentiæ, quæ conſequitur naturam; Concedit Minorem: libertas à diſponentibus, ſeu indifferentia contrarietatis pertinet ſolùm ad rationem potentiæ, quæ conſequitur naturam, Negat. Pertinet enim etiam ad rationem potentiæ ut inclinatur, & diſponitur ad bonum morale, quam inclinationem certum eſt augeri, vel minui, ut ex profeſſo tractat S. Thomas 1. 2. quæſt. 85. Unde ad probationem Majoris, quòd priora per poſteriora non variantur; dictum eſt in corpore Articuli, quòd libertas à neceſſitate ut eſt potentia, & naturam conſequitur, non poteſt variari per ſe, ſed ſolùm in cauſa, ex majori perfectione naturæ: libertas verò à diſponentibus, ſeu inclinatio ad bonum morale, poteſt vel augeri vel minui. Unde ex parte antecedit, & ex parte ſubſequitur eos habitus, quibus augetur vel minuitur; ſicut in artibus ac ſcientiis omnibus, prima & ſimplex capacitas, quæ etiam naturam conſequitur, habitus omnes antecedit: major verò inclinatio majorque habilitas per habitus comparata, poſterior eſt. Quantùm verò attinet ad propenſionem ad malum morale, & corruptionem naturæ, certum eſt eam omninò poſteriorem eſſe, & ſupervenire, ſicut zizania tritico. Quia ex inſtitutione naturę, libertas ad malum nec inclinatur nec fertur, nec ulla eſſet prava cupiditas, aut naturæ corruptio, niſi præceſſiſſet Adami peccatum, quod in Adamo, ſicut in Angelo, ex alio capite, quàm ex prava cupiditate, & ad peccatum inclinatione, & pronitate ortum eſt.

Objicit ſecundò S. Thomas. *Illud quod ſequitur naturam aliquam æqualiter invenitur in omnibus habentibus naturam illam: ſed liberum arbitrium conſequitur naturam intellectivam, ut dictum eſt: Ergo in eis non augetur nec minuitur, ſed ſemper æquale eſt.*

Reſpondet. *Ad ſecundum; Dicendum, quod in quibus invenitur natura una æqualiter, invenitur etiam æqualiter illud quod conſequitur naturā illam: ſed natura intellectiva non invenitur æqualiter in Deo, Angelo, & homine. Unde nec etiā libertas à coactione*, aut ipſa etiam neceſſitate, *æqualiter in omnibus eſt.* Spectabat argumentum ad libertatem illam primam, & ſupremam, quæ eſt à neceſſitate; non verò ad ſecundam alteram, & inferiorem libertatem à peccato, vel libertatem cōtrarietatis: ſi enim alteram, primam ſcilicèt, & perfectiſſimam, inæqualem eſſe probari poſſit, manifeſtum eſt alteram inferiorem potiori jure augeri poſſe vel minui. At verò inæqualem eſſe alteram probat ex inæquali perfectione naturæ, unde illa libertas oritur.

Objicit ſibi tertiò. *Liberum arbitrium dicitur ex eo quòd cogi non poteſt: ſed negationes non recipiunt magis & minus in diverſis, nec in eodem ſecundùm diverſos ſtatus.* Tangit etiam hoc argumentum primam libertatem à neceſſitate, de qua potiſſima difficultas eſt.

Reſpondet S. Thomas. *Ad tertium: Dicendum, quòd quamvis negatio non ſuſcipiat magis, & minus, tamen per accidens intēditur, & remittitur, ſcilicèt per intenſionē, & remiſſionem ſuę cauſę: ſicut dicuntur majores tenebrę, quantò eſt majus obſtaculum lucis. Unde etiam ſecundùm quòd cauſa libertatis, quæ eſt natura intellectiva, invenitur nobilior, & minus nobilis, ſecundùm hoc etiam ipſa libertas intenditur quodāmodò, & remittitur.* Unde colligi poteſt, non ſatis libertatis conditionem intellexiſſe eos, qui exiſtimant ſemper libertatem, & immunitatem à neceſſitate æqualem

esse, ea ratione quòd privationes nec augeri nec minui possint. Etsi enim mors undecumque illata æqualis sit, quia nihil vitæ relinquit, sicut tenebræ nihil lucis, & cæcitas nihil visûs; attamèn per accidens hæc privatio vitæ major est, quo magìs dispositiones destruuntur: ut in eo v. g. quem describit Lucanus, mille confosso ictibus, adeò ut dici potuerit, *totũ est pro vulnere corpus*; aut ut addit D. Thomas in 2. dist. 7. in expositione textûs, *Qui caret substãtiâ oculi, magìs dicitur cæcus, quàm ille cujus visus dicitur ab humore impeditus*. Et hoc pacto ea immunitas à necessitate major esse potest in Angelo quàm in homine, sicut & inter Angelos non idem gradus est, ut diximus, eademque immaterialitatis perfectio.

Objicit sibi quartò S. Thomas. *Illud quod est fortius, non vincitur, nec in servitutem deducitur ab eo quod est debilius: sed liberum arbitrium est fortius quàm sint passiones peccati, quia eis resistere potest, & sibi subjugare: Ergo videtur quod non minuatur liberum arbitrium per servitutem peccati*. Redit ad libertatem indifferentiæ contrarietatis, quam augeri vel minui non posse hôc argumentô probari videtur.

Respondet. *Ad quartum: Dicendum, quòd liberum arbitrium nunquàm ita vincitur, aut servituti subjicitur passionibus peccati, ut ad peccatum compellatur*, & necessitate pertrahatur: *quia jam sibi in peccatum non imputaretur; sed dicitur esse subjectum peccato, in quantum ex peccato inclinatur ad peccandũ, sicut à disponente, non sicut à cõpellente*. In forma distinguenda est Major. Fortius non vincitur à debiliore, ut à compellente, est verum: ut ab inclinante, & suadente, est falsum. Sic enim Adam ab Eva seductus est, & spiritus, licèt fortior, à carne infirmiori aggravatur. Vocat verò vim compellentem eam quæ necessariò ad peccatum pertrahit; & negat eam vim compellentem inesse passionibus, quia aliàs non imputaretur ad peccatum: quo manifestum est, ad demeritum exigere immunitatem à necessitate.

Objicit demùm sibi quintò. *Ad illud quod quilibet per se potest, unus non est altero liberior: sed in malum quilibet per se potest, & in gratia, & sine gratia: ergo videtur quòd liberum arbitrium alicujus non sit liberius ad malum, quàm alterius, & sic videtur quòd liberum arbitrium non augetur, nec minuatur*. Hoc iterùm argumentum de libertate indifferentiæ contrarietatis.

Respondet. *Ad quintum: Dicendum, quòd quãvis quilibet per se possit in malũ, non tamen quilibet eodem modo malum facit, sicut ille qui habet habitum malitiæ; unicuique enim habenti habitũ est delectabilis operatio, quæ est secundùm habitum illum. Et ideò illi qui habent habitus corruptos, opera abominabilia delectabiliter, & sine abominatione exercent, & ideò liberè illud facere dicuntur, in quantùm per habitum corruptum reprimitur contradictio rationis, ratione obtenebratâ, quod nõ potest esse in illis qui talibus habitibus carent: & ideò dicit Philosophus in 5. Etich. quòd justus nõ potest statim facere opera injustitiæ, sicut injustus facit. Quisquis igitur habitu pravo inficitur, & gravatur, eô habitu veluti pondere ad peccatum pertrahitur, celeriùsque, & eò liberiùs eâ falsâ libertatis specie, aut veriùs umbrâ, & larvâ, idest majori licentiâ, quæ est libertas, & immunitas à justitia, peccata committit, quò peccatorum, & habituum gravius pondus est. Unde quò major est ea licentia, aut si dici possit, ea libertas à justitia, quæ cum gratia amittitur; major est, & durior illa peccati servitus, minor est vera libertas, quæ est dos animæ, à natura instituta; ut ex adhæsione ad ultimum, & verum finem, virtutum media, juxta regulam finis, aut finis servato ordine assumat; non verò ut prætermisso ordine finis, excusso rationis fræno, reclamante synderesi, ipsâque naturâ repugnante, per vitia feratur; & ut loquitur S. Thomas, *ab eo quod est naturale, ad illud quod est innaturale pertrahatur*.

ARTICULUS II.

Libertatem perfectiorem in Deo, quàm in Angelo; in Angelo quàm in Adamo; in Adamo quàm in hominibus; in justis quàm in peccatoribus.

VArios esse posse libertatis gradus, eamque & augeri, & minui posse probavimus suprà: quod de libertate etiam propriissimè sumpta, ut est à necessitate immunis, intelligendum esse animadvertimus, & ut ex adhæsione ad ultimum finem versatur circa media, creaturas scilicèt quæ eo majori cum indifferentia; & independentia respiciuntur, quò voluntas firmiùs Deo adhæret, in quo boni plenitudinem omnem reperit, *qui requies tranquilla piis*, ut Boëtius inquit, *quem cernere finis*. Ex quo fit, quòd maximè observandum est, quòd eò major vel perfectior sit ea libertas à necessitate, in qua diximus propriissimè rationem libertatis constitutam esse, & debere in omni natura intellectuali, & statu naturæ reperiri; quò minor est altera libertas indifferentiæ contrarietatis conjuncta cum potentia peccandi; quia quò major est adhæsio ad ultimum finem, unde necesse est omnem libertatem oriri, cùm motus omnis in immobili fundetur; inde oritur major indifferentia circa ipsa media servato ordine finis, quæ verissima est notio libertatis. Atque inde etiam constat minorem esse potentiam peccandi, ut per seipse evidens est; cùm nullum peccatum accidere possit, quando non nisi servato ordine finis, seu juxtà finis regulas media eliguntur. Ergo quò perfectior est illa libertas, & immunitas à necessitate, eò minor est indifferentia contrarietatis, seu potentia peccandi.

Ex quo iterum fit, quod etiam observandum est,

eſt,perpetuò à S.Thoma probari perfectiorem eſſe libertatem in Angelis,ac Beatis,quàm in hominibus;ex eo quòd Angeli, & Beati peccare non poſſint, cùm tamen homines peccatis obnoxii ſint. Vim enim habet ea ratio, ex eo quòd cùm Angeli perfectiùs inhæreant Deo, majorem independentiam à rebus omnibus habeant, minùs à fine recedere poſſint,minùs, aut veriùs nulla ratione peccare.Et ſanè niſi ita intelligeret D.Thomas,quam vim habere poſſet ejus ratio, vel de qua libertate intelligeret,cùm inquit,perfectiorem eſſe in Angelis libertatē quàm in hominibus? De qua enim libertate intelligi poſſet? De libertate contrarietatis cum potentia peccandi conjuncta? At illa nulla omninò eſt in Angelis: non igitur de illa intelligi poteſt. Intelligit igitur de vera perfectaque libertate: & in quo poſita eſt vis argumenti,ut diximus, quòd cùm Beati peccare non poſſint, & à fine deficere, firmiùs adhærent Deo ultimo fini: unde major illis eſt indepēdentia à rebus creatis, in qua independentia fundatur illa immunitas à neceſſitate circa media; atque adeò neceſſe eſt perfectiorem eſſe veram libertatem, & à neceſſitate immunitatem, quò minor eſt indifferentia contrarietatis, & potentia peccandi, quod obſervandum eſſe monuimus. His igitur conſtitutis, ut ſigillatim quod in titulo propoſuimus, ex ipſo S. Thoma demonſtremus.

Probatur inprimis, perfectiorem eſſe in Deo quàm Angelo libertatem. Atq; id probat D.Thomas in 2.citato diſt.25.q.1.a.4. Ubi cùm dixiſſet, *Quòd omnis proprietas, quæ conſequitur naturam aliquam, quantò natura illa nobiliùs invenitur in aliquo, tantò etiam proprietas illa perfectiùs participatur ab eo, ſecundùm quem modum homo dicitur minùs intelligens quàm Angelus*: inde concludit, quòd *etiam libertas à neceſſaria coactione*, ſeu coactione, & neceſſitate, *nobiliùs invenitur in Deo, quàm in Angelo, & in uno Angelo quàm in alio, & in Angelo quàm in homine*. Hæc ratio aperta eſt, nec neceſſe eſt quidquam addi.

Confirmatur altera ratione, probaturque ſummam, & perfectiſſimam in Deo libertatem eſſe, ex eo quòd Deus ſummam immutabilitatem, & ſummam neceſſitatem habeat: quòd ſanè pauci extra Scholam S. Thomæ animadvertunt, & tamen manifeſtiſſimū eſt. Etenim ut probat Divus Thomas 1.par. q.19.art.3. ideò Deus non vult ex neceſſitate quidquid vult, ſeu creaturas, quia ipſe ſibi ſolus ſufficit, ſolus neceſſitatem habet: *Cùm bonitas Dei*, inquit, *ſit perfecta, & eſſe poſſit ſine aliis, cùm nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat, ſequitur quòd alia à ſe eum velle non ſit neceſſe*, ſed omninò ipſi liberum; ita ut libertas circa alia nō aliūde oriatur, quàm ex eo quòd habeat ſummam neceſſitatem in ſe. Inde enim fit, quòd ut inquit ad 2. *Bonitas ejus poteſt eſſe ſine aliis*: atque adeò ab aliis ſummè independens eſt: in qua independentia poſita eſt ejus libertas. Et ut inquit ad 5. *Voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatē habet, determinat ſe ipſam ad volitum ad quod habet habitudinem non neceſſariam*. Mirum ſanè quòd voluntas quæ neceſſitatem habet, & quia ſummam neceſſitatem habet; determinat ſe ad illud quod non eſt neceſſarium, ſed liberum, id eſt, quòd ſumma neceſſitas radix ſit & origo, & ſuo modo cauſa ſummæ libertatis. Et verò ita neceſſe eſt ratione ſæpiùs dicta, quòd ſumma neceſſitas à rebus omnibus ſummè ſit independens: & ut inquit alicubi Ficinus Platonicus: *Neceſſitati nulla dominatur neceſſitas*, ſed ipſa rebus omnibus dominatur: *Ergo ubi ſumma neceſſitas, ibi ſumma libertas*, ac ſumma independentia, & facultas utendi vel non utendi. Neque id tamen mirum videri debet, ſi recolantur quæ aliàs dicta ſunt, motum omnem fundari in immobili. Ita enim omnia conſentanea ſunt, atque ejuſmodi in ipſa natura conſtitutum principium nullam omninò exceptionem patitur; quia cum natura in omnibus omninò primum ſit quod reperitur, & prius ſemper ſit poſterioris cauſa & origo; neceſſe eſt in omnibus, atque in omnium ente primo, & ſimpliciſſimo, motum omnem, operationem omnem, libertatem omnem à natura neceſſaria, immutabili,& immobili oriri. Atque adeò Deum in ſummo libertatem habere, quia in ſummo neceſſitatem habet.

Confirmatur hęc ratio ex D.Thoma cont.Gent. cap.82.ubi ſic habet; *Invenitur aliqua virtus ad utrumlibet eſſe, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen utrumq; eſſe poteſt. Sicut aliquis diverſis inſtrumentis uti poteſt ęqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autē ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad ejus eminentiam, inquantùm utrumlibet oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad utrumlibet ſe habet. Sic autem eſt in divina voluntate reſpectu aliorum à ſe: nam finis ejus à nullo aliorum dependet, cùm tamen ipſa fini ſuo perfectiſſimè ſit unita: non igitur oportet potentialitatē aliquam in divina voluntate ponere.* Expendenda hæc verba ſunt, ex quibus intelligi poterit, ex ſumma Dei in ſe neceſſitate oriri ſummam independentiam, ſummam libertatem, ſummum in res omnes dominium. *Invenitur*, inquit D. Thomas, *aliqua virtus ad utrumlibet eſſe, quando perfecta operatio* illius *virtutis à neutro dependet*, ſed omninò ab utroq; indepēdens eſt; *ſicut aliquis diverſis inſtrumentis uti poteſt ęqualiter ad idē opus perficiendum*: quod ſanè *pertinet ad ejus virtutis eminentiam*. Quid verò inde & ex ea eminentia,& independētia conſequitur? *Et ob hoc* inquit Divus Thomas, *determinatur ad nullum, ſed ad utrumlibet ſe habet*.Hoc igitur inde conſequitur,& ea eſt conſecutionis vis. Quia virtus majorem eminentiam habet, quia à nullo dependet: *ob hoc* ad nullum determinatur,ſed ad utrumlibet ſe habet, cum ſumma indifferentia,ſummamq; libertatem exercet. At verò ita ſe habet divina voluntas reſpectu aliorum. Quia *Finis ejus*,ſcilicèt divina bonitas, *à nullo aliorum dependet*, cùm ſit ipſa rerum omnium finis; & quia ipſa Dei voluntas *fini*,id eſt ſuæ divinæ bonitati, *perfectiſſimè eſt unita*: Ideò & ob eam rationem, quia ſola ſibi bonitas ſufficit,

quia est à rebus omnibus independens, atque adeò, quod satis observari nunquàm poterit, quia Deus summam necessitatem, & summam immutabilitatem habet, ideò summam habet libertatem. Atque inde colligitur infinitè perfectiorem esse libertatem in Deo quàm in Angelis, quod erat demonstrandum, quia infinitè majorem necessitatem habet. Ex his verò facilè deducuntur cætera quæ infra dicenda sunt, cùm omnis libertas creata divinæ libertatis quædam participatio sit.

In Angelis igitur perfectiorem esse libertatem quàm hominibus probatur ex S. Thoma 1. par. q.62.a.8. *utrùm Angelus peccare possit?* atq; ea ratio est, quam supra diximus, scilicèt quòd firmiùs, & immobiliùs Angeli adhęreant Deo, unde major illis est à creaturis independentia, & circa eas indifferentia ac dominium. Ita enim etiam in humanis cernimus, quòd qui propiùs adhęrent Principi, cęteris dominantur: quod explicat etiam, & confirmat D. Thomas comparatione voluntatis, cum intellectu. Eadē alibi ipsius verba dedimus, sed hìc prætermitti non possunt, ubi propria eorum sedes est. *Liberum*, inquit, *arbitrium se habet ad eligēdum ea quę sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones: manifestum est autem, quòd ad virtutem intellectûs pertinet ut in diversas conclusiones procedere possit, secundùm principia data: sed quòd in aliquam conclusionem procedat, prętermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quòd liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: sed quòd eligat aliquid divertēdo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major est libertas arbitrii in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.*

Nihil est in ea ratione, quod vel ulla verisimilitudine in dubium revocari possit. Quis dubitet pèrfectiorem rationem esse, quo firmiùs adhæret principiis? cùm nullum majus vitium esse possit, quàm quòd prætermisso ordine principiorum in conclusiones feratur; inde enim error omnis enascitur: Atquì eadem conditio voluntatis; quo firmiùs ultimo fini inhæret, Deo, divinæque bonitati, & ut inquit D. Thomas quęst. 24. de Verit. art. 8. *ipsi amore ligatur*: inde liberiùs in media cæteraque res omnes creatas excurrit, eaque suo dominio subjicit: Atquì Angelus firmiùs ultimo fini Deoque adhæret, colligatâ omni peccandi potentiâ: Ergo *& major libertas arbitrii est in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.*

Inter ipsos Angelos verò etiam varios esse libertatis gradus, sicut & aliarum omnium perfectionum, notat expresè S. Thomas 1. par. quæst. 59. art. 3. *De libero arbitrio Angeli*, ubi inquit; quòd *Liberum arbitrium nobiliori modo est in superioribus Angelis, quàm in inferioribus, sicut & judicium intellectûs.* Necesse enim est omnia esse consentanea: habet Angelus superior majorem naturæ immutabilitatem ex participatione primi entis necessarii: habet ejus intellectus majorem immutabilitatem circa Divinam veritatem: habet & voluntas majorem immutabilitatem circa Divinam bonitatem. Atquì inde major oritur supra cæteros eminentia, major ab inferioribus independentia oritur, major circa inferiora omnia libertas; Ergo &c.

In Adamo prętereà, majorem fuisse libertatem & in statu innocentiæ, quàm sit in posteris in statu corruptæ naturæ, aperta res est ex iisdem principiis, habetq; Magister Sententiarum in 2. dist. 25. & refert ex D. Augustino lib. 22. de Civit. cap. 30. ubi inquit Augustinus, *Qu d sicut prima immortalitas fuit quam peccando Adam perdidit, posse non mori; ita primum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare.* Et verò quis dubitet majorem fuisse in Adamo ad summum bonum, & Deum adhæsionem, cùm pacatis domitisq; cupiditatibus, ex rationis vigore, & innocentię donis, nulla erat infelix peccādi necessitas, poteratq; non peccare; cùm tamen posteri in statu naturæ corruptę, id obtinere non possint sine speciali Dei privilegio; *Non enim potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus*, ut docuit S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. aliisq; multis in locis. Unde & Magister Sententiarū eadem distinctione inquit, peccato incurrisse hominem *in depressionem liberi arbitrii*: quòd à latronibus, ex parabola S. Evangelii, nedùm spoliatus sit omninò donis gratuitis: sed in ipsa etiā natura, seu naturalibus bonis vulneratus fuerit. *Corrupta est ergo*, inquit, *per peccatum libertas arbitrii, & ex parte perdita*: atque illud ex S. Augustino refert in Enchirid. cap. 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum.* Quæ omnia ita explicat D. Thomas, ut intelligat ibidem in hujus distinctionis explicatione, libertatem *Corruptam* dici *propter libertatem à necessitate, quæ naturalis est, sicut etiam alia bona naturalia per peccatum corrumpuntur, licèt semper maneant: perditam* verò *etiam propter libertatem à peccato, quæ quidem ex toto adveniente peccato tollitur.* Inclinata est igitur corruptaque ac depressa libertas: quod definitum à S. Concilio Tridentino ampliùs in dubium revocari non potest, ac manifestè ex supra constitutis principiis liquet. Cùm enim veræ perfectæque libertatis radix in ea ad summum bonum adhæsione constituta sit, quò major ea est adhæsio, quò immobilior, eò major erit independentia à rebus creatis iisque utendi facultas, proùt ratio finis postulaverit.

In homine justo, & gratiâ exornato, & viribus gratiæ instructo, & roborato, majorem esse & perfectiorem libertatem, quàm in homine peccatis, & pravis habitibus gravato, & depresso, jam supra explicatum est satis, ubi egimus de variis libertatis divisionibus, & ex ipsa S. Scriptura probatum, qua *verè liberi* homines dicuntur, *quos Filius*, sive gratia Salvatoris *liberaverit*: quod etiam de vera perfectaque libertate, ut est immunis à necessitate, intelligendum esse explicuimus. Atque id expressa S. Thomæ ratione confirmatur. Ut enim inquit in 2. dist. 24. quęst. 1. art. 1.

Omnis

Omnis potentia in ſuo actu vigoratur aut debilitatur per habitum ſupervenientem, vel impedimentũ adveniens. Unde liberum arbitrium non dicitur liberum quia ipſa potentia in ſe intendatur, & remittatur: quamvis tamen juxta varios naturarum gradus ac perfectiones, potentiæ perfectiores eſſe poſſint: *ſed quia vel impeditur per corruptionem peccati, vel expeditur per habitum gratiæ, & gloriæ.* Quamvis igitur eadem ſemper in homine potentia remaneat, ut in Adamo eadem, & in innocẽtiæ ſtatu & poſt amiſſam innocentiam fuit; perfectior tamen accedente gratia libertas evadit, ac ex peccato pravoque habitu inclinatur: cùm hoc potentiis omnibus commune ſit, ut habitibus perficiantur, & roborentur: quod quamvis in ſcientiis, & artibus, & in ordine phyſico apertius eſſe poſſit, non minùs tamen in ordine morali & in habitibus ſtudioſis, ſeu acquiſitis ſeu infuſis verum habet, & ipſa experientia comprobatur.

Confirmari etiam id poteſt altera ratione Divi Thomæ in 2.diſt.25.quæſt.1.art.ultimo, quam ſuprà fusè proſecuti ſumus, ubi de triplici libertatis diſtinctione egimus, & quam hìc ubi propria ſedes eſt, non licet prætermittere. Ita igitur inquit expreſsè D.Thomas. Quamvis *liberum arbitrium poſſit in bonum, & in malum, tamen per ſe in bonũ ordinatum eſt; & ideò illud quod impedit ipſum à bono, ſimpliciter impeditivum ipſius eſt & corruptivum: & propter hoc libertas* (ſeu immunitas) *ab eo quo impeditur à bono, ſimpliciter libertas dicitur, quæ eſt libertas à peccato.* Hæc ibi. Quæ ratio in hanc formam redigi poteſt, ut vis ejus apertior ſit. *Libertas à peccato eſt libertas ſimpliciter*, aut ut preſſiùs loquamur, eſt ipſius libertatis perfectio, & quâ major eſſe non poteſt: Atquì in homine gratiâ exornato eſt *ea libertas à peccato* quâ ſpoliatus eſt homo peccatis gravatus: Ergo in homine gratiâ exornato eſt ea libertatis perfectio quâ homo peccati tyrannide ſpoliatus eſt.

Majorem probat D. Thomas hac ratione. Libertas ſeu immunitas ab eo quod eſt *impeditivum, & corruptivum* liberi arbitrii, non poteſt nõ pertinere ad libertatis maximam perfectionem: quis enim dubitet, exemptum eſſe, liberumque ac immunem ab errore, pertinere ad intellectûs perfectionem, cùm error rectum uſum judicii ac rationis rectitudinem impediat, ac corrumpat: Atquì peccatum eſt *impeditivum, & corruptivum* liberi arbitrii: quia impedit ipſum *à bono ſimpliciter, ad quod per ſe*, & ex inſtitutione naturæ liberum arbitrium *ordinatur*: Ergo gratia quæ aufert peccatum, confert veram libertatis perfectionem: quæ perfectio amittitur peccato, quõ homo in ſervitutem redigitur. Et verò nihil eſt in Scriptura Sacra, apud Sanctos Patres, & apud Veteres frequentius, quàm liberos eſſe qui colunt virtutem; contrà verò ſervos eſſe, qui ſuis cupiditatibus conſtringuntur. *Quiſquis*, inquit Boëtius lib. 4. met.4. *trepidus pavet, vel optat &c. nectit qua valeat trahi catenam.* Ideòq; toties in S.Scriptura dictum eſt, peccatores funibus peccatorum ſuorum conſtringi; ut de peccato veriſſimum ſit, quod ad creãdam invidiã motionibus Divinis Sancti Thomę ſententiæ objici ſolet, eas eſſe compedibus ſimillimas, quibus conſtrictus homo progredi juberetur. Gravem enim ſibi catenam nectit quiſquis cupiditatibus indulget, ſeque pravis habitibus implicat: & ut neſcio quis veriſſimè dixit. *Quiſnam igitur liber? ſapiens ſibique imperioſus? quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent*: qui *totus teres atque rotundus* ad omnem virtutem facilis, *in quem manca ruit ſemper fortuna.* Horat.Satyr.7.lib.2. quòd nihil timeat, nihil optet, omni fortunâ ſuperior. De Patribus taceo, ex quibus non paginam ſolùm, ſed librum implere promptiſſimum eſſet. Argumentum hoc proſequutus eſt fusè S.Ambroſius epiſt.ad Simplic. quòd *ſolus ſapiens liber ſit.* Philo lib. quod omnis probus ſit liber, ut Ciceronem præteream: plurimaque habet author graviſſimus Ludovicus Granatenſis in Duce peccatorum.

Nec verò cauſam adverſam juvaret, ſi quis reponeret, hæc omnia dumtaxàt eo ſenſu eſſe intelligenda, quòd quiſquis virtutem colit, is liber cenſendus ſit, ea libertate quæ dicitur à peccato. Siquidem jam ex D.Thoma probatum eſt, quòd ea libertas à peccato eſt *libertas ſimpliciter*; ea ratione, quòd *cùm liberum arbitrium per ſe*, ſeu inſtitutione naturæ, *ad bonum ordinatum ſit*, non poteſt peccatum non eſſe *impeditivum, & corruptivum ipſius.* Ergo etiam manifeſtum eſt, gratiâ quæ peccatum aufert, veriſſimam perfectionem ipſius libertatis naturalis conferri, & qualem à natura inſtitutam eſſe intelligendum eſt: quæ ad bonum dumtaxàt proſequendum, & malum fugiendum, hanc libertatis dotem homini contulit.

ARTICULUS III.

Major explicatio graduum libertatis in Beatis, juſtis, peccatoribus.

ATque ex his facilè intelligi poteſt, varios eſſe libertatis gradus, quibus tamen ſemper ſupponendus eſt primus ille gradus libertatis, qui naturam conſequitur, & in omni natura, & naturæ ſtatu reperitur, immunitas à neceſſitate, & indifferentia vel contradictionis in omni omninò ſtatu, vel etiam contrarietatis in actibus planè deliberatis hominis viatoris, & quem ad meritum, & demeritum omninò requiri definitum eſt: & vocari poteſt cum S. Thoma, *libertas potentiæ*, cui ſuperadduntur habitus vel virtutis, vel vitii, quibus ea libertas potentiæ vel *vigoratur, vel debilitatur*, & vegetior, aut debilior efficitur.

Sed ante omnia ſupponendum eſt, quod ſtatim initio ſeſſionis 6. de juſtificatione, ſcilicèt cap.1. SS.Tridentinum Concil. explicat, tanquàm cæterorum omnium fundamentum. *Primùm declarat S.Synodus, ad juſtificationis doctrinã probè, & ſuccerè*

cerè intelligendā, oportere ut unusquisque agnoscat, & fateatur, quòd cū omnes homines in prævaricatione Adę innocentiam perdidissent, facti immundi, & ut Apostolus inquit, natura filii iræ, quemadmodùm in Decreto de peccato originali exposuit; usque adeò servi erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modò gentes per viam naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari aut surgere possent: tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctū esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum. Hæc Tridentinum: in quibus tria potissimùm observanda sunt, & ubique præ oculis habenda. Primò, *Liberum arbitriū minimè extinctum* fuisse, sed in omni natura, & in omni naturæ statu primam illam à necessitate immunitatem permanere. Secundò, in statu naturæ peccato corruptæ, *liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum* esse, neque infirmum hominem ea præstare posse, quæ sanus valebat. Et Tertiò demùm, quod ex superiori consequitur; in statu innocentiæ multò validiùs, & fortiùs fuisse liberum arbitrium, & plura potuisse, quàm possit viribus attenuatum, & inclinatum. His positis.

Quatuor libertatis status distinxit Magister sẽtentiarum. lib. 2. dist. 25. §. *de quatuor statibus liberi arbitrii in homine*, quos paucis referre non erit abs re, cùm inde semper apertius sit, gratiâ perfici libertatem, & è contra peccato deprimi, & inclinari. *Primus* Libertatis status fuit *ante peccatum*: cùm homo esset exornatus dono innocentiæ, & *cùm ad bonum nihil impediebat, ad malum nihil impellebat. Secundus est post peccatum*: & amisso dono innocentiæ, & in natura per peccatum corrupta, *sed ante reparationem gratiæ*: cùm homo *premitur à concupiscentia, & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono; & ideò potest, & non potest non peccare*: eo sensu quem suprà ex D. Thoma explicuimus, quòd non possit peccata omnia lethalia vitare, quam vis possit quodlibet in particulari, quod ad servandum primum illum libertatis gradum, de quo diximus, satis est. *Tertius* status est etiam post peccatum, sed *post reparationem*, cùm *premitur* quidem *à concupiscentia, sed non vincitur; & habet quidem infirmitatem in malo, sed habet gratiam in bono; ut possit peccare propter libertatem, & infirmitatem; & possit non peccare ad mortem, propter libertatem, & gratiam adjuvantem. Quartus* tandem status est, qui tanquàm meriti merces expectatur *post confirmationem*: cùm, infirmitate penitùs absorptâ, & consumptâ, *& gratiâ consummatâ, nec vinci poterit nec premi; & tunc habebit non posse peccare.* Hæc ex Magistro sententiarum, quæ probat D. Thomas, & superioribus omnibus principiis maximè consentanea sunt.

Verùm, paululùm aliter distingui possunt hi gradus, statusque libertatis, addique alius in quo cum consummata miseria crudelissima servitus est.

Primus: itaque perfectissimus libertatis gradus est in statu gloriæ, & gratiæ consummatæ, ubi Angeli, & Beati confirmati in gratia non possunt peccare: atque inde libertas perfectior est: Ultimus ex adverso omnium infimus gradus est consummatæ miseriæ in dæmonibus, & damnatis hominibus obstinatis in malo; in quibus licet remaneat ea libertas, quam ex D. Thoma nominavimus *libertatem potentiæ*; ita tamen præpedita ea potentia est, ut omninò nihil nisi peccare possit: & *ex eo quod naturale est ad illud quod innaturale est*, ut loquitur S. Thomas, libertas pertrahitur. Inter illum utrumque statum varii deinde gradus distingui possunt, quò vel propiùs vel remotiùs ab his extremis recedunt. Et inter illos quidem perfectior est gradus libertatis statûs innocentiæ qui propiùs ad statum Beatorum accedebat; in quo statu etiam primum locum occupat Beatissima Virgo Deipara, quam Adamo dotibus omnibus superiorem esse æquissimum est, ut existimemus, excepta passibilitate corporis, quod ut Christo conformior esset, fuit dolori, & morti obnoxium. Alius deinde inferior est eorum qui confirmati sunt in gratia, ut S. Joan. Bapt. Apostoli, S. Joseph, aliique Sancti in certo virtutum genere; ut de ipso D. Thoma Doctore Angelico par est credere: de quo illud canit Ecclesia, quòd *pestiferæ superbię nunquàm persensit stimulum*: & post singulare illud beneficium quo ab Angelis cingulo castitatis præcinctus est, cùm nullum vel levissimum libidinis sensum unquàm perpessus sit, par Angelis, & in *angelificata carne*, ut Tertuliani verbo utar; qui cingulus in Conventu Vercellensi sui Ordinis asservatur: cùm non solâ aut imaginariâ aut intellectuali visione hoc ipsi Beneficium collatum sit, ut hæc beneficia aliis sæpiùs conferri solent; sed reipsa ab Angelis zonâ præcinctus sit, quæ etiam nunc, ut diximus, & asservatur, & visitur. Alius deinde gradus etiam inferior est omnium, qui in gratia constituti sunt, in quibus juxtà variam gratiæ mensuram, varia etiam est libertatis perfectio. Ac demùm omnium infimus in hominibus, dum vivunt, & in statu viæ, cùm, amissâ gratiâ, peccato inficiuntur: in quo etiam statu plures gradus distingui possunt, quo magis peccatis gravantur: inter quos hi qui in malo excæcati, & obstinati dicuntur, quo propiùs ad damnatorum hominum, & dæmonum obstinationem accedunt, etiam, & duriori servitute opprimuntur, quæ veræ libertati aut libertatis perfectioni repugnat.

Longiùs hæc nos deducerent, si omnia sigillatìm prosequeremur: aliqua tamen dici de præcipuis gradibus necesse est; ex quibus facilè quisque de aliis quid statuendum sit per se satìs intelliget. Sed omnia semper ex D. Thoma desumenda sunt, ne quisquam, in rigore Theologico omnia à nobis statui, dubitare possit.

Primùs itaque status est libertatis in bono confirmatæ ex felicitate gloriç, & gratiæ consummatæ, de quo statu plura diximus suprà, & sæpiùs, & quibus hæc etiam addi possunt ex Divo

Tho-

Thoma in 2. diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. *Utrùm Angeli peccare poſſint*? Vbi mirum in modum notat Sanctus Doctor mutabilitatem omnem cujuſque naturæ inde oriri, quòd hujus potentia omninò completa non ſit. Hinc enim fit, qua parte potentia forma aut actu completa non eſt, ſeu alteram formam ſeu actum recipere poſſe, cujus receptione mutatur. At verò hinc oppoſitâ ratione conſequitur, immutabilitatem voluntatis in bono inde oriri, quòd voluntatis potentia omninò completa ſit Divinæ bonitatis veluti forma infinita, quæ totam voluntatis capacitatem, & quanta eſſe poteſt ita replet, ut nullus voluntati locus relictus ſit, quo altera boni forma recepta mutari unquàm poſſit. Sed audiendus ipſe Sanctus Thomas, cujus tamen textui aliqua interdùm verba interſerimus, ſed nulla ipſius nec prætermittimus, nec loco aut ordine invertimus.

Dicendum, inquit, *quòd ſicut Deus per naturã ſuam habet, quòd peccare non poſſit; ita & hoc Angelus habet per gratiam confirmationis: quod ſic patet*, eâ ſcilicèt ratione quàm jam innuimus. *Principium* enim *mutationis eſt rei poſſibilitas: nec defectus eſſe poteſt, niſi per potentiam incompletam. Illud ergo cui nihil admiſcetur de potentia, ſecundùm naturam ſuam nec mutari nec deficere poteſt*: atque hujuſmodi eſt natura Divina, quæ cùm ſit puriſſimus actus, nihil vel minimum potentiæ admixtum habet. *Illud autem cui admiſcetur potentia, quæ tamen tota per actum completur, poteſt quidem quantùm in ſe eſt deficere, & mutari, ſecundùm quòd eſſe, & completionem ſuam non niſi ab alio habet*: Ita enim ſemper creatura omnis, ut eſt ex nihilo, ſẽper naturâ ſuâ mutabilis eſt: ſicut & aër ſub ipſa luce qua perfunditur, capacitatem habet ut tenebroſus fiat: *Sed* tamen *ratione perfectæ receptionis quæ nihil potentiæ imperfectum relinquit, habet immobilitatem, & indeficientiam*.

Atque id probat S. Thomas exemplo rerum quæ ſub ipſum conſpectum cadunt, aut in uſum veniunt: Unde ſubdit. *Hujuſmodi autem exemplũ ſumi poteſt in naturalibus, & intellectualibus. Invenitur enim in naturalibus quorundã potentia naturalis omninò completa, & per ſuum eſſe, & per ſuam formam: & ideò eſſe indeficiens habent: ſicut patet in Angelis, & corporibus cœleſtibus, quorum potentia non eſt ſuſceptiva alicujus alterius eſſe, vel formę: Unde elongata ſunt à privatione, & per conſequens à corruptione*: cùm omnis corruptionis, & mutationis principium tanquàm terminus à quo, privatio ſit. Et ideò inter principia entis mobilis & naturalis, privatio connumeratur. *Sed materia aquæ non tota completur per formam aquæ, hôc modò, ut reducatur in omnẽ perfectionem poſſibilem per eam. Unde ſimul cum forma aquę manet privatio formę aëris: & ideò hæc corruptibilia ſunt. Et ſimiliter patet in intellectualibus: quia principium immediatũ naturaliter cognitum determinat poteſtatẽ totam rationis. Antequàm enim ad ipſum deveniatur per inquiſitionem reſolventem, ita adhęretur uni parti, ut relinquatur quædam pronitas ad partem aliam per modum cujuſdam dubitationis: ſed quando reſolvendo pervenitur ad primum principium per ſe notum, firmatur ad unum cum impoſſibilitate alterius.*

His verò exemplis ita conſtitutis proſequitur S. Thomas. *Similiter eſt de voluntate Angeli beati, ad quam ita ſe habet lumen gratiæ, vel gloriæ, & virtus, ſicut forma vel actus in naturalibus, & finis ultimus ſicut principium in ſpeculativis: quia ſecundùm Philoſ. 6. & 7. Ethic. & 2. Phyſic. Finis in voluntariis operationibus eſt ſicut principium in ſpeculativis. Unde cùm per lumen gloriæ perfectè ultimo fini cõjungãtur, per fruitionem plenã, Divina bonitate affecti toti, in contrariũ flecti nõ poſſunt.* Atq; adeò tota capacitate voluntatis repletâ Divinâ illâ formâ, nulla remanet potentia peccandi.

Hactenùs D. Thomas: quæ omnia referenda eſſe exiſtimavimus, cùm nihil oportunius eſſe poſſit ad explicandam veram rationem libertatis etiam cum impotentia peccandi conjunctam: utriuſque enim, quod obſervari volumus, & impotentiæ peccandi, & veræ libertatis eadem radix eſt. Unde enim oritur impotentia peccandi, niſi ex eo quòd cùm Divina bonitas, quæ eſt ultimus finis, plenitudo boni, & ſumma ſanctitas, voluntatem, quæ eâ plenitudine fruitur, omninò repleat; voluntas ultimo fini, & omnis ſanctitatis regulæ conjuncta, nihil eligere unquàm poſſit, niſi ſervato ordine finis, & juxtà ipſius regulam, & menſuram: unde oritur felix illa impotentia peccandi, & excidendi ab ultimo fine, quem poſſidet, & à quo viciſſim poſſidetur. At verò unde etiam oritur vera libertas, qualis à Deo authore inſtituta, & condita eſt, & cujus velutì culmen, & apex, ſummaque perfectio infra Deum, in Angelis, Beatiſque reperitur, niſi ex eo quòd cùm capacitas omnis voluntatis, & potentia tanta quanta eſt, Divina bonitate quæ eſt omnis boni plenitudo, compleatur: indè fit, ut de Divina libertate dictum eſt, quòd ſicut Divinæ voluntati ſatìs eſt ſua ipſius bonitas, atque indè independens fit à rebus omnibus creatis, in qua independentia poſita eſt Divina libertas: ita cùm voluntati Angeli Beati ſatìs ſit ipſa Divina bonitas, quæ totam voluntatis capacitatem replet; indè fit ut à rebus omnibus ſummam independentiam habeat, ſummamque libertatem. Et ſanè ut ex D. Thomæ egregia planè obſervatione liquet, 1. par. quæſt. 26. art. 4. *Quidquid eſt deſiderabile in quacumque beatitudine vel vera vel falſa, totum eminentiùs in Divina Beatitudine præexiſtit.* Triplex enim olim Beatitudo à Philoſophis conſtituta eſt, in contemplatione, actione, & voluptate, ut refert alio in loco D. Thomas, ſcilicèt 1. 2. qu. 69. *de Beatitudinibus*, art. 2. At verò pergit S. Thomas loco citato ex prima parte. *De contemplativa felicitate Deus habet continuam, & certiſſimam contemplationem; de activa verò gubernationem totius univerſi; de Tertia verò felicitate, quæ conſiſtit in voluptate, divitiis, poteſtate, dignitate, & fama, ſecundùm Boëtium in 3. de conſolatione, habet gaudium de*

ſe,

se, & de omnibus aliis, pro delectatione: pro divitiis habet omnimodam sufficientiam, quam divitiæ promittunt: pro potestate omnipotentiam: pro famaverò admirationem totius creaturæ: Hæc omnia Deus habet in se se, suaque natura: hæc omnia ex gratia Beatis mentibus infundit, cùm non alia quàm ipsius Dei Beatitudine Beati esse possint, ut ibidem probat D. Thomas.

Cùm igitur felicitatem omnem, omnisque generis, Beatus in sola Divina bonitate reperiat, eâque fruatur, quę *replet in Bonis*, aut uno dumtaxàt Bono *desiderium* ipsius: inde solo illo Bono cõtentus, à cæteris omnibus independens, cum summa indifferentia circa ea versatur: in quo, & libertas ipsius, & Divinę voluntatis libertas posita est. Igitur manifestissimum est, eandem esse, & veræ libertatis, & impotentiæ peccati radicem. Unde tantùm abest, quòd ad libertatem potentia peccandi pertinere dicenda sit, ut è contra cum vera, & perfecta libertate impotentia peccandi conjuncta esse debeat. Atque inde ut ex certissima regula, & mensura, libertatis perfectio, & perfectionis gradus desumi possunt: ex eo scilicèt vel recessu, vel accessu ad illam peccandi felicissimam impotentiam, ortam ex adhæsione ad Deum summum bonum: undè etiam à rebus cæteris independentia oritur. Atque indè evidentiùs liquet, quòd in altero extremo, summa scilicèt miseria, nulla sit nisi potentia peccandi: & obfirmata sit in malo dęmonis vel damnati hominis voluntas, quę creaturæ adhæret, desertâ boni, & rectitudinis regulâ, unde nihil nisi peccare possint: ideôque minima, & imperfectissima in iis libertas est, & gravissima servitus. Vide tamèn priùs suprà pag. 280. quæst. 3. art. 3.

Ultimus, infimusque libertatis gradus in dæmonibus, & damnatis hominibus reperitur, in quibus sola illa, & infelicissima libertas, & indifferentia peccandi remanet. Ut enim inquit, S. Thomas in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 2. *sicut impossibile est à voluntate indeclinabiliter adhęrente recto fini, procedere opus peccati; ita è contrariò impossibile est, à voluntate adhęrẽte inconvertibiliter perverso fini, aliquòd rectum opus provenire*. Unde in eis periit inprimìs omninò ea libertas à peccato, dupliciq; ratione: tum quia nullum omninò actum supernaturalem possunt elicere, donisque omnibus, & habitibus supernaturalibus spoliati, nullum cum divinis rebus commerciũ habere possunt: tum quia neque ab eo statu peccati in quem demersi sunt, poterunt unquàm emergere. Et quamvìs, ut notat D. Thomas ibidem, remaneat in dęmonibus synderesis, qua principia naturalis juris continentur; & quę renititur semper, ac mordet; & quæ supplicii, quo per ęternitatem torquebuntur, non levior pars est: *attamèn illud murmur est actus dũtaxàt naturę: in dęmonibus enim voluntas perversa repugnat, secundùm quàm claudunt suas virtutes inspectivas ab omni consideratione, ut dicit S. Dionysius in cap. 4. de divinis nominibus*. Ibidem ad 3. Hinc oritur crudele illud tormentum, cùm perpetuò voluntas, & natura invicem secum pugnabunt: clamabit mordebitque synderesis, & malum veluti oculis objiciet, & ingeret; obstinata verò voluntas oculos veluti occludere aut avertere nitetur. Quinimò, quod multò minorem adhuc libertatem, & potestatem bene agendi satis probat; nulla in dæmonibus aut damnatis hominibus remanet habilitas, aut capacitas naturæ ad bonum. Quamvìs enim remaneat ipsa inclinatio potentiæ, sicut diximus remanere potentiæ libertatem; attamen ita capacitas omninò occlusa est: ut magnum sit illud interiacens Chaos, quo nullum cum rebus Divinis commercium esse potest. Sed ut inquit D. Thomas, quæst. 14. de ver. art. 10. ad 2. *Cùm natura spiritualis facta sit quantùm ad esse suum indeterminata, & omnium capax; sicut dicitur in 3. de anima, quòd anima est quodãmodò omnia, & per hoc quòd alicui adhæret, efficitur unum cum eo: sicut intellectus fit quodãmodo ipsum intelligibile intelligendo, & voluntas ipsum appetibile amando*. Unde, ut jam dixerat respondendo ad 1. *Quamvìs mẽti rationali secundùm suã institutionem consideratę peccatum sit contra naturam; tamen secundùm quòd adhęsit peccato, effectum est ei quasi naturale, ut Augustinus dicit in lib. de perfectione justitiæ: & Philosophus dicit 9. Ethic. quòd quando homo de virtute in vitium transit, fit quasi alius, eò quòd quasi in aliam naturam transit*. Unde adeò mutata est ea inclinatio naturæ, ut nihil aliud nisi perpetuò peccare, & ab ultimo fine averti liceat unquàm, aut libeat. Et quamvìs plura eligere possint, in quo solo remanet ipsorũ libertas arbitrii; attamèn, ut etiam observat S. Thomas quæst. 16. de malo art. 5. *Quamvìs diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant; quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum*.

Ex quibus omnibus apertissimè constat, in dæmonibus, & damnatis hominibus minimam libertatem esse, & infimum libertatis gradum, sine quo intellectualis natura non potest intelligi; sicut & minima ad bonum inclinatio quæ à natura avelli non potest: & quæ tamen malitiæ pondere adeò opprimitur, ut nunquàm se se exerere possit.

Medii gradus sunt qui inter illos extremos oppositosque, quos explicuimus, versantur: Et de his quid sentiendum sit facilè ex jam dictis statui potest. Est enim maxima latitudo. Quo propiùs ad alterum ex his statibus accedunt, vel ab iis recedunt longiùs, etiam perfectior vel imperfectior libertas est. Atque id facilè hac ratione probari potest. Est enim libertas potestas benè vel malè agendi; benè per se, & ex institutione naturæ; malè ex defectu, & præter naturæ intentionem, ex S. Dionysio: Atquì ea potestas benè agendi major est, quò abundantior est gratia, & perfectiores sunt habitus virtutum: Ergo etiam quò major gratia, virtusque est, eò major est, ac perfectior libertas. Minor probatur, quia ea potestas agendi eò major est, quò major est capacitas naturæ, & animæ ex gratia, ut plures

per-

perfectioreſque actus elicere poſſit : Atqui quò major virtus eſt, ac abundantior gratia, & eò major etiam eſt ea capacitas naturæ, ſeu voluntatis, ipſiuſque libertatis: Ergo. Minor probatur, quia capacitas naturæ ipsâ gratiâ extenditur, ſicut peccatis coarctatur : & ſicut ita interdum occluditur, ut nihil niſi peccare libeat, ita etiam interdùm extenditur, ut nihil niſi rectè agere, & Deo adhærere delectet : *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram*. Pſal. 72. Atque id in ipſa natura videre eſt. Quo perfectior eſt forma, eò plures, & perfectiores actus eliciuntur: quod etiam in habitibus artis, & ſcientiæ perſpicuum eſt. In natura enim ſola capacitas eſt habendi gratiam: quo ſenſu dictum eſt à D.Auguſtino lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 5. *Naturæ eſſe hominum, poſſe habere fidem*. At verò ea capacitas naturæ adhuc remota eſt, nec fit proxima niſi per ipſam gratiam ; cùm neceſſe ſit diſpoſitionem ad formam eſſe ejuſdem ordinis ac rationis cum forma ; ſiquidem eſt quædam inchoatio formæ. Et ut inquit S. Thomas Opuſc. 61. de dilectione Dei. cap. 17. de augmento charitatis. *Anima quidem inſtrumenta cognoſcendi & diligendi Deum, habet à natura ; cognitionem tamen veritatis, & ordinem dilectionis à gratia: Vaſa enim quę creatrix gratia creavit ut ſint, adjutrix gratia replet ne vacua ſint*. Proxima igitur capacitas animæ recipiendi gratiam ex ipſa gratia oritur, quæ quò major fit, voluntatis, ac libertatis veluti ſinum magis extendit. Atque inde probat S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 7. charitatem in infinitum augeri poſſe, nullumque augmenti terminum poſſe præfigi : neque in ſe, cùm participatio ſit quædam infinita charitatis & bonitatis, quæ Deus eſt, neque ex parte agentis, cùm etiam agens ſit ipſe Deus infinitæ virtutis, à quo infunditur charitas. *Similiter*, inquit, *ex parte ſubjecti terminus huic augmento præfigi non poteſt ; quia ſemper charitate excreſcente, ſemper creſcit habilitas ad ulteriùs augmentum*. Unde inquit ad ſecundum, *Capacitas creaturę rationalis per charitatẽ augetur : quia per ipſam charitatẽ cor dilatatur, ſecundùm illud 2. ad Cor. 2. Cor noſtrum dilatatum eſt*. Atque inde illa oritur diſtinctio charitatis in tres gradus, quos diſtinguit D. Thomas eâdem quæſt.art.9. eorum qui incipiunt, qui proficiunt, qui perfecti ſunt : quoſque deducit Divus Thomas ex S. Auguſtino Tract. 5. in primam Canonicam Joannis. *Charitas cùm nata fuerit, nutritur, quod pertinet ad incipientes ; cùm fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes ; cùm fuerit roborata perficitur ; quod pertinet ad perfectos. Cùm verò perfecta fuerit, dicit, Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Et tunc, ſicut dictum eſt malitiam veluti naturalem fieri ; ideòque voluntatem in malum veluti transformatã immobiliter ipſi adhærere : ita planè ut inquit D. Thomas in diſt.29.quæſt.1. art. 8. *Homo ad ipſa bona* divina, *quaſi connutritus quodãmodò ſibi naturalia habet ipſa, & in eis quieſcit, & delectatur*: & ut addit 2.2. quæſt. 45. de ſapientia art. 2. quædam *connaturalitas ad res divinas fit per charitatẽ quę nos unit Deo, ſecundùm illud ad 1.Cor.6. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus cum ipſo eſt*. In quo felici ſtatu ita Divina charitas voluntatẽ transformat, ita ſibi vendicat, & tanta unio eſt, ut nihil ſeparare animam poſſe videatur : & cum Apoſtolo dicat. *Quis nos ſeparabit* ? ut enim omninò egregiè D. Thomas opuſc.61. De dilectione Dei cap. 17. De augmento charitatis : *Cùm charitas in potentia continuat poſſeſſionem, quodammodò tendit ad faciendam præſcriptionem, ut quo diutiùs influit, difficiliùs expelli poſſit*. De quo plura dicenda ſunt ubi ex motione quæ dona Spiritus Sancti comitatur, Divinæ gratiæ efficaciam explicabimus. Igitur eò perfectior libertas eſt, quò major eſt poteſtas benè agendi. At verò eò major eſt ea poteſtas agendi, quò major eſt animæ capacitas, & abundantior gratia, tum habitualis, tum actualis, cùm juxtà communes leges utraque connexa ſit, quia concurſus juxtà exigentiam formæ prædominantis conferri ſolet : Ergo quò major gratia eſt, eò perfectior eſt libertas, quod erat demonſtrandum.

Confirmantur ac comprobantur ipſo experimento quæ diximus. Neminem enim videre eſt, qui faciliùs, & promptiùs majores actus virtutis non eliciat, quò majori ſtudio colendæ virtuti incubuit, & majores progreſſus fecit. Unde interdum quæ difficillima naturæ videri poſſent, & inexercitatis aut imperfectis planè impoſſibilia ; è contrà aliis, & ex virtute, & gratia majoribus viribus inſtructis, facilia ſint, aut penè nulla. Ut enim habet egregiè illud à D. Auguſtino dictum, *Ubi amor eſt, labor non eſt, aut enim non laboratur, aut labor ipſe amatur*. Et illud, *Omnia ſæva, & immania prorsùs facilia, & propè nulla efficit amor*. Quæ omnia, & plura alia refert D. Thomas opuſc. 61. de gradibus divini amoris. *Sanctâ enim quadam ſemper eget amor avaritiâ*, ut inquit Gilbertus ſerm. 2. in Cantic. cùm nihil unquàm ipſi ſatis eſſe poſſit, vellet enim plura ſemper efficere. Adeò ut interdum exhauſtis ipſius viribus, ut egregiè inquit D. Thomas ibidem, *Languet amans, quamvis* tamen *non langueat amor*: ut tot actibus virtutum heroicis Sanctorum ſatis comprobatur, qui cùm leguntur, in admirationem adducunt.

Confirmatur præterea, quòd ut dictum eſt ex S. Thoma, peccatum ſit corruptivum, & impeditivum libertatis. Ergo non poteſt non eſſe major, & perfectior libertas, quò major eſt averſio à peccato : Atquì eò major eſt à peccato averſio : quò major virtus eſt, & gratia abundantior : Ergo quò major eſt gratia, eò perfectior eſt libertas. Et verò tantus interdùm ardor eſt ad virtutum omnium exercitia, & tanta voluntatis determinatio; ex altera verò parte tanta eſt à peccato voluntatis averſio, ut illud caſtiſſimi Ioſeph uſurpare anima meritò poſſit ; *Quomodò poſſum hoc malum facere* ? Geneſ. 39. Non voluntatem ſolùm negat, ſed potentiam. Atque ut notat S.Thomas, quæſt.24. de verit. art.9. *Per*

gratiam viæ ita poteſt homo bono adſtringi, quòd non niſi valdè de difficili peccare poſſit: per hoc quòd ex virtutibus infuſis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis divinæ, cujus continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit à peccato. Quò magìs enim voluntas ad unum extremum inclinatur & accedit, eò etiam ab altero extremo remotior eſt. Unde, ſicut quò calidior aqua eſt, eò difficiliùs frigiditatem priſtinam recuperare poteſt: (neque enim natura patitur, ut cùm v. g. ebullit, momentò frigida fiat; quia natura non fert ſubitas mutationes, neque impertranſitis omnibus mediis, ſtatim ab uno extremo ad alterum pervenitur:) Ita planè cùm anima charitate tota accenſa eſt; nec contingit unquàm, nec contingere poſſe videretur juxtà communes leges, quòd momentò non ſolùm tepida, ſed etiam & frigida peccatù fiat; & ſponte ac ſciens velit Deum cujus amore flagrat offendere: non magis certè quàm quòd caſtiſſima uxor quæ conjugem deperit, velit ipſum pugione confodere. Poſſet equidem ſi vellet; at efficit amor quò ardentiſſimè flagrat, ne velit: Sicut, & poſſet quis ſeipſum ſi vellet confodere; quis verò niſi vel mente expers, vel captus furore velit? atque id etiam ſatis aliis exemplis intelliget, ſi quis ſibi in animum inducat, & ſibi audire videatur, quid repoſuiſſet non dicam Lucretia, ſed D. Catharina, aut D. Thereſia, ſi quis ad turpem actum ſollicitaſſet: quàm abhorruiſſet à crimine, & quàm reſpondiſſent citò, *ſe malle præmitti in infernum*, ut reſpondit etiam nobilis ille Eleazarus 2.Mach. 6. v. 23. mori enim potiùs dubio procul quàm fædari maluiſſent: atque id ex intenſis virtutum habitibus oriebatur. Quoties enim voluntas magìs in virtutem inclinatur, & majores vires ad eas excercendas habet, eò magis à peccato, & malo arcetur, & magìs abhorret: atque adeò abhorret, ut felix quędam neceſſitas, & peccandi impotentia dici poſſit.

Ex quo colligi poteſt, qui ſint illi gradus libertatis inter utrumque extremum poſiti. Ex gratia enim & impotentia peccandi majori, vel minori deſumendi ſunt. Propinquior ſtatui Beatorum eſt, cùm gratia, licèt non efficiat ſimpliciter impeccabilem; efficit tamen ne peccet. Qui gradus, ut ita dixerim, ſecundus eſt à ſtatu Beatorum: & eorum eſt qui ſunt confirmati in gratia; quorum cùm major & abundantior gratia voluntatem exornat, quamvìs non omninò repleat totam capacitatem voluntatis, ut ea peccandi potentia omninò exhauriri poſſit: adeò tamen voluntatem replet, ut levioribus ſolùm culpis locum relinquat. Alius verò gradus eſt eorum qui actu à Deo, & Divina motione moventur; qui actu ſub ipſa motione, quamvìs non ſimpliciter impeccabiles fiant, nunquàm tamen ſunt peccaturi: quia etſi peccare poſſint ſi velint, efficit tamen ipſa motio ne velint: & ſub ipſa Divina motione; & cum ipſa obedientia voluntatis, quam motio efficit; adhuc tamen voluntas mutabilitatem non amittit; ut inquit D.Proſper.lib.2. de vocat.gent.cap.27.& 28. *In cordibus trahendorũ hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent.... & quod eos voluit Deus velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem quę poteſt nolle, non auferat.* Attamen & aliquo ſenſu dici poteſt divina motio efficere voluntatem impeccabilem, cùm à D.Thoma dictum ſit 2.2.q.24.a.11. quòd *Ex parte Spiritus Sancti moventis animã ad diligendum Deum, homo impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Unde impoſſibile eſt hęc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Et quod majoris momenti eſt, dictum eſt 1.Jo:3.v.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: quem locum refert idem Divus Thomas, ac intelligit de ea *poteſtate*, & divinæ motionis efficacia, qua immunes à peccato reddantur quos ipſe Deus movere voluerit.

De altero medio gradu, ut magìs ad alterum extremum infelix mali accedit, ex ſuperioribus etiam facilè conjici poteſt quid ſtatuendum ſit. Quò magìs homo peccatis gravatur, quo magìs ad illud peccatorum *profundum venerit*, eò ſemper imperfectior evadit libertas quamvìs ſemper potentiæ, & naturæ illa libertas remaneat agendi, & non agendi, quæ ab intellectuali natura nunquàm auferri poteſt; quæque ad meritum vel demeritum ſemper neceſſaria eſt, & in homine lapſo, actibuſque plenè deliberatis ſemper reperitur. Atque id facilè hac ratione probatur: quia idẽ ſentiendum eſt de libertate ac de inclinatione naturæ ad bonum. Hæc enim tria, voluntas, inclinatio ad bonum, & libertas, omninò connexa sũt, aut etiam idem ſunt. Non enim ſunt diverſæ potentiæ: ſed ipſa voluntas eſt etiam ipſa naturæ intellectualis inclinatio ordinata ad bonum; & eadem voluntas, ut ratione regitur, eſt etiã libertas, Unde idem judicium ferendum eſt de libertate aut poteſtate benè, & malè agendi, ſicut & de inclinatione naturæ: Atquì certiſſimè conſtat eam poteſtatem benè agendi, ipſamque inclinationem ad bonum morale, peccatis minui, eoque magìs minui, quo graviora peccata ſunt: neque id citra errorem negari poteſt, cùm nemo Patrum ſit, qui in eo homine deſcendente ab Jeruſalem in Jerico, à latronibus ſpoliato, vulneribus confoſſo, & ſolùm ſemivivo relicto, Luc. 10. figuram non intellexerit hominis, qui nedùm donis innocentiæ ac virtutibus, peccatò ſpoliatus fuerit, ſed qui etiã *in naturalibus vulneratus* fuit. Atque id probat D.Thomas 1.2.q.85.a.1. *Quia per actus humanos fit quędam inclinatio ad ſimiles actus ut ſuprà habitum eſt. Oportet autẽ quòd ex hoc quòd aliquid inclinatur ad unum cõtrariorũ, diminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde cùm peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo quod homo peccat, diminuitur*

nuitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem. Atque id deinde magis diffundit, cùm illa quatuor profũda naturæ inflicta vulnera explicat: ac fusiùs etiam qu.2.de malo art.11.ubi cùm plurima dixisset, ut probaret peccatum obicem esse, quo impeditur anima, ne gratiam, quam, ut ita dixerim, perpetuò Deus, sicut Sol radios, effundit, recipiat; eoque obice velutì occludi capacitatem animæ; addit: *Manifestum est, quòd id quod movetur uno motu, non simul motu contrario moveatur. Sicut etiam quod est calidum, est minus aptũ ut sit frigidum: difficiliùs enim frigidi impressionem recipit. Sic ergo peccatum quod est obstaculum gratiæ, non solùm excludit gratiam, sed etiam facit animam minùs aptam vel habilem ad gratiæ susceptionem, & sic diminuit aptitudinem vel habilitatem ad gratiam.* Atque adeò interdùm imminuta est ea ad virtutem inclinatio, adeò tenuis fit, ut dumtaxàt *scintilla* quædam supereſſe videatur, ut à S. Thoma aliàs laudato syndereſis vocata est; quæ etiam multitudine peccatorum, & gravitate adeò obruitur, & sepelitur, ut dici possit quòd solùm *scintilla manet, velut igneus ardor inclusus saxis*, ut inquit D.Gregor.Nazianzenus, quæque vix unquàm in ullum sese actum exerit. Ex quo satìs intelligitur, hæc Tria, inclinationẽ ad virtutem, & potestatem benè agendi, & liberum arbitrium quod ad bonum ordinatur, quæ tria nunquàm sejungi possunt, peccatis admodùm extenuari ac minui.

Sed præterea non solùm minuitur ad virtutem inclinatio, sed adeò etiam ea ad malum cupiditas accenditur; ut nihil nisi peccare libeat, aut delectet, & vix ulla sicut in Dæmonibus, nisi ad peccandum libertas remanere videatur. Unde inquit D. Thomas suprà citatus in 2.dist.25.qu.1. art. 4. ad 5. *Quòd cùm cuique habenti habitum sit delectabilis operatio, quæ est secundùm habitum illum; ideò illi qui habent habitus corruptos opera abominabilia delectabiliter, & sine abominatione exercent.* Quod interdùm in sceleſtissimis hominibus videre est, in quibus extinctus esse videtur omnis humanitatis sensus, quibus occidisse hominem ludus est, quique ferarum instar vindictâ adeò & crudelitate delectantur, ut effuso humano sanguine pasci videantur: quibus ipsi Diomedis equi, qui cadaveribus hominum nutriebantur, mitiores dicti sunt. Quodque frequentiùs accidit in corruptissimis hominibus, qui in suis voluptatibus volutãtur; & qui, ut inquit D.Paulus ad Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam*: ideſt, adeò voluptates depereũt, ut sint in ipsis voluptatibus avari, nunquàm satiari possint, & velint undequaque voluptates captare, & colligere, ut velutì thesauros voluptatum sibi cõgregare dici possint. Hæc enim horrenda corruptio ex habitibus oritur, quibus *opera abominabilia sine abominatione*, imò cum summa delectatione exercẽt, dum *Exultant in rebus pessimis.* Proverb.2. Quòd maximè oritur ex eo quòd, ut diximus suprà ex Sãcto Thoma, habitus altera natura sit; & volũtas sicut & intellectus omnia fiat, & ex ea ingenita capacitate, qua terra fiat, si terram amet, ut loquitur D.Augustinus, in peccatum velutì transformatur: atque sic affecta, non tam impetu, ut cùm ex cupiditate agit, quàm ultrò sponte, facilè, & cum delectatione ad pravos actus, sed jam suæ dispositioni consentaneos, feratur.

Confirmatur: quòd mirùm non sit adeò inclinatum, & attenuatum esse liberum arbitrium, ut sola peccandi potentia remanere videatur; ex eo quòd omnia rectæ operationis principia pravis habitibus corrupta sint, ratio qua voluntas regi posset, excæcata, obduratum cor, ipsaque syndereſis adeò his pravis habitibus circumsepta, totque obicibus occlusa & præpedita, ut vix hujus tenuis vox ad cor pervenire possit; & ut egregiè inquit S.Thomas in 2. dist. 39. quæst. 3. art. 1. *Propter inclinationem habitus, & impetum passionis, non percipitur mente syndereſis murmur, quia anima est quasi inebriata passione. Unde etsi exteriùs contrarium proferat, non tamen interiùs ita tenet; sicut ebrii dicunt verba sapientium exteriùs, quæ tamen interiùs non intelligunt; & est exemplũ Philosophi 7.Ethic.cap.5.* Atque inde oritur fieri, & induci in animam quandam necessitatem peccandi. Ut enim inquit D. Augustinus Confeſſ.lib.8.cap.5. *Cùm consuetudini non resistitur, facta est peccandi quædam necessitas*: quod fusiùs D.Bernardus prosequitur serm.81. in Cant. ubi ita inquit. *Nescio quo pravo, & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit: ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas cùm sit illecta, excludere necessitatem. Etenim necessitas hæc quodãmodo voluntaria: est favorabilis vis quædam premendo blãdiens, & blandiendo premens. Unde sese rea voluntas ubi semel consenserit, nec excutere jam per se nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis.* „ *Domine vim patior respõde pro me.*„ *Sed rursùs sciens quòd non justè causaretur apud Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs causa foret: attende quid secutus intulerit.* „ *Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim.* „ Hæc ibi & multò plura quæ prætermitto.

Atque ex his omnibus quæ satìs fusè prosecuti sumus, omninò compertum est, varios esse libertatis gradus, eorumque majorem perfectionem desumendam esse, ex majori adhæsione ad summum bonum, & ultimum finem, ex abundantiori gratia, & immunitate à peccato, aut impotentia peccandi: atque alienum esse à vero, quod objici solet adversùs motiones physicas ac Divinam gratiam, hujus vi & efficacia, vel lædi vel auferri libertatem; ut è contra nihil ipsi nisi ex peccato timendum sit; & eò semper perfectior libertas evadat, quò magis à peccato, & peccandi potentia recedit: Et eò imperfectiorem esse libertatem, & eò magis attenuatum, & inclinatum liberum arbitrium, quò magis homo peccatis, & pravis habitibus obruitur.

Objici unum potest, scilicèt quòd sæpissimè

à S. Thoma dictum sit, eam libertatem quæ est à necessitate, non suscipere magis & minus. Sic enim inquit q.24.de verit.art.10.ad 7. *Quòd liberum arbitrium secundùm quòd dicitur liberum à coactione, non suscipit magis & minus, sed considerata libertate à peccato, & à miseria, dicitur in uno statu majus liberum quàm in alio.* Etiam art. 8. ad 5. dixerat, *Quòd libertas à coactione*, & necessitate, *nec intensionem nec remissionem recipit*: quod sæpiùs alibi repetit. Verùm

Respondeo, ex his quæ annotavimus suprà, vix ullam difficultatem superesse: neque hæc opposita esse his quæ habet D. Thomas in 2. dist. 25. q. 1. art. 4. libertatem arbitrii, & augeri posse, & minui; sed omnia mirum in modum consentiunt, ut explicuimus suprà. Liquet enim libertatem esse voluntatem, ut deliberatam, quæ rationem consequitur: at verò utraque facultas, & voluntas, & intellectus, cùm sint potentiæ, quæ naturam hominis consequuntur, necesse est utrique certum quendam perfectionis gradum præfixum esse ex vi dimanationis ex natura unde dimanat, consentaneum; qui gradus nunquàm augeri potest in sese vel minui, quique gradus per se quidem ordinatur ad bonum, per accidens verò ferri potest ad malum, in quantùm decidere potest à bono. Sed cùm hujusmodi primus gradus subjectū sit omnium habituum vel virtutum vel vitiorū; fit inde ut interdùm iis habitibus ad bonum evehatur, & in bono firmetur, & tanta illa firmitas sit, ut ab eo statu decidere non posse videatur: interdùm verò vitiis ita deprimatur, ut vix unquàm citra penè miraculum resurgere possit, & ut inquit S. Thomas quæst. 24. de verit. art. 10. ad 3. *Quamvis à principio voluntas ad utrumque se habeat æqualiter; tamen postquàm se peccato subjecit, efficitur ei peccatum quasi naturale, & ex hoc immutabiliter quantùm est de se manet in illo*; nisi omnipotentis gratiæ auxilio revocetur.

Atque hoc pacto, & augeri, & minui posse libertatem docet etiam D. Thomas qu. 24. de verit. art. 10. ubi inter argumenta, quæ sibi opponit, ut probet, obstinatione voluntatem non posse obfirmari in malo; N. 14. ita objicit: *Si peccatum causat in libero arbitrio obstinationem in malo, aut hoc facit subtrahendo aliquid de naturalibus, aut superaddendo: non autem subtrahendo, quia in Dæmonibus data naturalia integra manent, ut Dionys. dicit 4. cap. de Div. nomin. similiter nec superaddendo, quia cùm illud quod superadditur sit accidens, oportet quòd insit per modum recipientis: & sic cùm liberum arbitrium in utrumque sit flexibile, non reddetur per hoc amobiliter inhærens malo. Ergo nullo modo liberum arbitrium potest totaliter confirmari in malo.* Respondet verò S. Thomas ad 14. *Dicendum, quòd peccatum libero arbitrio adveniens non adimit aliquid essentialium, quia sic species liberi arbitrii non remaneret; sed per peccatū aliquid additur scilicèt unio quædam liberi arbitrii cum fine perverso, quæ ei quodāmodo naturalis efficitur, & ex hoc necessitatē habet, sicut & alia quæ sunt libero arbitrio naturalia.* Igitur quantùm ad ipsam libertatem in se, ut est libertas vel naturæ vel potentiæ, & ut primum subjectum habituum, nihil detrahi potest vel minui; addi tamen aliquid potest quo ipsa libertas per se ordinata ad bonam, & altiùs evehatur, & fortior evadat, & majori impetu ad virtutem feratur, & ita addi potest ut ad veram libertatis perfectionem pertineat; cùm jam suprà demonstratum sit, libertatem à peccato verissimam esse libertatem, de quo etiam statim plura.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Motio Divina perficiat libertatem.

QUÆ hactenùs dicta sunt, satìs superque probant, adeò amicam esse libertatis motionē divinam, ut eam maximè & foveat & perficiat, nec quidquam esse adversum libertati præter peccatum, quo libertas ex Concilio Tridentino *attenuatur, inclinatur*, & deprimitur, & cujus causâ, ut Glossa dicit in illud Matth. 12. *Generatio prava, & perversa; perversi sunt omnes ordines terræ.* E contra enim divinâ gratiâ, *Divinoque auxilio non aufertur liberum arbitrium*; *sed liberatur: ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sit sanum &c.* Cælestinus epist. ad Episcopos Galliarum.

Verùm cùm, ut jam sæpiùs observatum est, hæc de libertate difficultas inter præcipuas sit totius controversiæ difficultates, neque ullum Theologum reperire sit, qui Sanctorum Augustini, & Thomæ sententiam ultrò non amplecteretur, nisi hoc uno periculo eversionis libertatis deterreretur: non potest non juvare plurimùm causam quā defendimus, si pluribus prætereà argumentis libertatem divina motione perfici demonstremus. Sed præmittendum est, quod alio forsitan in loco opportuniùs reponi potuisset, sed cùm prætermissum sit, hìc etiam commodè locum habere potest.

ARTI-

ARTICULUS I.

Obſervatio præmittenda, non pertinere ad libertatem, quòd ſit primum eligens, & primum determinans.

SI ad libertatis conditionem pertineret ut à ſe ſola moveri, & determinari deberet, palàm eſt, Divina motione, quæ determinationem ipſius antecederet, non roborandam & perficiendam, ſed impediendam potiùs ac conſtringendam fore. Quare neceſſe eſt priùs demonſtrari, ad libertatem non pertinere ut ipſa ſit primum determinans: maximique momenti exiſtimanda eſt hęc quęſtio, cùm in eo totius cõtroverſiæ de Divinis auxiliis cardo vertatur, utrùm determinari à Deo voluntas humana debeat, an verò hoc ſibi privilegium ex ſuamet libertate vendicet, ut non ab alio quàm à ſe ipſa moveri poſſit. Et verò quamvis ratio dependentiæ adeò infixa ſit enti creato, ut nulla unquàm ratione avelli poſſit, nec poſſit intelligi ulla entis creati ratio, ullaq; perfectio, niſi à Deo oriri intelligatur: attamen hujus ſententię, quę prævias Dei motiones negat, defenſionem ita poſtulare, quidam exiſtimant, ut ad rationem libertatis pertineat, quòd ipſamet ſibi primum ſit propriæ determinationis principium, ſitq; ipſa voluntas primum eligẽs, & prima cauſa determinans: quod quantumvis repugnare videatur, & mirum videri poſſit, ut ſub quacumq; ratione creatum ens, & participatum, primum eſſe dicatur; neceſſe tamen fuit, illud ab iis concedi, qui negant prævia motione humanam voluntatem à Deo determinari. Verùm eam ſententiam à mente S. Thomæ alieniſſimam eſſe hoc Articulo demonſtrandum nobis eſt.

Probatur itaque, non adverſari libertati arbitrii, quòd hominis voluntas moveatur à Deo, neque voluntatem creatam exigere, quòd ipſa primum ſit eligens, & prima cauſa quæ ſe ipſam primò moveat ac determinet: quod ſemper hìc intelligendum eſt in ordine phyſico, & genere cauſæ efficientis, de quo ordine, & cauſalitatis genere controverſia hìc verſatur; de cauſalitate enim morali, & quæ ſolùm metaphorica eſt, à nemine ambigitur. Et quidem in primis, ut totius difficultatis radicem detegam, in eo falli videntur, qui ſecùs ſentiunt, quòd exiſtiment, quòd ſi Deus voluntatem creatam primò moveat ac determinet, ipſa voluntas ſe ipſam non determinet moveatque: unde conſequeretur, nullum locum, nullam laudem, nullumque meritum habituram voluntatem: Atque id apertè rejicit Divus Thomas, & è contra ita id intelligi vult, quòd Deus moveat quidem voluntatem eamque determinet, ſed tamen ita eam moveat ac determinet, ut ipſa etiam voluntas ſe ipſam moveat, & determinet: idq; efficit ipſamet divina determinatio. Neque enim Deus voluntatem movet ut ipſa voluntas nihil agat, ſed è contra ut agat, id eſt, ut ſub ipſa Divina motione ac determinatione voluntas ſe ipſam etiam moveat ac determinet: & quo, ut puto, nihil clarius dici poteſt, efficit motio Divina, & quidem per modum efficientis cauſæ, quòd ipſa etiam voluntas ſe ipſam determinet. Unde ſic

Probatur in forma, & paucis argũmentum conficitur. Nihil vetat quominùs voluntas à Deo prævię ac phyſicè moveatur, & determinetur, ſi ſub ea motione divina etiam voluntas creata ſe ſe ipſam moveat ac determinet: Atquì ita eſt, non enim impedit divina motio, ſed è contra efficit quòd voluntas ſe ſe ipſam moveat ac determinet ſub ipſa divina motione: Ergo nihil vetat, quominùs voluntas prævię ac phyſicè moveatur, & determinetur à Deo. *Major* videtur aperta. Quid enim vetat, quominùs à Deo voluntas creata moveatur, ſi Divina hæc motio non impediat quin ſe ſe ipſam moveat voluntas. hoc enim unum ad libertatem voluntatis pertinet, ſcilicèt quòd ipſamet voluntas ſe ſe moveat ac determinet: ratione enim hujus determinationis, voluntas eſt Domina ſui actus, quem ultrò & ſpontè ac liberrimè efficit, eò quòd ipſi præluceat intellectus cognitio, quæ dictat, hìc & nunc multò convenientiùs, & opportuniùs eſſe agere, quàm non agere, aut juxta phraſim D. Auguſtini, quia ipſam voluntatem tunc agere delectat, & vult reipsà agere: atque inde oritur voluntatis laus, & meritum, quòd ſe ſe ultrò moveri à Deo ſinat, ipſaque voluntas pro ſua parte, & modulo, divinæ motioni cooperetur, ſeque ipſam ſub ea divina motione etiam moveat ac determinet. Igitur hoc unum ad voluntatis libertatem pertinet, quòd ſe ſe ipſam voluntas moveat determinetque, nec inſtar ſtipitis motum à Deo recipiat, nihilque motioni divinæ ipſa voluntas cooperetur: Ergo ſi ſub ipſa divina motione voluntas ſe ipſam moveat ac determinet, nihil eſt quod ſuadeat, ipſam voluntatem à Deo prævię, & phyſicè moveri ac determinari non poſſe. *Minor* verò probatur, ex eo quòd utrumque jungendum ſit, ſcilicèt & voluntatem moveri ac determinari à Deo, & moveri ac determinari à ſe ipſa; quia hoc ipſum efficit motio ac determinatio divina, quòd ipſa etiam voluntas ſe ſe ipſam ſub divina motione moveat, & determinet: & idcircò potiſſimùm voluntati datur divina motio, & determinatio, non ut voluntas nihil agat, ſed ut ſub ipſa divina motione voluntas agat modo ſibi conſentaneo, id eſt liberè; ita ut tunc poſſit & agere, & non agere. Ut enim ſæpiùs obſervat S. Thomas, ac præſertìm 1. 2. quæſt. 10. artic. 4. ex Divo Dionyſio c. 4. de Divinis Nominibus: Ad Dei providentiam pertinet, ut cuicumque naturæ ea jura ſervet, quæ ipſe conceſſit. Unde Deus *Omnia movet ſecundùm eorum conditionem, & quia voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet, quòd non ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & liber.* Unde verò remanet liber? Quia ſcilicèt etiam ſe ſe volun-

luntas determinat. Et quidem, ut expresè inquit D. Thomas, voluntatē determinat Deus; sed tamē non ita eam determinat, ut ejus auferat libertatē, seu ut efficiat voluntatis actum non esse liberum: reverà enim hujusmodi actus voluntatis liber est, quia nimirùm ipsa etiā voluntas se ipsam sub ea divina motione movet ac determinat, & ut addit idem S. Doctor, ad 1. *Magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suę naturæ non cōpetit; quàm si moveatur liberè, proüt competit suę naturę: quia voluntas divina non solùm se extendit, ut aliquid fiat per rem quā movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ.*

Confirmatur expressiùs ex eodem D. Thoma, cujus hìc potissimùm sententiam inquirimùs, & ut expressa loca in quibus de his agit S. Doctor, adeamus; 1. 2. quęst. 9. quę integra est *De motivo voluntatis*, & ubi ea omnia principia refert, quibus moveri possit voluntas: Articulo 1. probat, voluntatem moveri ab intellectu, quòd necesse sit, offerri voluntati objectum quo moveatur, & ad quod feratur, ex quo sumitur species actûs, cùm ad nullum objectum dum à fonte vitæ æternæ abest, sit illigata. Articulo verò 2. probat S. Thomas, voluntatem moveri ab appetitu sensitivo, inquantùm scilicèt varia appetitûs dispositio efficit quòd variè repræsentetur voluntati objectum: *Qualis enim unusquisque est*, ut inquit Aristoteles 3. Ethic. *talis & finis videtur ei*: quod maximè ex passione, & commotione inferioris partis oritur. Homini quippe irato conveniens videtur injuriam ulcisci; & ut Satyricus inquit: videtur *vindicta bonum, vitâ jucundius ipsâ*. Juvenal. Satyr. 13. Sed non idem videtur sedato, & pacato, & ut idem inquit: *Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis -- ingenium*, aut Socrates ipse, *qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ -- Accusatori nollet dare*. At verò deinde Art. 3. probat idem S. Thomas, quòd etiam voluntas se ipsam moveat, *Quia voluntas domina est sui actus, & ex ipsa est velle, & nolle; quod non esset, si non haberet movere se ipsam ad volendum*. Sed sicut intellectus per hoc quòd cognoscit principium, reducit se ipsum de potentia in actum quantùm ad cognitionem conclusionum, & eo pacto movet se ipsum: ita planè voluntas per hoc quòd vult finem, movet se ipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem.

Verùm jam hinc oritur difficultas; si enim voluntas se ipsam moveat, quid necesse est, inquies, ipsam moveri ab alio principio. Ergo, dices, satìs fuit quòd ab intellectu moveretur, & ab ipso objiceretur voluntati objectum quod ipsam allicere posset: satìs est, inquies, quòd intellectus, & finem, & media voluntati proponat, & mediorum cum fine proportionem vel opportunitatem, ut deinde voluntas pro suæ libertatis jure, ex propositis sibi ab intellectu mediis eligat quod voluerit. Sed prima hæc est deceptionis radix, scilicèt quòd quia se ipsam voluntas determinat, non possit determinari à Deo. Illud commune argumentum est, quo necessitas divinæ gratiæ prevenientis, seu præviæ Dei motionis impeti solet, quo tamen nihil debilius esse potest: utrumque enim necesse est, & voluntatem à seipsa moveri, ut liberè sese moveat; & simul etiam ac prævìè moveri à Deo, ut ipsa voluntas absolutè se moveat. Atque in eo posita est providentiæ divinæ suavitas ut hominis voluntatem moveat consentaneè ad ejus rationem, & exigentiam; & sicut ex communi lege dependentiæ, intellectum rationemque movet dirigitque Deus ad ipsorum operationes; sed tamen ita rationem movet, ut ex principiis conclusiones desumat: ita voluntatem movet, ut ex præconcepto fine, media opportuna voluntas eligat. Unde etiam statìm D. Thomas sequenti art. 4. inquirit, utrùm voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio: & concludit, quòd quantumvìs seipsam voluntas moveat, attamen *Necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus superioris, ut Aristoteles concludit in quodam capitulo Ethicę eudemicæ*. Atque hujus ratio est, quòd ab intellectu quidem moveatur voluntas ex parte objecti, & quantùm ad specificationem; sed remanet præterea altera voluntatis indifferentia, & potentialitas ex parte subjecti, & quantùm ad exercitium, solvenda. Quæ quidem in ordine physico, & genere efficientis causæ intelligenda est; neque enim intellectus aliter movet voluntatem nisi in genere causæ moralis, nihilque in ipsa voluntate physicè efficit: unde remanet adhuc volūtas, quod ad exercitium attinet, & in eo ordine, & genere causæ efficientis, indifferens, & in potentia. A quo igitur solvitur ea indifferentia, & potentialitas? à quo incipit ille motus illudque exercitiū actuale voluntatis? non quidem ab ipsa voluntate, quæ adhuc pura potentia intelligitur; nec etiam ab ipso intellectu qui in voluntate nihil physicè efficit. Aliunde ergo debet hic voluntatis motus, & determinatio oriri; quia, ut inquit S. Thomas ibidem, *Omne quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente: manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc priùs non vellet: necesse est ergo quòd ab aliquo moveatur*. Et quidem cùm voluntas jam in actu constituta fuerit, poterit movere seipsam; sicut cùm jam ex præstituto volitoque fine opportuna media sibi voluntas eligit: sed antequàm finem ipsum velit, à quo moveri poterit? non à seipsa, ut dictum est, neque ab intellectu: relinquitur ergo, & concludit S. Thomas, quòd *Necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus moventis, ut Aristoteles concludit*, eo scilicet celebri loco quem jam sæpiùs retulimus; ubi inquit, quòd *Omnia moventur ab inexistente in eis Numine*.

Verùm non poterat prætermittere D. Thomas ea argumenta quæ statim veluti in oculos incurrunt, nobisque perpetuò objiciuntur. Ex quorum solutione à S. Doctore jam olim data, nova lux affulgebit, quâ superiora illustrentur.

Obji-

Objicit itaque ſibi in primis S. Thomas, *Quòd motus voluntatis eſt voluntarius* (& liber). *Sed de ratione voluntarii* (& liberi) *eſt quòd ſit à principio intrinſeco: ſicut & de ratione naturalis*: adde quòd ita de ratione motûs voluntarii eſt, quòd ſit à principio intrinſeco, ſcilicèt libertate, ut principium extrinſecum excludat: & hoc ipſiſſimum fundamentum eſt adverſæ ſententiæ quæ ad conditionem aut nobilitatem libertatis pertinere exiſtimat, quòd nullam cauſam ſuperiorem, ne quidem Deum, habeat, à quo debeat aut etiam poſſit determinari.

Reſpondet autem D. Thomas. *Dicendū, quòd de ratione voluntarii* (& liberi) *eſt quòd principiū ejus ſit intrà: ſed non oportet, quòd hoc principium intrinſecum, ſit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius* (& liber) *etſi habeat principium proximum intrinſecum, tamen principium primū eſt extrà; ſicut & primum principium motus naturalis eſt ab extrà, quod ſcilicèt movet naturam*. Ita S. Thomas. Hæc pleniſſima totiùs controverſiæ reſolutio. Movet enim ſeipſam voluntas, atque eo pacto, eaque ratione motus voluntatis, & libertatis eſt ab intrinſeco, ſcilicèt ab ipſa voluntate: *Sed non oportet, quòd hoc principium intrinſecum, ſit primum principium non motum ab alio*: è contrà verò ex ipſa libertatis ratione, ut eſt participata libertas, & ex dependentia quæ intimis ut ita dixerim voluntatis medullis infixa eſt, nec poteſt unquàm avelli, cùm ſit ſecundum agens, & ſecundum movens, ac ſecundum liberum; oportet quòd illud principium intrinſecum ſit motum ab alio, ideſt, oportet quòd voluntas à Deo primo agente, & primo movente, primoque libero phyſicè moveatur ac determinetur: nec intelligi unquàm poterit, quòd voluntas ſit primum agens, primum movens, primum eligens, primumque determinans. Neque ut exiſtimo, ſi conſuleretur intimus voluntatis ſenſus, ipſa vellet ab ea Dei, & primi entis dependentia ſe ſe eximere, cùm ea prima ſit totius naturæ inclinatio, ea ſumma ipſius perfectio, ut Deo creatori ſuo ſubjiciatur.

Confirmatur, quòd hoc ipſum Argumentum objiciat ſibi D. Thomas quod nobis ſolet objici. Ibidem enim objicit ſibi S. Doctor. *Quod ſufficienter movetur ab uno motore, non indiget moveri ab alio: ſed voluntas ſufficienter movet ſeipſam; non ergo movetur ab aliquo exteriori*. Et hoc Argumentum ſimile eſt alteri, quod ubi de cauſis iterùm naturalibus agitur, objicit ſibi D. Thomas, ut alibi explicuimus, nempè quòd cauſa quælibet habet ſufficientem vim agendi, nec alterum deeſt, niſi ſubjectum in quod agat; ex quo colligi poſſet, ſupervacaneam eſſe quamcumque alteriùs cauſæ motionem. Vide ſuperiùs dicta, Differt. 1. cap. 25. Reſpondet verò S. Thomas ex iiſdem ſemper principiis. *Dicendum, quòd voluntas quātùm ad aliquid ſufficiēter ſe movet, & in ſuo ordine, ſcilicèt ſicut agens proximum: ſed non poteſt ſeipſam movere quantùm ad omnia, ut oſtenſum eſt. Undè indiget moveri ab alio, ſicut à primo movente*. Hæc ibi. Et ea vera eſt voluntatis, & libertatis conditio; *ſufficienter ſe movet* voluntas, ſicut & ſuam habet ſe movendi & agendi virtutem; ſed in ſuo ordine, & ut agens aut eligens proximum, non autem ut agens, & eligens primum. Unde hic ordo ſemper ſervandus eſt: primò voluntatem Deus movet ut primum principium, & ab eo incipit voluntatis motus: ſed ita voluntatem movet, ut tamen ſeipſam etiam tunc voluntas moveat: & ſic cuique ſuum jus ſuaque prærogativa ſervatur. Primas Deus partes habet in ſalutis noſtræ negotio, primò voluntatem noſtram movet, eamque primò determinat ad agendum, quia ſcilicèt ſuperius dominium in voluntatem habet, illudque exercet: ſed tamen ipſi etiam voluntati ſecundas partes relinquit, ſicut & ſecundum dominium, ſub primo Dei dominio poſitum, quo ipſa voluntas debet ſeipſam movere & determinare: unde, & laus, & meritum ei reverà ſervatur.

Confirmantur ſuperiùs dicta, ex his quæ habet S. Thomas quæſt. 3. de malo, ubi inquirit, *Utrùm actio peccati ſit à Deo*, afferitque, ſine errore negari non poſſe, quin actio quæ ſubſternitur malitiæ peccati, in Deum authorem referatur: quòd ſcilicèt neceſſe ſit, omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari, & effici à prima cauſa, & primo agente, primoque movente; ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſantur à motu cæli, neque poſſe actionem à voluntate produci *ſine influentia prioris agentis*: De quo vide ſupra pag. 139. Quæ ſanè ratio probat etiam moveri voluntatem prævia Dei motione, quamvis communi, ad eum motum animi, cui ex ſola voluntatis pravitate deformitas adjuncta eſt. Verùm deinde ibidem art. 3. Objicit ſibi S. Thomas Numero 3. *Actus peccati eſt actio liberi arbitrii, quod ideò dicitur liberum, quia ſeipſum movet ad agendum: Sed omne id cujus actio movetur ab aliquo, movetur ab illo; & ſic non movetur à ſeipſo, nec eſt liberum. Ergo*. En planè Argumentum, in quo poſita eſt totius controverſiæ difficultas. Si motus voluntatis à Deo cauſatur: Ergo & voluntas movetur à Deo: Ergo non movetur à ſeipſa. Ergo neque libera actio eſt; liberum enim eſt quod ſeipſum movet ad agendum. Sed Reſpondet huic Argumento S. Doctor. *Dicendum, quòd cùm dicitur, aliquid movere ſeipſum, ponitur idem eſſe movens, & motum. Cùm autem dicitur quòd aliquid movetur ab altero, ponitur, aliud eſſe movens, & aliud eſſe motum. Manifeſtum eſt autem, quod cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo quòd eſt movens, ponitur quòd eſt primum movens; unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quòd movet. Similiter cùm aliquid movet ſeipſum, non excluditur quin ab alio moveatur à quo habet hoc ipſum quòd ſeipſum movet: & ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſa actûs liberi arbitrii*. Hæc S. Doctor. Præclariſſima ſanè ſolutio, neque ullæ unquàm adeò craſſæ tenebræ offundi poterunt, quas ea ſplendida lux non diſpellat. Concedit

cedit igitur D.Thomas, voluntatem à Deo moveri, ea ratione, quòd scilicèt necesse sit, omnem motum ad Deum referri ut primum movens, primumque rerum omnium principium: sed negat, inde sequi, quòd si voluntas seipsam moveat, idcircò non moveatur à Deo: neque enim *Ex hoc ipso quòd aliquid movet alterum, ponitur quòd est primum movens*. Nam movet quidem, sed movet jam ab altero motum, quia non est primum movens, sed secundum. Atque ita esse necessùm est; quia hoc ipso quòd est secundum movens, & alterum movet, à primo movente *habet hoc ipsum quòd alterum movet*: Ergò similiter cùm voluntas movet seipsam, non excluditur quin ab altero, scilicèt à Deo, moveatur, quia etiam *hoc ipsum quòd seipsam movet*, habet à Deo, utpotè primo agente, & movente, primaque causa, & primo omnium rerum principio. Ex quo clarissimè constat, ex S. Thomæ sententia, ita rem istam peragi: scilicèt Deum, ut primum agens primumque movens, primò voluntatem ipsam movere ut agat; atque eandem divinæ gratiæ motionem causam esse quòd sese ipsam voluntas etiam moveat.

Confirmari iterùm potest ex eodem S.Doctore opusc.3. cap. 129. ubi probat, quòd *Solus Deus movet voluntatem hominis, non verò creatura*. Ubi negari non potest, quin S.Thomas intelligat de divina motione in genere causæ efficientis, cùm certum sit, voluntatem, & ab intellectu, quò ut proximâ regulâ regitur, & à superiore etiam Angelo, in genere causæ moralis moveri posse. Stabilit autem S. Doctor præclarissimam hanc regulam, quòd scilicèt *In corpus humanum, & virtutes ejus corporeas, imprimere possunt corpora cælestia, sicut & in alia corpora; non autem in intellectum: sed hoc potest creatura intellectualis*, scilicèt Angelus: *in voluntatem autē solus Deus imprimere potest*. Ubi & ipsa verba, & ipsa comparatio, apertissimè motionem physicam Dei in ipsa voluntate hominis receptam clamant. Sed cùm ratio libertatis volūtatis creatæ semper præ oculis habenda sit, & suspicari quisquam posset, quòd voluntati à Deo facta impressio libertatem ejus læderet; suspicionem hāc depellit S.Thomas, & explicat quo pacto ea divina impressio seu motio non repugnet voluntatis libertati. Nam, inquit, *Cùm actus voluntatis sit inclinatio quædam ab interiori ad exterius procedens: & comparetur inclinationibus naturalibus, sicut inclinationes naturales rebus naturalibus solùm injunt à causa suæ naturæ; ita actus voluntatis à solo Deo est, qui solus causa est naturæ rationalis voluntatem habentis. Unde patet quòd non est contrà arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet: sicut non est contrà naturam, quòd Deus in rebus naturalibus operatur. Sed tam inclinatio naturalis, quā voluntaria à Deo est, utraque proveniens secundùm conditionem utriusq; rei cujus est*. Hactenùs Divus Thomas: ex quibus ea solùm verba hic expendimus. *Non est contrà arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet*: quo pacto enim ista cohærere possunt cum eorum sententia, à quibus dictum est, postulare voluntatis humanæ naturam, quòd ipsa sit primum eligens, primumque determinans. Neque enim intelligi potest, voluntatem esse primum eligens, si ut eligat necesse sit, ipsam à Deo moveri, & hoc ipsum quòd eligat divina motio efficiat, ut jam suprà dictum est: sicut convenit quidem voluntati in suum actum dominium, *non ut primo agenti*: Et ut aliàs ex D.Thoma diximus in 2.dist.25. quæst. 1. art.1. *Deus in libero arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & in ipso operante liberum arbitrium agat: Sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actûs, LICET NON ITA SICUT PRIMO AGENTI*. Vide supra pag. 228.

Atque idem etiam habet S. Thomas 1. cont. gent. cap. 68. Quòd Deus cognoscat motus voluntatis. Cùm enim probasset, à Deo motus voluntatis cognosci in seipso ut causa, quia *Deus suam essentiam cognoscendo, cognoscit etiam ea ad quæ sua causalitas extēditur; extenditur autē ad operationes intellectus, & voluntatis: nam cùm quælibet res operetur per suam formam à qua est aliquod esse rei, oportet fontale principiū totius esse à quo est etiā omnis forma, omnis operationis principium esse, cùm effectus causarum secundarum in causas primas reducantur*: Deinde verò cùm animadverteret S. Doctor, posse objici, eam causalitatem officere libertati, ipsique sui actûs dominium auferre, addit in fine capitis: *Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum* (seu necessitatem,) *& violentiam causæ exteriùs agentis: non autem excludit influentiam superioris causæ à qua est ei esse, & operari. Et sic remanet causalitas in causa prima quæ Deus est, respectu motuum voluntatis. Et sic Deus cognoscendo seipsum, hujusmodi cognoscere possit*. Hæc ibi. Igitur voluntatis dominium non *excludit superioris causæ influentiam*: Sed ea superioris causæ influentia efficit ut seipsam voluntas determinet, sub ipsa tamen divina determinatione. Unde tantùm abest quòd Divina determinatio à voluntate determinationem, & dominium auferat, ut potiùs utrumque, & determinationem, & dominium conferat voluntati. Idem docuerat Doctor Angelicus quæst. de potent. art. 7. nec erit abs re, si ea etiam referantur, forsitan enim & cumulata juvabunt, ad cognoscendam potissimùm S. Thomæ sententiam, & veram ipsius mentem, cujus unica nobis cura est. Ad 14. inquit, *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ: sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: Et ita determinatio relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. Hactenùs S.Thomas. Igitur hæc omnia simul jungēda sunt. Determinatio voluntatis à Deo, ratione, & volun-

luntate oritur. In actione voluntatis dominium exercetur Deus, ratio, voluntas: ſed hæc omnia ſubordinata ſunt: non impedit dominium quod habet in voluntatem ratio; quin etiam & voluntas ſuum dominium retineat: Ergo neque dominium quod Deus in voluntatem ſua ipſa motione & determinatione exercet, impediet, quominùs voluntas ſuum dominium ſervet integrum etiam & plenum, ſed in ſuo ordine, ſecundum ſcilicèt, & à majori nempe divino dependens. Atque id ſanè exemplo hoc facili explicari poteſt. Cùm enim dominus ſervo imperat quod etiam ipſe optat; quid efficit hæc domini juſſio? efficit ut ipſe etiam ſe ſe ad implenda præcepta ultrò determinet. Neque ea juſſio etiam moraliter ullum damnum ſervi libertati inferre poteſt, quam inferret tamen ſi ſe ipſum ad volendum quod dominus imperat, non determinaret. Quòd ſi dominus ſua operatione mutare ſervi voluntatem poſſet, & efficere intra ipſius ſervi voluntatem, ut quod anteà nolebat, reipsà vellet, ſeque ipſum determinaret ad volendum, evidens eſt quòd nullum libertati ipſius damnum afferret: vellet enim ſervus idem quod dominus vellet, & ſub ea domini operatione effectrice, & phyſica ad implenda domini juſſa ſe ſe determinaret. Unde ſicut determinatione morali nullum ſervi libertati damnum infertur, quia ſub eo imperio ſe ſe ſervus determinat: ita neque ea operatione effectrice, & phyſica ullum damnum libertati ipſius inferretur, cùm etiam ſub ea operatione ſe ipſum determinaret: Atquì idem omninò de Deo dicendum: cùm non aliud divina motio efficiat, quàm ut voluntas ſub ipſius motione ſe ſe determinet ut jam ex D. Thoma toties obſervavimus.

Confirmari iterùm etiam poteſt, quòd ex Divo Thoma ea fuerit primi peccati origo, cujus nos pœnam luimus, quòd Adamus voluerit eſſe primum eligens, & ſuæ operationis primum determinans. Etenim 2. 2. quæſt. 163. art. 2. ubi explicat quo pacto primi hominis ſuperbia eò devenire potuerit, ut ſimilis Deo eſſe vellet, ac divinam ſimilitudinem appeteret: advertit, non potuiſſe omnimodam, & perfectam ſimilitudinem appetere, quam vocat *æquiparantiæ*; id enim in ſapientis animum non poteſt cadere: appetiit igitur ſolùm quandam *imitationis* ſimilitudinem, quâ vult fieri ſicut Deus. Hæc verò triplex ſolùm poteſt intelligi, inquit S. Thomas. Primò quidem *quantùm ad eſſe naturæ*; & ea fuit initio creationis impreſſa, & cùm jam haberetur, optari non poterat. Secundò, *quantùm ad cognitionem*; & eam quidem Angelus etiam ſuâ ipsâ creatione acceperat, factus *ſignaculum ſimilitudinis, & plenus ſapientiâ*; ſed nondùm eam omninò homo adeptus fuerat. Tertiò, *quantùm ad poteſtatem operandi*: atque eam neque Angelus, neque homo *aſſecuti* omninò *fuerant, quia utrique reſtabat aliquid agendum per quod ad beatitudinem pervenirent*. At verò his ita conſtitutis; reſolvit D. Thomas, quòd neuter nec Adamus nec Angelus peccavit appetendo naturæ ſimilitudinem, cùm utrique, quantùm quidem utriuſque conditio ferre poterat, collata fuiſſet. *Sed primus homo peccavit principaliter appetēdo ſimilitudinem Dei quantùm ad ſcientiam boni, & mali; ſicut ſerpens ei ſuggeſſit, ut ſcilicèt per virtutem ſuæ naturæ determinaret ſibi quid eſſet bonum, & quid malum ad agendum, vel etiam ut per ſe ipſum præcogniſceret quid ſibi mali vel boni eſſet futurum. Et ſecundariò peccavit appetendo ſimilitudinem Dei, quantùm ad propriam poteſtatem operandi, ut ſcilicèt virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam. Unde S. Auguſtinus dicit ij. ſup. Geneſ. ad liter. cap. 30. „ Quòd mulieri inerat amor propriæ poteſtatis.„ Sed Diabolus peccavit appetendo ſimilitudinem Dei quantùm ad poteſtatem. Unde S. Auguſtinus dicit in lib. de vera Relig. cap. 13. „ Quòd magìs voluit ſuâ potentiâ frui quàm Dei. „ Verumtamen quantùm ad aliquid uterque Deo æquiparari appetiit, inquantùm ſcilicèt uterque ſibi inniti voluit contempto divinæ regulæ ordine.* Hęc S. Thomas. Quibus addit ad ſecundum, quòd *Appetere ſimilitudinem Dei abſolutè quantùm ad ſcientiam non eſt peccatum: ſed appetere hujuſmodi ſimilitudinem inordinatè, id eſt ſupra menſuram ſuam, peccatum eſt. Unde & ſuper illud Pſalmi 70.„ Deus quis ſimilis erit tibi „ dicit S. Auguſtinus: „ Qui per ſe vult eſſe, ut Deus à nullo eſt; perversè vult eſſe ſimilis Deo, ut Diabolus, qui noluit eſſe ſub Deo, & homo qui noluit teneri præcepto.* „ Hactenùs D. Thomas: in quibus ſanè plurima obſervari poſſunt. Et quidem in eo Adamì peccato plures graveſque defectus fuiſſe dubitari non poteſt: ut obſervat etiam ibidem D. Thomas ejuſdem quæſt. 163. art. 1. *Noluiſſe* enim *teneri præcepto* mox diximus: & fusè proſequitur S. Auguſtinus in eum pſal. 70. ad ea verba, *Potentiam tuam, & juſtitiam tuam uſquequò? Uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia.* Ita enim legit: non enim Deus vetuerat homini ne arborem tangeret, quòd mala eſſet, ſed ut agnoſceret homo ſe ſub alterius poteſtate eſſe: *Neque*, inquit idem D. Auguſtinus, *potuit Deus perfectiùs demonſtrare quantum bonum eſſet obedientia, niſi cùm prohibuit ab ea re quæ non erat mala: ſola ibi obedientia habet palmam: ſola ibi inobedientia habet pœnam.* Verùm neque ea fuit prima Adami culpa, ut notat D. Thomas: ſed dumtaxàt appetitus propriæ excellentiæ, quam in *ea poteſtate operandi* habere voluit, atque eo poteſtatis, & excellentiæ appetitu factum eſt, quòd *Quia ſua poteſtate uti voluit, præceptum rumpere delectavit, ut nullo ſibi dominante fieret ſicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur*, inquit ibidem D. Auguſtinus.

In eo igitur perversè Adamus imitari Deum voluit, quòd ſua operandi poteſtate perversè uti voluit, noluitque ipſum Deum habere dominum: quod olim etiam Pelagianis S. Auguſtinus objiciebat, quodque multò potiori jure de Diabolo dicendum eſt, & expreſsè inquit D. Thomas. At verò quo pacto uterque ſua poteſtate operandi perversè uti voluit? Non alio ſanè id

sensu intelligi posse videtur, nisi quòd quantùm ad usum gratiæ sub alio dominante esse noluit, eoque usu gratiæ, quem ex virtute suæ naturæ non amplius adjutus, ut de Diabolo inquit Divus Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 9. neque *ex divino auxilio*, ut inquit D. Thomas 1. par. qu. 63. art. 3. haberet, suam beatitudinem consequeretur. Etenim in eo dumtaxàt, ut observat Divus Thomas uterque peccare potuit quòd illud appetierit, quòd nondùm consecutus fuerat; quia, inquit, *appetitus est rei non habitæ*: ideòque neque similitudinem naturæ appetere potuit homo, cùm jam eam impressam haberet; neque similitudinem cognitionis Angelus, cùm eam jam assecutus fuisset: id ergo appetiit solùm quod supererat consequendum. At verò nihil aliud consequendum fuisse videtur, præter ipsum usum gratiæ potissimùm in Angelo, & per usum gratiæ ipsam beatitudinem. Gratiam enim sanctificantem jam consecuti fuerant: non deerat sufficiens auxilium, præsertìm in Adversariorum sententia, quod nulli deest unquàm, & non defuisse Adamo & Angelo, expressa est D. Augustini sententia libro de Corrept. & Gratia cap. 11. Nihil igitur aliud defuisse videtur præter ipsum gratiæ usum potissimùm in Angelo. In Adamo verò etiam illud videtur primum fuisse peccatum, quòd, ut inquit D. Thomas, *Per virtutem suæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum, & malum ad agendum*, id est, vellet esse primum eligens, primumque determinans: de scientia enim & cognitione in ordine morali directrice ita intelligendum esse dubium non est. Illud verò videtur fuisse primum Angeli peccatum, quòd vellet *Virtute propriæ naturæ operari ad beatitudinem consequendam*, quantùm scilicèt ad usum gratiæ; ita ut gratiæ usus non esset ex determinatione ipsius gratiæ, sed ex suæ voluntatis determinatione. Quod sanè aliud non est, nisi quòd ipse Angelus in negotio suæ salutis primum voluit esse determinans, ultimamque beatitudinem viribus suæ naturæ obtinere. Vide supra Diss. 1. quæst. 3. art. 8. pag. 45. de quo etiam fusiùs erit dicendum Differt. 3. ubi demonstrabimus, quòd si divina motio non sit effectrix ipsius operationis voluntatis, neque conferat sui ipsius usum; usus gratiæ, & ipsa determinatio voluntatis erit ab ipsa voluntate *per virtutem suæ naturæ*, ut loquitur hìc D. Thomas; neque sub ea ratione quâ oritur à voluntate, erit à Deo, nisi quatenùs est author voluntatis: neque ipse usus gratiæ erit ex ipsa gratia, neque erit effectus prædestinationis: quod ab aliquibus adversæ sententiæ Authoribus etiam concessum est.

Confirmatur ampliùs: cùm enim, ut supra diximus, maximi momenti sit hæc quæstio, plura ex S. Thoma referenda sunt, ut de S. Doctoris mente nullum omninò dubium supereresse possit. Igitur 1. par. q. 83. a. 1. *Utrùm homo sit liberi arbitrii*. Num. 3. ita sibi objicit: *Liberum est quod sui causa est, ut dicitur primo Metaphys. quod ergo movetur ab alio, non est liberum*: *sed Deus movet voluntatem*. Ergo. Argumentum ex eodē principio petitum est, scilicèt, liberum ita sui causam esse, ut ab alio moveri non debeat. Respondet verò D. Thomas. *Dicendum, quòd, liberum arbitrium est causa sui motus; quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id quod liberum est: sicut nec ad hoc quòd aliquid sit causa alterius, requiritur quòd sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias: & sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs HOC IN EIS FACIT: operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem*. Hæc ibi S. Thomas: solutio eadem est cum superioribus, & ex adversò omninò principio desumpta. Se ipsum quidem movet liberum arbitrium, se ipsum flectit ac determinat; sed tamen non ita ut sit primum suæ determinationis principium: movetur, flectitur, & determinatur à Deo primo agente, & primo movente; neque tamen damnum ullum libero hominis arbitrio affertur, quia hoc ipsum quòd se se determinat, facit in eo motio gratiæ divinæ: in eoque posita est efficatia motionis divinæ, quòd ipsa efficiat ut voluntas liberrimè, & simul infallibiliter agat. Sexcenta hujusmodi referri possent ex S. Thoma, & multa huic inde multis in locis jam sparsimus: sed quædam etiam ex D. August. referenda sunt.

Confirmatur itaque ex S. Augustino, quòd eam liberi arbitrii notionem perpetuò Julianus D. Augustino opponeret, quam vìs alia etiam inde deduceret. Duo enim ad libertatem pertinere arbitrabatur; alterum quòd pari libramento posset in bonum æquè ac malum se se voluntas inflectere; alterùm verò quod ex primo consequitur, quòd voluntas non ab alio quàm à se ipsa se inflecteret. Quod idem esse videri potest, ac voluntatem esse primum aut unicū sui actus agens liberum. Etenim, ut refert S. Augustinus operis perfecti, & postremi cont. Julian. lib. 1. c. 77. Ut Julianus de libero arbitrio disputaret, ita præmisit. *Definitionibus & divisionibus quid nostrum alteruter sentiat, paululùm explicemus; debet quippe secundùm omnium Doctorum disciplinam inchoatio disputationis à definitione sumi*. Atq; ita à se fieri exemplo ipsius Augustini inquit c. 78. dictum enim à D. Aug. fuerat: *Omnis quippe quę ratione suscipitur de aliqua re disputatio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur*: quibus subdit Julianus: *Ita ergo & nos . . . videamus quæ libertati arbitrii definitio cōpetat, ut planū sit, quis nostrum consētiat, quis repugnet. Libertas arbitrii quâ à Deo emācipatus homo est, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit*. Eandem esse liberi arbitrii potestatem, & ad virtutem, & ad vitia, ad nauseam usque ingerebat; quòd nimirùm gratia voluntas hominis ad bonum impelli non posset, nisi vi & traheretur & cogeretur. *Hic intellectus est*, inquit, *liberi arbi-*

trii

trii qui & fatorum opinionem, & Chaldeorum ſupputationem, & Manichæorum phantaſias veritate Eccleſiaſtica ſubjugavit. Unde iterùm eod. lib. cap. 82. ita proſequitur. *Libertas igitur arbitrii poſſibilitas eſt, vel admittendi, vel vitãdi peccati, expers cogentis neceſſitatis, quæ in ſuopte jure habet utrã ſuggerẽtium partem ſequatur, ideſt ardua aſperaq; virtutum, vel demerſa, & paluſtria voluptatum.* Scilicèt nihil medium eſſe ſentiebat, ut poſſet à Deo voluntas hominis moveri, & impelli, niſi etiã cogeretur. Ideòq; & poſteà cap. 83. inquit: *Quod ut breviter abſolvatur, poſſibilitas eſt ad hoc ſolùm excubans, ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur, vel à peccato abſtrahatur voluptate captiva: quam non poſſe capi ſi dedi ipſa noluerit, teſtatur fortitudo, cujus lacerti in contemptu dolorum per Gentiles, & per Chriſtianos aſſiduè claruerunt.*

Hanc centies aliàs definitionem Julianus repetit, ut lib. 3. cap. 121. & ſequentibus ac lib. 5. c. 28. fermè per totum. Unde & infrà S. Auguſt. cap. 38. id graviter reprehendit. *Putas*, inquit, *ad naturã liberi arbitrii pertinere ut poſſit utrumque, ſcilicèt & peccare, & non peccare: & in hoc exiſtimas, hominem factum ad imaginem Dei, cùm Deus ipſe non poſſit utrumque,* & lib. 6. cap. 10. inquit: : *Te fallit definitio tua, quâ liberum arbitrium definiſti, liberum arbitrium non eſſe aliud quàm poſſibilitatem peccandi*; ut ſcilicèt æquè utrumque pertineret ad liberum arbitrium: quod etiam in Maſſilienſibus D. Proſper epiſt. ad Auguſtinum reprehendit. *Quidquid enim in libris contra Julianum ab ipſo ſub hac quæſtione objectum, potentiſſimè debellaſti* (D. Auguſtinum alloquitur) *hoc totum ab iſtis Sanctis intentioſiſſimè conclamatur.* Unde & eandem libertatis notionem eſſe volebant, *ut quantùm quiſque ad malum, tantùm haberet facultatis ad bonum: parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes moveret, quem bona appetentem gratia Dei foveat; mala ſectantem, damnatio juſta ſuſcipiat.*

Hinc verò conſtituta jam ea notione libertatis, alterum conſequi exiſtimabant, ſcilicèt quòd ex nulla alia cauſa motus voluntatis noſtræ quàm ab ipſa voluntate oriretur, ideòq; eſſet voluntas primũ determinans. Unde eod. lib. 5. cap. 40. Julianus D. Auguſtinum allocutus ita inquit: *Quæritis unde ipſa mala voluntas in homine primò potuit oriri? at ego refero, non vos intelligere quid dicatis. Voluntas enim nihil eſt aliud, quàm motus animi cogente nullo.* Ubi verſutia, & calliditas hæretici obſervanda eſt. Quærebat S. Auguſtinus unde eſſet bona voluntas, hanc enim à Deo inſpirari efficique S. Doctor contendebat; nec poſſe quidquam ab humana voluntate fieri, niſi Deus efficeret ut vellet: quia *Sine me nihil poteſtis facere*, & alia ejuſmodi. At verò eam quæſtionem detorquet verſipellis hæreticus. *Quæritis*, inquit, *unde ipſa mala voluntas?* Et quidem ſi de pravo dumtaxàt malæ voluntatis motu dixiſſet, non aliam cauſam eſſe præter ipſam volũtatem, nihil erat quòd meritò reprehendi potuiſſet: ſed, ut dixi, quæſtionem invertit, tum ut D. Auguſtino calumniam crearet, quaſi idem ſentiret Auguſtinus de motu omni voluntatis pravo ac recto: tum ut inde etiã colligeret, quòd ſi voluntas ad pravè agendum à Deo impelli non poſſit, etiam non poſſit ad bonum, ex conſtituta jam ſemel libertatis notione, qua pari libramento in utramque partem poſſit ſeſe inflectere. Unde proſequitur iterùm Julianus cap. 41. *Queritis ergo neceſſitatem rei, quę eſſe non poteſt ſi patitur neceſſitatem. Huic motui animi libero ſine coactu originis in quieto, ſi cauſa ipſo motu dicitur antiquior, non gignitur omnin, ſed tollitur: nomen enim ipſum voluntatis nullã vim habet alteram, quàm non debere materiæ quod movetur. Cùm ergo unde orta ſit voluntas, ipſa voluntate quęris antiquiùs; non exordium ejus, ſed exitium requiris. Omninò enim non intelligitur eſſe, ſi aut tenebris deputetur, aut nihilo: nec poteſt dici jam voluntas, quę ſubſiſtere non poteſt niſi in motu nullo animi cogente. Si ergo cogat aliquis, eſt quidem motus, ſed non eſt voluntas, cujus vim illa definitionis pars ſecunda complevit, ideſt nullo cogẽte. Si ergo voluntas nihil eſt aliud quàm motus animi cogente nullo, malè prorsùs queritur origo rei cujus conditio, ſi prevenitur, interit.* Hæc ibi: quibus verbis clariſſimè mentem ſuam aperit Julianus, primam eſſe debere aut unicam ſui motus cauſam voluntatem, nec poſſe ab alia cauſa moveri, niſi ipſa voluntatis libertas intereat. Idem repetit ſeq. capite 42. *Cùm ergo*, inquit, *benè definita ſit voluntas, motus animi cogente nullo; quid quæris ſuperiùs cauſas, quas definitio voluntatis excludit? expendite igitur quid ſit voluntas, & deſinetis inquirere unde ſit voluntas. Voluntas eſt enim motus animi cogente nullo. Vos ſi tentetis ire dimidio ungue ſuperiùs, ſtatim conſtituta convellitis.*

Hæc & alia ejuſmodi plurima, quibus evidens eſt, oppoſuiſſe perpetuò D. Auguſtino Julianum hanc libertatis definitionem, qua exiſtimabat, hæc duo ad libertatem pertinere; ſcilicèt quòd pari libramento & ad bonum, & ad malum ferri poſſet; neque alia ejus cauſa quærenda eſſet cur ageret; quòd ipſa voluntatis natura poſtularet, ipſam à nulla præcedente cauſa determinari. Atquì idem eſſe videtur ac ſi dixiſſet, voluntatem eſſe primum aut unicum liberum, unicũ eligens, & unicum determinans, quod ea ratione à nullo alio libero determinari poſſet. Ideò enim & ſæpiùs repetit, quòd *Voluntas ſi præcedẽtibus cauſis cogatur, voluntas eſſe mox deſiit, & perdit conditionem ſi accepit originem*, cap. 42. Unde & deinde cap. 45. hæc duo diligenter diſtinguenda eſſe monet Julianus, *neceſſarium* ſcilicèt, *ac poſſibile*: quo nomine poſſibilis liberum intelligit; neceſſarium verò eſſe putat, quidquid aliunde accipit originem. *Omnia*, inquit, *quæ fiunt aut neceſſariò, aut à poſſibili dicuntur exiſtere: neceſſarium autem hìc dico nõ quod ſolemus utile nuncupare, ſed quod majoribus fuerit à cauſis coactum. Neceſſarium ergo vocamus, nõ quod in jure ſit voluntatis, ſed quod patiatur exiſtendi vim. Poſſibile autem dicimus quod nec exiſtendi nec non exiſtendi in alteram partem experitur neceſſitatẽ, ſed certis modis poſſit eſſe, &*

possit non esse. Teneat id Lector noster &c. Quidquid igitur *ex majoribus causis* est, id esse necessarium Julianus existimavit : Atque id perpetuò D. Augustino opponebat ; quòd si motus ille voluntatis ex majori causa esset, jam non *possibile*, ut vocat, esset, sed *necessarium* ; & extingueretur ipsa libertas, si illius voluntatis motûs alia causa quæreretur.

Quid verò his respondeat D. Augustinus, ex adversis principiis toties ab ipso cõstitutis satìs colligi potest: scilicèt malum seipsa posse voluntatẽ, quòd ut ex nihilo est, sit primum principium deficiens, neque alia causa quærenda sit. At verò nihil boni posse nisi ab eo fuerit ipsi donatum, à quo dictum est, *Sine me nihil potestis facere.* Unde lib. 1. cap. 114. *Nemo*, inquit, *nisi per gratiam Christi ad bonum quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum potest habere liberum voluntatis arbitrium : non ut voluntas ejus ad bonum sicut ad malum captiva rapiatur, sed ut à captivitate libera ad liberatorem suum libera suavitate amoris, nõ servili amaritudine timoris attrahatur.*

Exscribenda essent, ut puto, ultra quinquaginta capitula, si quæ habet S. Augustinus, ut hanc libertatis notionem refelleret, omnia referenda essent. Sed jam multa aliàs explicuimus : atque ea etiam satìs hìc esse videntur ad planè demonstrandum quod probandum susceptum fuerat, voluntatem non esse primum eligens, & primum determinans.

ARTICULUS II.

Divina motio perficit voluntatem, quia Divina motione agitur voluntas ut agat, & quia motio applicat voluntatem, & aufert indifferentiam passivam.

POstquàm probatum est, non pertinere ad conditionem voluntatis, ut sit primum eligens, & primum determinans, facilè probari jam poterit ; quod hac quæstione probandum aggredimur, Divina motione perfici libertatem.

Probatur itaque primò ex ipso munere Divinæ motionis, quæ applicat voluntatem. Etenim certum est summam esse perfectionem voluntatis, utpotè activæ potentiæ, agere, & solvi eam indifferentiam passivam, & inertem, qua instar puræ potentiæ nullum actum habet : cùm non ob alium finem potentiæ institutæ sint quàm ut agant: & quælibet potentia ordinetur ad suam operationem, ut arbor ad floritionem fructusque ferendos, nec minùs potentia quàm arbor suis floribus fructibusque exornetur : Atquì Divina motio nihil aliud efficit, quàm ut voluntatem otiosam, & inertem à potentia in actum reducat, ut toties dictum est : non enim moventur agunturque homines ut nihil agant, inquit S. Augustinus, sed ut agant, & ex nolentibus volentes fiant. Unde motio Divina aufert quidem indifferentiam voluntatis passivam, potentialem, suspensam ; idest aufert imperfectionem, qua nulla major esse potest voluntatis, sed solvit potentiam activam agendi, eamque reducit in actum, aut etiam confert superadditque majorem vim activam agendi. Unde

Confirmatur hæc ratio, non potest motio non perficere voluntatem, si motio majorem agendi virtutem voluntati conferat quàm seipsa habeat, eâque virtute superaddita illud efficiat, quod sua nativa virtute non posset efficere : Atquì ita est, motio confert voluntati virtutem agendi nova virtute superaddita: quam virtutẽ superaddi licèt in ordine supernaturali multò sit apertiùs; etiam in ordine naturæ certum est ex D. Thomæ principiis. Ipsa enim motio est vis activa potentiæ volũtatis superaddita, & ut loquitur D. Thomas *Complementum virtutis agentis*, quo ultima perfectio potentiæ confertur. Etenim, ut docet S. Thomas, certum est, nullum agens creatum posse sibi ipsi, suisque viribus ultimam perfectionem cujus est capax conferre; & ut inquit 3. cont. gent. cap. 66. *Ultimum in bonitate, & perfectione inter ea in quę potest agens secundum, est illud quod potest ex virtute primi agentis*: Ideìt, ultima cujusque agentis, & potentiæ perfectio nunquàm potest solius potentię aut agentis viribus comparari, sed obtineri solùm potest virtute causę superioris. Unde necesse est quòd *Complementum*, ut inquit D. Thomas, *virtutis agentis secundi, sit ex virtute agentis primi.* Cùm enim potentia quælibet non nisi imperfectam agendi vim habeat, nec possit quod imperfectum est imperfectis illis viribus assequi ultimã perfectionem, necesse est augeri, & compleri eas vires, quo complemento virtutis ultimam illam perfectionem, qua seipsa caret, assequatur. Quæ eadem ratio est, quam habet sępiùs D. Augustinus, impossibile esse, quòd agens quodlibet ab alio habeat, ut melius sit, quàm ab eo à quo habet ut sit: in psal. 54. & 70. lib. 12. de Civit. cap. 9. At verò subdit D. Thomas : quod *est in omnibus agentibus ac potentiis perfectissimum, est esse*, ultimaque actualitas : *quælibet enim natura vel forma*, vel potentia, *perficitur per hoc quod est actu, & comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actum ipsum.*

Unde sic in forma proponi potest hęc ratio Quod complet potentiam aliquam voluntatis, ipsique confert ultimam actualitatem ut agat, non potest non eam perficere; *Perficitur enim potentia per hoc quod fit in actu*; eoque pacto cõsequitur illud quod est *ultimum in perfectione*, seu ultimam perfectionem cujus capax est in ratione potentiæ. Atquì Divina motio complet potentiam voluntatis, & *complementum agentis secundi, est ex virtute agẽtis primi* : Ergo etiam si motio eâ solùm ratione inspiciatur, quòd voluntatem movet, & applicat; tantùm abest ut eam lædat aut impediat, ut potiùs eam expediat, compleat, ac perficiat, ultimamque

mamque perfectionem conferat, cujus unquàm in ratione potentiæ capax esse potest. De quo revocanda sunt in mentem quæ aliàs supra fusè prosecuti sumus.

Confirmari potest ea S. Thomæ ratio, ex eo quòd adeò necessaria sit hæc primi moventis, & primi agentis motio; ut si illa deesset, nihil unquàm voluntas ageret, ex ea communi lege, quâ inferiora omnia inertia sunt, nisi à superioribus moveantur: & ut inquit eleganter Boëtius lib. 4. Metro 6. Dum res omnes suos cursus vicesque peragunt: *Sedet intereà conditor altus, -- rerumque flectit habenas -- Rex, & Dominus fons & origo: -- & quæ motu concitat ire, -- sistit retrahens, ac vaga firmat. -- Nam nisi rectos revocans itus, -- flexos iterùm cogat in Orbeis; -- quę nunc stabilis continet ordo, -- dissepta suo fonte fatiscant.* Interirent enim aut torperent omnia, nisi continuo influxu foverentur, ad suosque motus agerentur; & ut loquitur D. Thomas, nisi *Influentia superioris agentis*, & impressione ab eo facta moverentur. Ita enim *Videmus* etiam *in corporalibus, quod ad motum non solùm requiritur ipsa forma quæ est principium motûs vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis quod est corpus cæleste. Unde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret nisi per motionem corporis cælestis*, 1. 2. quæst. 109. artic. 1. Et ut nescio quis alius dixit, *Non esset statio terris, non ambitus astris*: Sed rerum pictarum instar omnia sine motu suas formas servarent, in suoque situ immota manerent, *hæreretque vagus Mundus, standoque rigeret*. Ergo pari ratione voluntas nedùm languida esset, sed planè iners & emortua, nisi divina motione foveretur, excitaretur, & impelleretur. At verò quis dixerit unquàm inferiores causas, cùm à superioribus moventur, lædi aut impediri; cùm è contra certum sit eas regi, ac perfici superiorum imperio, virtute, & impulsu. Quinimò inferiorum omnium, & causarum, & potentiarum perfectionem in eo positam esse liquet, quòd superiorum impulsu ac virtute regantur, & impellantur: ut in omni causarum ordine, in omni vitæ genere, in politicis, in moralibus, in physicis, in ipsoque homine compertissimum est.

Confirmari iterùm potest comparatione instrumentorum. Etenim si instrumenta cum suis principalibus causis conferantur, quis dubitet summam esse instrumenti perfectionem, quòd causa principalis ad conficiendum opus ad quod proportionatum, & aptatum est, ipso utatur, ipsumque admoveat: summum verò hujus malum esse quòd ipsum otiosum relinquat: Ergo. Sed ea comparatio illustrari potest, & explicari magis luculenta observatione D. Thomæ: quòd scilicèt ipsa etiam voluntas non minùs quàm universa natura comparetur ad Deum, ut instrumentum ad causam principalem: Atquì inauditum esset, repugnare conditioni instrumenti, quòd à causa principali moveretur: cùm ea solùm ratione instrumentum institutum sit, & ea proportione factum, ut ad effectum causæ principalis producendum aptum sit: Ergo. De Majori dubium non est, dictum enim est supra, non minùs libertatem, quàm universam naturam, divinæ potentiæ instrumentum esse, differt. 1. qu. 4. art. 9. Atque inde oritur, quoties voluntas rectè agit, & in quocumque virtutis opere quod efficit, Deum principalem causam esse, ideòq; hominum merita Deo magis quàm homini tribuenda esse: & ut inquit S. Augustinus lib. de Gratia & Lib. Arb. cap. 7. *Non Deus coronat merita tua tanquàm merita tua, sed tanquàm dona sua*: ideòque, ut addit cap. 9. dictum est ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna: qui coronat te in miseratione, & misericordia.* Psal. 102. Atque hujus rationem habet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 7. *Quia causa actionis magis est, cujus virtute agitur, quàm illud quod agit, sicut principale agens magis agit quàm instrumentum.* Cùm ergo nulla causa agat nisi virtute Dei, *Deus principaliùs est causa cujuslibet actionis, quàm causæ secundæ agentes.* Atque eo sensu singulæ omnium causarum actiones Deo, ut causæ tribuuntur. Et *Hinc est*, inquit S. Doctor, *quòd dicitur Isai. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Joan. 15. Sine me nihil potestis facere. Ad Philip. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Igitur dubitari non potest, quin quoties homo rectè agit, & gloriam vel augmentum gratiæ meretur, toties gratiam pro gratia percipiat, & Deus principalis causa sit; ipsa verò libertas creata sit instrumentum in Dei manu, quod ipse Deus movet, inflectit, & inclinat, ut ipsi libuerit.

Atquì, ut Minorem de qua præsertìm agitur subjungam, inauditum esset, repugnare conditioni instrumenti quòd à principali causa moveretur; quinimò necesse est ut sit summa ejus perfectio. Integer discursus verbis S. Thomę conficitur. Atq; eo discursu probat non esse contra naturam rerum, quòd Deus in ipsis operetur. Etenim, ut inquit 3. cont. Gent. c. 100. n. 2. *Cùm Deus sit primum agens, omnia quæ sunt post ipsum, sunt quasi quædam instrumenta ipsius: ad hoc autem sunt instrumenta instituta ut deserviant actioni principalis agentis, dum moventur ab ipso. Unde talis instrumēti materia, & forma esse debet, ut sit competens actioni, quam intendit principale agens. Et propter hoc non est contra naturam instrumenti, ut moveatur à principali agente, sed est ei maximè conveniens. Neque ergo est contra naturam, cùm res creatæ moventur qualitercumque à Deo. Sic enim institutæ sunt ut ei deserviant*. Hæc S. Thomas: quibus nihil opportunius dici unquàm potest, ut planè demonstretur, non lædi libertatem, sed magis perfici divina operatione. Non minùs enim libertas, quàm universa natura, divinæ potentiæ subjicitur tanquàm ipsius instrumentum. Neque id solùm in ordine morali ipsi competit, sed magis in ordine physico; cùm in eodem ordine à D. Thoma voluntas, quantùm ad hoc attinet, ipsaque libertas cum tota natura reponatur, sitque etiam libertas causa physica, & in ordine

physi-

physico agat : de quo dubitari non potest. Igitur & in ordine physico libertas est instrumentum divinæ omnipotentiæ : Atquì *Ad hoc instrumenta sunt instituta*, eaque proportione facta, *ut deserviant actioni principalis agentis dum moventur ab ipso*. Ergo & ipsa libertas etiam in ordine physico ita instituta esse debet, ut actioni principalis agẽtis, & divinæ operationi deserviat. Et sanè imperitus artifex esset, qui cùm sibi sua instrumenta conficeret, neque materiam idoneam assumeret, neque formam, & figuram aptam ipsi induceret, quâ esset rectè dispositum, ut ipsi ad sua opera conficienda deserviret. Atquì id de Deo existimare nefas esset: Ergo cùm talis *esse debet instrumenti materia, & forma, ut sit competens actioni quam intendit principale agens* : & Deus principale agẽs libertatem tanquàm instrumentum, ut sibi deserviret produxerit; fieri non potest quin ita eam effecerit, ut esset competens etiam in ordine physico ad eas actiones, quibus ipsam principale agẽs sibi deservire, sibique cooperari voluit. Neque excipienda libertas est ab ea universalissima regula, quâ omnia instituta sunt, ut divinæ operationi, & voluntati deserviant. Et dubio procul si intimus voluntatis velutì sensus consuleretur, mallet ipsa voluntas sua illa dote libertatis, & dominii spoliari, quàm Deo non subjici. Igitur concludendum cum S. Thoma : *Ergo non est contra naturam instrumenti*, & libertatis, *ut moveatur à principali agente* Deo ; *sed est ei maximè conveniens*, ultimaque ipsius perfectio est : *cùm res creatæ ita institutæ sint, ut ipsi principali agenti deserviant.*

Confirmari præterea hęc multis possunt, quę ex eodem capite 100. cont. Gent. prosequitur Divus Thomas. Quæcumque enim habet, ut probet, non esse contra naturam rerum, quòd Deus in ipsis agat, ita inflect possunt, ut evidenter probent, minimè repugnare libertatis conditioni, quòd ipsam Deus moveat, sed è contra maximam esse ipsius perfectionem. Etenim, ut inquit n. 1. *Quòd est potentia secundùm ordinem naturalem respectu alicujus agentis, si aliquid imprimatur in ipsum ab illo, non est contra naturam illius*. Atquì negari non potest, quin liberum arbitrium *sit in potentia secùndùm ordinem naturalem* respectu primi agentis, à quo essentialiter dependet. Ergo non est contra libertatis naturam, sed ipsi maximè convenit, quòd Deus eam moveat, ipsiq; motionem imprimat. *Præterea*, ut inquit ibidem num. 3. *Motus qui sunt in inferioribus ex impressione superiorum, non sunt contra naturam* ; ut constat in æstu reciproco maris : quia res ita institutæ sunt ut superioribus subjiciantur, eaque *obedientiæ potentia* erga superiora, ut vocat Divus Thomas qu. 1. de Potentia, inferiorum naturæ inserta est : Ergo etiam & in ipsa libertate ea impressio quæ à Deo fit, conditioni ipsius libertatis non repugnat, sed eam maximè perficit. *Demùm*, ut num. 5. inquit S. Thomas, *Omnes creaturæ comparantur ad Deum sicut artificiata ad artificem, sicut ex præmissis patet* : (scilicèt lib. 2. cap. 24.) *unde tota natura est sicut quoddam artificiatum divinæ artis : non est autem contra rationem artificii, si artifex aliquid aliter operetur in suo artificio, etiam postquàm ei primam formam dedit : Ergo neque est contra naturam, si Deus in rebus naturalibus aliter operetur aliquid, quàm consuetus cursus naturæ habet. Hinc est quòd S. Augustinus dicit lib. de Nat. Boni c. 3. Deus creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit : quia id est naturale cuique rei quod facit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Hæc ibi. Ergo neque contra naturam libertatis est, quòd Deus postquàm ei velutì formam dedit, in ea operetur, ac ipsi aliquid imprimat. Et sanè mirum esset, potuisse Deum libertatem creare, & non posse eam movere. Et quidem ita libertatem conditam esse, ut à particulari agente moveri non possit, à quo nihil ut esset accepit, facilè potest intelligi : id enim exigit ratio dominii, quo suas sibi operationes ita vendicat, ut nulli alteri ejusdem conditionis, & creato agenti subjici possit : neque enim ab alio quòd operetur habere potest, cùm ab eo non habeat ut sit. Sed quòd à Deo etiam à quo condita est, à quo ut esset accepit, etiam ut operetur non habeat, omninò repugnat : quia, ut inquit D. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *Cujus essentia ab alio est, oportet quòd virtus, & operatio ab alio sit* : ab eo scilicèt à quo esse accepit. Sed præterea quis dubitet, Deum infinitâ suâ potentiâ, & arte potuisse saltem ita libertatem condere, ut posset in eodem genere in quo voluntas agit, ipse Deus artifex velutì manum admovere : neque cogi ipsam sibi ipsi relinquere, ut ipsa sola se ipsam primò moveat : id enim Deum non posse planè incredibile foret. Et si non est contra rationem artificii, quòd artifex in eo operetur, postquàm ei propriam formam dedit, cur libertatis naturæ repugnet, quòd Deus, postquàm propriam ipsi velutì formam contulit, in ipsa operetur, & eam moveat.

Confirmatur præterea ; quòd ejusmodi rationes S. Thomæ adhuc majorem vim habituræ sint in ea de qua agitur controversia, si hæc tria observentur. *Primò*. Iis enim rationibus probat S. Doctor, quòd etiam cùm Deus contra solitum cursum causas movet, ac in iis operatur ; attamen ipsa divina operatio non est contra naturam rerum ; quia *Ita res omnes institutæ sunt*, ut ad quodcumque Deus voluerit, *ipsi deserviant* ; & ut Sapient. 16. dicitur : quòd contra naturam, ignis plus aquâ valebat &c. quia omnis *creatura* etiam suæ virtutis oblita, *Factori suo deserviens*, ad nutum ipsi obtemperat : Ergo, & multò faciliùs id poterit intelligi, cùm Deus juxta communem solitumque ordinem voluntatem movet; cùm scilicèt eam movet in eodem ordine in quo ipsa voluntas agit; cùm eam movet in ordine ad bonum ad quod ipsa tendit ; cùm ipsam movet sub imperio, & rationis judicio, quo ex sua conditione regitur. Tunc enim veriſſimè dici potest quòd Deus voluntatem ita movet ut instituta est. Ergo tunc saltem intelligi facilè potest

non

non eſſe contra naturam libertatis quòd à Deo in eo ordine quo voluntas agit, ideſt per modum efficientis cauſæ moveatur, quia ita inſtituta eſt, ut ei deſerviat. *Secundò.* Sed prætereà majorem vim ea ratio habitura eſt, ſi ad divinam omnipotentiam ea quæ diximus referantur. Incredibile enim eſt, & videretur divinæ potentiæ injuria inferri, ſi exiſtimaretur, Deum non potuiſſe ita voluntatem inſtituere, ut tanquam inſtrumentum phyſicum, & in ordine phyſico ipſi ut cauſæ principali deſerviret. Quis enim ſibi ſuadeat, Deum non potuiſſe voluntatem ut inſtrumentum, & artefactum ita conſtituere, ut jam conſtita in ſua natura voluntate, Deus ultrà in ea operari, & eam movere, & applicare non poſſit. Quòd ſi ita fieri potuit; qua ratione ita factum eſſe negari poſſit, cùm is maximè operandi modus in ratione efficientis cauſæ, & phyſicæ, multò perfectior ſit; atque eo operandi modo ſemel cõceſſo, in germaniſſimo ſenſu Scripturæ Sacræ verba explicentur, quæ præveniendi, & movendi phyſicum modum ſignificant. *Tertiò*: Sed demùm ita eſſe probari poteſt, & ſuperiori rationi etiam major vis addi, ex eodem S. Thoma Quodlibet. ij. art. 2. ubi probat, Divinam prædeſtinationem, & ſummam certitudinem habere, & tamen nullam neceſſitatem imponere. Atque id *Patet*, inquit, S. Doctor, hac ratione: *quia voluntas Dei eſt efficax, & perfecta omnium rerum cauſa, quia omnia quæcumque voluit Deus fecit: cujus perfectio, & efficacia apparet ex hoc, quòd non ſolùm movet, & cauſat res, ſed etiam dat eis talem modum cauſandi, inquantùm cuilibet determinatum modum cõtulit, quo ſuos effectus produceret.* Premenda ſunt hæc ultima verba: *Cuilibet determinatum modum contulit quo ſuos effectus produceret.* Id enim omninò eſt, quod jam diximus, *ita inſtituta eſſe à Deo omnia, ut ei deſerviant.* Sed apertiùs multòque expreſſiùs ita docuit Angelicus Doctor 1. par. qu. 19. art. 8. *Cùm voluntas Divina*, inquit, *ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Ulvt autem Deus quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi: & ideò quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt: quibuſdam autem aptavit cauſas contingentes defectibiles ex quibus effectus contingentes eveniant.* Hæc ibi. Quid verò iſta ſignificent? niſi & hoc idem quod diximus ſuprà, omnia ita inſtituta eſſe, ut Deo tanquam principali agenti deſerviant. Ut nihil univerſo ad perfectionem, & complementum deeſſet, varios Deus ordines conſtituit: Voluit neceſſarios eſſe effectus; ſimiles cauſas aptavit quæ neceſſariò agerent: Voluit contingentes effectus; voluit liberos; ſimiles cauſæ aptatæ ſunt, quę deficere poſſent, & libertatem cum infallibilitate conjungerent. Eas verò omnes cauſas Deus movet, intimaque ea operatione, qua ſe ſe ipſis præſentem ſiſtit, & quæ motio cum immenſitate conjuncta, non poteſt non eſſe phyſica, de qua aliàs multa diximus. Sed eas omnes cauſas ita movet Deus, ut ipſi deſerviant ad eos effectus producendos, quibus ordinem univerſi conſtitui voluit. Neceſſarias phyſicè movet, & ita ut neceſſariò agant. Contingentes phyſicè movet, & ita ut contingentes effectus edant. Liberas demùm movet, ſed ut libertatem illæſam ſervent; quia ita *cauſas aptavit*, & ita cauſæ omnes *inſtitutæ ſunt, ut ipſi principali agenti deſerviant.* Deo ſcilicèt, *quoniam omnia ſerviunt tibi.*

Confirmatur demùm ex D. Auguſtino, neque enim hujus authoritas hìc prætermittenda eſt: eandem enim rationem quam ex D. Thoma proſecuti ſumus, habet etiam D. Auguſtinus: nimirùm quòd illud propriiſſimum motionis munus ſit, ut voluntatem de otio in actum educat, & faciat ut faciamus. Atquì non poteſt ea ratione non conferre maximam voluntati perfectionem Divina motio, cùm omnium potentiarum otium quidam veluti interitus ſit: Ergo. Atque ita reſpondet S. Auguſtinus lib. de correct. & grat. cap. 2. Adrumentinis Monachis, à quibus ita objiciebatur, poſtquàm à D. Auguſtino lib. de gratia, & libero arbitrio dictum legiſſent, quòd *Deus facit ut faciamus, præbendo efficaciſſimas vires voluntati*; cap. 16. & *contrarias voluntates Omnipotentem Deum ad credendum poſſe convertere*; cap. 14. & Deum *dare quod jubet*; cap. 15. & *quod Omnipotens agit in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum* cap. 21. & alia ejuſmodi. Hæc enim cùm legiſſent reponebant. *Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle, & operari Deus operetur in nobis.* Ita enim S. Auguſtino objiciebant, quòd exiſtimarent, hæc duo jungi non poſſe, ſcilicèt quòd Deus effectrice, & præveniente gratia ipſum velle & operari in voluntate efficeret, & quòd ipſa etiam voluntas ageret, ſuamque libertatem ſervaret. Atquì idipſum eſſe videtur quod ſolet contra S. Thomæ ſententiam, nobis objici: ſi Deus, voluntatem phyſicè prævenit ac determinat, quo pacto libertatem ſervare voluntas poteſt, ut ipſa etiam ſeſe determinet. Igitur; ut ſervetur libertas, inquiunt, neceſſe eſt voluntatem non ab alio primò, quàm à ſeipſa moveri. Verùm eam difficultatem reſolvit S. Auguſtinus, & ita Adrumentinis reſpondet: *Sed* contrà, inquit, *potiùs intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei agi, ut quod agendum eſt agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil aga nt, &c. quid enim*, inquit, *habent quod non acceperunt.* Atquì hæc eadem D. Thomæ, ejuſque Diſcipulorum ſolutio eſt, qua objectum Argumentum diſſolvunt. Movet voluntatem Deus: Ergo non ſeipſam voluntas movet ita ut libertatem ſervet. Contrà *potiùs intelligant*, qui iſta objiciunt, moveri voluntatem, & ſeipſam movere; quia ideò movetur ut ſeipſam moveat: *aguntur enim* qui filii Dei ſunt, *ut agant, non ut ipſi nihil agant.*

agant. Hoc enim propriissimum munus est divinæ motionis, hic ejus finis, aut usus; ut sub ipsa Dei motione voluntas mota se moveat. Atque eo pacto voluntatem ex otio in actum motio divina transfert, nec eam inertem relinquit, quæ maxima ipsius imperfectio est.

Sed id fusiùs prosequitur, ac summo ingenii acumine expendit S. Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli; ubi ea verba explicat: *Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*: ad Roman. 8. Et ut nihil inde se habere posse Romanos, quibus ista scripsit, unde gloriari possent, demonstret Apostolus, subjicit statim; ut D. Augustinus observat, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Hæc enim verba inquit S. Augustinus, addita sunt ab Apostolo, ut gloriationis causam omnem amoveret, & ut Romani, ac cæteri fideles intelligerent, nihil prodesse, quòd quisquam Epicuræus non sit, dum sentientis partis motus coërcet; si Stoicus sit, dum se suæ virtutis authorem facit. Sed audiendus D. Augustinus. *Quid ergo*, inquit, *jam te volebas extollere, ubi audisti, si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis? dicturus enim eras, hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? nisi ille regat, cadis; nisi regat, jaces. Quomodo ergo spiritu tuo, cùm audias Apostolum dicentem: Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei? Tu te vis agere, à teipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? quid tibi prodest, quia non eris Epicuræus, & eris Stoicus? sive Epicuræus eris, sive Stoicus eris, inter filios Dei non eris; quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* &c. Sed statim communem difficultatem superiùs repositam explicat idem S. Doctor, & addit: *Dicit mihi aliquis; Ergo agimur, non agimus.* Hoc enim, ut diximus, Argumentum est, quod statim menti occurrit, & nobis perpetuò ingeritur: si voluntas à Deo movetur: Ergo non seipsam movet, nec libertatem servat. *Respondeo*, inquit D. Augustinus, *imo & agis, & ageris, & tunc benè agis, si à bono agaris: spiritus enim Dei qui te agit agentibus adjutor est.* Hactenùs S. Augustinus: Et hæc absolutissima responsio est: Ideo enim agitur à Deo voluntas ac movetur, ut seipsam moveat, & agat. Atque id deinde probat S. Doctor, quòd ipsa divina motio virtus sit quæ voluntatem adjuvet; neque enim adjuvari potest voluntas, nisi etiam ipsa agat. *Ipsum* enim, inquit, *nomen Adjutoris præscribit tibi, quia & tu aliquid agis. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis quando dicis, Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum; nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.*

Hæc S. Augustinus, quibus ea diffundit quæ paucis D. Thomas contraxit. Atque ut hæc in communem formam redigantur. *Primò*: Non potest Divina motio voluntati perfectionem non conferre, si voluntatem inertem, & languidam excitet, & impellat, ut sese ipsam voluntas erigat, & ad volendum ac operandum determinet: Atquì ita efficit motio Divina: nisi enim motio regat, *voluntas cadit* aut *jacet*: Et ut alibi inquit D. Augustinus, sicut framea *quamvis splendida, quamvis acuta, quamvis uncta, jacet si non habet bellatorem*: & D. Thomas 1.2. quæst. 109. art. 1. *Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur à Deo.* Sed *Secundò* non potest etiam divina motio voluntati perfectionem non conferre, si voluntati infirmæ majores ut agat vires conferat. Atquì ita est, divina motio vires auget, ut alioqui infirma voluntas & velit, & agat: hoc enim vel *ipsum Adjutoris nomen tibi præscribit*: ipsa *motio complementum est*, imperfectæ *virtutis agentis*; & *certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, prædo efficacissimas vires voluntati.* S. Augustinus de gratia, & libero arbitrio cap. 16. *In libero enim arbitrio hoc modo Deus agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat.* D. Thomas in 2. dist. 25. qu. 1. art. 1. *Gratiæ* enim *cooperatis non est, ut solam facultatem faciat in operando, hoc enim hæresis Pelagiana ponebat, sed ut efficaciam, & virtutem quandam novam operibus hominum præbeat meredi vitam æternam*; actualem scilicèt gratiam quam negabat Pelagius. Idem in 2. dist. 29. qu. 1. art. 1. Et *bonarum actionum Deus non est Author, nisi secundùm quòd potentiæ agendi efficaciam confert* in 2. dist. 37. qu. 2. art. 2. Hæc satis. *Plura studio brevitatis prætermissa sunt, quia & reverà cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.* Concil. Arausican. 2, in fine.

ARTICULUS III.

Secunda probatio ex parte libertatis: Divina Motio efficit indifferentiam judicii: Unde, & perficit libertatem.

DE minima voluntatis dote superiori Articulo egimus, ut est potentia, ejusdem cum cæteris agentibus ac potentiis conditionis. At nobiliorem dotem habet ut ratione regitur, & est voluntas deliberata, in qua potissimùm liberi arbitrii ratio reposita est. Atque inde non una solùm sed plures rationes desumi possunt, ut probetur divina motione non lædi sed perfici libertatem. Regitur enim ratione, inclinatur ad bonum, & potest magìs à potentia peccandi recedere, ac tandem ad ordinem gratiæ evehi potest. Tot verò inde rationes desumi possunt quas paucis prosequemur.

Quòd attinet verò ad indifferentiã judicii quæ est proxima radix libertatis, paucis hæc ratio expedienda est, cùm de ea multis suprà actum sit, ubi ostensum est, vix sine pari miraculo quo de-

nega-

negatus eſt Babilonico igni concurſus, intelligi poſſe, ſub indifferentia judicii moveri poſſe voluntatem neceſſariò ad objectum indifferenter amandum propoſitum. Neceſſe enim foret, quòd ex duplici potentia quâ prædita eſt voluntas, altera agendi, altera non agendi; Deus perpetua motione potentiam agendi moveret, & ad actionem applicatam detineret; negaret verò concurſum alteri potentiæ non agendi: ex quo ſequeretur quòd potentia non poſſet non agere, ac ſubindè neceſſariò ageret. Quæ omnia tamen nec admodùm exactè compacta eſſe, nec ſatis inter ſe ſe cohærere videntur. Sed ut ut ſit de ea ſuppoſitione quam prætermittimus, agimus hìc dumtaxàt de connaturali modo agendi, quo Deus ſuaviter naturam intellectualem regit, & intellectum illuminat, dum voluntatem accendit. Unde ſic ratio proponi poteſt.

Probaturque, perfici libertatem ex eo quòd ſimul dum movetur voluntas ad amandum objectum, etiam moveatur intellectus ad expendendas conditiones objecti, unde perfectior indifferentia judicii oritur. Quoties igitur Deus movet voluntatem ad objectum amandum, putà ad eligendum ſtatum vel conjugalem vel religioſum, toties movet etiam intellectum ac luce perfundit, ut illius ſtatus conditiones omnes ac dotes expendat, & unius pericula, vel alterius felicitatem cognoſcat, nè intellectus erret aut præceps feratur, & ea inconſideratione aut errore practico volũtas ſeducatur: atquì impoſſibile eſt, quòd cùm perfectius eſt judicium rationis, etiam ea voluntas liberior non ſit, & perfectior libertas: Ergo.

De majori non eſt dubium, id enim pertinet ad Divinam Providentiam, ut cùm voluntatem movet ad amorem, etiam & ad cognitionem objecti amandi, & eligendi moveat. Unde integra motio duplici hac velutì parte conſtat, & ex parte intellectûs, & ex parte voluntatis. Eſt enim inter utramq; potentiam mutua conſenſio; cognitio amorem parit, & amor cognitionem: unde utramque potentiam & moveri, & perfici neceſſe eſt. Etenim, ut egregiè notat S. Thomas opuſc. 61. 2. parte de dilectione proximi c. 1. Ezechiel. c. 10. dicitur, cherub, impleviſſe manum ſuam de igne ut in homines effunderet. *Cherub*, inquit S. Doctor, *plenitudo ſcientiæ. Cherub ergo nobis ignem menſurat, & vix manum plenam dat, quia parva cognitio, & ideò parva dilectio.* Neceſſe enim eſt ut primus divinæ renovationis animæ effectus ſit in anima producta lux; quæ ſi deſit, omnia confuſa ſunt, nullique ſua forma manet: & ut probat idem D. Thomas 1. 2. q. 27. a. 2. *Cognitio eſt cauſa amoris*, quòd neceſſe ſit ab intellectu objectum proponi, quo voluntas alliciatur. *Et propter hoc dicit Philoſoph. 8. Ethic. quòd viſio corporalis eſt principium amoris ſenſitivi: & ſimiliter contemplatio ſpiritualis pulchritudinis vel bonitatis, eſt principium amoris ſpiritualis*; cùm ex S. Auguſtino, incognita nullus amare poſſit, etſi poſſet inviſa: nulla enim unquàm eſſe poteſt ignoti cupido. Quamvìs etiam vice verſa veriſſimo ſenſu, & Theologico rigore, amor cognitionem pariat, ea ratione, quòd *Qualis unuſquiſque eſt, talis & finis videtur ei*, ut explicat D. Thomas quæſt. 6. de Malo, aliiſque in locis, quòd proût quiſque variè affectus eſt, etiam variè res apprehendat. *Unde aliter movetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, quia non idem eſt conveniens utrique ſicut etiam aliter acceptatur cibus à ſano, & ægro.* De quo multa dicenda ſunt ubi de divina motione cum donis Spiritus Sancti conjuncta agetur. Igitur cùm ea ſit inter utramque potentiam conſenſio, neceſſe eſt, utramque perfici; & dum movetur voluntas ad objectum aliquod amandum, toties divina luce intellectum à Deo perfundi, ut merita cognoſcat ne erret, & eo errore voluntatem cæcam poſt ſe in eandem foveam præcipitem impellat.

Minor verò Argumenti, ſcilicèt quo perfectius eſt judicium rationis, eò majorem eſſe voluntatis indifferentiam & libertatem, multis ex ſuperioribus, & ex Divi Thomę principiis probari poteſt. *Primò*, quia poteſt *augeri, & minui libertas arbitrii*, proût perfectius eſt judicium rationis. Unde perfectior eſt libertas in Angelo quàm in homine in 2. diſt. 25. a. 4. Perfectior etiam erat in Adamo, *Quando ſplendebat lucerna ſuper caput ejus*, Job. 29. quàm in hujus poſteris quibus *error, & tenebræ concreata ſunt.* Eccl. 11. In juſtis demùm perfectior libertas eſt, dum prælucente gratia, & revelatione divinæ ſapientiæ excitatur voluntas; quàm in peccatoribus quorum voluntas frigida, & languida eſt, quia *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Ad Rom. cap. 1. Neque enim omninò negat S. Auguſtinus quæ in commendationem legis tanto verborum apparatu dicebat Pelagius, & refert ipſe Auguſtinus lib de Gratia Chriſti cap. 10. ſed negat, ea ſatìs eſſe, niſi gratia, & ſubminiſtratio ſpiritûs impleat quod lex jubet. Unde prætereà admittendum contendit, quòd Deus *Per ſe ipſum incrementum ſuum miniſtret occultus, ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem: ſic enim docet Deus eos qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere.* De Gratia Chriſti cap. 13. Utraque enim potentia conjuncta eſt: & in eo poſita eſt divinæ providentiæ ſuavitas quòd utramque potentiam perficiat, ut cùm homo divino impulſu agitur, etiam regatur ſuæ rationis judicio.

Secundò probatur eadem minor, & multis ex D. Thoma collectis, quæ facillimum eſſet diffundere, ſed quæ paucis contrahimus, cùm ſupra fuſiùs fuerint explicata. Inprimis, quia *Appetitivas potentias oportet eſſe proportionatas apprehenſivis*, 1. par. quæſt. 83. art. 4. ſicut neceſſe eſt, proportionem eſſe inter mobile, & movens, cui ſubjicitur: Ergo quò perfectior erit operatio apprehenſiva ſeu rationis cognitio, & judicium, perfectior erit voluntatis operatio, ipſaque libertas. Et hujus prætereà ratio eſt, quia *Totius libertatis radix eſt in ratione cõſtituta: unde ſecun-*

dùm quòd aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberum arbitrium : qu.24.de Verit. art.2. siquidem *Appetitus qui cognitionem sequitur, non est nisi appetitus boni, quod sibi per cognitionem proponitur.* Ibid. Quodque etiam universaliori principio demonstratur, quia necesse est, ut inclinatio omnis formam aliquam consequatur, cui conformis sit : unde cùm *Forma intellecta* ad quam voluntas consequitur *, sit universalis, sub qua multa possunt comprehendi* ; etiam necesse est ut ipsa *inclinatio voluntatis* quæ consequitur, *indeterminatè se habeat ad multa*, quæst. 6. de Malo : servetque semper sub ea cognitione universali parem, & universalem inclinationem, id est liberam, & quæ ad multa ferri possit. Ergo manifestum est ex his omnibus, aut simul collectis, aut sigillatim sumptis, quòd quò perfectius erit rationis judicium, quò perfectior judicii indifferentia, eò etiam erit perfectior libertas. Sed

Confirmatur prætereà, quòd cùm divina motio semper ad bonum, virtutem, perfectamque in Deum conversionem promoveat, inde primùm etiam ea conversio inchoatur, quòd immissa cælesti luce, vanitas, & mutabilitas rerum demonstretur, ut apud D. Augustinum videre est in lib.Confessionum : Atquì inde oritur perficiturq; libertas, quòd objectorum vanitas, & imperfectio cognoscatur : quia quandiù objectum omninò voluntatem non satiat, nec totam voluntatis capacitatem, & amplitudinem replet, impossibile est quòd voluntas ad illud amandum necessariò feratur ; sed summam habet indifferentiam, & illud respuendi, & aliud quærendi, unde remanet semper voluntas mutationi obnoxia. At verò, ex Divo Thoma in 2.dist.7.q.1.a.1. ubi de *Confirmatione bonorum Angelorum, & utrùm Angelus Beatus peccare possit?* principium indifferentię voluntatis, quę potissimùm cum potentia peccandi conjuncta est, non aliud est quàm ipsius mutabilitatis voluntatis principium : *Principium verò mutationis, & causa, est rei possibilitas : nec defectus esse potest nisi per potentiam incompletam*, & quam forma omninò non replet. Cùm enim potentia ejusque omnis capacitas suâ formâ completa est, tunc nulla supereſt in subjecto mutabilitas, quia cùm forma totam subjecti capacitatem complet, tunc etiam forma, & necessariò inest subjecto, & inamissibilis est, ipsumque subjectum sub ipsa forma ita ipsi subjicitur, ut nullam aliam formam recipere, immò nec appetere possit, cùm, eâ quam habet, omninò satietur. Atque inde probat D. Thomas 2.2.qu.24.a.11. charitatem viæ posse amitti. Quia inquit, *Est de ratione formæ, quòd sit in subjecto amissibiliter, quàdo non replet totam potentialitatem materiæ, sicut in formis generabilium, & corruptibilium ; quia materia horum sic recipit unam formam, quòd remanet in ea potentia ad aliam formam, quasi non repletâ totâ materiæ potentialitate per unam formam. Et ideò una forma potest amitti per acceptionem alterius. Sed forma corporis cælestis quia replet totam materiæ potentialitatem, ita quòd non remanet potentia ad aliam formam, inamissibiliter inest.* Hæc ibi : Eâq; comparatione formæ cælestis, & formæ rei corruptibilis, discrimen explicat, quod inter charitatem patriæ, & charitatem viæ intercedit. Charitas patriæ instar est formæ inamissibilis, cùm totam voluntatis capacitatem, omnesq; ejus intimos recessus impleat ; ibique *holocausta medullata* offerantur : & intùs, & in ipsis, ut explicat D. Augustinus, cordis medullis divinus ille ignis accensus sit. At verò è contra charitas viæ instar formæ rei mutabilis, amissibilis est ; quia totam voluntatis capacitatem non implet, nec omnem ejus affectum sibi vendicat ac possidet. Sed ut egregiè inquit D. Thomas Opusc. 61.c.15. ubi per plura capita illud explicat, *Diliges Dominum Deum tuum*. Amor viæ dilectio est sumpto nomine ab electione : at, inquit, in electione, necesse est, ut *Vel omnes, vel ad minùs plures voces desideriorum, & virium concordent. Nam si sensualitas sola discordet, & amicos eligat alios, non obstat : quia jus eligendi non habet, quod perdidit malè eligendo. Verum tamen si, & ipsa assentiat, & omnes voces habeantur, ut ibi* ; „ *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*„ Psal. 83. *jam indubitanter electus confirmabitur.* At verò id nunquàm contingit perfectè in via, & dum semper in homine luctа est. Opponit enim se se sensualitas ; *Et quamvis non sit rationalis exceptio, tamen differtur confirmatio, donec post litem diutinam sensualitas succumbat, & victa cedat.* At tunc *in expensis meritò sensualitas condemnatur, ut opera pœnitentiæ portet pro satisfactione pro eo, quòd rationem lite indebita fatigavit.* Sed tandem *in morientibus lis omnis deciditur, & sensualitati silentium imponitur, & electus rationis in amicum sibi perpetuum confirmatur.* Hæc omnia, & multò plura Divus Thomas, quæ sciens prætermitto, cùm non sint omninò instituti Theologici : prætermittere tamen nolui cùm menti occurrerint, & omninò egregia sint, facileque explicent libertatis indifferentiam oriri ex eo quòd objecta totam voluntatis capacitatem non impleant ; atque adeò voluntatem liberam remanere, ac libertatem eò magis perfici, quò magis ratio divinâ luce illustratur.

Confirmatur iterùm, & instauratur eadem ratio, quòd existimandum sit, illustrari mentem divina luce, quoties ipsa voluntas motione divina percellitur : Atqui tunc non potest non perfici voluntatis libertas : Ergo &c. Utraque propositio, & major & minor observatione D. Thomæ probatur & explicatur. Observat enim Doctor Angelicus 3.cont. Gent. c. 88. quòd si moveretur voluntas solùm per modum agentis, & non per modum finis, id est, si moveretur solùm ex parte principii, & non ex parte objecti, nulla servaretur voluntati libertas, sed magis vim quandam voluntas pateretur. Atque inde probat, quòd substantiæ separatæ creatæ non possunt esse causæ electionum, & voluntatum nostrarum. Etenim, ut inquit num.4. *Violentum, ut dicitur in 3.Ethi-*

cor.

cor. eſt cujus principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo. Si igitur voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus. Dico autem moveri ab extrinſeco principio, quod moveat per modum agentis, & non per modum finis. Et quidem ratio videtur aperta: quia ſi voluntas non moveretur ex parte finis & objecti, id eſt, ſi voluntati nullum objectum monſtraretur, non poſſet voluntas in ullam ſe ſe partem vertere: quò enim tenderet? Sed tunc ſi moveretur, aut moveri poſſet ab extrinſeco aliquo principio, ipſa nihil agente; inſtar ſtipitis ab una in alteram partem transferretur, & impreſſionem reciperet, ipſa verò nihil omninò agere poſſet, ut diximus: quid enim ageret, aut quid agere vellet, cùm nullum eſſet objectum quod velle poſſet? unde eſſet inſtar potentiæ viſivæ cui nullus color videndus objiceretur. At verò ſi hoc pacto moveretur, ipſa nihil planè conferente, quæ libertas eſſe poſſet? vim potiùs ipſa pateretur, cùm & prohiberetur ex ſe agere, & contra propriam inclinatjonem moveretur, & violenter ab ipſa actio ipſius extorqueretur: de quo vide ſupra pag. 286. qu. 3. art. 5. Ex quo colligitur, ad libertatem omninò requiri, ut voluntas non ſolùm *per modum agentis*; ſed etiam *per modum finis*, moveatur, & monſtretur objectum quod ipſa complecti poſſit. Ergo cùm è contra ipſi monſtratur objectum, objectique merita clarè explicantur, non poteſt libertas non perfici: atquì ex noſtra ſententia voluntas movetur nedùm ex parte agentis, ſed etiam ex parte finis. Quoties enim movetur voluntas motione phyſica ex parte principii, toties etiam movetur motione morali ex parte objecti; quia ſimul hominis mens luce divina perfunditur, ut objectum pro meritis amandum voluntati objiciat, unde tunc perfectiſſima eſt cum efficacia gratiæ conjuncta ſuavitas, quæ etiam voluntati blandiatur. Et efficacia quidem oritur maximè ex phyſica motione, quâ movetur ex parte principii: ſed ipſa ſuavitas oritur ex motione morali, qua ex parte objecti movetur.

Confirmatur prætereà ex eodem S. Thoma ibid. num. 1. *Quod Divinæ Providentiæ lex eſt, ut unumquodq; immediatè à proxima ſibi cauſa moveatur: proximum autem motivum voluntatis eſt bonum intellectum, quod eſt ſuum objectum, & movetur ab ipſo, ſicut viſus à colore*: Atquì dubium non eſt quin ſerventur ejuſmodi Divinæ Providentiæ leges, quoties voluntas à Deo movetur: Ergo quoties movetur voluntas, etiam movetur à proximo motivo quod eſt bonum intellectûs, ipſiuſque objectum. Atqui ex eo objecto ac motivo proximo non poteſt non refundi in voluntatem libertas. Unde, quod obſervatum eſt ſæpiùs, hæc duo jungenda ſunt, in quibus integra velutì gratia repoſita eſt, & vocatio effectrix bonæ voluntatis; motio ſcilicèt exparte objecti moralis; & motio ex parte principii, phyſica. Et quidem ſi quis animadvertat intelliget facilè, inde duplicem ortum eſſe errorem, quòd hæc duo ſejuncta ſint. Solam moralem ex parte intellectûs Pelagius admiſit, quomodocumque illam intelligeret; nullam verò ex parte voluntatis admiſit, eo ſaltem modo quo admittenda eſt, & admittendam eſſe D. Auguſtinus contendebat. Solam verò è contra Calvinus ex parte voluntatis admiſit, nulla habita ratione motionis moralis ex parte objecti. Nullam enim propriè excitantem moraliter gratiam admiſit, quæ voluntati cum indifferentia judicii præluceret. Certum enim eſt ſpontaneum dumtaxàt ſub divina motione motum admiſiſſe, qualis eſt in Beatis, Deoque erga ſuam bonitatem, qui nullam judicii indifferentiam ſupponit. Unde non potuit non eſſe durior phyſica illa motio quam admiſit Calvinus, ex parte principii, quæ non potuit motione morali ex parte objecti temperari. At verò nos utrumque jungimus, & ex utroque oriri contendimus, voluntatem efficaciter, & ſuaviter moveri: ità ut efficacia ex phyſica motione, ſuavitas verò ex morali motione oriatur.

Confirmatur demùm ex S. Auguſtino. Quòd in ea ſententia perpetuò S. Doctor fuerit, ea ratione perfici libertatem, quòd homini divina gratia monſtraretur quid agendum eſſet: & ut inquit lib. de Gratia, & Lib. Arb. c. 18. *Præcepto admonitū eſt liberum arbitrium ut quæreret Dei donum.* Sed tamen ut ſubdit, *Sine ſuo fructu admoneretur niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quereret unde quod jubebatur impleret. Unde ſcriptū eſt in Pſal. 83. Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.* Utrumq; enim neceſſariū eſt: *Ut facienda noverimus, & ut cognita faciamus*, lib. de gratia Chriſti c. 12. *Niſi* enim *præceſſiſſent cogitationes bonæ, nulla eſſent bona opera*, lib. de Grat. & Lib. Arb. c. 7. nulla etiā eſſet libertas. Ideòq; & ſalutis principium in vocatione reponit, ſed vocatione effectrice quæ velutì duplici parte conſtat, ut *ſit inſpiratio flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ charitatis*, lib. de Grat. Chriſti c. 35. Sed apertiùs utramque motionem, & moralem, & phyſicam conjungit l. 2. de Peccatorum Merit. & Remiſſ. c. 17. ubi inquirit, unde oriatur, quòd cùm voluntas humana, gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vita eſſe poſſit, reipsà tamen non ſit. *Poſſem*, inquit, *facilè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt*: hęc enim veriſſima ratio eſt, cùm, ut aliàs diximus, ſola perditionis ſuæ cauſa voluntas ſit. *Sed ſi ex me quęritur*, inquit, *quare nolunt, imus in longum*: plura enim expendenda forent; nec ſolùm inquirēda eſſet prima origo mali, quę eſt voluntas, ut ex nihilo eſt; ſed & divinę ordinationis conſulenda judicia eſſent, quę peccata permittit. *Verumtamen*, addit idē S. Auguſtinus, *etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam: nolunt homines facere quod juſtum eſt; ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat: tātò enim quidquàm vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoq; delectamur ardentiùs. Ignorātia igitur, & infirmitas vitia ſunt, quę impediunt voluntatem nè moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendū. Ut autē innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod nō*

delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Hactenùs D. Augustinus. Ergo ex ipsius sententia utrumque ad divinam gratiam pertinet, & ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat. Atque inde facilè probari potest, divinâ gratiâ, quæ utrâque illa parte constat, maximè perfici libertatem. Etenim non potest non perfici vera libertas, quando utrumque principium unde ipsa oritur, perfectionem omnem recipit cujus est capax: & intellectus luce divina illustratur, *ut innotescat quod latebat*; & voluntas suavitate perfunditur, ut *suave fiat quod non delectabat.* Plurima ejusmodi ex S. Augustino colligi facilè possunt, utrumq; enim munus divinæ gratiæ perpetuò conjungendum esse contendit; in eoque præsertim Pelagium reprehendit, quòd hęc duo sejungeret. Unde & eodem lib.19.inquit: *Cùm ab illo*, Deo scilicèt, *illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat.* Nimirùm utrâque illa parte divina gratia, & effectrix vocatio constat, eaque suavitas maximè ad veram libertatem confert, eamq; perficit: quia præceptum, inquit S. Augustinus lib.de Grat. Christi c.13. *Liber facit qui libens facit: & hoc modo quisquis discit, agit omninò quidquid agendum didicerit*: non eo sensu quòd libertas in ea, si dicere liceat, lubentia posita sit: sed quòd inde promptiùs ac faciliùs voluntas operetur, eo sensu quo ex Aristotele à D. Thoma dictum est, *Delectatione perfici operationem.* Quisquis enim, inquit D. Thomas, *sua operatione delectatur, diligentiùs ad eam attendit, & vehementiùs operatur.* 1.2.q.33.art.4.

ARTICULUS IV.

Divina Motio perficit libertatem, quòd ad bonum ac virtutem voluntatẽ prę-moveat; & quòd à peccato retrahat.

PRobatur assertio proposita altera ratione desumpta ex ipsa notione libertatis, ut ratione regitur, & ut est à Deo authore naturæ ad bonum prosequendum, & virtutem colendam instituta. Certum enim est ex S. Thoma in 2. dist. 25. art. ult. ad 2. quòd *Quamvis liberum arbitrium possit & in bonum & in malum, tamen per se in bonum ordinatum est*, & ad virtutem prosequendam, ultimumque finem mediis consentaneis obtinendum: Ergo quod liberum arbitrium ad bonum movet, impellitque ad ultimum finem, non potest non perficere liberum arbitrium. Atquì motio divina est ejusmodi, de ea enim hic loquimur: de altera enim ad substantiam & materiale actus pravi, quam homo suis peccatis sibi adscìscit, longè aliter dicendum est; cùm de ea, sicut de morte, illud dicendum sit Sap. 1. 15. *Injustitia mortis est acquisitio, impii autem manibus, & verbis accersierunt illam*: at verò divina motio de qua hìc agimus, quæ hominum voluntatem impellit ac movet ad implenda mandata, & virtutem exercendam, ea non potest non rectà tendere ad bonum: Ergo ea divina motio perficit libertatem. De primo antecedente plurima dicta sunt, ex S. Thoma multis in locis: nec alia efficacior ratio quærenda esset, præter eam quæ omnibus potentiis communis est. Nunquàm *enim pertinet ad rationem alicujus potentiæ quod deficiat in suo actu, sicut non pertinet ad rationem potentiæ visivæ quod aliquis obscurè videat*, quæst. 16. de Malo art.5. Sed præterea etiam quod ad libertatem pertinet, præter superiùs dicta, S. Thomas expressè inquit, in 3. dist.12. qu.2. art.2. *Liberum arbitrium non ordinatur ad peccatum, immò peccatum incidit ex defectu ipsius, unde & peccatum non specificat potentiam liberi arbitrii*: atque eâdem ratione inquit in 2.dist.44.qu.1.art.1. *Quòd* quia *usus rei dicitur ad quem res principaliter ordinatur, potentia autem quâ in peccatum possumus, non ordinatur ad malum, sed ad bonum: & ita peccare non est usus ejus*: voluntatis scilicèt, aut liberi arbitrii. Atque, ut mox diximus, id commune est omnibus omninò potentiis: nullam enim in toto rerum ambitu reperire est, quæ per se ad bonum vel verum non ordinetur: igitur & liberum arbitrium præcipua animæ dos, & quæ SS. Patres hominem tanquàm imagine Dei insignitum esse existimant, non potest non ordinari ad bonum: quòd si in peccatum aliquando incidat, verissimus casus est, & ut inquit D. Thomas, *instar corruptionis simpliciter*, in 2.dist.25.quæst.1. art.5.ad 2. Atquì divina motione nihil aliud efficitur, nisi quòd voluntas ad bonum ac virtutem applicetur, si ea motio solùm sit in ordine naturæ: vel ad superiorem ordinem, & altius bonum supernaturale evehatur, si in eodem ordine supernaturali divina motione voluntas moveatur: ac præterea efficit motio ut voluntas mota ab eo statu graduque virtutis ad quem evecta est, non excidat: Ergo non potest voluntas, & voluntatis libertas, non maximè perfici, juvari, & roborari motione divina.

Confirmari id etiam potest comparatione omnium habituum. Quis enim inprimìs negaverit, scientiam esse maximam rationis perfectionem, quam ad verum certò infallibiliter attingendum perficit, impeditque ne decipiatur: atque id etiam magìs obtinet in ordine supernaturali, in quo potiores perfectiones sunt. Cui enim in mentem venerit, fidem non esse summam perfectionem, & quâ major conferri non potest homini viatori, quâ ad verum supernaturale evehitur, & prohibetur ab errore; atque universìm cujuslibet potentiæ ultima perfectio est, quòd bonum ad quod ordinatur attingat: Ergo etiam ad libertatis perfectionem non pertinet, quòd à bono excidere possit, sed potiùs ut bonum virtutemque prosequatur: & si motio id efficiat, ut reverà efficere dictum est supra, non potest motio divina non perficere libertatem. Sed

Dices.

Dices. Hôc differre libertatem ab intellectu cæteriſque potentiis ac habitibus, quòd voluntas ſit facultas benè, & malè agendi. Unde aliis potentiis ſumma ineſt neceſſitas attingendi objectum, neque fieri unquàm poteſt, quòd habitus ſcientiæ vel fidei ita inflectantur vel detorqueantur, ut vel ad falſitatem vel ad errorem inclinēt: at verò libertati voluntatis omninò convenit, cùm ſit potentia omninò indifferens, & cujus eſt poſſe benè vel malè, ut ad oppoſita etiam contrariè ferri poſſit.

Verùm lōgè aliud ſenſiſſe D. Thomam arbitramur. Eſſe quidem aliquo ſenſu libertatem facultatem, & benè, & malè agendi omninò fatemur, *Cùm poteſtates rationales ad oppoſita ſe habeant*, ut toties ex Ariſtotele retulit D. Thomas: at parē eſſe utriuſque cōditionem omninò cum eodem S. Doctore, ac Præceptore noſtro pernegamus, cùm nunquàm pertineat *Ad rationem alicujus potētiæ quòd deficiat in ſuo actu, ſicut non pertinet ad rationem potētiæ viſivæ, quòd aliquis obſcurè videat*. Libertas igitur eſt facultas rectè agendi ex ordine, & inſtitutione naturæ, ad bonum ordinata ad quod recto tramite tendit, à quo ſi deflectat vel decidat, non perfectionis, aut inſtitutionis naturæ eſt, ſed defectus: & ut alibi dixit D. Thomas infelix *Caſus eſt ab eo quod eſt naturale ad illud quod eſt innaturale*, quia ſcilicèt quamvìs *liberum arbitrium poſſit in bonum, & malum, tamen per ſe in bonum ordinatum eſt*: Ergo cùm motione Divina voluntas ad bonum virtutemque permoveatur, & prohibeatur ne ab ea ſalutis via recta deflectat, non poteſt non perfici libertas ea Divina motione: ſicut intellectus perficitur fide, qua ad Divinam veritatem manuducitur, & prohibetur ab errore. Quamvìs tamen diſcrimen hoc habitum inter fidei, & Divinam motionem intercedat, quòd habitus infallibiliter actum conjunctum non habeat, quem tamen conjunctum habet motio, ut eſt quædam participatio Divinæ Omnipotentiæ, & impreſſio Divinæ virtutis.

Confirmatur iterum hęc ratio, ex eo quòd quāvìs intelligi poſſet voluntatem ut potentiam planè indifferentem eſſe & ad bonum & ad malum, quod lumen inſtitutioni naturæ repugnat, ut diximus ſuprà, cùm ſemper ad bonum tendat neque mali eſſe poſſit vel ratio, vel intentio, vel cauſa, ut ex S. Dionyſio refert D. Thomas: attamen ut argumenti vis major ſit, quamvìs intelligi poſſit voluntatem ex cupiditate veluti altero pondere deprimente, non ſolùm inter utrumque & bonum & malum paribus momentis libratam, & ſuſpenſam manere, ſed etiam magìs proclivem eſſe ad malum: attamen cùm non poſſit bonum ſemper non præſtare malô, quod eſt privatio boni; etiam dubium eſſe non poteſt, quin nova perfectio libero arbitrio, & voluntati accedat, cùm ad bonum, cupiditate depreſſa, Divina motione evehitur. Sicut quantumvìs intelligi poſſit in aēre ſolam eſſe capacitatem lucis, ac planè aërem indifferentem eſſe vel ut perfundatur luce, vel ut involvatur tenebris; attamen cùm lux potior ſit tenebris etiam dubitari non poteſt, quin ſumma perfectio aëris ſit, quòd perfundatur luce. Atque eo exemplo uſus eſt D. Thomas qu. 24. de verit. art. 8. ubi inquit: *Quòd hoc eſt ex defectu naturæ creatæ, quòd in malum flecti poteſt; & hunc defectum aufert perficiendo naturam gratia: ſicut lux ſuperveniens aëri, aufert obſcuritatem ejus, quam naturaliter ſine luce habet*. Idem habet aliis in locis, ut nos etiam aliàs retulimus.

Confirmatur præterea, & alia D. Thomæ comparatione explicatur. Eſto iterùm ita ſit, liberum arbitrium ex congenita pronitate ad malum fomiteque accenſo, & ut loquitur Sapiens, *malitia naturali*, ſit inclinatum ad malum: attamen non magìs ad malum pronum eſſe poteſt, quàm corpus humanum ſit corruptioni obnoxium: Atquì nihil deperit naturę humani corporis, ſed maxima perfectio acceſſit olim homini innocenti ex immortalitatis dono, quo erat non moriturus, & major accedet ex ea dote qua aliquando mori omninò non poterit: Ergo pari ratione quamvìs liberum arbitrium eſſet omninò inclinatum ad malum morale, aut ea pronitas in bonum ſenſibile etiam adverſum rationi præponderaret inclinationi ad virtutem, & bonum conſonum rationi, reguliſque morum; attamen cùm ex Divina motione à ſenſibili bono ad virtutem moveatur, non poteſt non maximè libertas perfici. Et ea eſt D. Auguſtini comparatio lib. ult. de Civit. Dei cap. ult. Ubi utriuſque & libertatis, & immortalitatis eandem rationem eſſe inquit. *Sicut enim prima immortalitas, fuit*, inquit, *quam peccando Adam perdidit, poſſe non mori, noviſſima erit nō poſſe mori: ita primum liberum arbitrium poſſe non peccare, noviſſimum non poſſe peccare*. Et verò ut jam dixerat: *Nec ideò liberum arbitrium Sancti non habebunt quia peccata eos delectare non poterunt: magìs quippe erit liberum à delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem*. Sed apertiùs hanc rationem habet Sanctus Thomas eâdem citata qu. 24. de verit. in argumento *Sed contra*, ubi ita inquit: *Sicut liberum arbitrium ex ſua natura habet quòd ſit flexibile in malum; ita corpus humanum habet ex ſua natura quòd ſit corruptibile: ſed corpus humanum dono gratiæ efficietur incorruptibile* 1. *ad Corin.* 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: nec quiſquam negaverit maximam ipſius futuram perfectionem: *Ergo etiam liberum arbitrium poteſt per gratiam confirmari in bono*, vel quantùm ad actum Divina motione, ita ut à bono non deflectat; vel quantùm ad potentiam, dono gratiæ conſummatæ, ita ut nunquàm poſſit à bono deflectere: eaque confirmatione aut firmitate, maxima accedit libertati perfectio.

Altera probatio, ſcil. libertatem Divina motione perfici, ex eo quòd motio potentiam peccandi cohibeat, affinis eſt ſuperiori, ſed vim majorem habere videtur, ſi potiſſimùm, quæ aliàs dicta ſunt recolantur, & huc etiam advocentur.

Probatur igitur, Divina motione quæ voluntatem ad charitatem v. g. ita movet, ut infallibiliter,

liter, & liberè tamen actum charitatis eliciat, nec possit potentia consequente peccare, & charitatem amittere, maximè perfici libertatem. Etenim tantùm abest ut potentia peccandi pertineat ad veram libertatem, ut è contrà nihil magis eam deprimat, & lædat, quàm ea peccandi potentia: & ut inquit S. Thomas in 3. dist. 12. qu. 2. *Potentia peccandi secundùm Anselmum non est libertas arbitrii, nec pars libertatis, sed diminuit libertatem*: unde ostendimus suprà, quò minor est ea potentia peccandi, eò perfectior est libertas arbitrii: ideòq; à D. Thoma dictum est, quòd *Major est libertas in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus*, 1. par. qu. 62. artic. 8. unde adeò inter se conjunguntur impotentia peccandi, & libertas arbitrii, ut una ex altera metienda sit: Atquì motione Divina cohibetur ea potentia peccandi, & naturę infirmitas, aut stándi impotentia: quamvìs enim non auferatur, ut ex D. Prospero dictum est, *mutabilitas arbitrii*, neque perfecta impeccabilitas voluntati conferatur; accedit tamen voluntas ad eam firmitatem, & impeccabilitatem Angelorum, & Beatorum, in quibus perfectissima, & consummatissima libertas cum summa impeccabilitate conjuncta est: Ergo Divina motio maximè perficit libertatem. De majori satìs multa dicta sunt aliàs quæ relegi poterunt. Minor verò est S. Thomæ 2.2. quæst. 24. ubi inquit quòd ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum, *Charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est hæc duo simul esse, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*. Ergo motio Divina perficit libertatem, & imaginem aliquam efficit Beatorum impeccabilitatis.

Confirmatur hæc ratio egregia S. Thomæ observatione. Si quod esset periculum lædendæ libertatis, esset maximè ex eo quòd divina motio quãdam necessitatem imponere videatur, aut veriùs firmitatem in bono & quandam Beatę immutabilitatis speciem voluntati conferat: Atquì ea necessitas aut veriùs firmitas, tantùm abest ut auferat libertatem, ut è contra maximè libertatem perficiat: Ergo divina motio perficit libertatem. Minor probatur luculentissimo D. Thomę testimonio ex 3. contra gent. cap. 138. desumpto, ubi agit de *errore eorum qui vota impugnant*. Statim enim objicit sibi argumentum eorum qui existimant temerè agere eos qui ad certum vitæ genus sese voto adstringunt: quia *Unumquodque bonum quantò liberiùs agitur, tantò virtuosiùs esse videtur: quantò autem ex majori necessitate quis ad aliquid observandum adstringitur, tantò minùs liberè id agere videtur. Videtur igitur derogari laudabilitati virtuosorum operum per hoc quòd ex necessitate obedientiæ vel voti fiunt*.

En argumentum eorum qui impetere solent Religiosorum, aut Clericorum vota, quodq; etiam aliquẽ haberet locum in Recentiorum sententia, si ea veris principiis niteretur. Si enim major necessitas, eaque firmitas, quæ ex Divina motione accedit, omninò auferret libertatem; non posset etiam, licèt minùs, non lædere aliqua ex parte eandem libertatem illa quamvìs minor ex votis necessitas, ex communi Logicæ regula, ut comparatur majus ad majus, ita comparatur minus ad minus. Verùm

Respondet D. Thomas, ex ignoratione notionis veræ libertatis, & veræ necessitatis argumentum proficisci: ac tantùm abesse ut hæc imposita necessitas minuat libertatem, ut etiam eam augeat, & perficiat. Unde sic habet D. Thomas. *Videntur autem hujusmodi homines necessitatis rationem ignorare: est enim duplex necessitas, quædam coactionis*; sub qua altera simpliciter dicta necessitas comprehenditur, quæ excludit simpliciter potentiam vel nõ agendi vel aliud agendi: *& hæc* utraq; necessitas, *laudem virtuosorum diminuit, quia voluntario*, seu simpliciter dicto, seu perfecto, & libero, *cõtrariatur. Est autem*, pergit D. Thomas, *quædam necessitas ex interiori inclinatione procedẽs; & hæc laudẽ virtuosi actus non minuit, sed auget; facit enim voluntatẽ magis intensè tendere in actũ virtutis. Patet enim quod habitus virtutis quãtò fuerit perfectior, tantò vehementiùs voluntatẽ facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere, Quòd si ad finem perfectionis devenerit, quandã necessitatem infert ad bene agendum: sicut est in Beatis qui peccare non possunt: nec propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actûs bonitati*. Hæc D. Thomas: ex quibus manifestum est, non omnem necessitatem auferre libertatem, sed eam solùm quæ aufert potentiam, vel omninò non agendi, vel etiam aliud agendi: eam verò quæ relicta hac facultate, aufert solùm aut minuit potentiam peccandi, & confert firmitatem in bono, & imaginem efficit, quamvìs maculis obscuratam, illius æternæ, & beatæ immutabilitatis Angelorum; illa maximè perficit libertatem: & ea est quę oritur ex habitibus, ex votis, ac major etiam ex ipsa divina motione; sub qua licet peccare quidem possit voluntas, nunquàm tamen peccatura est: Tantùm enim abest ut hæc vel minimùm lædat libertatem, ut è contra hęc firmitas & immutabilitas libertatis maxima perfectio sit: & ut inquit D. Thomas, *Impotentia peccandi, quæ est ex perfectione in bonitate*, libertatem non aufert, *sed ponit voluntatem confirmatam in bono* in 3. dist. 12. qu. 2. art. 1. Vide quæ suprà dicta sunt de variis statibus, & gradibus libertatis. Unde idem de libertate perfecta ac de felicitate videtur esse dicendum. At verò inquit D. Thomas, *Immobilitas est de ratione felicitatis, ut dicit Philosoph. 1. Ethi. cap. 10. non enim existimandum est felicem esse etiam chamaleonta*, in 2. dist. 7. quæst. 1 art. 1.

Confirmatur ex D. Augustino, à quo dubitari non potest quin S. Thomas sua principia desumpserit. Perpetuò enim Sanctus Augustinus inculcat, veram perfectamque libertatem ex Divina gratia oriri, neque laudabiliter *esse liberum nisi quod fuerit Dei gratiâ liberatum*, lib. 1. operis

ult.

ult. cont. Julian. cap. 78. Atque id ex Scriptura Sacra deducit Joan. 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*: Quæ contendit de vera, & propria libertate debere intelligi; ideò que & veræ libertati peccatum repugnare: quia *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Ibid. Quæ Divi Auguſtini principia apertis validiſque rationibus ex ipſius libertatis conditione demonſtrat Sanctus Thomas. Quòd cùm libertas per ſe ad bonum ordinata ſit, non poſſit libertatem non perficere, quod eam ad bonum, & virtutem promovet: adeòque nec poteſt peccatum non eſſe *impeditivum, & corruptivum libertatis*, ut loquitur in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. ult. Unde *potentia peccandi ſecundùm Anſelmum non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ſed diminuit libertatem*, in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. quod extra omne dubium poſuiſſe videtur Sanctiſſimum Concilium Tridentinum, à quo dictum eſt, *Liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum eſſe*, ſeſſ. 6. c. 1. Atquì ex jiſdem principiis contendit Divus Auguſtinus, majorem, & perfectiorem in Adamo quàm in poſteris libertatem fuiſſe, lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 2. *Libertas quidem*, inquit, *periit per peccatum; ſed illa quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam*. Major enim erat cùm nihil voluntatem retardaret, quàm cùm corruptæ naturæ pondere voluntas in peccatum trahitur: quam rationem habet S. Thomas in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 4. *Cùm in ſtatu innocentiæ*, inquit, *nihil ad bonum impediret, videtur quòd liberum arbitrium augeatur, & minuatur*. In juſtis etiam majorem eſſe quàm peccatoribus affirmat D. Auguſtinus. Et quidem *Uſque adeò in peccatore liberum arbitrium non periit, ut per illud peccent maximè omnes qui delectatione peccant, & amore peccant, & eis placet quod eis libet*. Ibid. Verùm perfectâ libertatem quæ juſtorum eſt, & filiorum Dei, non habent niſi hi quos gratia liberaverit: quia *liberi à juſtitia* (ſeu ſervi peccati) *non ſunt niſi arbitrio libertatis; liberi autem à peccato non fiunt, niſi gratiâ Salvatoris*. Quam etiam rationem habet idem D. Thomas, & eodem loco. *Non redimitur*, inquit, *niſi quod in ſervitute fuit; ſed per ſanguinem Chriſti redempti ſumus, ut dicitur 1. Petr. Ergo per peccatum in ſervitutem trahimur, & ita libertas minuitur*. Unde obſervat D. Auguſtinus ibidem quòd *Admirabilis Doctor* D. Paulus *etiam ipſa verba diſcrevit*; cùm enim dixiſſet ad Roman. 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ*: deinde verba mutat, *Nunc autem liberati à peccato, ſervi autem facti Deo: Liberos*, inquit, *dixit Apoſtolus, juſtitiæ, non liberatos: à peccato autem non liberos, ne ſibi hoc tribuerent, ſed vigilantiſſimè maluit dicere liberatos, referens hæc ad eam Domini ſententiam; Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*. Nimirùm, eo ſenſu D. Paulum intellexit S. Auguſtinus, quòd vera libertatis perfectio ex ipſa gratia oriretur. Atque eâ ratione ex ſeverioris Theologiæ principiis deſumptâ, gratiâ non lædi, ſed perfici libertatem defendit S. Doctor, eamque cum vera ſanitate animæ eſſe conjunctam. *Sicut*, inquit lib. de perfect. juſtit. cap. 4. *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus: ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis: ut ei dicat gratulatio libertatis:* „ *Salvaſti de neceſſitatibus animam meam;* „ *ipſa enim ſanitas eſt vera libertas*. Eodemque ſenſu Epiſt. 89. *Voluntas*, inquit, *libera tantò liberior eſt quantò ſanior, tantò autem ſanior quantò Divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior*. Quis verò exiſtimet ad ſanitatem pertinere peccandi potentiam, quæ non poteſt ex infirmitate non oriri, & quæ veriùs impotentia dicenda eſt. Et ſi quæ potentia ſit, de ea rectè dicendum cum S. Auguſtino in illud Pſal. 58. *Irruerunt in me fortes; Fortitudo iſta non ſanitatis eſt ſed inſaniæ; nam & phreneticis nihil fortius, valentiores ſunt ſanis: ſed quantò majores vires, tantò mors vicinior*. Igitur, ut inquit idem D. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 8. *Voluntas non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ libertatem*. Quod, ut diximus, in rigore Theologiæ verum habet: cùm perfecta libertas adhæſionem ad ultimum finem, inclinationem ad bonum, immunitatem à peccato conjunctam habeat. Unde contendebat S. Doctor, ab his impugnari libertatem, qui Divinæ gratiæ jura lædebant, cùm adeò libertas, & gratia connectantur, ut quò magìs vis gratiæ minuitur, etiam & vis liberi arbitrii minuatur. *Quomodò*, inquit Epiſt. 108. *dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſub libera credere voluntate; cùm potiùs ipſi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant gratiam Dei, quâ verè ad bona eligenda, & agenda ſit liberum*.

Hæc ex S. Auguſtino, ex quo plurima ejuſmodi promptum eſſet colligere, cùm ubique occurrant: quibus tamen ſupponit ſemper integram manere libertatem indifferentiæ, & à neceſſitate immunitatem, cui ſuperaddi nova perfectio ex Divina gratia poſſit. Quin imò & aliquo ſenſu admittit S. Doctor quod à Juliano dictum fuerat, libertatem æqua lance veluti ſuſpenſam in utramque partem ferri poſſe, *Tam bonum certè*, inquit, *quàm malum homo ex propria voluntate, ſicut dicis facit, & utriuſque in illo poſſibilitas æqua lance libratur, & ad benè faciendum Deus adjutorium ſubminiſtrat*. lib. 5. contra Julian. Op. ult. c. 78. Sed eo ſenſu intelligit quo dictum eſt vitam, & mortem eſſe in manu hominis: ſeu hominem liberi eſſe arbitrii. Nam alioquin D. Bernard. lib. de grat. & liber. arbit. quo medullam omnium quæ D. Auguſtinus ſcripſit de hac controverſia, expreſſit, rectè advertit: *Nemo putet, ideò dictum liberum arbitrium, quòd æqua inter bonum, & malum poteſtate aut facultate verſetur: cùm cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere niſi per Domini ſpiritum*: Et tandem *Liberum arbitrium viribus eſſe inclinatum, & attenuatum* dubitari non poſſit, cùm à Tridentino ita definitum eſt.

ARTI-

ARTICULUS V.

Altera probatio ex parte ipsius Dei: Divina motione perfici libertatem, quia ipsam efficit: quia imprimit inclinationem consentaneam.

NOn potest non esse hæc ratio potissima, cùm omnia quæ sunt, & quoquomodo sunt non possint in Deum, ut in primam causam non reduci, quæ res productas servat, & movet: & mirum esset, libertatem quæ non alium authorem quàm Deum agnoscit, inter ipsius conditoris manus expirare: & cùm cætera omnia multò perfectiora evadant cùm ad Deum revocantur; libertatem solam imperfectiorem evadere, cùm Deo obtemperaret, & ab eo moveretur. Probatur igitur eo principio, quod perpetuò in hac controversia revocat D. Thomas, scilicèt ad Divinam providentiam pertinere ut res omnes juxta earum exigentiam administret, & moveat, ita ut in rebus ipsis gradus omnes quibus inter se distinguuntur, necessitatem, contingentiam, & libertatem efficiat. Principium hoc statuit Sanctus Thomas 1.2.ubi cùm quæstione 9. egisset de principio quo voluntas movetur: deinde quæstione 10. agit de modo quo movetur voluntas, statuitque moveri ab intellectu ut proponit objectum, unde oritur specificatio actûs; ab appetitu sensitivo ut passionibus variè inclinatur: unde varia oritur objectorum convenientia. Demum articulo ultimo resolvit, *Utrùm voluntas moveatur de necessitate ab exteriori principio quod est Deus?* id est, utrùm sub ipsa Divina motione, qua voluntatem à Deo moveri dixerat, voluntas libertatem servet; ubi propria sedes erat hujus difficultatis quam versamus explicandæ. Atque ut quæstionem resolvat, ita respondet, probatque hôc principio, quod semper præ oculis habendum est, Deum & movere voluntatem, & libertatem servare. *Respondeo Dicendum, Quod sicut Dionisius dicit cap. 4. de Divinis Nominibus, ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessariis per motionem Divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingẽtibus sequũtur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activuũ principium, nõ determinatum ad unũ, sed indifferenter se habẽs ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.* Hæc D. Thomas. Inde igitur probandum est effici perficiq; libertatem, cùm Deus voluntatem sive per Divinam motionem in ordine naturali, sive per gratiam in ordine supernaturali movet: quia cùm ad *Divinam providentiam naturam rerum servare pertineat, etiam omnia movet secundùm eorum conditionem*: ita quòd *ex causis contingentibus*, & liberis *sequantur effectus contingentes*, & liberi; non ex solo concomitante concursu, non ex prævisione eventus futuri, non ex collectione causarum; sed *per* ipsam *motionem Divinam*. Ad providentiam enim Divinam pertinet varios contingentiæ, & libertatis gradus quibus universum distinguitur, & ornatur dispensare. Et si Divina potentia eos gradus potuit efficere, cur etiã servare non possit? Et si *per Divinam motionem* Deus efficiat in rebus contingentiam, cur etiam *per Divinam motionem* non efficiat in voluntate libertatem? Quòd si forsitan modus hic Divinam motionem cum libertate jungendi, satis intelligi non posset, *Numquid*, ut in simili inquit D. Augustinus, *negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est.* lib. de dono persever. cap. 15. Satis igitur est: quòd *cùm voluntas*, ut inquit D. Thomas, *sit activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus eam movet, quòd nõ ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens*, & liber. Idque efficit non veluti remotè solùm, quia præparat causas contingentes, & liberas: sed etiam proximè, *per divinam motionem*.

Confirmatur altero luculentissimo S. Thomæ testimonio, ejusque ratione in primo Perihermen. cap. 14. Ubi cùm dixisset, videri quòd *omnia ex necessitate accidant*, non solùm *ex parte scientiæ Divinæ quæ falli non potest*, sed & maximè ex parte Divinæ *voluntatis quæ inefficax esse non potest. Inde videtur*, inquit, *quòd omnia quæ vult, ex necessitate eveniãt.* Verùm, observat D. Thomas, *Quòd procedunt hæ objectiones, ex eo quòd cognitio Divini intellectus, & operatio Divinæ voluntatis pensantur ad modum eorum, quæ in nobis sunt.* Cùm enim, ut posteà explicat, *humana voluntas aut omnis alia causa jam cadat sub ordine necessitatis aut contingentiæ*, ipsiusque legibus subjiciatur; necesse est parem esse, & causæ, & effectus conditionem: *& ideò oportet quòd vel ipsa causa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius*: nec contingere unquàm potest, quòd ex causa contingenti libera ut libera, effectûs necessarius; vel ex causa necessaria, effectus contingens, & liber oriatur. At verò cùm Divina voluntas extra, & supra totum ordinem rerum constituta sit; supra necessitatem, supra contingentiam, super libertatem, posita est; & eos omnes gradus in rebus dispensat, proût exigit ordo rerum quem ipsa constituit. Ideòque, inquit Sanctus Thomas, *Voluntas Divina indifferens est, & tamen non omnes effectus ejus sunt necessarii, sed quidam contingentes*, & quidam liberi. Atque hac observatione præmissa, & discrimine constituto inter Deum primam causam, ac inferiores omnes causas. Ita

Probat D. Thomas, Divinam voluntatem gradus omnes rerum ac perfectiores efficere. Etenim, inquit, ita *Voluntas Divina est intelligẽda ut sit extra ordinem entium existens, velut causa*

quædam

quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. At verò, ſubjicit, varii ſunt gradus rerũ, & variæ differentiæ, omniaque ſub hoc duplici membro comprehendit: *Sunt autem differentiæ entis, poſſibile, & neceſſarium*: & ſub poſſibili contingens, & liberum comprehenduntur. Unde proſequitur ibidem. *Et ideò ex ipſa voluntate Divina originantur neceſſitas, & contingentia in rebus, & diſtinctio utriuſque ſecundùm rationem proximarum cauſarum.* Cùm enim Deus prima cauſa, totum ens veluti immenſum entis pelagus profundat; neceſſe eſt quòd omnes gradus entis in res ipſas effundat, eoſque efficiat: & neceſſitatem, & contingentiam, & libertatem, & quæcumque eſſe poſſit diſtinctio aut diſtinctionis gradus inter cauſas. Nec verò quamvis omnes hujuſmodi gradus ab eadem omninò cauſa, & neceſſaria, & in ſe ſe indeficiente, oriantur; ideò omnes neceſſarii ſunt: quia ut eorum graduum diſtinctionem, & varietatem in orbe efficeret, & univerſum gradus omnes rerum complecteretur, varias etiam, & diverſæ conditionis cauſas produxit, quarum reſpectu effectus vel neceſſarii vel cõtingentes dicerentur. Unde ſtatim ſubjicit idem D. Thomas. *Ad effectus enim quos voluit neceſſarios eſſe, diſpoſuit cauſas neceſſarias; ad effectus autem quos voluit contingentes, ordinavit cauſas contingenter agentes, ideſt potentes deficere. Et ſecundùm harum conditionem cauſarum, effectus dicuntur vel neceſſarii, vel contingentes, quamvis omnes dependeant à voluntate, ſicut à prima cauſa quæ tranſcendit ordinem neceſſitatis, & contingentiæ.* Atque adeò utrumque gradum, ut voluerit diſpenſat in rebus. Neque enim, ut addit Sãctus Doctor quæſt. 23. de verit. art. 5. *Dicimus quòd aliqui Divinorum effectuum ſint contingentes ſolummodò propter contingentiam cauſarum ſecundarum, ſed magìs propter diſpoſitionem Divinæ voluntatis*: quæ ſcilicèt etiam immediatè eos gradus in rebus ad complementum univerſi immediatè efficit. Sed de his alibi Diſſertat. 3. iterùm erit agendum. Vide etiam 1. par. qu. 22.

Igitur ut recta cogitatio, & quæ primæ cauſæ amplitudinem, univerſalitatem, & celſitudinem deceat, habeatur; exiſtimandum eſt, & extra & ſupra totum ordinem rerum eſſe *immenſum* aliquod, nedum ſubſtantiæ, ut à S. Damaſceno dictum eſt, refertque D. Thomas 1. par. quæſt. 12. ſed etiam totius entis *pelagus*. Totum enim eſſe, ut inquit S. Dionyſius, Deus prima cauſa *in ſe ſe occupat*, quia extra Deum nihil eſt, neque aliquid eſſe poteſt, niſi aliqua hujus participatione. At verò immenſum hoc entis pelagus perpetuò in rebus omnibus primam rationem entis, omneſque ejus differentias, graduſque profundit, cauſas omnes conſtituit, ac in varias claſſes diſtinxit, eâque rerum varia ſerie ordinem totius univerſi conſtituit: ac deinde in ipſis cauſis ſecundis juxta variam rerum conditionem & exigentiam, ſemper actu cauſas omnes movet, & collatas virtutes ad ſuos actus effectuſque applicat, atque eam perfectionem quòd agant, in ipſis efficit, quatenùs virtutes activas principiaque actionum ab actu primo ad ſecundum revocat, & reducit: in ipſiſque actibus, & effectibus juxta cauſarum exigentiam efficit, & ut loquitur idem S. Thomas ad ſummam illam plenitudinem, abundantiam, ac bonitatem etiam ſui diffuſivam expreſſiori verbo ſignificandam, *profundit* in rebus, & in cauſis contingentibus ipſam contingentiam, in cauſis verò liberis libertatem. Quo fit ut ſi hic perpetuus influxus primę cauſę moventis, applicantis, & efficientis, momentò ſiſteretur, omnia diſſepta ſuo fonte fatiſcerent, ut aliàs ex Boëtio diximus: neque *Ulla eſſet ſtatio in terris, hæreretque vagus mundus ſtandoque rigeret*: omniſque motus ſiſteretur. Hæc ſi quis, ut par eſt, animadvertat, jiſque intendat animum, quantùm, ut arbitror, humano ingenio capi poteſt, controverſiam omnem, & quod in ea difficilius eſt, virtutis divinæ efficaciam, & cum libertate concordiam duce S. Thoma intelliget.

Confirmatur iterùm ex D. Thoma eadem ratio. Perfectio libertatis eſt ipſum libertatis exercitium: Atquì hoc exercitium libertatis divina motio efficit: Ergo, & divina motio efficit perfectiorem libertatem, ſeu libertatem perficit. Minor jam ex ſuperioribus liquet: cùm illud libertatis exercitium ſit ipſe modus, aut gradus, & perfectio libertatis actualis & in actu, dum voluntas actum elicit: Atquì eum gradum, & perfectionem divina voluntas, & quidem *per Divinam motionem* efficit, & *profundit*. Sed prętereà tota hæc Argumentatio ex D. Thoma deſumitur in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. ubi reſolvit voluntatem non poſſe cogi. Cùm enim hoc ſibi argumentum oppoſuiſſet. *Quod immutatur ab aliquo agente, cogitur: ſed ut dicit gloſſa ad Rom. Deus poteſt immutare voluntatem hominum in quodcumq; voluerit. Ergo videtur quòd voluntas à Deo cogi poſſit, & ita liberum arbitrium.* Ubi animadvertendum eſt, utrùm ſinat argumentũ, quòd exiſtimemus D. Thomam vel de concurſu ſimultaneo qui nihil voluntati imprimit, vel de ſola motione morali quæ ſolùm voluntati blanditur, & blanditiis attrahit; hanc immutati onem intelligi, quæ tanta eſt ut de ea dubitari poſſit, nùm voluntati vim inferat, eamque omninò cogat, aut ſaltem neceſſitate ad actum impellat: de utraque enim coactione D. Thomas intelligit. Reſpondet verò Sanctus Doctor. *Dicendum, quòd Deus operatur in voluntate, & libero arbitrio ſecundùm ejus exigentiam; unde etiamſi voluntatem in aliud mutet, nihilominùs tamen hoc ſuâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur, voluntariè velit, & ita coactionis*, & neceſſitatis *ratio tollitur*. Igitur ex D. Thoma, hoc Deus in libero arbitrio efficit in quo ſedes eſt libertatis, quòd dum etiam movetur, & immutatur, non coactè ſed voluntariè, non neceſſariò ſed liberè voluntas velit: atq; id Deus efficit, quia dum *operatur in voluntate, hoc ſuâ omnipotentiâ facit*. Quo vel unico verbo, ſi D. Thomas judex audiatur, lis omnis finita

esse possit. Quòd enim moveatur voluntas, quòd dum movetur libertatem servet, atque utrumq; conjungatur, *Deus hoc suâ Omnipotentiâ facit*. Quid aliud quæri potest? Adde tamen quod inquit iterùm D. Thomas q. 2. de Malo a. 2. Cùm volũtas seipsam movet, *Non excluditur quin ab alio moveatur à quo habet quòd seipsam moveat*: & in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *Deus voluntati agendi efficaciam confert, & influit ut agat*. Et alia ejusmodi quæ sæpiùs aliàs retulimus, & quæ significant hoc ipsum quòd voluntas agat, ex ipsa divinæ motionis vi, quâ voluntatem applicat, & determinat, oriri.

Altera probatio ex eodem principio desumitur quod jam statuimus, quodque nemo negare possit, quamvìs plurimi, ut suæ causæ favere possit, variè applicare, & inflectere soleant: ad Divinam scilicèt Providentiam pertinere, ut constitutam jam naturam incolumem servet, foveatque; & perfectiones jam concessas non auferat, sed quantùm natura pati potest, magis promoveat. Inde igitur divina motione perfici libertatem, sic

Probatur. Non potest non perfici libertas divina motione, si nihil aliud efficiat ea motio, quàm ut inclinationem jam à natura inditam voluntati, altera inclinatione superaddita, & ad eundem finem impellat, ad quem ex ipsa natura impellitur jam, & inclinatur, & tendit: Atquì & hoc propriissimùm est motionis munus, quâ Deus voluntatem movet, & regit, ut nimirùm ad bonum moveat, & ad ultimum finem, ad quem ipsa jam voluntas sponte sua, impresso naturæ pondere inclinatur: & inde oritur illud Divinæ Sapientiæ ac Providentiæ temperamentum à Sapiente commendatum, quo *fortiter* quidem, & immutabiliter voluntas movetur, & ducitur, propter efficaciam virtutis divinæ; sed tamen *suaviter*, liberrimè, & consentaneè ad conditionem voluntatis, propter suavitatem ejusdem divinæ motionis: Ergo. Utraque propositio ex Divi Thomæ discursu quem subjungimus, probatur. Etenim 1. par. quæst. 103. art. 8. ubi de gubernatione agit, probat nihil reniti divinæ gubernationi, ea ratione, quòd si quis ordinem Divinæ Sapientiæ quæ regit orbem in communi attendat, animadvertet, *Quòd ordo divinæ gubernationis totaliter in bonum tendit, & unaquæque res in sua operatione, & conatu non tendit nisi ad bonum: nullus enim respiciens ad malum operatur, ut D. Dionysius dicit.* Ac præterea, si quis etiam cujuslibet rei peculiarem, & singularem motum inspiciat, mox animadvertet, quòd omnis inclinatio *alicujus rei, vel naturalis, vel voluntaria*, vel libera, *nihil aliud est quàm quædam impressio à primo movente; sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatum, nihil aliud est quàm quædam impressio à sagittante*: Atquì Deus in cujus manu voluntas est quasi sagitta electa, non ad aliud impellere voluntatem potest, quàm ad bonum, quod est totius gubernationis finis: Ergo, & divina motione voluntas ad illud dumtaxàt tendit, ad quod jam sponte suaque congenita inclinatione tendit ac fertur. Neque divina motio aliquid adversum, aut non consentaneum voluntati superaddit, quod ipsi grave onerique esse possit, sed novam inclinationem actualem superaddit inclinationi ex natura impressæ, quâ voluntas ad bonum impellitur: unde non potest in illud non liberrimè ferri. Atque ideò rectè subjungit D. Thomas. *Unde omnia quæ aguntur vel naturaliter, vel voluntariè, quasi propria sponte perveniunt in id ad quod divinitùs ordinantur: & ideò dicitur Deus omnia disponere suaviter.* Omninò egregiè dictum, *Quasi propria sponte*: Verissimè enim ita voluntas agit ac si nullo modo à Deo moveretur. Non persentit enim se moveri, & se impelli, quia consentaneè ad ejus naturam impellitur. Persentit solùm eam inclinationem quâ accenditur, & quâ fertur versùs objectum; sed adeò suavis est ea impulsio, ut non aliunde quàm ab ipsa sola voluntate oriri videatur. Quamvìs tamen interdùm animæ piæ moveri se, & impelli persentire possint, ut notat D. Thomas opusc. 60. cap. 24. de Adventu Verbi Divini in animam, & refert ex S. Bernardo. Interdùm enim etiam voluntas, cùm languet, & torpet, momentò se divinâ gratiâ sentit accendi, quæ, ut inquit D. Bernardus, excitavit *dormitantem animam meam, movit, & emollivit, vulneravit cor meum*: & eo pacto inquit se Divini Verbi præsentiam persensisse. Sed tamen solitus, & velutì connaturalis modus quo anima impellitur, ita fit, ut *quasi propria sponte*, & non alio impellente voluntas moveri videatur. Unde parùm consultò ab aliquibus objectum est. *Nullum esse hujus motionis indicium*: nam præter quòd ex ipsa operatione satis cognoscitur, potissimùm cùm anima ex donis Spiritus Sancti agit, de quo alibi; nihil mirum est, quia sub divina motione voluntas *quasi propria sponte* agit, ac sià nullo alio moveretur, quia divina motio propriam non impedit. Atque inde summa illa divinæ motionis suavitas oritur: ut de motione sicut de amore dicendum sit, non esse graviorem voluntati quàm sint pennæ volucri, quibus non gravatur aut deprimitur, sed è cõtra sublevatur.

Confirmatur ex eodem S. Thoma quæst. 22. de Volunt. a. 8. ubi probat, voluntatem à Deo cogi non posse; quia cùm jam voluntas omnium prima, & essentialis inclinatio sit, quâ natura intellectualis ad bonum, & finem ultimum tẽdit; atq; omnis etiam actus voluntatis sit quędam actualis ipsius voluntatis inclinatio; *Cùm Deus voluntatem immutat, facit ut præcedenti inclinationi, actuali succedat alia* actualis *inclinatio; & ita quòd prima auferatur, & secunda maneat. Unde illud ad quod inducit voluntatem, non est cõtrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi quę priùs inerat.* Quia sicut objecta particularia inter se se diversa sunt; ita & actus voluntatis diversi, ac interdùm inter se se oppositi sunt: attamen nunquàm adversi ipsi voluntati esse possunt, cùm quilibet sit inclinatio quædam actualis superaddita incli-

inclinationi voluntatis, quæ prima omnium inclinatio est. Unde nulla potest vis inferri voluntati: & ut inquit D. Bernard. lib. de gratia, & lib. arbitrio: *Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, ut nunquàm amittat libertatē.* Cùm enim Deus, ut posteà inquit, *de malo mutat voluntatem in bonum, transfert, non aufert libertatē.* Atq; id explicat exēplo Divus Thomas. *Sicut lapidi*, inquit, *ratione suæ gravitatis inest inclinatio ad locum deorsum: hac autem inclinatione manente, si sursum projiciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis; tunc ferri sursum non erit ei violentum: & ita immutatio motûs potest esse sine violentia.* Atquì ita contingit, inquit D. Thomas: *Per hunc enim modum intelligendum est, quòd Deus voluntatē immutat, sine eo quòd voluntatē cogat*: nimirùm quia hæc immutatio fit ab una inclinatione in aliam. Atque ita summa semper suavitate movetur, duciturque voluntas; cùm non nisi & inclinatione, & amore, & delectatione ducatur; & ut statim ex S. Augustino dicendum est, hoc solùm Deus sua motione efficiat, ut voluntas una delectatione alteram delectationem vincat: quo sanè nihil intelligi potest opportuniùs, ut explicetur facilè motione Divina nullam vim inferri libertati, sed multò magis perfici.

Sed dices, hac ratione probari equidem, omnia in Deum spontè tendere ac moveri, eamque voluntatis inclinationem perfici, & augeri, non perfici tamen libertatem, sed lædi potiùs aut omninò destrui; quia ea motione impressa, non potest voluntas non impelli necessariò, cùm reniti non possit motioni impellenti, sitque instar sagittæ, quæ ad scopum necessariò tendit ac fertur, ad quem à jaculante dirigitur.

Verùm nihil hæc responsio efficit: supponenda enim alia sunt quæ alibi præmisimus, nimirùm quòd cùm hæc inclinatio non nisi ad bonum aliquod dumtaxàt particulare feratur, quod totam voluntatis capacitatem replere non potest; necesse sit, ut circa ejusmodi objectum voluntas omninò libertatem exerceat: unde ejusmodi inclinatio non potest non esse liberrima. Dictum enim est à D. Thoma 1. par. qu. 105. art. 4. quòd *Sufficiēter*, & necessariò, *aliquid movere nō potest aliquod mobile, nisi virtus activa moventis excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis: at verò*, subdit D. Thomas, *virtus passiva voluntatis se extendit ad bonum universale: quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum, solus autem Deus est bonum universale: unde ipse solus Deus implet voluntatem, & sufficienter*, ac necessariò *illam movet*. Ubi animadverti potest, sufficientis nomine eo loco intelligi completissimam causam, & præter quam non requiritur alia: quod non est infrequens apud D. Thomam, de quo alibi. Unde instauratur argumentum, &

Confirmatur: Non potest non perfici Divina motione libertas, & summa suavitate regi, ac duci, si hoc solùm efficiat, ut cùm immutat voluntatem, & v. g. convertit hominem ab amore voluptatum, ad amorem castitatis, uni inclinationi liberæ quâ voluntas voluptatem amabat, altera inclinatio aut libera aut etiam liberior succedat, quâ castitatem amet: Atquì, ut etiam ex D. Bernardo jam diximus, illud dumtaxàt efficit motio divina, dum voluntatem immutat, ut inclinatio inclinationi, amor amori, delectatio delectationi succedat, & major semper minorem vincat ac superet, eamque excludat: Ergo non potest divina motio non perficere libertatem. Atque in eo positum est illud Divinæ Sapientiæ temperamentum, quæ *attingit* ab uno *fine* ad alterum *finem*, immutat ab uno objecto ad alterum objectum *fortiter, & disponit omnia suaviter*.

Confirmatur iterùm ac explicatur magìs hæc divinæ gubernationis, divinæque motionis suavitas ex S. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. Unde sic iterùm formatur eadem ratio superiùs posita. Non potest non perfici libertas, si non ad alium finem divina motione impellatur, nisi ad eundem ad quem jam ipse sua sponte fertur ac tendit. Ideò enim habitus superadditi potentiis ipsis connaturales fiunt, easque perficiunt; quia non ad aliud objectum ferunt, quàm ad illud idem ad quod potentiæ sua sponte feruntur; atque ut ferantur promptiùs, ac etiam suaviùs, majorem vim potentiis superaddunt; hoc enim propriissimum esse habituum munus constat ex Aristotele, & explicat D. Thomas 1. 2. qu. 49. Atquì etiam divina motio nihil aliud efficit, quàm ut impellat voluntatem ad bonum, ad quod jam ipsa ut prima naturæ inclinatio sua sponte ac ultrò fertur: Ergo. Ita verò habet D. Thomas. Respondeo: *Dicendum, quòd in omni ordine mobilium, & motorum oportet, secundos motores ordinari in finem primi motoris, per dispositionem impressam in eis à primo motore: sicut patet cùm anima movet manum, & manus baculum, & baculus percutit, quod est finis intentus ab anima; baculus & manus tēdunt ad finem ab anima intentum, per hoc quòd anima in eis imprimit mediatè vel immediatè.* Aptissimum exemplum, quo tota de motione, & libertate controversia resolvi potest. Etenim si libertatis capax esse manus posset, nihil dubium quòd cùm ab anima movetur, nullum hęc motio manui vim inferret, nec ejus libertatē minueret; idque duplici ratione: *Primò*, quia non posset non esse subordinata libertas manus, libertati animæ: esset idem velle, esset idem nolle, quia nec motum ullum habere posset nisi influxu animæ. Cùm enim anima sit instar radicis cui manus inseritur; ab ea manus vim omnem agendi, motum omnem, ac perfectionem recipit, & summum esset manûs malum, si ab animæ præstituto ordine unquàm deficeret: Ergo multò potiori ratione, cùm Deus animæ intimiùs unitus ac conjunctus sit quàm anima manui, siquidem ex D. Augustino, quem refert S. Thomas, Deus intimior est intimo nostro, ac magìs anima ab ipsius Dei influxu dependet, quàm manus ab

influxu animæ; si influxus animæ in ipsam manum quam movet, hanc secundam & inferiorem libertatem manûs, si quæ illi inesse posset, non læderet sed perficeret: etiam multò potiori ratione, ut diximus, influxus Dei & motio quâ voluntatem libertatemque movet, non poterit eam non perficere. *Secundò*. Altera ratione nullo modo lædi posset libertas manûs, si quæ illi inesset, motione animæ: quia cùm non alium finem universìm pars omnis habere possit, quàm finem totius, necesse est ut in ipsum finem ipsius animæ, hęc inclinatio manûs tendat. Unde pars quælibet universi, etiam cum sui detrimento, se exponit ad tuendum, conservandumque bonum totius: unde oritur fuga vacui: & pro tuenda Republica civis occumbit; ideòque & dulce & decorum est pro patria mori: & manus exponit se se, naturæ motu ac inclinatione, ad tuendum caput, ut inquit, & explicat D. Thomas 1.par.qu.60. art. 5. Unde cùm anima movet manum, non potest ad alium finem manum impellere, quàm ad eundem finem, ad quem jam manus communi, & universali inclinatione fertur. Cùm enim *Anima movet manum, manus tendit ad finem ab anima intentum, per hoc quod anima ei imprimit mediatè*, influxu scilicèt spirituum animalium quibus movetur manûs: Ergo cùm etiam Deus voluntatem moveat ad eundem finem ad quem jam ipsa voluntas naturæ inclinatione fertur, non potest ea motio divina non perficere volũtatis libertatem. Atque ea motio simillima est spiritibus vitalibus quibus ab anima manus movetur; & quæ si deficeret non minùs languida esset voluntas, & iners, quàm languida esset manus, nisi spiritibus effusis moveretur: unde à D. Augustino rectè dictum est de Genes. ad lit. c. 21. *Quisquis intelligere conatur, quemadmodùm Deus moveat creaturam, non eum puto posse assequi, nisi priùs intellexerit quemadmodùm anima, hoc est spiritus creatus moveat corpus.* Ea comparatione facilè quæcumque ad hanc controversiam de divina motione pertinent, intelligi posse, Differt. prima integro articulo satìs prosecuti sumus.

Confirmatur demùm ex eodem D. Thoma, & observatione discriminis quod intercedit inter motum violentum, & naturalem. *Hoc enim*, inquit, *distat in motibus naturalibus, & violentis, quòd in motibus violentis impressio relicta à primo motore in secundis motoribus, est præter naturam eorũ, & ideò operatio consequens ex tali impressione est eis difficilis & laboriosa: sed in motibus naturalibus impressio relicta à primo motore in secundis motoribus est eis causa naturalis: & ideò operatio hanc impressionem consequens, est cõveniens, & suavis, & ideò dicitur Sap. 8. quia Deus omnia suaviter disponit. Quia & unaquæque res ex natura sibi divinitùs indita tendit in id ad quod per Divinam Providentiam ordinatur secũdùm exigentiam impressionis receptæ. Et quia omnia procedunt à Deo inquantùm bonus est, ut dicit Augustinus* lib. 11. de Civit. Dei c. 22. *& Dionysius* de Divin. Nomin. cap. 4. *Ideò omnia creata secundùm impressionem à creatore receptam inclinantur in bonum appetendum secundùm suũ modum: ut sic in rebus quędã circulatio inveniatur, dum à bono egredientia in bonum tendunt.* Hactenùs D. Thomas, quibus clarissimè explicatur, divina motione non lędi libertatem, sed omninò perfici; ea apertissima ratione: quia non potest non perfici libertas motione divina, si ea motio nihil aliud efficiat, nisi quòd addat novam inclinationem primæ inclinationi ipsius voluntatis, eique consentaneam, & velutì homogeneam: & ad eundem finem voluntatem moveat ad quem jam ipsa sponte fertur: Atquì ita est: voluntas enim jam *secundùm impressionem à creatore receptam, sibique congenitam*, in bonum tendit: cùm verò deinde movetur, etiam ex vi hujus *impressionis receptæ* ad bonum impellitur. Ergo illa *operatio consequens ex tali impressione* non potest esse *difficilis, & laboriosa, sed suavis*. Et cùm aliunde tendat ad objectum particulare, vel *ad bonum simpliciter*, quod tamen potest esse *malum apparens*, ut alibì dixit D. Thomas, non potest ea actio non esse liberrima.

Sed in his omnibus observari velim quid ista significent, quæ toties repetit D. Thomas, *Dispositionem esse impressam à primo motore: impressionem esse relictam à primo motore: à primo motore imprimi &c.* Quid, inquam, ista significent, nisi reipsà significent impressum aliquem motum, & influxum, aut ut alibì dixit sæpiùs, *influentiam* in causa secunda, & agente secundo, quod motum movet, & agit? nisi ista eo sensu planissimo explicarentur, concedendum esset impropriissimè locutum esse D. Thomam, quo nemo tamen unquàm magis exactum loquendi modum sectatus est.

ARTICULUS VI.

Divina Motione perfici libertatẽ, quòd, ex S. Augustino, & ex S. Thoma, delectationem victricem immittat.

PLurima jam de hoc argumento diximus Dissertat. 1. quæst. 3. art. 17. pag. 66. ubi de artificio divinæ motionis egimus: quod ex parte in eo positum esse observavimus, quòd cælestem in anima suavitatem ingeneret, eaque suavitate animam rapiat, & in omnem quam voluerit, partem vertat. *Præceptum quippe liber facit qui libens facit*, inquit August. lib. de Grat. Christi c. 13. Et quidem frequentissimam esse apud D. Augustinum eam phrasim, gratiam esse victricem delectationem, aut divinâ gratiâ delectationem ingenerari in anima, quâ voluntas illecta sponte trahentem gratiam sequatur, nemo vel à limine sanctum virum salutavit, qui facilè id non animadverterit. Quare erit aliquod operæ prętium, si præter ea quæ jam eo loco diximus, hujus sententiæ

tiæ D. Auguſtini, cum D. Thomæ doctrina miram conſenſionem demonſtremus. Et verò non tam ſimilis, quàm eadem omninò eſt utriuſque locutio: cùm nihil aliud ſit ea ſuavitas eaque delectatio, quàm ipſa inclinatio voluntatis ad bonum ut conveniens, & naturæ, ac rationi conſentaneum. Unde etiam noſtra methodo Theologis ſolita

Confirmari poteſt hac ratione principalis aſſertio, divina motione perfici libertatem: quia ſcilicèt nihil eſt quod & efficaciùs, & ſuaviùs attrahat voluntatem, quàm delectatio, à qua ita ſe vinci ſinit voluntas, ut vix reſiſtendi vires habeat; & licèt poſſit, nolit tamen non vinci: Atquì divina motio nihil aliud efficit, niſi ut delectationem, & voluptatem quandam in anima ingeneret, qua voluntas v.g. corporis voluptates majori virtutis voluptate perfuſa faſtidiat: Ergo motio divina perficit libertatem.

Major multis probari poteſt, ac *Primò*, certum eſt, & à S. Auguſtino in caput 5. epiſt. ad Galatas veriſſimè dictum, *Quod ampliùs non delectat, ſecundùm illud operemur neceſſe eſt*. Quod hoc accommodatiſſimo exemplo explicat. Si occurrat alicujus pulchritudinis ſpecies, quæ incautam voluntatem ad voluptatem pelliciat; *Si tamen plus delectet illa intima, & ſincera forma caſtitatis*; hæc delectatio alteram delectationem vincet, alteriuſque vires ſubtrahet alter amor. Unde tanquàm certiſſimam in Philoſophia morali, & Ethica Chriſtiana regulam ſtatuit idem Sanctus Auguſtinus; peccati cauſam duplicem eſſe, *Sive quia* bonum *latet, ſive quia non delectat*, lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. *Tantò quippe vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia ſūt quę impediunt voluntatem ne moveatur ad faciēdum*. Hæc veriſſimè à ſancto viro dicta, quibus omninò conſentanea ſunt, quę toties docuit Divus Thomas, bonum quo voluntas movetur; eſſe bonū cognitum, & conveniens: cognitum quidem, quia ignoti nulla cupido, neque amari poſsit ſi lateat: conveniens verò quia alioquin non moveret voluntatem. Unde obſervat S. Doctor in 2. diſt. 24. qu. 2. art. 1. quòd *In intelligibilibus illud quod eſt apprehenſum non movet voluntatem niſi apprehendatur ſub ratione boni, vel mali: propter quod intellectus ſpeculativus nihil dicit de imitando vel fugiendo, ut dicitur in 3. de anima: & ita etiam in parte ſenſitiva, apprehenſio ſenſibilis nō cauſat motum aliquem niſi apprehendatur ſub ratione convenientis, & diſconvenientis: & ideò dicitur in 3. de Anima, Quòd ad ea, quæ ſunt in imaginatione, hoc modo nos habemus, ac ſi eſſemus conſiderantes aliqua terribilia in picturis, quæ paſſionem nō excitarent, vel timoris, vel alicujus hujuſmodi*: vel, ut alibi inquit D. Thomas, cùm aliarum gentium vel rerum præteritarum hiſtorias legimus, quibus minimè commovemur, quòd hæc ad nos minimè pertineant.

Secundò, Probatur eadem major: Quia experimur amore pertrahi animum, neque id probatione indiget, cùm res ipſa perſentiatur. Etenim ut egregiè notat etiā naturę explorator ſagaciſsimus S. Thomas opuſc. 61. cap. 19. *Natura humani cordis cognata eſt actioni dilectionis*; quòd ex ipſius tēperamento, forma, figura, ac dotibus demonſtrat *Eſt enim in complexione calidum*, ut divino amore ardeat: ſicut enim *naturale igni calere eſt; ita naturale eſt cordi amando ardere*. Eſt prętereà *in ſubſtantia ſolidum, ne facilè à voluptatibus diſſolvatur. At verò quoad formam, inferiùs acutum eſt, ut tēporalia modicè attingat: ſuperiùs verò latum, ut ad celeſtia dilatet affectum*. Deinde etiam, *interiùs concavum eſt: in ſignū, quòd per creaturas impleri non poteſt, & ut inquit D. Bernardus, capacem Dei rationalē animam quidquid Deo minus eſt nō implebit*. Prætereà *duplici motu movetur continuè, conſtrictionis, ut ſuperflua, & impedientia expellat; & dilatationis ut attrahat ad amandū neceſſaria*. Unde ſubjicit ſtatim D. Thomas, *Cor ergo quod ſecundùm Philoſophum eſt domiciliū vitæ, naturali excitatur precepto*, atque à natura impellitur, *ut ſuo modo ad eliciendum actum vitæ gratuitæ cooperetur: qui enim non diligit manet in morte. Vita igitur cordis amor eſt*. Atque adeò hæc duo cordi conjuncta ſunt, & vita & amor, ut impoſsibile ſit cor vivere, & non amare. Plura ibidem D. Thomas omninò & pia & egregia, quæ ſatis ſignificant potuiſſe præſtantiſsimum ingenium non minùs in his, quæ propiùs ad pietatem accendendam pertinent eminere, quàm in rebus Theologicis explicandis inter cæteros emineat.

Tertiò, Probatur eadem major: Quia ex convenientia objecti, & amore oritur delectatio: & quò magis ea convenientia percipitur, eò major inclinatio eſt, ac vehementiùs rapitur animus. Eſt enim delectatio motus quidam animi ex poſſeſſione objecti convenientis. Si enim convenientia deeſſet, non delectatio ſed triſtitia aut dolor perciperetur: & ut inquit D. Thomas 1. 2. qu. 32. art. 1. *Ad delectationem duo requiruntur; conſecutio boni convenientis, & cognitio hujus adeptionis*. At verò delectatione, & voluntate attrahi animum quiſque ſatis perſentit: & nemo poteſt ſine delectatione aut perceptione alicujus boni conveniētis vivere, ut docet S. Doctor 1. 2. qu. 24. art. 1. Tum quia *delectatio perficit operationem*, ut multis probat ibidem quæſtione 33. artic. 4. additque in 4. diſt. 49. quæſt. 3. quòd delectatio advenit operationi ut quædam *ſuperfloritio*: & ex Ariſtotele 10. Ethicor. quòd perficit tanquàm ſuperveniens fini, *In quantùm ſuper hoc bonum quod eſt operatio, ſupervenit alterum quod eſt delectatio*: ac prætereà, quia delectationes inſtitutæ ſunt ad reparandas vires animi defatigati, & viribus exhauſti. Unde idem D. Thomas egregiè inquit 1. 2. qu. 35. quòd *Intellectus Divinus qui eſt naturæ inſtitutor, delectationes poſuit propter operationes*: ideòque & quiete, & ſomno natura eget ad reparandas vires potentiarum: quia etiam, *& videre & audire triſte eſt*, inquit Ariſtoteles, *ſed aſſueti ſumus*: quæ aſſuefactio efficit ut vix percipiatur hic labor. Sed tamen ea cauſa eſt, cur & pueri, &

juve-

juvenes maximè appetant delectationes ; nimirùm *propter multas transmutationes, dum sunt in statu augmenti* : quòd magnam spirituum copiam perpetua defatigatione deperdant, cùm perpetuò sint in motu : ac melanchonici tanquàm remedium voluptates quærunt, quia *corpus eorum pravo humore corrumpitur*, 1.2. qu.32. art.7. Atque ea ratione notat S. Thomas 1.2.qu.33.art.3.& 2.2.qu. 53. art. 6. quòd cùm nihil vehementiùs attrahat animum delectatione, & voluptate, *delectatio maximè corrumpit æstimationem prudentiæ*: & ut inquit Aristoteles 7.Ethic.cap.6.semper Venus dolosa est, & varia ejus Zona, ac ex Homero refert: *Cyprigenæ fraudes nectentis variam zonam de pectore solvit: hic fraus est, quæ vel prudentes decipit ipsos*. Ideòque ab eodem dictum est 2. Ethic. quòd *à voluptate maximè cavendum est, non enim de ipsa incorruptè judicamus: quia nimirùm à pueritia ipsi innutriti sumus*. Primum enim inter motus omnes animi veluti locum obtinet amor delectationis, quem inter omnes primogenitum nuncupare liceret; cùm ante rationis usum jam voluptas sensu percipiatur, & sola voluptate, & delectatione, ut in pueris videre est, natura ducatur.

Quartò. Neque verò dumtaxàt existimandum est, voluptatibus corporeis animum pellici; cùm multò majores sint voluptates animi quàm corporis, *& mentis quàm ventris*, ut loquitur S. Augustinus serm.27. de verb.Domini cap. 1. Idque probat D. Thomas quæst.31. art. 5. hac ratione. Quòd cùm ad delectationem tria requirantur, bonum conjunctum, potentia cui conjungitur, ipsaque conjunctio: præstat his tribus bonum spirituale, superatque sensibile : perfectiùs est, in primis, ac magis diligitur ; cujus signum est inquit D. Thomas, quòd homines etiam à maximis voluptatibus abstinent, ne honores amittant, aut famam suam commaculent, quæ est bonum intelligibile. Pars etiam intellectiva multò nobilior est, & cognitione & perceptione sensitivam antecellit : ac demùm ipsa conjunctio & intimior, & firmior, & diuturnior est : quæ omnia ibid. egregiè prosequitur S. Doctor. Constat igitur, quod supra pro Majori argumenti positum est, nihil validiùs, nihilque etiam suaviùs voluntatem attrahere quàm delectationem.

Minor verò subjuncta facilè probari potest: Atquì Divina motio efficit, & ingenerat delectationem, & spiritualem quandam voluptatem, qua perfunditur animus, ut virtutem v.g. vitio anteponat, & ut inquit S.Augustinus tract.26.in Joan. *Si Poëtæ dicere licuit, Trahit sua quemq; voluptas: non necessitas, sed voluptas, non obligatio sed delectatio: quàtò magis nos dicere debemus, trahi hominem, qui delectatur veritate, delectatur Beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ*. Atque ea ratione S. Augustinus gratiæ Divinæ efficaciam in eo reponit, quòd cælestem quandam suavitatem, & delectationem animæ ingerat : quia nimirùm in eo etiam à Scriptura Sacra Divinæ gratiæ operationem repositam esse animadvertit. Ita enim benedictione immissæ dulcedinis præveniens gratia explicatur psal. 20. *Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Ita & psal.84.vers.13.dicitur *veritas de terra orta est*, id est, interprete D.Augustino, confessio peccatorum de corde peccatoris. *Et justitia*, scilicèt parcens, *de Cælo respexit*. Et posteà : *Etenim Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Ita enim S.Augustinus legit, ubi vulgata legit : *Dominus dabit benignitatem*. Et psal. 118. vers. 65. *Suavitatem fecisti cum servo tuo Domine*, ubi vulgata habet: *Bonitatem*. Et deinde vers.68. *Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justitiam tuam*, ubi nos legimus : *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas*. Quin etiam mundanam, & ex rebus vanis vanam delectationem majori, & cælesti delectatione vinci ex eodem Psalmo colligitur vers. 85. *Narraverunt mihi iniqui delectationes, sed non ita ut lex tua Domine*. Ubi nunc legitur : *Fabulationes*.

Hæc omnia cùm advertisset S.Augustinus, perpetuò fermè operationem Divinæ gratiæ in eo reponit, quòd eam suavitatem, & delectationem Deus immittat, qua ad se animum pertrahit, ut cùm ea loca explicat, quæ ex Psalmis retulimus. Ac deinde ubicumque de Divina gratia pertractat, eadem loca advocat, ut supervacaneum foret in jis recensendis diu immorari. Sed ne omnia prætermittantur ; hæc pauca accipe. Lib. 2. contra duas epistol. Pelagianor. ad Bonifac. cap. 9. Postquàm dixisset S.Doctor: avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum ; quoniam misericordia ejus præveniet me ; & ipse est cui fideliter veraciterque cantatur; *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Deinde subjungit : *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet; & cupiamus, hoc est amemus quod precipit nobis*. Et lib.2.de peccator.meritis, & remiss, cap. 17. duplicem mali originem esse animadvertit: *Nolunt*, inquit; *homines facere quod justum est, sive quia latet, sive quia non delectat*. Utrique verò malo gratia remedium adhibet: *Ut innotescat*, inquit, *quod latebat, & suave fiat quod nō delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates*. Ac deinde cùm dixisset cap.19. immitti à Deo *victricem delectationem*, subjicit : *Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod nō delectabat?* Unde cùm Pelagius gratiam in sola doctrina, & lege cōstitueret, hunc errorem reprehendit S.Augustinus : quia *Gratiâ agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus*, ut inquit lib. de gratia Christi cap. 12. Quòd si, ut statim subdit initio sequentis capitis 13. *Hæc gratia doctrina dicēda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, ...ita ut non ostendat tantūmodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatē*. Nimirùm, ea vera doctrina est, quæ ad Christum perducit, & vera est

sancto-

ſanctorum ſcientia, quam ipſa ſuavitas, & Spiritus Sancti unctio docet. Atque id etiam ibidem ex eo Pſalm. 118. probat: *Suavis es Domine, & in tua ſuavitate doce me juſtitiam tuam.* Demùm in eo etiam gratiam reponit, quòd major & ſuavior cæleſtis delectatio minorem vincat, quæ ex rebus caducis oritur. Etenim, inquit ſerm. 4. de verbis Apoſtoli, *Dulcis eſt quaſi voluptas concupiſcentiæ, verum eſt, nec eam homines ſequerentur, niſi dulcis eſſet .... Dulcia planè, ſuavia, delectabilia: Sed narraverunt mihi injuſti delectationes ſuas, ſed non ſicut lex tua Domine. Suavia ſunt, dulcia ſunt, delectabilia ſunt: ſed audi meliora: Narraverunt mihi injuſti delectationes ſuas, ſed nō ſicut lex tua Domine. Felix anima quæ hujuſmodi delectationibus delectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis ſerenitate purgatur. Quem enim delectat lex Dei; & ſic delectat, ut omnes delectationes laſciviæ vincat, non ſibi arroget iſtam delectationem; Dominus dabit ſuavitatē. Quid dicam? Domine das mihi illam ſuavitatem vel illā? Suavis es Domine, & in tua ſuavitate doce me juſtitias tuas. In tua ſuavitate doce me Domine, & doces me: tunc diſco ut faciam ſi in tua ſuavitate doceas me. Cæterùm quandiù blanditur iniquitas, & dulcis eſt iniquitas, amara eſt veritas. In tua ſuavitate doce me, ut ſuavis ſit veritas.* Hæc ſatis ex S. Auguſtino. Ex quibus colligitur in eo admiſſam ab ipſo eſſe divinæ gratiæ vim & efficaciam, quòd cæleſtem delectationem, & ſuavitatem in animum immittat. Unde ſic colligi poteſt argumentum, cujus præmiſſas jam ſatis proſecuti ſumus. Non poteſt divinæ gratiæ motio libertatem non perficere, ſi voluntatem delectatione, & ſuavitate pertrahat. Atquì ex Sancto Auguſtino, illud eſt propriiſſimum divinæ gratiæ, & motionis munus, ut immiſſa ſuavitate, & delectatione voluntatem pertrahat. Ergo.

Confirmatur, quòd eo pacto S. Auguſtinus efficaciam divinæ gratiæ cum libertate conciliet; quòd nihil lubentiùs, & liberiùs agat voluntas, quàm quod cum delectatione agit. Ut enim jam ex ipſo retulimus. *Præceptum liber facit qui libens facit*: Atque eodem ſenſu lib. 1. de nuptiis cap. 30. *Ibi ſumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti*: nimirùm ea ratione quam ex D. Thoma diximus quia *Delectatio perficit operationem*, & operationis delectatio quoddam condimentum ſit. Sed fuſiùs id proſequitur D. Auguſtinus Tract. 26. in Joan. Ubi cùm illud explicaret, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Joan. 6. Advertit inprimis maximum gratiæ beneficium, & neceſſitatem gratiæ commendari. *Magna*, inquit, *gratiæ commendatio; nemo venit niſi tractus*, Ac deinde hujus profundiſſimum myſterium ſubjungens inquit, *Quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare*. Sed cùm hæc difficultas ſtatim ſe ſe menti ingerat, quòd ſi trahimur vis inferatur voluntati, nullaque ſuperſit ſub ea motione, aut ſi dici poſſit tractione, libertas, addit. *Quid hic dicemus fratres, ſi trahimur ad Chriſtum; ergo inviti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur*. Enim verò *Qui trahitur tanquàm invitus cogi videtur*. Igitur *quomodò iſtam*, inquit, *ſolvemus quæſtionem?* Ubi negari non poteſt, difficultatem exigere, ut hujus trahentis gratiæ vis & efficaciæ cum libertate concordia explicetur. Reſpondet verò S. Auguſtinus. *Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore*. Et deinde. *Porrò ſi Poetæ dicere licuit, Trahit ſua quemq; voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio: quantò fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitiâ, delectatur ſempiternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt. An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur è voluptatibus ſuis?* Et poſt pauca, cùm quædam ex Scriptura Sacra retuliſſet: *Da*, inquit, *amantem, & ſentit quod dico, da deſiderantem, da eſurientem, da in iſta ſolitudine peregrinantem atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem, da talem, & ſcit quid dicam*, nimirùm, & animo ſuas voluptates non deeſſe, tantas ſcilicèt, ut quædam interdum divinæ felicitatis prælibatio dici poſſit, qua penè inebriata anima, ut in illam plenitudinem ac fontem omninò immergatur ſuſpirat. Ac deinde cùm dixiſſet de D. Petro cui Divinitas Chriſti revelata fuerat, ipſum à Patre fuiſſe tractum, ſubjungit, *Ipſa revelatio ipſa eſt attractio. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam; nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quia quò currit trahitur, amando trahitur, ſine corporis læſione trahitur, cordis vinculo trahitur*. Unde, & Senonenſe Concil. Decreto 15. de lib. arbitrio inquit: *Neque Divinam excludimus gratiam: .... ſed juxta Sacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana miſericordiæ præveniētis auxilio ſuffulta, & interiori quodam, & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta, ſeſe convertat in Deum &c. neque tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Trahit quidem Deus, ſed in ejus odorem currimus: non vi, non unco raptamur*: nimirùm, quia voluntas divinâ ſuavitate capitur, ut quàvis poſſit velle non ſequi, non vult tamen non ſequi. Ex quo manifeſtum eſt divina motione non lædi, ſed juvari, ſed perfici libertatem: cùm ea nihil aliud ſit quàm quædam immiſſio, & impreſſio cæleſtis cujuſdam ſuavitatis, quâ anima perfunditur: quia *Dominus dabit ſuavitatem & terra noſtra dabit fructum*.

Hæc paucis annotare libuit, ut frequentiſſimā D. Auguſtini de victrici delectatione ſententiam, & communem loquendi modum cum ſeverioris Theologiæ D. Thomæ principiis exactiſſimè, & adamuſſim convenire demonſtrarem.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Quadruplex Observatio.

Prima: Ex Sancti Augustini Doctrina non deduci, Libertatem in sola spontaneitate esse repositam. Secunda: nec, Gratiam in solis actibus deliberatis esse sitam. Tertia: nec, solam divina gratia ingenerare suavitatem. Quarta. Facilius hæc à D. Thoma explicari.

VErùm tria hac in re maximi momenti animadvertenda esse existimo, ac triplex quorundam detegenda est deceptio, qui ex Divi Augustini phrasi non satìs intellecta, aut in errorem, quòd attinet ad libertatem omninò lapsi sunt: aut à vero, quod attinet ad naturam, & propriam notionem gratiæ, plurimùm recesserunt.

Primò itaque existimarunt quidam, quòd cùm absolutè ea ratione trahi, scilicèt animum delectatione, & suavitate immissa, nihil aliud probari videatur, nisi quòd spontè sua voluntas agat, & in objecta feratur: hinc, inquam, existimarunt quidam, non aliam esse S. Augustino libertatem, quàm in sola ratione spontanei, & sola voluntate repositam. Quo sensu illud explicant, *Præceptum liber facit qui libens facit*.

Verùm non est admodùm difficile, & ab eo errore Sanctum virum vendicare, & deceptionis causam detegere. Non enim ex sola delectatione de libertate judicandum, sed ex delectationis causa, & voluntatis objecto, quod vel necessitatem voluntati injicere potest, vel circa quod potest exerceri libertas: Atquì dictum est, objectum unicum libertatis esse dumtaxàt creaturas, à quibus voluntas est eò magis independens, quasque eò magis sibi subjicit, quò magis ac firmiùs Deo ultimo fini adhæret: circa ultimum verò finem nunquàm per se posse libertatem exerceri: quòd cùm libertas in dominio posita sit, summa esset infelicitas velle dominari fini, sibique velle finem subjicere. Atque in eo absolutè repositum peccatum est, eaque est peccantis perversitas, quòd velit uti fruendis, & frui utendis. Quod à S. Augustino desumptum est, lib. 83. qq. quæst. 30. & explicat D. Thomas 1. 2. quæst. 72. art. 6.

Et sanè si D. Augustini loquendi modus Divi Thomę principiorũ explicatione intellectus fuisset, nulla fuisset errandi occasio. Totus est D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana per multa capita, ut explicet discrimen, quod fruitionem inter, & usum intercedit. *Frui*, inquit cap. 4. *est amore alicui rei inhærere propter seipsam: Uti autem quod in ipsum venerit ad id quod amas obtinendum referre*. Unde posteà explicat quæ res sint quibus frui aut uti necesse sit, aut liceat. Deo fruendum est, utendum creaturis. Quæ omnia eo loco fusè prosequitur, ut etiam lib. 10. de Trinit. lib. 11. de Civit. lib. 83. quæst. 30. aliisque in locis: quæ tanti momenti Magistro Sententiarum visa sunt, ut statim prima Distinctione pro totius Theologiæ fundamento, suique operis divisione, discrimen hoc ex S. Augustino posuerit: quæque omnia dilucidè, ut solet, tum eo loco Magistri Sententiarum: tum deinde 1. 2. qu. 11. de fruitione, & quæst. 16. de usu, explicat D. Thomas. Deo igitur dumtaxat fruendum est: Utendum verò solùm creaturis: & ut inquit Divus Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. 3. *Illæ res quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quasi adminiculamur*.

Atque istis facilè totius libertatis œconomia, & ordo demonstratur. Beatitudinis amor ultimique finis, radix est causaque proxima libertatis. Media verò sunt libertatis objectum: ipse verò libertatis usus est electio mediorum in ordine ad Beatitudinem obtinendam, ipsiusque Beatitudinis, & ultimi finis ordine temperata. Et sanè immutabilem esse eam libertatis œconomiam, & ordinem, si D. Thomæ explicatio advocetur, quàm facillimè demonstratur: quia ex communi omnium sensu, & ex Philosophorum omnium ac præcipuè Aristotelis principiis, libertas in dominio repositа est; ac ea dumtaxat ratione sumus liberi, qua Domini sumus, vel rerum, vel actuum, qui circa eas versantur, & quæ etiam plus minus juxta sua merita sibi actus vendicant ac voluntatem attrahunt: Atquì dominium dumtaxàt est earum rerum quibus uti possumus, ut ex S. Thoma 2. 2. quæst. 62. art. 1. nos aliàs demonstravimus: Ergo etiam vera libertas dumtaxàt circa res quibus uti possumus, non circa ultimum finem versatur. Inde igitur solùm libertas desumenda est, non verò ex sola delectatione qua pertrahitur animus. Non negandum equidem quin utrobique percipiatur delectatio, & dum amatur creator, ultimusque finis, & vera beatitudo hominis; & cum creatura diligitur. At verò primus hic amor, prima hæc delectatio, quòd attinet ad magnitudinem objecti, quo paritur, ita rapit voluntatem, ut voluntas non sit sui juris; atque ita satiatur voluntas, ut aliud objectum, aliamve delectationem quæri non oporteat. Unde & eo objecto quo rapitur voluntas uti non potest, sed dumtaxàt frui, cum sit ipse ultimus finis. At verò quia altera delectatio quam in rebus creatis persentire potest voluntas, derivatio quædam est, & stilla ex hujus æternæ fælicitatis fonte defluens, neque ea satiari potest voluntas; etiam nec ea perfectè frui potest, sed solùm uti, ad perennem illum Beatitudinis fontem quærendum.

Atque hæc fermè D. Augustinus Tract. 10. in Joannem. *Quod est*, inquit, *finis? Christus, quia Christus Deus, & finis præcepti charitas, & Deus charitas: quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt. Ibi tibi finis est, & alibi via est. Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quid-*

quidquid aliud veneris, tranſi quouſque pervenias ad finem. Quid eſt finis? Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Adhæſiſti Deo, finiſti viam, permanebis in patria. Quæ omnia deinde latè diffundit, de pecunia, ſalute corporis, honore, & laude: *Videte fratres*, inquit, *quanta tranſivimus, in quibus non eſt finis. His utimur quaſi in via, quaſi in manſionibus ſtabulorum reficimur, & tranſimus. Ubi ergo eſt finis? Dilectiſſimi filii Dei ſumus, & nondùm apparuit quid erimus.* Hæc Divus Auguſtinus, quibus ſanè nihil opportunius dici poſſet ad explicandam veram notionem libertatis, ſi D. Thomæ explicatio adjungatur. Deo fruimur, *ibi finis eſt*: creaturis utimur; *Ibi via eſt.* In fine fruitio, in via uſus: & in eo uſu dumtaxàt libertas. Adhæret anima Deo, in eaque adhæſione ſumma quies eſt, ſummaque fruitio: at nullus uſus, nullaque libertas: quia libertas in uſu poſita eſt, & circa res quibus utimur non quibus fruimur; ideſt, ut apertiùs, & ſimpliciùs loquitur D. Thomas, circa media, non circa finem verſatur. Vide ipſum locis ſuperiùs citatis, ubi plura ex D. Auguſtino & refert, & explicat, ſimplici equidem, & ut Theologum decet, non inſtar Oratorum figurato ſtylo: quod ſanè neceſſe erat ut res apertiſſimè explicaret, nec errori cauſam legentibus ſubminiſtraret. Inde enim interdùm accidit, non ſatìs intelligi Sanctos Patres; quòd in eis interdùm ipſe elocutionis nitor, ipſaque eloquentia iis impedimento fuerit nè ſatìs res ad vivum ſecarent, & difficultates reſolverent: atque illud interdùm Theologis, qui cultiores eſſe volunt, & neglectum aut rudiorem etiam Scholæ ſtylum averſantur, graviſſimè errandi occaſio fuit.

Secunda obſervatio in eo poſita eſt, quòd etiam aliqui decepti eſſe videantur ex Divi Auguſtini phraſi, & modo loquendi: quòd cùm ipſa delectatio motus ſit ipſius animi, & D. Auguſtinus in ea victrici delectatione gratiam repoſuiſſe videatur; exiſtimarunt etiam quidam Theologi, non aliam eſſe S. Auguſtino gratiam, præter eam delectationem, & poſitam eſſe gratiam in ipſis actibus animi quibus voluntas traheretur. Verùm, id parùm rationis principiis cõſentaneè. Neceſſe enim eſt, à Deo tangente cor, & voluntatem movente, hos motus voluntati ingenerari. At verò in ea divinæ virtutis motione quâ hi motus in anima ingenerantur, neceſſe eſt repoſitam eſſe divinam gratiam. Qua ratione enim hi actus, & hi delectationis, amoris, fruitionis, vel ſimiles motus in voluntate ingenerentur? Neceſſe eſt vel ſolo Dei imperio practico, nulla alia virtute ſuperaddita, vel impreſſa quadam virtute voluntati, hos motus in ea gigni, & effici. At ut ut ſit, non in ipſis motibus actibuſque vitalibus voluntatis repoſita eſt divina gratia, ſed in ipſa divina motione, & contactu illo divino quo voluntatem impellit ac movet ad amorem v. g. vel fruitionem, & quæ eos motus in voluntate efficit, quatenùs divinæ artis virtus quędã voluntatem languentẽ excitat, & perficit infirmam. Sed addi prætereà poteſt ut magìs hæc explicentur, quòd ut notat D. Thomas in Joan. cap. 6. lect. 5. ea attractio quæ fit delectatione *veritatis, Beatitudinis, & juſtitiæ, quod totum Chriſtus eſt*: ſi ſolius ſignificationis verborum D. Auguſtini ratio haberetur, non ad aliam quàm moralem attractionem pertinere exiſtimari poſſet. Unde & quidam in adverſæ ſententiæ patrocinium hæc S. Auguſtini verba uſurpare ſolent, ac potiſſimùm ea, quæ Sanctus Doctor ſubjungit, quæ nos retulimus ſupra. *Ipſa revelatio, ipſa attractio eſt. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur.* Quæ ſolam motionem moralem ſignificare videntur. Verùm addit S. Thomas, *Sed quia non ſolùm revelatio interior, vel objectum virtutem attrahendi habet; ſed etiam interior inſtinctus impellens, & movens ad credendum. Ideò trahit multos Pater ad Fidem per inſtinctum divinum operationis moventis cor hominis ad credendum. Ad Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Oſee 11. In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis. Proverb. 11. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Hęc S. Thomas. Quibus duplicem alienam, & parùm germanam interpretationem verborum quæ ex Divo Auguſtino retulimus, refellit S. Doctor. *Primò* non in ipſis motibus voluntatis, eaque delectatione propriè repoſitam eſſe divinam gratiam, ſed in ipſo interiori inſtinctu, in illa ſcilicèt divina operatione, & motione, quæ ipſos voluntatis motus efficit, & quæ immutat cor, & operatur in ipſa voluntate velle, & perficere. *Secundò*, non ſatìs eſſe eam manifeſtationem, & motionem moralem, quæ licèt interior homini, exterior tamen eſt voluntati: ſed prętereà requiri divinam virtutem quæ intra ipſam voluntatem operatur, ubi omni creaturæ porta clauſa eſt, & ſoli Deo aditus patet: Cùm *intra voluntatem ſola voluntas operari poſſit*, inquit D. Thomas, *& qui voluntatem creavit, qui ſecundùm Fidem ſolus Deus eſt*, quæſt. 22. de Verit. art. 9.

Tertia obſervatio eſt, non eſſe exiſtimandum, quòd divina motio, aut gratia amorem dumtaxàt, & ſuavitatem ingeneret. Interdùm timorem, interdùm vehementiſſimum de peccatis odium immittit. Multis enim modis Deus hominum ad ſe corda pertrahit; & ut inquit S. Auguſtinus lib. de Correpț. & Grat. cap. 5. *Iſti ſic, illi aliter, atque alii aliter diverſis, & innumerabilibus modis vocantur ut reformentur.* Sed ſemper ſive divinorum amorem, ſive peccati odium Deus cordi immittat; attamen *occultiſſima, & potentiſſima medicinæ poteſtate* id facit, ut ibidem anteà dixerat. Et lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagianor. cap. 20. inquit: *Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari; non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant*: Diverſis igitur; & innumerabilibus modis; ac miris etiam, homines ad Deum pertrahuntur: ut interdùm amore, & ſuavitate

demulceantur, & alliciantur; interdùm timor eos ad Deum ire compellat. Sed hæc fusiùs explicat S. Prosper contra Collatorem cap. 13. Cùm enim existimaret Cassianus, quòd in Divo equidē Paulo, & D. Matthæo nihil divina gratia priùs reperisset, sed ea prævenisset nedùm eorum conatus, sed & vota: at verò, in Zachæo, & bono Latrone desiderium salutis ipsam divinam vocationem prævenisset: id D. Prosper impugnat, quia, ut à Christo dictum est; *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Si ergo*, inquit D. Prosper, *nemo venit nisi attractus, omnes quocumque modo veniant, attrahuntur*; At verò non uno omnes modo, sed diversissimis ad Deum modis trahuntur. *Trahit* enim, inquit, *ad Deum contemplatio, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo:* „ *Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* „ *Trahit timor*; „ *Principium enim sapientiæ timor Domini* „ *Trahit lætitia*; *quoniam* „ *lætatus sum in his quę dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* „ *Trahit desiderium: quoniam* „ *Concupiscit, & deficit anima in atria Domini* „ *Trahit delectatio lectionis* „ *Quàm dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel, & favum ori meo.* „ Ac deinde subjungit. *Quis prospicere aut enarrare possit per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat sequatur; quæ oderat diligat; quæ fastidiebat esuriat. Ac subitò commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia; quæ obscura, sint lucida? Hęc autem omnia operatur unus atq; idem Spiritus, dividens singulis proùt vult:* Hactenùs D. Prosper. Igitur hæc omnia aliaque innumera efficit idem Spiritus ac multiformis gratia, divinaque motio, quæ varios in animis affectus ut Deo libuerit efficit; ut mirum sit, ab erudito Theologo, ut aliàs observatum est, nobis objici potuisse, divinam motionem unius tantùm modi esse, cùm tamen ea quæ ex Patribus referuntur, diversissimos in animos affectus immissos à Deo significent. Illud enim idem D. Paulo objici potuisset, à quo dictum est, unum esse, & eundem spiritum. Cur enim si unus, & idem spiritus innumera proùt vult dividere, & impertiri possit; ejusdem spiritus divina motio ac divinus afflatus non possit diversa efficere?

Certum itaque est, non solam à divina motione suavitatem, & delectationem effici: atque ea ex parte aliquid dubio procul D. Augustini sententiæ deesse videretur, si concordiam divinæ gratiæ cum libertate in eo solùm reposuisset, quod sola suavitate, & *delectatione victrice* Deus animum pertraheret. Quo pacto enim ea concordia intelligi posset, cùm Deus timore ac salubri tristitia animum ad se se convertit: Non igitur solùm eo sensu D. Augustinus intelligendus est, cùm etiam, ut retulimus, *innumerabilibus, & miris modis* Deum ad se hominum corda pertrahere dixerit. Sed quod de suavitate, & *delectatione victrice* dixit, de cæteris etiam affectionibus quas Deus cordibus infundit, intelligendus est. Immittit Deus interdum Divinorum judiciorum timorem, & qui omnem alium timorem superat. Immittit peccati odium, quod cæterorum omnium odium vincit. Atque eo pacto facilè divinæ gratiæ, & motionis efficacia, cum libertate conjungi poterit, quemcumque affectum Deus in animum immittat: si conceptus castus timor animam ad Deum confugere compellat, liberrimè voluntas confugit; quia cùm hic timor omnem alium timorem vincat, à nullo alio timore retardari potest. Unde etiam qui timet, *Præceptum liber facit, quia libens facit*, ut gravius malum quod imminet, & quod alioquin incurreret, effugiat: quod de cæteris omnibus dicendum est. Vide tamen quæ diximus Diss. 1. de artificio divinæ motionis.

Quarta observatio. Sed demùm hæc omnia quæ hactenùs dicta sunt, scilicèt animum trahi voluptate, suavitate, delectatione, odio, timore, aut quocunque alio affectu, multò faciliùs ex S. Thomæ explicandi modo, & principiis ab ipso constitutis, possunt intelligi; quia scilicèt divina motione efficitur, ut semper voluntati proponatur quod consentaneum magis est, ut vel prosequatur, vel fugiat, vel metuat. Et quidem de prosecutione boni res apertior est, cùm hic sit veluti primogenitus motus animi; adeò ut dictum sit, quòd *Appetitus non est nisi boni quod sibi per vim cognitivam proponitur*: quæst. 24. de verit. art. 2. quia cæteri omnes motus animi ad illum referuntur. Ita enim existimandum est, voluntatem seipsa non esse nisi inclinationem quæ semper est in motu, semper propensa in bonum, semper, ut ita dixerim anhelans, & quæ hinc inde ducitur trahiturque ab intellectu, quacunque ex parte bonum ostendit; neque enim ad aliud quàm ad bonum tendere potest. Unde quàm primùm ab intellectu bonum voluntati monstratur, voluntas sese impetu projicit, & effundit; quod in motibus indeliberatis, & primò primis omninò compertum est. At verò cùm à ratione objectum monstratur, quod non habet nisi tenuem bonitatem, & quâ non potest satiari voluntas, hic motus, & impetus retardatur: unde nunquàm nisi juxta merita objecti suum voluntas amorem dispensat. Tunc verò libertatis cum Divinæ motionis efficacia concordia facilè intelligitur, cùm non possit voluntas, non liberrimè, & lubentissimè in objectum ferri, quod quamvis eam non omninò satiare possit, monstrat tamen omnium eorum melius esse quæ eligenda occurrunt, aut convenientius esse quòd illud præ aliis eligat ipsisque anteponat. Quod si animus timore percellatur: non erit etiam ea concordia difficilis. Cùm enim semper ratio præluceat, etiam voluntati monstrabit, convenientiùs esse ut malum quod ipsi majus monstratur effugiat: unde, & libentissimè, & liberrimè illud effugiet.

Ex quibus intelliges rectè ab Estio fuisse observatum, à nemine unquàm meliùs quàm à Divo

Thoma

Thoma intellectum D. Auguſtinum fuiſſe, ac ſemper Sancti Thomę principia ad explicationem Sancti Auguſtini advocari oportere: quæ ſi ſejungantur, non procul aberit periculum aberrandi: ut in præclaris alioquin ingeniis infelici experimento comprobatum eſt, qui prætermiſſis, aut ſpretis etiam Divi Thomæ principiis, explicationem doctrinæ Divi Auguſtini aggreſſi ſunt, quos à germano utroque ſenſu Sancti Auguſtini quàm longiſſimè remotos eſſe, & quantùm à veritate error abeſt, Eccleſia pronunciavit.

QUÆSTIO VII.

De Concordia Divinæ Motionis cum Libertate.

ARTICULUS I.

Obſervationes quædam: Philoſophorum, & hæreticorum error, certitudinem Divinæ providentiæ cum libertate jungi non poſſe: Vera conciliationis ratio.

ARduam fuiſſe ſemper exiſtimatam Divinæ Motionis, aut providentiæ, ac gratiæ cum humana libertate cõcordiam, nedum à Theologis, ſed ab Eccleſiaſticis omnibus Scriptoribus dubitare non poterit, quiſquis ipſum D. Auguſtinum audiet, qui, licèt præſtantiſſimum totius Eccleſiæ ingenium, ſe hac difficultate premi non diſſitetur, lib. 2. de peccator. meritis, & remiſſ. cap. 18. *Ipſa*, inquit, *etiam ratio quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur*. Et verò neque uno dumtaxat loco hanc ſe perſentire difficultatem Vir Sanctus ſcripſit: ſed pluribus etiam in locis, quæ recenſere ſupervacaneum foret; quamvìs, & hinc validum Argumentum ſponte ſe ſe objiciat, quo facilè colligi poſſit, longè diverſam eſſe Recentiorum ſententiam ab ea quam *Beatiſsimus Auguſtinus præcipua in hoc tempore portio Domini Sacerdotum, & Vir excellentiſsimæ authoritatis*, ut eum vocat D. Proſper Epiſt. ad Rufin. per annos viginti, ex eodem D. Proſp. præfat. contra Collator. propugnavit. Cùm è contra, exiſtiment quidam ex adverſæ ſententiæ Theologis, eam concordiam adeò facilem eſſe, ut ſi ea principia, quibus ab ipſis munitur ac complanatur, data olim explicataque fuiſſent; facilè hæreſes omnes tum olim Pelagianorum, tum etiam poſteriori ſæculo Lutheranorum extinctæ fuiſſent, quæ tamen felicitas D. Auguſtino non contigit, qui *difficillimam, & paucis intelligibilem* hanc divinæ cum libero arbitrio concordiam eſſe exiſtimavit. Epiſt. 46. ad Valentin.

ET verò certum eſt, hunc fuiſſe ſcopulum ad quem olim Philoſophorum, & hæreticorum omnium naves confractæ ſunt; aut quem, ut effugerent, in alios ſe vortices conjecerunt, quibus deinde abſorpti ſunt. In primis inter Philoſophos, ut notat S. Thomas 1. par. qu. 116. de Fato, alii omnia ſubjiciebant Fato; ſeu ex poſitione ſiderum fatum cenſendum eſſet; ſeu ex quadam ſerie cauſarum, quæ ita inter ſe connecterentur, ut omnia involverent, & ſecum raperent, nec ullus evadendi locus adituſque relictus eſſet. Atque hi negabant quidquam caſu unquàm in rebus fieri, aut etiam poſſe unquàm accidere. Quin etiam, & Deum fatis ſubjicere videbantur, qui eorum vim nec ſiſtere poſſet, nec infringere. *Fatis agimur, cedite Fatis*: *Non illa Deo vertiſſe licet*, De quo nonnulla alibi diximus. E contra alii, ut obſervat D. Thomas 1. par. q. 116. a. 7. *Poſuerunt, fatum eſſe mobile, etiam ſecundùm quòd à divina providentia dependet: unde Ægyptii dicebant, quibuſdam ſacrificiis fatum poſſe mutari, ut S. Gregor. Nyſſenus dicit*: unde, ut contingenter res oriri defenderent, ſervarentque homini libertatem illæſam, Providentiam omnem ſuſtulerunt, ut refert S. Thomas 1. par. qu. 22. ubi de Providentia. Et notiſſimum illud à S. Auguſt. dictum lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. de Cicerone, quòd *Dum vult* homines *liberos facere, fecit ſacrilegos*. Atque in eo omnes conſentiebant, Divinam Providentiam, atque hujus certitudinem, & infallibilem operandi modum cum humana libertate conciliari non poſſe.

Inter hęreticos, qui, ut Tertulliani verbo utar libro adversùs Hermogen. cap. 8. Philoſophos ſuos *Patriarchas* ſequuti ſunt, plurimi ad eundem ſcopulum alliſi ſunt. Conſtitutum erat omnium

ſuffragiis hoc commune principium, gratiam quę daret velle & perficere, conjungi non poſſe cum libertate. Hinc alii, ut libertatem illæſam ſervarent, gratiam eam quæ agere tribueret pernegarunt. Et hic Pelagianorum fuit error, atque hoc perpetuò in S. Auguſtinum telum intorquebant, fatali neceſſitate voluntatem conſtringendam fore, ſi efficaciſſimâ gratiâ Deus eam moveret ac impelleret: unde Julian. apud S. Auguſt. lib. 1. ult. oper. c. 82. ſuâ illâ quam tantoperè extollebat liberi arbitrii definitione, de qua diximus ſuprà. *Et Fatorum opinionem, & Chaldęorum ſupputationem, & Manichæorum phantaſias*, ſubjugaſſe dicebat, quaſi in eos omnes errores D. Auguſtinus impingeret. Quin etiam & Semipelagiani, & Maſſilienſes, S. Auguſtini *ſcripta*, inquit S. Proſper, *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamāt, dicentes, eum liberum arbitrium penitùs ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare Fatalem*. D. Proſper. epiſt. ad Rufin.

Alii è contra in aliud extremum delapſi, cùm efficaciam gratiæ adeò in S. Scriptura ac D. Auguſtino aſſertam, & explicatam reperirent, ea opprimi ac perimi omninò liberum arbitrium exiſtimarunt. Et prætermiſſis Manichæis, quos in eum errorem extincti arbitrii lapſos fuiſſe notat S. Thomas ſtatim referendus; notiſſima eſt Calvini Hæreſis, à quo dictum eſt lib. 3. inſtitut. cap. 3. Quòd *voluntatem Deus movet, non qualiter multis ſæculis creditum eſt, ut noſtræ poſteà ſit electionis, monioni aut obtemperare aut refragari, ſed eam efficaciter efficiendo*. Quod adeò certum in Calvino Bellarminus exiſtimavit lib. 4. de gratia & libero arbitrio c. 7. ut dixerit, eam eſſe unicam cauſam, cur Calvinus libertatem ſuſtulerit, quòd arbitraretur, libertatis indifferentiam ita cum Divinæ Providentiæ, & gratiæ efficacia pugnare, ut ſimul conjungi non poſſent. Ubi tamen non meminiſſe videtur Bellarminus hujus quod dixerat de ſtatu primi hominis cap. 1. errorem fuiſſe Calvini, quòd peccato primi hominis omninò ſublatum, & extinctum fuiſſet liberum arbitrium. Reverà enim ipſe Calvinus lib. 2. inſtit. cap. 1. hunc titulum præfigit, *hominem arbitrii libertate nunc eſſe ſpoliatum, & miſeræ ſervituti addictum*. Sed de his infrà.

At verò, inquit D. Thomas, à quo hęc olim inter hæreticos in principiis concors ſententia, in conſecutionibus diſcordia obſervata eſt; *Fides Catholica media via incedit, ita libertatem arbitrii ſervans, quòd neceſſitatem gratiæ nō excludit*, q. 24. de verit. ar. 12. Utrumque enim ad fidem pertinet, ut libro integro S. Auguſtinus ad Valentinum, & cum illo Monachos, demonſtrat. Ubi ſtatim capite primo, cur de gratia liberoq; arbitrio ſcribere inſtituat, ita rationem reddit, nimirùm. *Quoniā ſunt quidam, qui ſic gratiam defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defēditur, negari exiſtiment liberum arbitrium*. Ac deinde cap. 2. incipit, tum ratione, tum authoritate liberum ineſſe homini arbitrium, demonſtrare. *Revelavit*, inquit, *nobis per Scripturas ſuas Sanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium; & primùm, quia ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret*. Ac deinde collectis magnâ diligentiâ, ac pari ſolertia explicatis Sacræ Scripturæ locis c. 4. oſtēdit, non minoris fore periculi, ſi gratia denegaretur. Unde ſic inquit: *Sed metuendum eſt ne iſta omnia divina teſtimonia, & quæcumque alia ſunt, quæ ſine dubitatione plurima ſunt, in defenſione liberi arbitrii, ſic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio gratiæ Dei locus non relinquatur* &c. Atque reliquo opere probat, utrumque ſimul eſſe conjungendum. Certum eſt enim, inquit cap. 16. Nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus, ſcilicèt præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Igitur *media*, regiaque *via eſt, qua catholica fides incedit*, ut *libertatem arbitrii ſervet, & neceſſitatem gratiæ non excludat*.

Atquì hic ſanè meritò dixerim, me nemini facturum iniuriam, ſi aſſeruerim, nullam veriùs quàm S. Thomæ Scholam mediâ viâ incedere, inter eas omnes quæ de gratia, & libertate, diverſa ſentiunt, eamque maximè gratiæ ſimul, & libertati ſua jura illæſa integraque ſervare, & aſſerere; dum una ex parte, gratię etiam ex divina omnipotentia ortæ, & phyſicè effectrici vim omnem, & efficaciam adſcribit, alteraque ex parte libertati ſummam indifferentiam vendicat. Atque ea ratione, eoque titulo, S. Thomæ ſententiam nulli eſſe poſthabendam, cùm nulla ſit, quæ magìs veram ac germanam hujus concordiæ rationem ſe exhibituram ſpondere poſſit, aut reipsà exhibeat. Et ſanè veriſſimam hujus concordiæ rationem eſſe exiſtimandum eſt, quòd integra ex una parte divinæ gratiæ efficacia, ſummaque immutandi voluntatem poteſtas adſcribatur; ac deinde integra etiam, ſaltem ex parte, libertas voluntati, & poteſtas agendi, & non agendi vendicetur. Si enim, ut tecta integraq; ſervetur libertas, divinæ gratiæ efficacia ſummaq; poteſtas denegetur, aut etiam certis temperamentis ex prævisione, vel concurſu circumſtantiarum, vel aliis, quæ vim ejus enervant, hujus veram efficaciam ſe poſſe temperare quis arbitretur: aut è contrà, ſi ut omnis illa vis, & poteſtas ſupra voluntatem gratiæ divinæ adſcribatur; indifferentiam agendi, & non agendi, vel facultatem aliud agendi, quis adimat; & exiſtimet libertatem ex utraque facultate ſpoliatam integram remanere: is certè non concordiam init inter gratiam, & libertatem, ſed capitali diſſidio utramque ſejungit: utriuſque enim jura evertit: cùm vel efficaciam, & vim agendi gratiæ adimit; vel libertatem indifferentiâ ſpoliat.

Igitur ea dumtaxàt exiſtimanda eſt vera ratio concordiæ gratiæ cum libertate quę gratiam non deprimit, ut libertatē evehat; nec ruinâ libertatis imperiū gratię cōſtituit, ſed utrique ſua jura illęſa ac inconcuſſa ſervat, efficaciā gratię, indifferentiam libertati, & utramque nulla ſui juris lęſione conci-

conciliat, & in mutuum fœdus coïre demonstrat. Et quamvis non satis apertè hæc unio forsitan demonstrari posset, cùm ea omnia in quibus operatio divina se immiscet infinitis intervallis intellectum hominis superent, ad divina instar vespertilionis, ut etiam à Philosopho observatum est, cæcutientem; non ideò tamen neganda foret hæc concordia: neque, ut puto, à partium studio alienis, atque his qui seria meditatione mysteria Fidei animò versant, probari poterit, quod à quibusdam dici solet, *Azylum esse ignorantiæ*, fateri, rem esse *difficilem, ac pauciſſimis intelligibilem*, & perviam, Divinæ Providentiæ, aut Divinæ gratiæ efficaciam cum libertate: quod tamen cùm à S. Augustino acceptum fuerit, ut supra retulimus, reverentiùs excipere debuissent.

Et verò, ut hanc injuriam S. Augustini, & Sancti Thomæ Discipulis illatam repellam, eruditum Lectorem rogo, advertat: quamvis absit à me, ut velim Recentiorum sententiæ, neganti intrinsecam efficaciam divinæ gratiæ, invidiam creare aut censuram inurere; & dumtaxàt animus sit, hac observatione, & exemplis; quæ subjiciam demonstrare, non esse *Ignorantiæ azylum*, quod ab iis Theologis dictum est, eam esse veram hujus concordiæ ineundæ rationem quam diximus, etsi forsitan non satis rationi humanæ pervia, & comperta esse posset. Observet, inquam, eruditus Lector; inde fermè hæreses omnes ortum habuisse; quòd cùm mysteria omnia Fidei, velutì partibus in se adversis constare videantur, temeraria semper ab his divisio facta fuerit: atque, ut notat alicubi S. Bernardus, Dæmon divisionis non pacis author, semper inclamasse videtur cum illa S. Scripturæ noverca *dividatur*: Hac enim divisione hæreses omnes in orbem invectæ sunt: cùm in eo positæ sint omnes hæreses, quòd varias, ut ita dixerim, mysteriorum partes velutì in speciem adversas, sejunxerint: cùm parùm consentaneum rationi videretur, invicem posse conjungi; neque aliunde Fidei, quæ utriusque concordiam quamvis rationi non satis perviam, & agnoscere, & credere jubebat, subjici & obtemperare nollent. Necesse enim est, illud D. Augustini lib. de Dono Persever. cap. 14. locum ubique habeat, *Nunquid ideò negandum est, quòd* Fidem docere *apertum est, quia comprehendi non potest! quod occultum est*. Sed Hæretici omnes scientiam pollicentur, inquit Tertullianus, & *Fidem de suo arbitrio modulantur* lib. de Præscript. cùm tamen existimandum sit, *Religionis opus*, ut inquit D. Hilarius lib. de Trinit. *in solo obedientiæ esse officio*. Enimverò negari non potest, quin Religionis Fideique omnia mysteria, dissimilibus inter se ac disparibus etiam, & in speciem adversis partibus constare videantur: & cùm olìm Marcion inscriptum opus Antitheses edidisset, ut novum instrumentum veteri oppositum velutì oculis objiceret, non negat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 1. quin omnia secundùm *Antitheses* corruptæ rationi, aut vanæ Philosophiæ artibus delusæ, coalescere, & componi videantur: cùm etiam in ipsa natura ejusmodi plurima naturæ in se se pugnantis dissidia se prodant. Quis dubitet si sola ratio aut corrupta, aut Fidei lumine non illustrata, consuleretur; hæc invicem adversari; Deum Unum esse & Trinum, neque Unitatem naturæ Trinitate personarum dividi; neque Trinitatem personarum unitate naturæ confundi? Eundem esse, & Deum & hominem; neque Divinitatem in humanitatem converti, neque humanitatem Divinitate consumi? Eandem esse, & Matrem, & Virginem; neque fœcunditatem Matris integritate Virginis impediri, neque integritatem Virginis fœcunditate Matris violari. Hæc præcipua Christianæ Religionis mysteria, quæ non immeritò secundùm *Antitheses* constare dixerim. Atque inde hæreses omnes ortæ sunt; quòd cùm hæc extrema inter se jungi non posse viderentur, divisio facta sit. Unde quoties plures hæreses idem mysterium adoriri, & impetere visæ sunt, idem fuit principium utrique commune, v. g. circa SS. Trinitatis mysterium, conveniebat inter omnes, nullum esse posse Unitatis cum Trinitate fœdus: unde constituto illo communi principio, Arius, ut Trinitatem Personarum assereret, unitatem naturæ discidit: Sabellius è contra ut Unitatem integram vendicaret, Trium Personarum distinctionem abstulit. Idem in Incarnationis mysterio videre est. Constitutum erat hoc principium, non posse esse eundem, & verum Deum, & verum hominem: inde & Eutichis, & Nestorii, & Manichæorum hæreses. Alii, ut Divinitatem assererent, eam sub humanitatis dumtaxàt specie quadam conspicuam, & aspectabilem latuisse dicebant, negata humanæ naturæ veritate: Alii è contra vera quidem humanitate Christo asserta, Christum verum hominem fatebantur, Deum esse negabant; & Divinitatem solo affectu, & consensione voluntatum, non unione naturarum conjunctam esse contendebant. Alii demùm utriusque naturæ confusione, & mixtione nescio qua inventa, utriusque veritatem denegabant. Sed denique opportunius erit forsitan in Deipara, & Virgine, & Matre exemplum. Et Maternitas, & Virginitas adversis hæresibus oppugnata est, quas tamen omnes hoc unicum principium conciliabat, scilicèt cum fœcunditate integritatem illibatam permanere non posse. Inde Photinus Deiparam agnoscebat Matrem, sed negabat Virginem: Valentinus è contra, Virginem fatebatur, sed negabat veram fuisse Matrem; quòd utriusque jura, & Matris, & Virginis illæsa servari ac jungi non posse existimarent: neque illud à Sapiente dictum intellexissent, *& flores mei fructus*; Virginitatis scilicèt flores, cum Maternitatis fœcunditate esse conjunctos.

Igitur hæresum omnium genius est, ut unitatem ubique scindant, & divisionem ament, & cùm ea quæ in speciem repugnantia in mysteriis Fidei, & adversa videntur, jungendi modum sua ratione quâ metiri omnia volunt, minimè reperiant; malint alterutrum negare; quàm utriusque sibi in-

com-

compertum fœdus credere. At contrà in eo posita est omnium mysteriorum fidei Majestas, & Sanctitas, quòd specie tenus adversa componantur in eoque vis fidei eminet, qua intellectum subjicit, & ut loquitur Guilelmus Parisiensis, in eo *intellectus fortitudo* se prodit, quòd istam contradicentium partium unionem credat.

Non igitur existimandum est, *Ignorantiæ azylum* esse, si aliquando dictum sit, Divinæ Prædestinationis, & Providentiæ, & gratiæ œconomiam in eo maximè repositam esse, quòd in specie adversa jungenda sint; nimirùm quòd Deus summa potestate quam habet in voluntates hominum, eas, & quãdo voluerit, & quomodo voluerit immutet; & quòd voluntatem, *Immutabiliter* moveat *propter efficaciam suæ virtutis, & tamen quòd propter naturam voluntatis quę indifferenter se habet ad multa, non inducatur necessitas, sed remaneat libertas*, ex S. Thoma quæst. de Malo. Nec verò alterutrum ideò negandum est, quòd utriusque connexio comprehendi non possit; sed è contra quia comprehendi non potest, reipsa mysterium esse existimandum est; quod etiam Apostolum ut exclamaret coëgit, *O homo tu quis es*, ut hominem suæ imbecillitatis moneret, ne comprehendere præsumeret quod comprehendi non potest.

Etenim, ut hoc exemplum de Virginitate cum Maternitate conjuncta in Deipara, & Matre, & Virgine, advocem, quod opportuniùs forsitan esse, diximus; cùm inter Verbum, & animam Divinum quoddam fiat connubium, in quo, ut inquit D. Bernardus Serm. 85. in cantica. *Similitudo conciliat, amor sociat, professio maritat*; & cujus connubii proles est sancta operatio, ut fusè prosequitur D. Thomas opusc. 61. cap. 13. Fides docet, posse Divinâ potentiâ conjungi, & in Deipara hęc duo esse reipsà conjuncta, quamvìs in speciem adversa, fœcunditatem scilicèt, & integritatem: atque in eo positum esse Mysterium hujus Divini Connubii, & Spiritus Sancti obumbrantis, & velutì obnubentis B. Virginem, ut connubiorum mos est: ac Divinam prolem, Deumque infantem illæsa omninò integritate esse natum. Id verò quis satìs intelligat? cùm etiam inter Philosophos alioquin etiam fidei lumine illustratos, quidam negaverint, unum corpus corpori alteri ulla umquàm potentia pervium esse posse; qui tamen hoc mysterio validè refelluntur, quod licèt ratione forsitan satìs comprehendi non possit, fide tamen credendum sit: neque neganda sit fœcunditas, ut integritas asseratur; neque neganda integritas ut fęcunditas vindicetur. Ergo, cùm immisso Divino semine, etiam vi & efficacia Divinę gratię voluntas gravida operationem sanctam, castumque amorem & concipit, & parturit; neutrum negandum est, sed utrumque conjungendum, efficacia scilicèt Divinæ gratiæ, quæ verissimè voluntatem fœcundat; & integritas libertatis quę illęsa operationem parturit: Ut etiam illud quod à S. Leone dictum est Serm. 7. de Nativ. de altero Religionis Mysterio in Christo Domino fęcundę Virginitatis prole, & de unione divinę naturę cum humana natura, hìc etiam locum habere possit aut debeat. *Verus venerator est, & pius cultor, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum. Paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas*. Ita enim pius Divinæ prędestinationis, & Divinę gratię assertor est, qui nec de Divinę gratię vi aut efficacia, quę suæ potestate voluntatem immutet, aliquid sentit minùs dignum, nec de libertatis indifferentię integritate aliquid asserit falsum. Quamvìs enim inter utrumque ingens discrimen sit, cùm alterum Ecclesia damnaverit, minimè alterum; attamen quod ad D. Augustini, & D. Thomę sententiam spectat, utrique repugnare videtur, si aut Divinę gratię vis summa & efficacissima, aut libertatis indifferentię integritas denegetur.

Ex quibus omnibus quę hactenùs explicata sunt, illud quod suprà proposuimus, satìs constare arbitror, non esse temerè dictum, à quibusdam S. Augustini, & S. Thomę discipulis, quòd quamvìs hoc Divinę gratię efficacię cum libertatis indifferentia fœdus satìs humana ratione comprehendi non possit, non ideò tamen negandum sit; si etiam nos plura, quàm simillima, ac multò etiam difficiliora, credere fides jubeat, quę rationem multis intervallis superant; atque id Divinę virtuti, & Divinę operationi concedi oporteat, ut sit omni ratione superior, & *vincat scientiam nostram*, ut Job. loquitur: unde & illud quod à S. Leone superioribus additum est, huc etiam advocari potest: *Cùm ad intelligendum Sacramentum gratiæ accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminato fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat. Divina est enim authoritas cui credimus; Divina est Doctrina quam sequimur: quoniam sive Legis testificationi, sive oraculis Prophetarum, sive Evangelicæ tubę interiorem admoveamus auditum, verum est quod D. Paulus Spiritu Sancto plenus intonuit, „O homo tu quis es qui Respondeas Deo? voluntati ejus quis resistit? Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.„ Non quia velle non debeamus, & currere; sed quia ille in nobis velle operatur, & currere*. S. August. Epist. 107. Neque tamen ideò minùs verum quod à Sapiente dictum est, quòd *Deus hominem reliquit in manu Consilii sui*: cùm ea omnia credendi unica eademque ratio sit Divina authoritas. Unde iterùm quod à S. Leone dictum est, hìc etiam non minùs opportunè inflecti, & usurpari potest. *In utraque natura idem est Dei filius nostra suscipiens, & propria non amittens, in homine hominem renovans, in se incommutabilis perseverans. Deitas enim quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum subiit, nec Dei formam servi formam violavit*. Ita enim & verissimè quis dixerit: quòd voluntas, & Divinę gratię se subjicit, & propriam indifferentiam non amittit; quòd in voluntate ipsam gratia voluntatem renovat, & tamen in se

immu-

immutabilis, & immutabiliter efficax perſeverat. Nam divina gratia, quæ cum divina potentia conjuncta eſt, nullum unquàm ex indifferentia voluntatis detrimentum ſubiit: neq; etiam efficacia gratiæ indifferentiam voluntatis violavit.

Sed ut aliquod conſueta methodo ex dictis argumentum inſtruamus, & demonſtratio aliqua fiat, quam Divus Paulus, *Oſtenſionem, & Doctrinam Spiritus* vocat, *cùm* ſcil. *Spiritualibus Spiritualia comparamus.* 1. ad Cor. 2. & ut D. Chryſoſtomus explicat, cùm ex uno fidei myſterio alterum demonſtratur: ſic in forma argumentum conficitur. Nihil vetat quominùs credamus, hęc duo ſimul jungi poſſe, & ſummam divinæ motionis, & gratiæ efficaciam, & ſummam libertatis indifferentiam: aut ſaltem, ut magìs argumentum premat, ſi ad Divinam omnipotentiam hæc omnia referantur: non eſt infinitæ potentiæ negandum, poteritque à Deo fieri, ut hæc duo ſimul conjungantur, ſumma ſcilicèt gratiæ divinæ efficacia, & integra libertatis indifferentia, quamvìs utriuſque unio à nobis comprehendi non poſſit; ſi plura alia Divina Myſteria infinitâ Dei potentiâ facta fuerint, in quibus extrema invicem magìs repugnare videntur; quæ tamen conjuncta ſunt, & conjuncta creduntur, quamvìs nulla humana ratione hæc unio comprehendi poſſit. Atquì ita eſt: Et ut paucis ſuperiora recenſeam. *Primò*: in SS. Trinitatis myſterio cùm unitate naturę ſimul creditur diſtinctio Perſonarum: quòd ſanè myſterium cætera omnia ſuperat, cùm etiam æquum ſit ea quæ in ipſo Deo ſunt, ſuperare quæ ab ipſo fiunt. *Secundò*: In SS. Incarnationis myſterio idem eſt Deus, & homo: & in eadem perſona, divina natura cum humana ſimul conjuncta eſt; quam tamen unionem à nullo intellectu creato comprehendi poſſe certiſſimum eſt; cùm ſit myſterium fidei adæquatè, nec ſolùm per accidens, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale, quod rationem omnem ſuperat, & ſola fide certò cognoſci poteſt. *Tertiò*. Idem argumentum inſtaurari poteſt comparatione alterius myſterii ex fæcunditate, & Virginitate, quæ in Deipara Virgine, Divinâ potentiâ, conjunguntur, in qua fæcunditas integritatem non temeravit aut minuit; ſed integritas fæcunditatem ornavit & conſecravit; quam tamen unionem, licèt *uſus neſciat, & ratio ignoret*, ut inquit S. Petrus Chriſologus; attamen reipſa factam eſſe non permittit fides in dubium revocari: ſicut quòd Rubus olim arderet, & non combureretur, & alia ejuſmodi: Ergo etiam pari eâdemque potentiâ fieri poterit, ut hæc duo extrema quamvìs in ſpeciem adverſa conjungantur, ſummâ ſcilicèt divinę gratię efficaciâ, ac perfectiſſimâ libertatis indifferentiâ, quamvìs unio utriuſque comprehendi non poſſit.

Confirmatur, viſque major hujus argumenti oſtenditur: quòd nihil omninò reponi poſſe videatur ubi de divina potentia agitur. Conſentiunt equidem omnes plurima à Deo fieri non poſſe, quæ ſcilicèt repugnant rationi entis; ut idem eſſe & non eſſe; duo contradictoria eſſe ſimul; prętęritum non eſſe prętęritum; & ſi quę alia ejuſmodi ſunt, ut explicat D. Thomas 1. par. qu. 25. Atquì quòd hęc duo quę poſitiva ſunt ſimul jungantur, ſcilicèt infallibilitas aut immutabilitas operationis, quæ ex divina motione oritur; & libertas actualis ac indifferentia voluntatis, quæ poſitiva perfectio eſt, nulla contradictio eſſe poteſt: Aut ſaltem quod tota hac tractatione demonſtrandum ſuſcepimus, apertiſſimum eſt nullam à D. Thoma exiſtimatam fuiſſe contradictionem. Etenim ſi quæ eſſe poſſet, eſſet maximè, quòd voluntas moveatur à Deo, & moveatur à ſe; quia moveri à ſe, ſignificare videtur non moveri ab alio: Atquì in eo nullam eſſe contradictionis umbram, & arbitratus eſt, & clariſſimè expreſſit D. Thomas. Etenim 1. par. quæſt. 105. art. 4. Utrùm Deus poſſit movere voluntatem, Objicit ſibi. *Deus non poteſt facere, quòd contradictoria ſint ſimul vera; hoc autem ſequeretur, ſi voluntatem moveret; nam voluntatem movere, eſt ex ſe moveri, & non ab alio.* En planè unicum argumentum quod ſuperiori probationi reponi poteſt, ut diſcrimen aliquod ſtatuatur, & negetur hæc duo jungi poſſe divinâ potentiâ, ſcilicèt efficaciam divinæ gratiæ cum libertatis indifferentia; quamvìs & fæcunditas, & integritas in Deipara Virgine; & Divinitas, ac humanitas in Chriſto Deo, & homine jungi potuerint. Verùm & hoc diſcrimen nullum eſſe reſponſio D. Thomę convincit. Reſpondet enim S. Doctor: *Quòd moveri voluntariè* (& liberè) *eſt moveri ex ſe, i. deſt à principio intrinſeco. Sed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco: & ſic moveri ex ſe non repugnat ei quod movetur ab alio.* Cujus rationem affert articulo ſtatim ſequęnti, ad 1. *Quia Deus ſufficienter* quidem *operatur in nobis ad modum primi agentis; nec tamen propter hoc ſuperfluit operatio ſecundorum agentium*, & ut addit ſtatim ad 2. *Una* quidem *operatio non procedit à duobus agentibus unius ordinis: ſed nihil prohibet, quin una, & eadem procedat à primo, & ſecundo agente.* Ergo nullam eſſe vel minimam contradictionis umbram à D. Thoma exiſtimatum eſt, quòd voluntas, & à Deo, & à ſe moveatur. Ergo nulla contradictio eſt, quòd efficacia gratiæ cum libertatis indifferentia conjungatur. Et ſi comprehendi non poſſit, non ideo tamen ignorātiæ tribuendum eſt, niſi ea ignorantia ſit de qua Card. Cuſa lib. de docta ignorantia ſcripſit, cùm etiam nos credere fides jubeat plura invicem necti, & conjungi, quorum tamen unio humanam omnem rationem ſuperat. Et ſanè ut ſperandum eſt, aliquando, ut inquit S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 95. *In clariſſima luce Sapientiæ videbitur quod nunc piorum fides habet, antequàm manifeſta cognitione videatur; quàm certa, & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quàm multa poſſit, & non velit, nihil autem velit quod non poſſit: ..... quod utique non eſſet verum, ſi aliqua voluit, & non fecit; & quod eſt indignius, ideò non fecit quoniam ne fieret quod*

voluit

voluit Omnipotens, hominis voluntas impedivit.

Confirmatur præterea altera demonstratione, seu *ostensione, & doctrina spiritus*: quòd nimirùm ea dumtaxàt, & unica, ac vera hujus concordiæ ineundæ ratio esse possit, quòd & divinæ gratiæ ex parte una, & voluntati creatæ ex altera, sua jura serventur, neque fiat illa divisio, quę vel divinæ gratiæ vim, & efficaciam minuat, vel auferat à libertate indifferentiam. Etenim ea ratione potissimùm hæreticos reprehendimus, quòd ea, quæ in Religionis mysteriis in speciem opposita, & adversa esse videbantur; cùm simul jungi sua ratione non satis intelligerent, alterutrum pro suo arbitrio pernegaverint; exempli gratiâ, aut veram inesse Christo Domino naturam, aut vera unione divinitatem esse conjunctã: sed ut rationi suæ adularentur, & ut jugum quod durius videbatur à fide impositum excuterent credendi quod ratione comprehendi non potest; altitudine, & sublimitate mysterii depressa, omnia illa exæquare, & componere, ac concinnare tentaverint, ut modulo rationis humanæ accomodata viderentur: Atqui hujusmodi temperamenta fides non recipit, neque mysteria deprimenda sunt, sed ratio humana evehenda est, & fide credendum, quantumvis ratio renitatur, quod divina omnipotentia, quæ ut Job loquitur cap. 25. *Fecit concordiam in sublimibus*, & ex contrariis oppositisque cælorum motibus mirum concentum efficit; *tanto fœdere utramque naturam conseruit, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio* (D. Leo serm. 7. de Nat.) in eoque positum esse mysteriũ, quòd salva utriusque naturæ proprietate, idem & Deus, & homo sit; & utraque natura vera sine ullo sui detrimento, verâ unione conjuncta esse credatur: Ergo servata proportione in hoc divinæ prædestinationis, & gratiæ mysterio eadem regula tenenda est, & concordiæ ratio ineunda: utriusque & gratiæ, & libertatis proprietates ac jura servanda sunt; ut nec efficacia gratiæ indifferentiam libertatis absorbeat; neque libertatis indifferentia vim vel minimam adimat gratiæ: neque hujus mysterii altitudo deprimenda est, ut exilitati humani ingenii accommodatior sit; sed attollendum ingenium, ut hujus mysterii capiendæ altitudini capacius evadat, & agnoscat, Deum vincere scientiam nostram, & plures esse divitias scientiæ, & sapientiæ Dei, quàm ut humana ratio comprehendere possit.

Confirmatur demùm, quòd D. Thomæ sententia in hac celebri difficultate cæteris anteponenda sit, quæ veram divinæ motionis cum libertate concordiæ rationem, & cujus jam conditiones constituimus, se inituram polliceatur, & reipsa ineat. Etenim nemo est, ut puto, qui eam sententiam cæteris anteponendam ultrò non agnoscat, quę vim illam immutandi voluntatem, divinæ motioni tribuit efficaciſſimam, si nullum periculum sit perimendæ libertatis, nec alterum incommodum timendum sit, quod eam efficaciam emollire cogat. Ita enim insitum est mentibus hominum, divinæ operationi, cui nemo est qui suam salutem acceptam referre non debeat, perfectionem summam quæ inesse potest, esse tribuendam; cùm aliunde etiam ea quæ Scriptura Sacra, & Divus Augustinus docent huic sententiæ apertiùs conveniant, scilicèt eam vim divinæ gratiæ *efficacissimam, omnipotentissimam, insuperabilem, ineluctabilem esse*: Atqui sola est D. Thomæ sententia quæ utrumque conciliat, & fœdus illud se defensuram pollicetur. Nam quòd ad cæteros attinet, alii exertè efficaciam gratiæ, & motionis prævię negant: alii indifferentiam libertatis negligunt, aut etiam negant, & omnes se nescire utrumque simul jungere, & efficaciam gratiæ, & indifferentiam libertatis ultrò fatentur: ac pro excusatione adjungunt: reipsa utrumque conjungi non posse. Ergo sententia D. Thomę atque ipsius scholę Angelici Præceptoris principiis instructæ cęteris anteponenda est, quę utriusq; jura, gratię scilicèt & libertatis integra, plena, illęsaq; se servaturam pollicetur. Et verò quamvis verum habeat quod à D. Augustino dictum est, quòd *Ista quæstio ubi de libero arbitrio voluntatis, & de gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri* (lib. de gratia Christi cap. 47.) attamen mihi omninò compertum est, multò difficiliorem hanc quęstionem evasisse, quòd D. Thomę principia advocata non fuerint; quę si usurpata fuissent, multò minori negotio servatis utrique, & gratię, & libertati juribus, sine diminutione efficacię gratię, sine lęsione libertatis indifferentię, certa firmaque hęc concordia, & inita & stabilita fuisset, quantùm quidem, ut arbitror, humano ingenio capi potest, & qualem ubique D. Thomas tradidit, & jam sumus explicaturi.

Confirmatur demùm ea ratione, quę omnium potissima existimanda est, ubi agitur de mysteriis fidei, inter quę reponendam esse hanc libertatis cum Divina providentia, prędestinatione, & gratia concordiam, aliàs ex Cajetano observatum est. Potissima enim omnium ratio est ipsa altitudo mysterii cum ingenii imbecillitate comparata. *Mirabilis* enim est divinę scientię, providentiæ, & potentiæ vis, quæ administrat Orbem, & electos ad felicitatem perducit: Sed *Confortata est, & non potero ad eam.* Et ut cum S. Augustino loquar in Enchirid. cap. 99. *Absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum, O homo tu quis es. Magnum enim habet pondus, & in talibus quæstionibus ad suę capacitatis considerationem revocat hominẽ, verbo quidem brevi, sed reipsà magna est redditio rationis*: Neque enim ferenda est *impia* illorum in Apostolum jactata contumelia, qui, ut D. Augustinus refert lib. 83. qq. quæst. 68. arbitrati sunt, *Apostolum insolvenda quæstione defecisse, & objurgasse se quærentes, quia non poterat quod querebatur exponere*. Et verò cùm concedat ipse Suarez, quòd

scien-

scientia media *nimis est obscura, & difficilis necessariumque est fidei adjutoriū ut ei credatur*, tom. 2. de grat. lib. 5. cap. 28. num. 15: Quid mali habet si dictum fuerit, difficilem esse divinæ motionis cum libertate concordiam, ut ideò eam responsionem asylum esse ignorantiæ nobis objiciatur: cùm omninò certum sit, concordiam divinæ prædestinationis & gratiæ, reipsà difficilem esse: & tamen admodùm incertum sit, dari scientiam mediam, & nobis etiam compertum nullam esse: Laudanda igitur, & imitanda etiam Cajetani sententia, qui conjiciendos esse in divinam potentiā oculos monet, & sic *Quiescet*, inquit, *intellectus non evidentiâ veritatis in specie, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ*.

ARTICULUS II.

Ex D. Thoma, Motione Divina actum ad quem movet, infallibiliter effici; remanere tamen integram libertatem.

HÆc prima hujus concordiæ aut fœderis mutui divinæ motionis cum voluntate conditio, servanda esse integra divinæ motioni jura, nec minuendam aut emolliendam hujus vim & efficaciam, ne nimiùm voluntatem constringat; sed eam & efficacissimam esse, & infallibiliter actum efficere ad quem movet: nec tamen necessitatem ullam imponere voluntati. Atque id expressè sumimus ex quæst. 6. de malo, quæ *De electione humana sive de libero arbitrio*, unicum dumtaxàt articulum habet: sed quo colligit Divus Thomas ea ferè omnia quæ in hac difficultate negotium facessere possent.

Igitur cùm ea quæstione statuat, hominem esse liberi arbitrii, idque probaverit Argumentis quæ explicuimus supra, & ex triplici universalitate vel amplitudine judicii rationis, potentiæ voluntatis, & ipsius objecti, ut magìs expendemus infra;

Objicit sibi tertio loco: *Quòd cum omne animal moveat seipsum per appetitum, alia tamen animalia ab homine non habent liberam electionē; quia eorum appetitus à quodam exteriori movente movetur, scilicèt ex virtute corporis cælestis, vel ex actione alicujus alterius corporis. Si ergo voluntas hominis immobiliter movetur à Deo, sequitur quòd homo non habeat liberam electionem suorum actuum*. Idem planè Argumentum, quod D. Thomæ Scholæ objici solet: nihil aliud effici Divina Motione, nisi quòd homo ad modum operandi brutorum deprimatur, quæ cùm instinctu moveantur; & libera electione carent, & indifferentiâ voluntatis. Si igitur homo à Deo moveatur, & quidem immobiliter, nulla futura est superstes homini libertas, non magìs quàm brutis inesse possit. Sed

Respondet D. Thomas latissimum esse inter brutum hominemque discrimen, ut fusiùs explicat in corpore articuli. *Quòd in brutis forma apprehensa per sensum est individualis, & ideò ex ea sequitur inclinatio ad unum actum* dumtaxàt: at verò *forma intellecta*, qua homo regitur, *est universalis, sub qua multa possunt comprehendi*: Ideòque etiam *volūtas indeterminatè se habet ad multa*. Unde ita sic habet. *Ad tertium dicendum: quòd animalia bruta moventur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundùm modum formæ particularis, cujus conceptionē sequitur appetitus sensitivus. Sed Deus movet quidē voluntatem immutabiliter propter efficaciā virtutis moventis quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quę indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas sed manet libertas: sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen à causis cōtingentibus proveniunt effectus cōtingenter, & in quātùm Deus omnia movet proportionabiliter unumquodque secundùm suum modum*. Igitur ex Divo Thoma Deus voluntatem movet, & quidē *movet immutabiliter*, neque hæc immutabilitas ex præscientia futuri eventus, aut variis circumstantiis rerum oritur; *sed propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non potest*. Neq; tamen ea efficacia divinæ motionis absorbetur indifferentiâ libertatis, quia salva remanet proprietas naturę voluntatis. Unde *propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas: sed manet libertas*. Atque ea est aut *in sublimibus* aut sublimis *concordia*, quia divina providentia omnia movet secundùm eorum modum ac conditionem: Unde quamvìs suæ virtutis, & efficaciæ qua *immutabiliter movet* servet jura illæsa; non adimit tamen, nec lædit jura libertatis, quæ juxta suæ naturæ conditionem *indifferenter se habet ad diversa*.

Nec verò id semel à D. Thoma dictum est, ut existimari possit id nimiùm properanti excidisse. Sed prætereà 1.2.qu. 10. ubi agit de modo quo voluntas movetur, cùm Articulo 4. inquireret *Utrùm voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus*; ubi non potest non esse propriissima sedes hujus difficultatis resolvendæ,

Objicit sibi, quòd nisi voluntas à Deo movente de necessitate moveretur, sequeretur aliquid impossibile, scilicèt inefficacem fore divinam motionem. Respondet uno verbo, *Quòd si Deus movet ad aliquid, impossibile est huic positioni, quòd voluntas ad illud non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter; unde non sequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur*. En iterùm illæsa jura efficaciæ divinæ motionis: *si Deus moveat voluntatem ad aliquid, impossibile est quòd voluntas ad illud*, & quidem illud idem *non moveatur*: quod sanè ex ipsa motionis natura apertissimum est: Si enim movetur voluntas, necesse est immutari ab ea dispositione, in qua erat anteà, ut satìs compertum est, & docet idem

D. Thomas quæst. 6. de malo citata ad 17. quia quod movetur, alio modo se habet quàm se haberet antea; & necesse est, quòd *Quando voluntas incipit de novo eligere, transmutetur à sua priori dispositione, quantùm ad hoc quòd priùs erat eligens in potentia, & postea fiat eligens actu; & hæc quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantùm ipsa voluntas movet seipsam ad agendū, & inquantùm etiam movetur ab aliquo exteriori agente scilicèt Deo, non tamen ex necessitate.* Ita semper manent & Dei, & voluntatis jura inconfusa, & Deus movet voluntatem, & voluntas movet seipsam, & Deus movet suæ potentiæ motione consentanea, idest immutabiliter, & insuperabiliter, ut loquitur D. Augustinus: & ita ut impossibile sit, quòd si Deus moveat voluntatem, voluntas ad illud non moveatur. Sed quia voluntas movetur etiam, consentaneè ad ipsius conditionem: movetur ita, ut sub ea quamvis efficacissima motione, indifferentiam integram servet: quia, ut explicat D. Thomas eodem loco citato 1. 2. in corpore articuli. *Ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem: & quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus eam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat.*

Hæc à D. Thoma de motione in communi dicta sunt: quæ in omni genere motionis, nec in ordine supernaturali minùs quàm in ordine naturę locum habere necesse est: Sed prętereà etiam in singulari, cùm de gratia agebatur, non alia usurpat principia D. Thomas, quod magnitudinem ipsius ingenii demonstrat, cùm sapientię sit per altissimas causas & universalia principia, omnia resolvere.

Igitur 2. 2. quęst. 24. art. 11. ubi de charitate quærit, *Utrùm possit amitti*: duo distinguit; alterū ex parte Spiritus Sancti quo movetur anima; & ex ea parte impossibile est charitatem, & gratiam amitti. *Potest considerari*, inquit, *ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum; & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti infallibiliter operantis quodcumq; voluerit: unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquē movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* At verò potest prætereà considerari charitas *Ex parte subjecti quod est vertibile secundùm arbitrii libertatem*, & juxta conditionem ipsius voluntatis: & ex ea parte manet, inquit, integra illęsaque arbitrii libertas; ea ratione quam supra explicuimus, & de qua iterùm erit agendum; nimirùm ex universalitate, & amplitudine voluntatis, quam unicus actus implere non potest; quia *Est*, inquit, *de ratione formæ, quòd sit amissibiliter in subjecto, quando non replet totam potentialitatem materiæ; sicut patet in formis generabilium: charitas autem via non sic replet potentialitatem sui subjecti, quia non semper fertur in Deum.* Atque inde fit, quòd inamissibilis charitas ex vi, & efficacia Spiritus Sancti moventis, ejusque motionis; attamen adhùc amissibilis sit, attenta conditione voluntatis, & liberi arbitrii, nondùm gratiâ consummatâ firmati. En iterùm permixta junctaque jura divinæ motionis, & voluntatis creatæ. Gratia inamissibilis est ex parte Spiritus Sancti moventis: gratia amissibilis est ex parte liberi arbitrii vertibilis: neque ipsa Spiritus Sancti motio mutabilitatem liberi arbitrii consumit; neque arbitrii mutabilitas efficaciam Spiritus Sancti, & divinæ motionis impedit.

Confirmari iterùm potest hæc prima hujus cōcordiæ conditio ex eodem S. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. ubi cùm de præparatione ad percipiendam gratiam quęreret, utrùm ea præparatio necessariam connexionem habeat cum receptione gratiæ; distinguit in motu voluntatis quæ sese ad percipiendam gratiam disponit, duplicem diversam rationem. Si enim solius liberi arbitrii ratio habeatur, nullu necessitas est, nec jus ullum sibi vendicare potest, quo gratiam tanquàm sibi justo titulo debitam consequatur: cùm supernaturalis gratiæ donum infinitis partibus capacitatem omnem, vires, conatum, & præparationem voluntatis humanæ superet, & quantùm cælum altitudine, magnitudine, claritate, & aliis dotibus terram superat. At verò, inquit, ea præparatio ad gratiam *Alio modo potest considerari secundùm quòd est à Deo movente; & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quòd Augustinus dicit in lib. de prædestinatione Sanctorum quòd per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quòd homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur, secundùm illud Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Hactenus D. Thomas. Ex quibus iterùm, cùm aliunde certum sit integrum sub ea motione liberum arbitrium remanere; liquet eam esse ex D. Thoma hujus concordię gratiæ cum libertate primam conditionem; quòd scilicèt ex ea divinæ motionis vi, & efficacia nihil depereat; quia divina intentio divinaque voluntas nunquàm deficere potest. Unde necesse est quòd cùm Deus hominem ad gratiam movet, *infallibiliter* homo eam consequatur. Id enim habent ea Dei beneficia quòd per ea certissimè liberentur quicumque liberantur: & ea *necessitas* non coactionis, sed *infallibilitatis* nuncupatur.

Plurima ejusmodi addere ex D. Thoma, ac etiam ex D. Augustino promptissimum esset. Sed, ut à Concilio Arausicano dictum est, cùm etiam plurima retulisset; Cui ista non sufficiunt, etiamsi plurima adderentur, ea non sufficerent. Verùm,

Quæri forsitan posset, quid à D. Thoma intellectum fuerit, cùm inquit, *Quòd si ex intentione*

Dei

Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter illam cõſequitur? His enim D. Thomæ verbis ſignificari videtur, quòd ſi Deus voluntatem moveret, nec tamen ea intentione ut gratia infallibiliter voluntati conferretur, etiam voluntas gratiam non conſequeretur. Unde fieret eandem omninò motionem ſeipſa omninò indifferentem eſſe, ut voluntatem converteret, vel non converteret: fieri verò efficacem, ſi ea intentio Dei accederet, quæ velit infallibiliter gratiam voluntati conferre.

Reſpondeo primò hanc interpretationem alieniſsimam eſſe à D. Thomæ ſententia: cùm ea intentio Dei ab ipſa divina motione ſejuncta eſſe non poſsit. Sed ſicut Dei duplex voluntas diſtinguitur; altera Antecedens, altera Conſequens: ita & duplex Dei intentio diſtinguenda eſt, quæ à voluntate ſejuncta eſſe non poteſt, ac duplex motio hujus voluntatis ac intentionis effectus, ipſaque vis agendi, & quæ eam intentionem veluti ſecum defert ac involuit. Altera igitur eſt Dei voluntas, & intentio, qua Deus vult infallibiliter gratiam conferre; quam intentionem, aut voluntatem Conſequentem nuncupamus: altera verò eſt, qua diſponit quidem voluntatem ut capax evadat gratiæ recipiendæ, non confert eam tamen infallibiliter: quæ Dei voluntas vel intentio Antecedens nuncupatur. Eâdem igitur ratione etiam duplex motio diſtinguenda eſt: altera major, & efficacior, quæ eſt divinæ voluntatis Conſequentis effectus, & vis ipſius agendi qua infallibiliter gratiam confert: altera verò minor, minùſque efficax, quæ eſt voluntatis Antecedentis effectus, quæ motum aliquem imperfectum in voluntate efficit, non convertit tamen nec gratiam confert. Utraque verò ipſam Dei intentionem veluti involuit, & ſecum defert, ut parem quem voluerit effectum in voluntate variè ex diverſa motionis vi diſpoſita efficiat. Sed ut diſtinctior Reſponſio ſit,

Reſpondeo ſecundò, parùm referre, quocumque modo intelligatur hæc ex diverſa Dei intentione motio; cùm non aliud exigi à nobis oporteat, illudque ſatis ſit, Deum quandoque ita voluntatem movere, ut voluntas dilectionis actũ eliciat, & infallibiliter gratiam conſequatur: quod expreſsè à D. Thoma aſſertum eſt. Id enim ſi vel ſemel fieri poſſe conceſſum fuerit, finita lis eſt, omniſque controverſia: cùm inde conſequatur, efficacem ſua ipſa vi motionem cum libertatis indifferentia poſſe conjungi, nec ulla veroſimilis ratio ſupereſſe poterit, qua deinde id negetur: quod enim vel ſemel à Deo factum fuerit, & ſæpius, & ſemper fieri poſſe, nulla ratione negari poteſt. Unde, & cùm plurimi, initio hujus Diſputationis, inſigniores quæ referuntur in Scriptura Sacra Aſſueri, D. Matthæi, D. Mariæ Magdalenæ, & D. Pauli converſiones, efficaci, & ut loquitur S. Auguſtinus efficaciſſimâ Dei gratiâ factas non ægrè conceſſiſſent, ut in utraque Cenſura Lovanienſi, & Duacena Aſſertione 10. refertur; alii deinde ne miraculo quidem voluntatem motione vi ſua efficaci, ſalva libertate poſſe converti, & immutari affirmarunt: quod quàm parùm cum D. Auguſtini, & D. Thomæ principiis cohæreat; ſatis ſuprà demonſtravimus.

Reſpondeo tertiò, his etiam D. Thomæ verbis duplicem apertè ſatis ſignificari, & explicari motionem, & gratiam, quæ ut jam uſus obtinuit efficax, & ſufficiens nuncupantur. Cùm enim ex intentione Dei moventis eſt, ut homo jam immerſus peccatis reſurgat, & perfecta converſione gratiam conſequatur; ea motione eum impellit, ut omninò inſtar paralitici à Chriſto ſanati, ſtatim recuperata integra valetudine, & robuſta ut loquitur D. Auguſtinus voluntate, velutì deambulare poſſit, & in ſemitis juſtitiæ greſſum figere; aut inſtar alterius, cujus in Actis Apoſtolorum curatio refertur, etiam exiliat, majori interdùm Spiritus Sancti gratiâ perfuſus. Abrumpit enim ea motio omnia peccatorum vincula quibus gravabatur; & tunc gratiam *infallibiliter conſequitur*. Quòd ſi ita exigente peccati ſtatu, Deus ex juſtitia eam motionem deneget, qua homo gratiam conſequatur, ipſumque ſolùm diſponat, ut propiùs ad eam perfectam converſionem accedat; tunc minorem ac minùs validam motionem confert, quæ ipſum quidem commovet, & paululùm excitat; non tamen omninò evehit, aut è ſuo ſtatu educit; ſed ea motione commotus, & Divino lumine, quod ſemper Divinam motionem comitatur, perfuſus, inſtar illius cœci, de quo Marci 8. ſanata parùm oculorum ægritudine, incipit videre *Homines ſicut arbores ambulantes*: Ita enim, licèt ſub caligine, incipit agnoſcere parvum ſtatum, in quo verſatur; unde, & incipit oculos ad cælum attollere, & caput erigere: quamvis nondùm eas vires habeat, quibus omninò reſurgat. Quia ex intentione Dei moventis velutì proxima, eſt, quòd ad converſionem paululùm diſponatur, etſi non convertatur omninò. Quibus exemplis quæ retulimus, utriuſque motionis diſtinctio ſatis appoſitè explicatur. Unde liquet nihil abſolutè vetare quominùs dicatur motio ſufficiens, ſicut & auxilium ſufficiens, cui voluntas, & reſiſtere poſſit, & reipſa reſiſtat: cùm maximè à D. Thoma dictum ſit q. 1. de Potent. art. 2. quòd *à Deo moventur quædam efficaciùs, quædam verò minùs efficaciter*. Verùm infrequens eſt hic apud D. Thomam loquendi modus: & cùm errandi occaſio eſſe poſſet, non ſolet in hujus ſchola uſurpari: ſed motionis nomine, eam intelligit quæ habet, & ut habet effectum conjunctum. Vide tamen quæ Differt. 3. de variis explicandi modis afferentur. Sed præterea majoris adhuc explicationis gratiâ,

Reſpondeo quartò, illius quod à D. Thoma dictum eſt, *quòd ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet gratia, infallibiliter illam conſequatur*, germanum, & legitimum ſenſum eſſe, non quòd ea motio ſeipſa indifferens, futura ſit efficax, ſi Dei intentio accedat; ita ut intentio quæ accederet, aliquid adderet quo effi-

cax evaderet illa motio; quid enim addi posit, & quænam superaddita virtus motionem illam ut ita dixerim acueret, ut pervadere voluntatem eamque immutare posset? & aliunde etiam planè repugnat motionem indifferentem esse, nisi sit instar habitûs, qui etiam dormienti homini infundi potest; nec minùs repugnat motionem indifferentem esse, aut dici, quàm mortuam, cùm actu voluntatem, & vitali modo impellat, & moveat, & impossibile sit voluntatem sine actu moveri. Et præterea adverti etiam potest, dictum esse à D. Thoma quod si sit *ex intentione Dei moventis*: Non dixit quod Divina intentio accedere, & superaddi motioni possit vel ab ea sejungi: sed, quòd si sit *ex intentione*; aut ex voluntate *Dei moventis, quòd homo cujus cor movet, gratiam infallibiliter consequatur*, tunc validiori, & fortiori motione voluntatem movet, ut eam, omninò immutet: concipiendum enim est, ut sæpiùs ex Sancto Doctore retulimus, Divinam motionem esse instar cujusdam impulsus, qui & major, & minor esse possit, cùm ut mox diximus, Deus *quædam efficaciùs, & quædam minùs efficaciter moveat*. Cùm verò ex intentione Dei est, quòd ita moveatur homo, ut etiam convertatur; *efficaciùs* validiùsque hujus voluntatem impellit, ut *efficaciùs* adjuta voluntas majorem conatum adhibeat, eliciatque perfectiorem actum; quem dubium non est quantitati motionis, & virtutis moventis veluti adæquari. Quo pacto etiam facilè, & sufficientis, & efficacis auxilii discrimen, & distinctio explicatur. Minor impulsus qui voluntatem ad imperfectiorem aliquem actum eliciendum impellit, & ad perfectam conversionem solùm disponit, auxilium sufficiens vocatur: Major autem impulsus qui perfectiorem actum elicit, & hominem etiam convertit, auxilium est efficax.

ARTICULUS III.

Altera concordiæ divinæ motionis cum libertate conditio, quòd sub ipsa motione possit agere, & non agere. Motio divina non modificatur sed modificat.

ACcedimus ad præcipuas hujus concordiæ fœderisque conditiones, quæ libertatem attingunt, cui periculum potissimùm imminere existimatur, ex nimia potestate motionis, ut solet in connubio, cui diximus hoc gratiæ, & libertatis fœdus simillimum esse, & in quo interdùm *premitur magno conjuge nupta minor*. Verùm nobilioris connubii hoc fœdus imago est, scilicèt connubii, si dici possit, aut fœderis Verbi divini cum humanitate, quæ mirùm in modum illo consortio nobilitata est, nec sua amisit, ut ex Divo Leone dictum est, sed amplissima dote, aut veriùs, & tota plenitudine Divinitatis *corporaliter*, ut loquitur Apostolus, id est, *secundùm omnem dimensionem* ut explicat D. Thomas, ad altiorem statum evecta est. Et ut comparatio sit opportunior; quamvis humanitas Divino Verbo, tanquàm ipsius instrumentum conjunctum, moveretur multò intimiùs quàm ipsa manus moveatur ab anima, ut notat idem D. Thomas 4. cont. gen. cap. 41: attamen tantùm abest ut ea motione, aut directione Verbi Divini humanitatis auferretur libertas, ut inde contrà multò perfectior fuerit.

Probatur igitur Sanctum Thomam, cujus sententiam investigamus, & ex quo desumpta esse omnia quæ ejus Schola docet contendimus; *Primò* ita sensisse, nosque etiam docuisse; quòd quamvis voluntas motione Divina ad unum determinetur, attamen etiam indifferentiam integram retineat agendi, & non agendi, qua nihil majus ad completissimam libertatem requiri potest. Et in primis quæst. 6. de malo jam citata, expressissimè inquit, & expressiùs forsitan quàm multi voluissent, cùm nullus explicationi locus relictus esse possit: *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia Divina infallibiliter operatur; & tamen à causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantùm Deus omnia movet proportionaliter unumquodque secundùm suum modum.* Ergo ex D. Thoma hæc duo invicem jungi non repugnat, & voluntatem esse à Deo determinatam ad unum, qui *immutabiliter voluntatem movet propter efficaciam virtutis moventis*; & tamen voluntatem *indifferenter se habere ad diversa*; idest indifferentem, & indeterminatam esse ad multa. Vide quæ superiori Articulo allata sunt, ubi probatum est, vim Divinæ motionis esse infallibilem, & tamen libertatem supereesse integram, & intactam sub ea motione. Quæ enim suprà ex D. Thoma satis multa retulimus, huic etiam assertioni probandæ opportunissima sunt.

Secundò: id etiam probat D. Thomas à priori, & ex propriissima causa scilicèt, Divina providètia, quæ ita vim omnem agendi temperat, dum causas movet; ut quamlibet juxta ipsius genium, & conditionem, & moveat, & impellat. Ita enim inquit 1.2.qu.10.art.4. *Quòd, sicut Dionysius dicit 4. cap. de Div. Nomin. ad providentiam Divinam nō pertinet naturam rerum corrumpere sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem. Ita quòd ex causis necessariis per motionem Divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat,*

sed

ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter movet. Hæc igitur veriſſima cauſa eſt, cur divina motio libertatem intactam ſervare poſſit. Quòd divina providentia ita motionem ac impulſum temperet, quo voluntatem impellit, ut quamvis voluntas immutabiliter propter efficaciam divinæ virtutis agat; attamen quia movetur voluntas conſentaneè ad ejus naturam, & conditionem, ita etiam movetur, ut tamen indifferenter ad multa ſe habeat.

Tertiò: Ad idem refertur quod idem D. Thomas Quodlib.1,a.7.ad 2.inquit, *Dicendum quòd Deus movet omnia ſecundùm modum ipſorum: & ideò divina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate: à creatura autem rationali cum libertate, propter hoc quòd virtus rationalis ſe habet ad oppoſita: & ideò ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd huic motioni reſiſtere poteſt.*

Confirmatur, ex eo quod divina motio virtute, & efficaciâ ſit multiplex, & pro varia cauſarum conditione varios in ipſis effectus producat: & in eo poſita eſt divina illa modificatio de qua D.Gregor.lib.27.moral. cap.15. in illud Job cap. 37. *Et nō inveſtigabitur, cùm audita fuerit vox ejus*: qua modificatione ſummus ille rerum omnium Opifex, qui *Inviſibiliter viſibilia modificat, in humanis cordibus cauſarum ſemina incomprehenſibiliter plantat.* Inviſibilis enim, & occulta in rebus vis eſt, quæ *viſibilia* omnia *modificat*, ac miris modis movet ac impellit; ut dici poſsit quod aquę vivæ tribuitur ex D.Chriſoſtomo in Joan. 4. quæ de cælo leniter decidit; & quæ communis, & univerſalis ſpiritus Archæi, & Principis, ut vocant, vim occultam ſecum defert, omnia vivificat, & vegetat. *Sicut aqua*, inquit, *deſcendens de cælo nutrit ac vivificat, & cùm ſit unius ſpeciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in roſa, purpuriſans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in abſynthio*: Ita & divina operatio in rebus omnibus operatur. Quod ſanè facilè quiſque intelliget, qui animadvertet, Deum rebus omnibus præſentem adeſſe, in jiſque perpetuò operari; quod adeò veteribus quibuſdam compertum erat, ut exiſtimaverint, etiam cauſas ſecundas nihil agere, ſed Deum dumtaxàt ad præſentiam cauſarum omnia efficere: ut exempli gratiâ, quòd *Ignis non calefacit, ſed Deus cauſat calorem præſente igne; & ſimiliter dicunt in aliis omnibus effectibus naturalibus*, ut refert D.Thomas 3. cont. gent. cap. 69. & quæſt. 3. de pot. art.7. eâque ratione Deum eſſe, qui occultus v. g. in pluvia ea quæ ſuprà retulimus efficit, omnia vegetat pro vario cujuſque genio & natura; non enim omnis fert omnia tellus. Et quamvis ea ſententia ea parte à vero aliena ſit, quòd cauſis omnibus actiones, vimque agendi eripiat, cùm è contra *Ad abundantiam divinæ bonitatis* pertineat *ut dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet*: ut inquit D. Thomas 1. par. quæſt. 22. art.3. attamen altera ex parte, certum eſt, Deum omnia in omnibus agere, & totam naturam ut inſtrumentum adhibere ad ſuos omnes effectus producere, ut jam ſæpiùs ex Sancto Doctore retulimus, & videri poteſt apud eundem 2. cont. Gent. c. 21. & 3. cont. Gent. cap. 100. Unde & multis in locis notat, ideò Scripturam S. etiam in Deum operationes cauſarum referre, *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me &c.* Quod etiam à veteribus dictum fuiſſe neminem latet: quòd ſpiritus intùs alit, & totam per artus infuſa mens agitat molem, & ſe ſe magno corpori miſcet. Unde hominum, pecudum, volucrum genus omne, quibus omnibus igneus eſt vigor, & cæleſtis origo, Æneid: 6. Quæ omnia pari eloquentia proſequitur Boëtius Metr. 6. lib. 1. ac in Deum refert: quòd cælum rapido turbine verſet; quòd cùm venerit fervida æſtas, noctis agiles horas dividat; quòd hujus vis varium temperet annum, & quas boreæ ſpiritus turboque dejecerat, mitis, zephyrus reparet, & revehat arborum frondes: aliaque ejuſmodi, quæ Deum in rebus omnibus operari probant, ſuntque hujus immenſitatis, & Chriſtianæ pietatis clariſſimum fundamentum, quæ Deum ubique præſentem agnoſcit, ac etiam operantem in rebus omnibus, eaſque ad ſuas operationes moventem, & impellentem, quibus ut inſtrumentis ad ſua beneficia mortalibus impertienda utitur, & cui etiam fidelis anima veriùs quàm naturalibus cauſis naturæ omnia commoda, & beneficia accepta refert.

Igitur inviſibilis eſt in rebus viſibilibus quædam *Modificatio*, quæ eas omnes ad earum naturam conſentaneè movet, ut de aqua in floribus, plantiſque diximus. Neque enim exiſtimandum eſt, aquam humorem dumtaxàt quendam ſubminiſtrare, qui deinde variis plantarum aut florum radicibus exceptus, ac variè temperatus, varios flores aut plantas producat: ſed aqua præterea tanquàm commune omnium principium, & omnium communis mater, univerſalem habet virtutem, ut ſecretioris naturæ ſcrutatores animadvertunt: ideòque nominari *Aquam* obſervant, ut ea ſit *à qua* omnia oriuntur. Unde etiamſi aliqua ex ſpeciebus aromaticis, ut eſt cariophyllum in aquam immittatur, in eaque tandiu relinquatur, donec vis illa communis, aut ſemina quæ in ſe ſe complectitur, excitari potuerint: in ea aqua beneficio Microſcopii omnis generis piſces quàm apertiſſimè conſpiciuntur; ut ipſe ſæpiùs non ſine maxima admiratione conſpexi. Quod nimirùm cariophylli calore latētia in aqua ſemina excitentur, quibus omnis generis piſces producantur: quod ſanè quoties à me viſum eſt, toties illud à Plinio dictum in memoriam recurrit: *Multa in majeſtate naturæ reconduntur*, illudq; Ariſtotelis, nullam rem eſſe *quæ mirandum aliquid non habeat*; ut vel inde nemo non debeat ſuę temeritatis admoneri, ſi velit divinam potentiam ſui ingenii exiguitate metiri, ipſique terminos figere; cùm ad ea quæ apertiſſima, & communiſſima ſunt, in omniumque oculis poſita, talpis cæciores ſimus. Aqua igitur vim habet

agen-

agendi universalissimam, aut veriùs rerum omnium virtutes effectivas in se se continet, quas D. Augustinus nuncupat rationes seminales, & explicat D. Thomas 1.par. q.115.art.2. quę juxta varias causarum dispositiones variè se se exerunt, prodeuntque; ut verissimè de aqua dici possit, quod à D. Augustino dictum est 3. de Trinit. c. 9. & refert D.Thomas q.5. de Providentia a.9.ad 8. *Quòd sicut matres gravidæ sunt fœtibus, sic iste Mundus gravidus est causis nascentium*: & ipsa aqua gravida est seminibus, aut virtutibus rerum effectricibus, quibus vario modo in variis operetur: *Dealbans in lilio, rubricans in rosa, dulcorans in ficu &c.* Unde cùm aqua potissimùm dominio Lunæ subjiciatur, quod certis naturæ experimentis comprobatur; sicut *Luna* velutì *luminum una* dicta est, quòd omnium Planetarum virtutes ac influxus recipiat, tanquàm communis omnium matrix: ita etiam aqua virtutes omnium genitales ac seminales habeat: sive ex illo Lunæ dominio cui subjicitur; sive ex omnium Planetarum influxibus quos recipit. Nihil enim in rebus oriri, quod suam non habeat in corporibus cælestibus causam, jam sæpiùs observatum est; quæ virtutes cùm in materiam dispositam incidunt, nisi aliunde impediantur, variè se se exerunt, & varios effectus producunt. Atque illud idem reipsà est quod inquit D. Thomas qu. 3. de Malo art.2. ubi observat, *Quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundùm proprium modum*: quod explicat exemplo plantæ; nam *alio modo*, inquit, *consequitur ex motu Cæli pullulatio plantæ in qua virtus generativa non deficit, sed producit perfectum germen: alio modo pullulatio plantæ, cujus virtus generativa est debilis, & producit germen inutile. Cùm enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendam motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundùm intentionem primi moventis: sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta.* Hactenùs de illa arcana modificatione, quâ Deus *invisibiliter visibilia modificat*, in cujus explicatione paululùm immorati sumus, quòd ea comparatio ad explicandam operationem Dei in rebus opportunissima esse videatur. Unde

Confirmatur iterùm, & explicatur eadem ratio, quòd non minùs in ordine morali, & supernaturali divina motio multiplicem vim habeat: Est enim huic arcanæ modificationi in rebus visibilibus, simillima divinæ motionis modificatio potissimùm in voluntate in omni ordine. In omnibus enim causis vel necessitatem, vel cõtingentiam, vel libertatem efficit, consentaneè ad earum naturam, quod ad Divinam Providentiam pertinere retulit Divus Thomas ex S. Dionysio. Refert enim motio Divina suæ causæ virtutem, aut ut diximus sæpiùs, est ipsius vis agendi: unde vel universalissima virtus agendi est, vel universalissimæ causæ virtus: ideòque licèt *sit unius speciei*, ut D. Chrysostomi verba advocem, (quamvis tamen ad speciem propriè motus, motio, & virtus instrumentaria pertinere nõ possint, ut alibi diximus:) sed ut ut sit, sicut aqua interdũ impetu de cœlo decidens, interdùm verò lentè ac leniter, licèt unius sit speciei, vario modo operatur: *Ita Spiritus*, addit D. Chrisostomus superioribus quæ ex ipso retulimus, *Ita Spiritus de cælo descendens*, aut ipse Deus qui animis illabitur, *nutrit ac vivificat; & cùm unus sit, variis operationibus gratiam dividit ac virtutem.* Intellectum movet, ut veritatem agnoscat; voluntatem, ut charitate accendatur; inferiorem appetitum, ut hujus pravi motus cohibeantur: atque in iis omnibus, ut Divinæ Sapientiæ *Spiritus unicus, & multiplex*, seu *multiformis gratia* vires suas explicat & exerit; & juxta variam potentiarũ quas movet, & impellit indolem, & in intellectu quidem, & appetitu contingentiam, in voluntate verò libertatem efficit. Et quod inde facilè intelligitur, eadem motio, velut *in fico dulcorans, in absynthio amaricans*, hominem probum atque in recta dispositione constitutum ad virtutem impellit, hominem verò peccatis immersum, ita exigentibus meritis, detorquere prava voluntate motionem ad actum peccati permittit. Quòd multò faciliùs intelliget, qui animadverterit, quòd sicut à nobis ex Divo Thoma dictum est, totam naturam, omnesque ejus causas veluti instrumenta ad Deum ut causam principalem referri; ideòque Deum præsentem causis omnibus, ipsisque quantumvis exiguis & vilibus rerum seminibus, ut fides dubitare non permittit; eas omnes causas, ea omnia semina, ad suos effectus producendos movere, & impellere: ita etiam motionem Divinam, ut aliàs diximus, causam primam veluti involuere, ac Deum sistere præsentem: cùm certum sit Deum operatione præsentem in rebus fieri. Unde facilè intelligitur, Deum in homine justo speciali præsentiâ ac singulari inhabitantem, eum ad actus studiosos, ac omnium virtutum, movere, & impellere. At verò in peccatore Deum etiam tanquàm omnium primam causam, sua immensitate præsentem communi motione prævia, & physica, & sicut communi influxu simultaneo physico in hujus operationes influere; sed eam motionem pravitate voluntatis ita detorqueri, & inflecti, ut in illa *amaritudinis radice*, quam vocat D. Paulus ad Hebr.12. Divina motio recepta, fiat veluti *In absynthio amaricans*. Etenim etiam in ipsis *Dæmonibus cùm intelligatur natura quæ est à Deo*, ipsi naturæ Deum sua immensitate, & operatione præsentem esse negari non potest: quamvis absolutè dici non debeat, propter deformitatem culpæ, quam Deus non efficit: *sed cùm hac conditione* concedendum est, quòd Deus est in dæmonibus, *in quantùm sunt res quædã*, ut inquit D. Thomas 1. par. qu. 8. art. 1. ad 4. quod etiam de peccatore asserit. Sed de his in solutionibus argumentorum aliàs multa dicta sunt, ubi ostendimus ex Divo Thoma Deum etiam ad substantiam actûs pravi movere, ut dici possit illud Psalmi 4. *Quoniam irrita-*

ritaverant te Domine, aut ut Hebræum legit, *Quoniam amarum reddiderunt te Domine*, כי מרו בן ut etiam refert D. Thomas in hujus Psalmi explicatione.

Dices tamen, ea comparatione magìs everti quàm stabiliri sententiam de divina motione: etenim ex ea comparatione apertè deducitur, ipsam motionem, sicut & vim aquæ pluvialis ipsosque etiam Cælorum influxus esse indifferentes, & juxta variam materiam cui incidunt, variam velutì formam inducere, varioque effectus producere. Ergo ea comparatione evertitur sententia de divina motione &c.

Verùm impugnari multis potest ea solutio. *Primò*. Quòd ea comparatio eo sensu, eoque fine advocata fuerit, ut ostenderetur, mirum non esse quòd à nobis dictum fuerit, una eâdemque divina motione in causis necessariis necessitatem, in contingentibus contingentiam, in liberis libertatem effici posse: cùm etiam in rebus creatis una eademque vis activa diversos etiam specie effectus possit producere, ut potissimùm de ea vi genitali aquis impressa diximus.

Secundò. Distinguenda prætereà sunt duo ex S.Thoma in ipsis qualitatibus activis, *res* scilicèt, *& ratio*, sive ut sunt accidentia, & informant subjectum cui inhærent, & ut sunt virtutes activæ, & ut agunt in genere causæ efficientis. Secundùm rem, ut accidentia, & ut causæ formales, omninò dependent à subjecto, ut v.g. lux per vitra varii coloris immissa, cùm ea ratione in genere causæ formalis passivè se habeat non activè, varias velutì formas, & varios colores induit. At verò ut qualitas activa est, & prima corporis inalterabilis, vim suam exerit ipsumque subjectum in quod agit, sibi subjicit, quod idem de cæteris dicendum est. Et quamvìs varia subjecta, diversamque materiam exigat, ut suos effectus producat, quia non omnis fert omnia tellus, neque constitutus jam ordo rerum à causa particulari invertitur: attamen quando materiam dispositam vis activa reperit, ipsum subjectum ac materiam sibi subjicit ac determinat: quod in ea de qua diximus virtute genitali aquæ videre est. Etenim vis illa ex aromatibus immissa, vim aquæ, & ipsam aquæ materiam in qua agit, ita sibi subjicit, & ita determinat & immutat, ut varias etiam species possit producere: Ergo etiam eodem modo ipsa divina motio impressa voluntati, quamvìs ut causa formalis, & ut accidens, & secundùm entitatem à voluntate dependeat; attamen ut vis activa, & vicaria potentiæ divinæ, sibi subjicit voluntatem; & major vis activa motionis, quàm vis activa voluntatis eam inflectit, eam immutat, sibique adjungit, ut sibi cooperetur: sed tamen modo ipsi consentaneo, cùm eam versùs objectum moveat, & convertat, quòd cùm ipsam omninò replere, & satiare non possit, potest illud respuere. Ut enim supra diximus, hoc ipsum quòd voluntas agat, quòd velit, quòd se determinet, quòd divinæ motioni adjungatur, & cooperetur, hæc omnia efficit divina motio. Quia licèt determinetur à se voluntas, non tamen ut à primo agente: & quamvìs sit agens liberum, non tamen est primum liberum; sed libertas creata sub libertate increata ponitur, ab eaque dependet; sicut & *Providentia hominis*, inquit S. Thomas 1.par. q.22. art.2. *continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universali*.

Sed *Tertiò* impugnatur ea responsio, quòd vel aquæ vis activa, vel Cælorum influxus sint dumtaxàt virtutes agendi causarum particularium, si cum ipsa causa prima conferantur, neque possint ipsas dispositiones inducere: unde nihil mirum si eas requirant. At verò divina motio vis est activa causæ primæ, & universalissimæ, quæ in voluntate, ut libuerit operari potest, eam immutare, in eaque dispositiones efficere, & quantumvìs repugnantem sibi subjicere. Ideòque creationi comparatur, quæ nullam dispositionem supponit, sed efficit. Unde sic instaurari potest argumentum. Ideò Cælorum influxus, aut altera vis activa indifferens est, & à subjecto dependet, quia est vis agendi causæ particularis, nec potest dispositiones inducere, ipsaque sua vi efficere: Atquì è contra divina motio vis est Omnipotentiæ Divinæ, & potest ipsas dispositiones inducere: Ergo ipsa sibi voluntatem sua ipsa vi, ut divinæ potentiæ vicaria subjicit, ipsique modum imponit. Et ut inquit S. Prosper Carmine de Ingratis.

Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit: Non moribus illi
Fit mora: non causis anceps suspenditur ullis.

Confirmatur, quòd divina motio non ipsa in causis, aut voluntate, ut ita dixerim, modificetur, sed eas ipsa modificet, iisque modum quem Deus voluerit imponat: Ergo ipsa sua vi efficere poterit ipsam libertatem, & hæc duo in voluntate, infallibilitatem scilicèt cum libertate conjungere. Antecedens probatur: & 1. hæc modificatio activa, & effectrix apertior est in conversionibus, quæ miraculo fiunt, cùm ipsa momento dispositiones omnes inducat, ut in D. Paulo, qui *Cùm esset in progressu peccati, momento perfectè motum est cor ejus à Deo*, quia *facilè est in oculis Dei subitò honestare pauperem*, Eccles. 11. ut inquit S.Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 2. In aliis etiam omnium causarum effectibus, potissimùm supernaturalibus, maximè verò insolitis, ut Prophetia, & ejusmodi, eadem modificatio activa aperta est. Quamvìs enim Deus interdùm dispositionibus quas reperit, & jam effecit, utatur, quia non semper miracula adhibet, nec immutat constitutum jam ordinem; attamen sive ipsas dispositiones efficiat, sive jam effectis utatur, ipsa iis modum imponit, easque ut vult modificat: quod egregiè à Divo Augustino dictum est in Psal.49.vers.1. *Deus Deorum locutus est*. Ubi ita inquit: *Deus locutus est multis modis; per Angelos ipse locutus est: per Prophetas ipse locutus est: per os proprium locutus est: per Apostolos suos ipse locutus est: per fideles suos ipse loquitur: per humi-*

humilitatem noſtram, cùm aliquod verum dicimus, ipſe loquitur. Videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vaſa, per multa inſtrumenta, ipſe tamen ſonat ubique, tangendo, modificando, inſpirando. Ipſe igitur Deus *ubique* cauſas omnes ac potiſſimùm voluntatem velutì inſtrumentum quo utitur, *modificat*, ſicut & alibì inquit lib. de Correp. & Gratia c. 14. *Intùs agit in cordibus hominum, corda tenet, corda movet, eoſque voluntatibus, quas ipſe in illis operatus eſt trahit.* Omnia enim omninò & ipſas res, & rerum omnium modos efficiat neceſſe eſt. Atque in eo etiam poſitum eſt illud *divinæ gratiæ artificium*, ut vocat Gilbertus Abbas, ut quamvìs efficaciſſima, attamen nullam vim inferat libertati, quia ipſam libertatem, ſicut & alios omnes modos efficit. Aliter enim neceſſarias cauſas movet, aliter liberas, ſicut etiam inquit Divus Auguſtinus, aliter quis inflat tubam, aliter fiſtulam: quod efficaciæ temperamentum in ipſis Scriptoribus Canonicis animadvertunt ſæpiùs Divus Hieronymus, Divus Auguſtinus, & alii in quibus apertiùs ea motio, & inſpiratio Divini Spiritus agnoſcitur. Quo ſenſu illud à quibuſdam intelligitur. *In manu Prophetarum aſſimilatus ſum*: quòd velutì ſimilem indolem ac temperiem cum eorum geniis aſſumere videretur: cum aulico enim Iſaïa elegantior ſcriptio eſt, cum ruſticano Amos incultior: quamvìs utraque Divino Spiritu movente & impellente edita fuerit: de quibus plura aliàs: hæc enim ſatìs ſunt ad demonſtrandum quòd divina motio, ſicut & Divina Providentia non minùs ipſius operationis divinæ, quàm creatæ libertatis, jura ſervet, & hæc duo invicem conjungat, infallibilem ſcilicèt ac immutabilem divinæ virtutis efficaciam, quæ ad unum determinat; quod jus eſt divinæ motionis, & operationis: ac etiam ſummam libertatis indifferentiam, quæ ad plura diverſa oppoſitaque indifferenter ſe habet, quod etiam jus eſt creatæ libertatis.

ARTICULUS IV.

Altera probatio: quòd hæc duo jungi poſſint, & debeant, voluntatem ad unum determinari, & indifferentem eſſe ad plura.

PRobatur, hæc duo quæ ita repugnare Recentiores exiſtimant, ut nulla arte unquàm jungi poſſint, minimè repugnare. Et ſanè mirum eſt, hæc duo jungere viſum fuiſſe arduum, cùm res & facillima ſit, & ita neceſſe ſit rem ipſam ſe habere. Inprimìs enim quæ repugnantia eſſe poteſt, voluntatem unum actum reipsâ elicere, & ſimul plures alios elicere poſſe, ſive habere unam operationem actu, & reipsà; & tamen plures in potentia; hoc enim eſt eſſe determinatum ad unum, & indifferenter ſe habere ad plura: Atquì ſi natura inſpecta fuiſſet, quæ poſt Sacram Scripturam, & alias Fidei regulas omnium optima magiſtra eſt, ſtatìm objeciſſet oculis res omnes compoſitas, in quibus materia uni determinatæ formæ actu & reipsà ſubjicitur, & tamen capacitatem habet, & potentiam penè infinitam ad plures: quin etiam nulla eſt potentia, quæ cùm in actum prorumpit, nullus habitus qui cùm in actum reducitur, nulla ars quę cùm exercetur, unicum dumtaxàt actum non habeat, aut unicum dumtaxàt opus non moliatur; & tamen potentia, habitus, ars cùm majorem amplitudinem, & capacitatem habeant, quàm unicus actus habere poſſit, etiam indifferenter ſe habent ad multa: Ergo nulla repugnantia eſt quòd hæc duo jungantur; jungique poterunt in ipſa voluntate; ſcilicèt ad unum divina motione eam determinatam eſſe, & tamen ſuapte natura indifferentiâ ſervare. Atq; eam rationem in terminis habet D. Thomas, qu. 6. de Malo: *Cùm actus*, inquit, *ſint in ſingularibus, in quibus nullus eſt, qui adæquet potentiam univerſalis, remanet incliuatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa.*

Confirmari iterùm poteſt, ex eo quòd quocumque tandem modo res explicetur, ita omninò fieri neceſſe ſit: & majoris claritatis gratiâ ſupponi velim, immò etiam omninò concedi, voluntati creatæ jus illud competere poſſe, quod habet divina voluntas ut prima cauſarum cauſa, quòd ſe ſe ipſam, & primò determinet, atque adeò in ratione principii nullam priorem cauſam voluntas agnoſcat, & voluntas velutì *Dea Volumna.* (D. Auguſt. lib. 4. de Civit. cap. 21.) prima ſuæ determinationis cauſa ſit. Quocumq; modo res iſta ſe habeat & agatur, ſi voluntas ſe ſe ipſam determinet, evidentiſſimum eſt voluntatem ad unum dumtaxàt actum determinatam eſſe, neque enim plures elicere ſimul poteſt: & tamen nemo jure negaverit in principiis D. Auguſtini, & D. Thomę verſatus, quin integram indifferentiam activam ſervet: Ergo hæc duo in voluntate jungi non repugnat: neque ullo pacto aliter unquàm poteſt intelligi, niſi rerum omnium ordo, & potentiarum omnium capacitas, & amplitudo deſtrueretur.

Confirmari ampliùs poteſt argumento quod aliàs proſequuti ſumus, & quod eandem in hac difficultate vim habet. Nulla vel tenuiſſima veroſimili ratione negari poteſt, quin Deus ſummâ & infinitâ potentiâ efficere poſſit, quod efficit voluntas, & quidem in genere cauſæ *efficientis*, quodque ad perfectionem pertinet: Atquì voluntas poteſt hæc duo conjungere, ac reipsà conjungit; ſe ſe determinat, neque moraliter ſolùm, neque concomitanter dumtaxàt; neque enim his diſtinctionibus hìc locus ullus eſſe poteſt; ſed prævìè, ſed phyſicè movet ſe ipſam, ſeque determinat, dum actum elicit; & tamen ad unum determinata ſervat indifferentiam ad plura: Ergo niſi, ut objiciebat D. Auguſtinus, perfectiùs aliquid

quid voluntas in ſe ipſa, & ſe ſe primò determinante, & movente, quàm Deus in ipſa eam determinans, & movens efficere poſſit; negari non poteſt quin Deus poſſit & voluntatem ad unum actum determinare, & tamen relinquere potentiam & indifferẽtiam ad plura. Et hanc rationem habet D.Thomas q.22.de Verit.artic.8. *Voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud*, idque ſalva indifferentia. Ergo ſimiliter, *& multò ampliùs Deus.* Eaque ratio etiam à D.Auguſtino deſumpta eſt lib.10.de Civit.Dei cap.14.ubi inquit: *Omnia quæ præſtare hominibus, vel Angeli, vel homines poſſunt, in unius eſſe Omnipotentis poteſtate, quiſquis diffitetur, inſanit.* Poteſt hæc duo ſibi voluntas conferre: Ergo poteſt & Deus.

Dices hęc quidem ſatìs intelligi poſſe cùm ſe ſe ipſam voluntas determinat; ſi quæ enim ſit neceſſitas, eam ſibi ipſi voluntas imponit, quę proindè, ut inquit D. Bernardus, voluntaria neceſſitas eſt, nec habet voluntas quòd conqueratur, cùm ipſa ſibi hanc neceſſitatem fecerit. Verùm

Impugnari hæc facilè poſſunt, & præter ea quę ſuperiùs diximus. *Primò.* Hæc ſolutio argumenti vi ſuccumbit. Ex ea enim ſtatìm colligitur: Ergo hæc duo, voluntatem ſcilicèt, & determinatam eſſe ad unum, & tamen indifferentem ad plura, reipsà jungi non repugnat; cùm in voluntate quæ primò determinaret ſe ipſam, hæc duo jungerentur, ut hac reſponſione conceditur: neque etiam ulla ratione negari poteſt. Sed

Secundò. Ut hæc explicentur magìs: ad hoc unum tota difficultas devolvitur: hæc duo equidem ſimul jungi abſolutè non repugnare, cùm hæc duo voluntas in ſe ipſa conjungat: non poſſe tamen ulla potentia, etiam per miraculum, hæc duo divina motione à Deo in voluntate conjungi. At verò quis iſta ſatis intelliget, aut ultrò admittet? Poteſt voluntas, non poteſt Deus, & quidem licet utrumque ad perfectionem pertineat, ut dictum eſt ſupra. Poteſt voluntas ex vi & facultate ſibi à Deo conceſſa, non poteſt Deus qui hanc facultatem conceſſit. Et ſanè ſatìs ratio ſuadet, quòd ſi quid poſſit vis aliqua inferior, & perfectio participata, idem & in eo genere poſſit ea vis major, eaque perfectio, aut veriùs perfectionis plenitudo, cujus altera levis ſolùm quædam participatio eſt. Quis neget quòd ſi Luna quæ lucem omnem à Sole mutuatur, vim aliquam illuminandi habeat, & efficere aliquid poſſit in eo genere illuminandi, illud & multò nobiliori modo Sol ſua luce præſtare poſſit, cujus lux Lunæ participatio ſolùm quædam eſt: Ergo ſi voluntas acceptâ à Deo potentiâ, & facultate, ſe ipſam determinare poſſit, & hæc duo quæ jam diximus jungere; quis neget Divinâ Omnipotentiâ cujus hæc facultas, & potentia voluntatis participatio quædam eſt, hæc etiam in voluntate poſſe conjungi? Et ſi poſſet machina à perito artifice eâ induſtriâ confecta eſſe, ut ſe ſe ipſam moveret, certoſque motus ederet, licèt artifex ad eos motus ciendos manum non admoveret, ut de machina referunt à Beato Alberto Magno tanta arte confecta, ut humanum caput referret, & verba quædam proferret, ac inſtar hominis loqui videretur, cui ſimilis machina à paucis annis Pariſiis in nundinis S. Germani viſa eſt, quæ Democritum & loquentem, & effuſo interdùm cachinno ridentem referebat: quis dubitet poſſe ipſum artificem ſe ipſo immediatè, & admota manu partes illas machinæ movere, ut eoſdem ſonos, & quidem certiùs ac cum minori errandi periculo ederet?

Tertiò. Idq; altero exemplo explicatur: ſi pręciſa manus v. g. aut pręciſum caput poſſit interdùm motus aliquos edere, oculos minaces intorquere, attollere, vel deprimere &c. quod interdùm viſum eſt, impellentibus ſpiritibus quibus oculi commoventur; quodq; in imperfectis animalibus apertius eſt, in quibus partes pręciſę apertiùs, & diutiùs commoventur: quis dubitet eoſdem motus multò perfectiori modo fieri poſſe, cùm illæ partes conjunctę ſunt, ipſaq; anima illos ſpiritus, vimq; movendi immediatè, & conjuncta ſubminiſtrat. Tota natura reclamat, non poſſe à Deo omnium authore, & parente, cauſaq; prima fieri, quod à voluntate aliave cauſa ſecunda fit in genere efficientis cauſę, quodq; ad perfectionem pertinet. Et veriſſimè nunquàm intelligi poterit, quòd radix ipſius potentiæ, ſuo influxu quamvìs prævio, quamvìs phyſico, prejudicium ullum potentię inferre poſſit. Atqui *& Deus intimior eſt intimo noſtro*, inquit D.Auguſtinus, & ut ex eodem obſervari poteſt; cùm dixiſſet lib. de Quant. Anim. cap. 2. *Vellem ut nihil aliud agerem, quàm reddere me mihi, cui me maximè debeo.* Retractat hæc verba lib.1.Retract.c.8.quòd dicere potiùs debuiſſet, *ut redderem me Deo cui maximè debeo.* Etenim *Deus eſt eſſe omnium*, inquit D. Dionyſius apud D.Thomam 1.par.q.3.a.5.eſt vita ipſius animæ, & ut inquit idem Auguſtinus ſerm.6. de Verbis Domini, & alibi ſæpiùs, *ſicut anima eſt vita corporis, ſic vita animæ Deus.* Et ex D.Ambroſio lib. de Dignitate Hominis c.2. *Deus unus eſt, omnia vivificans, movens, gubernans, ſicut anima in corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans.* Et breviùs, ut ſolet D. Thomas 1.2.qu.17.art.8. ad 2. *Sicut Deus movet Mundum, ita anima corpus.* Quæ fuſiùs proſequitur opuſc.61.cap.20. ubi longa comparatione præſentiæ, & operationis Dei in anima, & animæ præſentiæ & operationis in corpore, ſe ſe ad pietatem, & amorem accendit, ſeque ipſum alloquutus; *O anima mea*, inquit, *qualis es ad corpus tuum, talis quodammodò eſt ad te Deus*: & pluribus enumeratis, *Habes à Deo tuo tria quæ das corpori tuo, vitam, ſenſum, & motum moralem: & quandocumque te vult abjicere, tunc liceat tibi vitam tuam, ſcilicèt Deum abjicere. Quod ſi hoc eſt impoſſibile, fac vitæ animæ tuæ, ſcilicèt Deo, quod corpus Juæ: appete continuare conjunctionem, horre præ omnibus ſeparationem*, & alia ejuſmodi plurima, quæ ſummam pietatem cum pari doctrina conjunctam oſtendunt. Anima igitur per modum potentiæ proximæ in ſe ſe determinationem cum

libertate, & indifferentia conjungit. Ergo nulla ratione negari potest, idem fieri à Deo posse.

Quartò. Si supponatur etiam quod adversa sententia defendit, quòd voluntas seipsam primò determinet ac moveat, secluſa quacumque prævia Dei motione: ideò ea determinatio libertati non adversatur, quia voluntas, & voluntariè, & liberè agit: v. g. cùm inter duo objecta unum eligendum occurrit, vel servanda castitas ex divino amore, aut etiam pœnæ æternæ timore; vel eligenda voluptas fruenda ex ingruente tentatione, & pertrahente cupiditate; voluntas liberrimè alterum præeligit, quod scilicèt magis voluntatem movet, quod magis placet, & quod magis delectat. Ut enim supra ex D. Augustino dictum est, *Quod amplius nos delectat secundùm illud operemur necesse est*, & ex D. Thoma: *Appetitus cognitionem sequitur: cùm appetitus non sit nisi boni quod sibi per cognitionem proponitur*, quæst. 24. de Verit. art. 2. Et quamvis inter duo objecta, vel media, voluntas interdùm quod minus est, ut existimant adversæ sententiæ Authores, ut suam libertatem experiatur, eligere possit aut eligat; id omninò perinde est; quia & ea ratio experiendæ libertatis adjuncta objecto, efficit, ut objectum licèt se ipso minùs utile, attamen magis placeat, & magis delectet: unde semper voluntas quod attentis circumstantiis meliùs existimatur, magisque delectat, eligit, & liberrimè eligit. Unde si qua sit agendi necessitas, eam sibi sponte ac liberrimè voluntas imponit; ideòque ea necessitas voluntaria est, ut ex D. Bernardo dictum est, & libertati non officit: Atquì idem etiam omninò contingit, etsi supponatur voluntas moveri à Deo prævia motione, & se se sub ipsa motione movere. Nunquàm enim divina motio voluntatem movet, nisi ad illud quod intellectus alteri præeligendum voluntati objicit, quod, ut loquitur D. Thomas magis conveniens est, magis voluntatem allicit, & magis delectat, ut ex superioribus satis liquet; potissimùm eo loco ubi probatum est, libertatem divina motione perfici, quòd nihil aliud efficiat motio, nisi ut præexistenti inclinationi, ipsique voluntati quæ prima, & essentialis inclinatio est ad bonum, altera inclinatio ad bonum accedat; tunc enim & liberrimè, & suavissimè agit: Ergo si ea necessitas quam sibi imponit voluntas, seu determinatio quam in se efficit, non repugnet libertati, non repugnabit etiam altera quæ ex divina motione oritur.

Unde quòd ad libertatem cum divina motione conciliandam pertinet, observari non immeritò potest, omninò perindè esse, sive prævia motio admittatur, sive etiam negetur: sed attendendam esse solùm voluntatis conditionem; quia ipsa motio divina quamvis prævia, quamvis physica, quamvis efficacissima, ita se se voluntatis naturæ, & genio attemperat, ut nihil aliud in voluntate agere videatur, quàm si sola voluntas *sponte sua*, ut ex D. Thoma observatum est, neque ab alio determinata, ageret. Unde sicut ipsa conservatio, & operatio divina, quæ in voluntatem perpetuò influit, ipsique esse firmum, durabile, immortale æternum aut perpetuum, & immutabile confert, nihil tamen officit libertati, quia ipsa operatio non tam consentanea est naturæ voluntatis, & libertatis conditioni, quàm ipsam naturam efficit, quæ est fundamentum, & principium libertatis: ita etiam & divina motio, quæ voluntatem movet, quamvis ad operationem infallibiliter, immutabiliter, firmiter, & si Deus vellet ad idem objectum quod ad libertatem pertineat per æternitatem moveret; non ideò tamen libertati officit, aut eam lædit; quia voluntatem consentaneè ad ejus naturam movet, & ad actum voluntatis inclinationi consentaneum impellit, ipsamque libertatem in actu efficit. Quare quidquid ab ipsis adversæ sententiæ Authoribus mollius, & suavius afferri poterit ad conciliandam libertatem cum divina gratia efficaci, quocumque tandem modo eam efficaciam explicent; id omninò à nobis quàm facillimè & advocari potest, & sine periculo concedi; dummodò salva sint quæ nos Divus Augustinus, & D. Thomas docent. Ideòque & in ea concordia stabilienda, non ad aliud principium recurrit D. Thomas, quàm ad ipsam voluntatis conditionem & naturam, cui non minùs consentanea est divina motio, quàm sit ipse influxus animæ: quia ut retulimus supra, nec nimiùm repeti unquàm potest. *Ad Dei providentiam pertinet naturam servare: & quia voluntas est activum principium non determinatum ad unũ, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus eam movet, quòd non ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens*, 1. 2. qu. 10. art. 4. Quibus simillima centiès repetiit D. Thomas, nec aliud unquàm principium advocavit præter alterum, si tamen alterum dici possit: quòd cùm primum *agens sit* agens *fortissimum*, non solùm movet consentaneè ad naturam voluntatis, ut ejus libertatem illæsam, & integram servet, sed etiam ipsam libertatem motumque libertatis efficit: quia ut refert quæst. 3. de Malo art. 2. ex D. Augustino lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium specierum, & motionum.* Unde sicut repugnat, influxum animæ libertatem lædere; cùm sit influxus radicis, à qua necesse est quidquid & voluntatis, & libertatis est, oriri; ita & multò potiori jure impossibile est, divino influxu, divina motione, seu divina operatione, quæ cum ipsa motione conjuncta est, & quæ & animam, & voluntatem, & libertatem producit, conservat, movet ac perficit; impossibile inquam est, illa operatione libertatem lædi.

Sed dices, hæc nondùm satis esse explicandæ huic concordiæ, & tuendæ libertati, sed requiri præterea ad veram libertatis rationem, immunitatem à necessitate, ut jam definitum est: at verò è contra necessitatem à præmotione imponi voluntati, cùm ea motio omninò constringat, alligetque voluntatem; ut omninò aliud non possit, nec contigerit unquàm aliud voluntatem egisse, quàm illud ad quod ipsa motio impellit.

Verùm & hæc gratis confinguntur: unde enim

habent

habent qui iſta opponunt, Divina motione conſtringi, & alligari voluntatem, ut aliud omninò non poſſit. Et ſanè ea Reſponſio jam præoccupata eſt, cùm demonſtratum ſit, aliquam eſſe neceſſitatem, ſi tamen neceſſitas dicenda ſit, quæ libertati non repugnat, quam poteſt in ſeſe ipſa voluntas cum libertate conjungere; eò quòd non ſit vera neceſſitas, & ſimpliciter ac abſolutè, ſed ſecundùm quid, quam cum libertate abſoluta, & ſimpliciter conjungi, non repugnat: Atquì ejuſmodi eſt neceſſitas quæ oritur ex Divina motione. Non enim eſt neceſsitas abſoluta, qualis eſt, ut ſæpiùs explicat D. Thomas 1.par.quæſt.19.art.3. quæſt.83. art. 1. & alibi ſæpè, vel hominem ex contrariis compoſitum mortalem eſſe, vel triangulum habere tres angulos æquivalentes duobus rectis: ſed eſt neceſsitas ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione, & quidem ſuppoſitione cauſæ ipſius libertatis: ſicut neceſſe eſt hominem loqui cùm loquitur; & liberè velle, cùm liberè vult; & libertatem ipſam à perpetuo influxu animæ dependere: quæ neceſsitas eſſe etiam poteſt circa ea quæ ſunt ipſius libertatis objecta, ac liberrimè eliguntur. Unde & aſſeverare omninò poſsim, à nemine unquàm hactenùs in D. Thoma repertum eſſe, vel reperiendum unquàm fore, etſi vel minimi apices excutiantur, circa libertatis objecta, ulla quamvis efficaciſsima motione neceſsitatem imponi: quòd huc omnia D. Thomæ principia colliment, munus eſſe Divinæ Providentiæ, quòd cauſas omnes juxta earum conditionem moveat, & impellat. Unde & loco ſæpiùs citato 1.2.quæſt.10.ar.4.cùm dixiſſet quòd Divina Providentia omnia movet ſecundùm earum conditionem, inquit, quòd quia voluntas ſe habet indifferenter ad multa; ſic Deus eam movet, quòd non ex neceſsitate ad unum determinat, *Sed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter movetur*, & quæ ad ipſius libertatis objectum non pertinent. Sed prætereà,

Impugnari poteſt ea ſolutio ex eo quòd non ſolùm ex ipſa voluntate, quæ ſeipſam movet, ſed & ex ipſo judicio rationis, & objecto quo movetur, oriri poſsit neceſsitas, quę quamvis abſoluta non ſit, tanta tamen ſit, & ita ad unum determinet, ut durante judicio practico aut imperio rationis, eaque diſpoſitione animi, vel objecti propoſitione; omninò aliud voluntas velle non poſſit, eo ſenſu quem ſæpiùs explicuimus; nec contigerit unquàm, imo nec contingere poſsit, voluntatem aliud agere: & tamen certum eſt quòd tunc etiam cùm ea ex objecto, aut veriùs judicio & imperio rationis imponitur voluntati neceſsitas, nihilominùs remanet integra quantùm ad exercitium in voluntate libertas, atque adeò indifferentia ad multa: ita ut, quamvìs ex libertate voluntatis aliud poſsit ſi velit; ita tamen ratio determinat voluntatem, ut nolit: Ergo hæc duo, quæ tantopere adverſa exiſtimantur, jungi quàm facillimè poſſunt, & determinatio ad unum, & indifferentia ad multa.

Antecedens in quo difficultas eſt, probatur, & ſimul explicatur apertiſsimis exemplis, quę ſuprà etiam commemoravimus. Plurima enim ſunt, adeò naturæ conſentanea, ad quæ homo ita judicio, & imperio rationis determinatur, ut nunquàm niſi amens aut furore actus oppoſitum velle poſsit: atque adeò *durante ſano rationis judicio*, & ſtante ea propoſitione objecti, nunquàm aliter voluntas velit. Exempli gratia, quis unquàm ſanæ mentis, & niſi furore actus vellet ſeipſum pugione confodere, aut ſibi oculos eruere: quæ mater vellet filiam quam deperit, & oculis chariorem habet, & mactare, & ipſius extractũ cor, & jecur depaſci? Nemo unquàm ſanus, nec niſi furore demens, ita aget. Et quidem ſi ſola voluntatis poteſtas conſuleretur, poſſet dubio procul ſi vellet: ſed impedit ſemper recta ratio, & rationis judicium ne velit. Et quamvìs & Lucretiam, & Catonem ſibi ferro vitam eripuiſſe conſtet, & ut legitur Thren.4. *Manus mulierum* naturâ *miſericordium coxerunt filios ſuos*: quis in his deſideratam fuiſſe ſanam mentem dubitet? quæ vel pudore, vel invidia, vel laudis cupidine perturbata fuit. Nam Lucretiam, pudore victam fuiſſe, inquit D. Auguſtinus lib.1.de Civ. cap.17. *Romana mulier laudis nimiùm avida, nimirùm vevita eſt ne putaretur quòd violenter paſſa eſt, cùm viveret; libenter paſſa ſi viveret*. Et Catonem doluiſſe quod à Cæſare victus fuerat, & gloriæ Cæſaris invidiſſe, inquit idem D. Auguſtinus ibidem cap.24. & refert S. Thomas 2.2. quæſt.125. art.2. & utrumque laudum immenſa cupidine fuiſſe dementatum. Nam de his crudelibus matribus, eas valida fame in rabiem actas fuiſſe, ipſum ferale & inhumaniſsimum facinus ſatìs ſignificat. Quamvìs etiam & tunc judicium licet parvum, & erroneum, iis dictaverit convenientiùs eſſe in his rerum circumſtantiis, ſibi aut ſuis pignoribus vitam eripere. Sed quis ſanæ mentis, ſui compos, nec violento aliquo impotentìs animi motu abreptus illâ oculorum, vel vitæ jacturâ libertatem experiri vellet? nemo unquàm expertus eſt, nec experietur unquàm: & ſi reperiretur aliquãdo non ideò liberior, ſed inſanior diceretur, nec eſſet iſta *Fortitudo ſanitatis, ſed inſaniæ*, ut ex D. Auguſt. dictum eſt. Et tamen nemo eſt qui nõ poſsit ſi velit; ſed impedit recta ratio ne velit: quia adeò, & oculorum, & vitæ, ac ſalutis amor, voluntatem determinat, ut nunquàm aliter velit, etſi aliter velle poſsit. Et tamen etiam cùm homo ita judicio rationis determinatur ad ſervandam vitam, ut nec velit, nec velle poſsit, potentiâ cum actu conjunctâ, vitam ſibi eripere; dubitari non poteſt, quin plenam & integram libertatem ſervet, cùm in eo amore ordinato vitæ propter Deum ſervatæ meritum eſſe poſsit: Ergo manifeſtum eſt, eſſe aliquam neceſsitatem ortam ex judicio rationis, & objecto, quod adeò determinat voluntatem, ut nunquàm contingat voluntatem velle oppoſitum: cùm qua tamẽ neceſsitate libertas maneat, & indifferentia integra libertatis, ideſt hæc duo ſimul, determinatio & indeterminatio conjungantur. Vide quæ à noſtris in 1. 2.

de judicio practico, & imperio rationis cum actu voluntatis conjuncto solet dici: & nos diximus supra disput.2.quæst.1. art.3.pag.250.

Confirmatur ac probatur, hæc duo jungi posse, cùm voluntas movetur, sine jactura libertatis; scilicèt voluntatem ita ad unum determinatam esse, ut quamvìs alterum posset si vellet, nunquàm tamen contingat quòd velit. Fieri potest ut judiciũ practicum intellectûs objectum aliquod proponat sine comparatione meliùs quàm aliud: atque ut argumentum magìs premat; nemo negaverit, divinâ potentiâ fieri posse, ut quando voluntas ad prosequendum objectum v. g. castitatem movetur, eo amore illius virtutis voluntas accendatur, qui omnem voluptatis cupiditatem longè superet, ita ut objectum quod eligitur, sine ulla comparatione meliùs altero existimetur: atquì tunc voluntas ita erit determinata ad unum, ut potentiâ cum actu conjunctâ aliud non possit: & tamen adhuc erit integra in exercitio libertas, eritque voluntas activè indifferens, & indeterminata ad plura: Ergo absolutè hæc duo simul jungi non repugnat, & determinatam voluntatem esse ad unum, & indeterminatam ad plura. Et reverà ita etiam fit sæpiùs, ut olim castissimæ Susannæ contigit, cùm in eo rerum articulo esset constituta, ut alterutrum deberet eligere, sibique servandam castitatem ex divino amore, vel timore æternę pœnę proponeret, & ab impudicis senibus violanda castitas suaderetur: *Si hoc egero*, inquit, *mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras*. Tunc enim graviorem morte castitatis violationem sine ulla comparatione, & recto quidem judicio sibi proposuit. Atq; id etiam contingit timoratis viris, ac potissimùm his qui in gratia confirmati sunt. Equidem verum est, non esse omninò impeccabiles: quia, ut inquit D.Thomas q.24. de Verit. a.9. *Non potest omninò aliquis impeccabilis reddi, nisi omnis origo peccati auferatur*: at verò, inquit, *origo peccati est vel ex rationis errore, quæ in particulari decipitur circa finem boni, & circa utilia, quę in universali naturaliter appetit; vel ex hoc quòd judicium rationis intercipitur propter aliquam passionem inferiorum virium. Quamvìs autem alicui viatori concedi possit, ut ratio nullatenùs erret circa finem boni, & circa utilia in particulari*, aut ex recto usu rationis, aut maximè *per dona sapientiæ, & consilii: tamen non posse intercipi judicium rationis, excedit statum vię propter duo. Primò & principaliter, quia rationem esse semper in actu rectę contemplationis in statu viæ, ita quòd omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundò, quia in statu viæ non contingit, inferiores vires ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenùs propter eas impediatur, nisi in Domino Nostro Jesu CHRISTO, qui simul viator, & comprehensor fuit*. Ex quo consequitur quòd nemo simpliciter impeccabilis esse possit in via. *Sed tamen*, prosequitur D.Thomas, *per gratiam viæ ita potest homo adstringi, quòd non nisi valde de difficili peccare possit; per hoc quòd ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis divinæ, cujus continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit à peccato. Sed totum quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam Divinę Providentiæ in illis qui confirmati dicuntur, ut scilicèt quandocumq; occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitùs excitetur ad resistendum*. Et ita in Beatissima Virgine aliisq; Sanctis in gratia confirmatis contingebat: quibus ex ea luminis plenitudine quâ illustrabantur, sine ulla comparatione peccatum morte gravius, & horrendum magìs perpetuò objiciebatur; & quibus divinus amor & charitas vitâ ipsâ charior sine ulla cõparatione erat. Ideòq; dictum est, amorem esse morte fortiorem: & ut ex D.August. in Joan. tract.26. dictum est, *Si trahit sua quemque voluptas, quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est*. Et demùm, ut diximus, negari non potest, quin infinitâ Dei potentiâ id fieri possit. Et si semel factum fuerit aut fieri possit, satìs est; inde enim hęc duo simul jungi non repugnare convincitur. Ergo reipsà hæc duo simul conjungi posse apertissimis, & luce meridiana clarioribus argumentis demonstratur. Quòd si jungi possint, apertissima est divinę motionis cum libertate concordia. Unde tunc contingit quod à D. Bernardo dictum est lib.de Gratia, & Lib.Arb. *Quòd se ipsam cogit* (id est compellit) *voluntas compulsa, & compellens*. Unde *ubi amittere, ibi & recipere visa est libertatem. Vim quippe quam ipsa sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit*. Vide ex eod. superiùs dicta. Atque id etiam Gentilẽ Philosophum Senecam non latuit; lib.enim 6.de Benef. c.21. inquit, virum bonum posse quidem mutare consilium si vellet, nunquàm tamen velle, quòd ipsa virtus mutare prohibeat: & ut egregiè prosequitur, non est hęc imposita voluntati necessitas, sed firmitas; *Non ideò minùs vult quia non potest nolle: immò magnum argumentum firmæ voluntatis, nec mutare quidem posse. Vir bonus non potest non facere quod vult, non erit bonus nisi fecerit*: ac deinde, *si necesse est illi velle, ob hoc quia nihil habet melius quod velit, ipse se se cogit*. Quę omnia sanè paucis comprehendit D.Thomas in 3.dist.12.q.2.a.1.ad 3. *Quòd impotentia quæ est ex perfectione in bonitate* non tollit rationem meriti, *quia voluntatem*, ac perfectum liberum *non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad unum*, quibus quàm simillima supra retulimus. Sed

Dices iterùm, iis nihil minùs probari quàm quòd propositum est: iis enim omninò convincitur, non alia opus esse motione quàm morali: cùm ea objecti propositione quod magìs conveniens est, & quod magìs delectat, nihil aliud significari possit, quàm ea motio moralis, & rationis, quæ objectum tot illiciis velutì exornatum, & prędi tum, volũtati repręsentat, ut non possit voluntatem non pertrahere. Atque adeò si propo-

sitione

ſitione objecti adeò determinetur voluntas, ut nunquàm contingat aliud velle,fruſtrà requireretur alia major,aut validior motio,quæ vi ſua efficiat, quòd objectum ſola ſui delectatione quam ingerit, blandè obtinere poteſt.

Sed contra *Primò*: Invertitur hìc ſtatus quæſtionis de quaagitur:hìc ſolùm de concilianda libertate cum Divina motione agitur, quæcumque tandem illa ſit,aut eſſe poſſit,aut eſſe ſupponatur: Alia verò quæſtio eſt de qua modò nõ agitur, utrũ major illa motio phyſica requiratur,vel blandior moralis ſufficiat, vel quòd utraque, ut nos volumus, requiratur,phyſica ut fortiter, moralis ut ſuaviter voluntas moveatur.Alia,inquam,eſt hęc quæſtio,quæ hùc intempeſtivè advocatur. Sed vis argumenti in hoc poſita eſt,quòd poſſit à Deo immitti judicium practicũ,& amor virtutis,juſtitiæ, ac veræ beatitudinis, qui ſine ulla comparatione omnem alium amorem ſuperabit,& extinguet,ſicut *Si plus delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis,per gratiã quę eſt in fide Chriſti ſecundùm quam vivimus*,ſpretis delitiis,& cõpreſſis deſideriis carnis, ut inquit D. Auguſtinus in cap. 3. Epiſtol. ad Gal: illo amore immiſſo, & dum in voluntate regnat,ſibique ipſam vindicat ac ſubjicit; ita ad unum determinatus animus eſt, & juſtitiæ colendæ addictus, ut quamvìs ſi vellet poſſet juſtitiam deſerere, & nefanda quæque perpetrare, ipſe tamen juſtitiæ amor efficiat ne velit: & tamen cum ea tanta determinatione qua non continget unquàm ut aliter fiat,rectè conjungi poteſt & libertas & indifferentia libertatis: Ergo hæc duo, in quibus poſita eſſe debet motionis cum libertate concordia, ſimul conjungi non repugnat, quod à nobis erat demonſtrandum.

Secundò: Impugnatur ea ſolutio; quia falſum eſt, ſatìs eſſe motionem moralem, & non requiri phyſicam: ſiquidem ut hunc amorem caſtum fervidumque voluntas concipiat, eget Divino lumine ac Divina motione,aut veriùs *multiformi gratia*, ut partes omnes, intellectus,voluntas,& appetitus conſentiant, *ut inferiores vires refrænentur, & voluntas fortiùs in Deum inclinetur, & ratio perficiatur in contemplatione veritatis Divinæ*, ut inquit D.Thomas: ac deinde neceſſarium eſt, Divinam motionem intra ipſam voluntatem operari, ut voluntas in eo propoſito firma ſit, & undique veluti circumvalletur & muniatur: & cùm inter intellectum, & inferiores vires voluntas poſita ſit, & ex utraque parte periculum immineat,& ſeduci poſſit, & expugnari; neceſſe eſt, ut partes inferiores compoſitæ ac ſubditæ ſint, & nullam pugnam moveant; & intellectus ab errore aut falſa opinione immunis ſit, aut præceps judicium non ferat, ſed contrà armis lucis eam defendat,& ea luce etiam quantùm in eo eſt, eam accendat.

Tertiò; Impugnatur iterùm: Equidem verum eſt, ad libertatis humanæ cum Divina motione conciliationem faciliùs explicandam, & ex certiſſimis principiis etiam ab adverſariis admiſsis, & conſtitutis, ſatìs eſſe ea quæ hactenùs proſequuti ſumus, ex validiori amore,qui cæteros trahit poſt ſe & captivat affectus, & ex judicio practico quo accenditur ille amor; cùm certum ſit, neque ulla ratione etiam in dubium revocari poſſit, hæc duo,determinationem ad unum,& indifferentiam ad multa, quàm facillimè jungi poſſe; quæ ſi jungantur; initum firmumque fœdus eſt inter Divinam motionem, & libertatem. Sed tamen aliis ex capitibus, non moralis ſolùm,ſed etiam phyſica neceſſaria eſt motio Divina. Nam quamvìs ad conciliandam libertatem cum motione Divina, magìs objecti, & conditionis voluntatis, quàm alterius principii quo voluntas movetur, & efficaciæ ipſius motionis ratio habenda ſit; quia hæc motio cum ipſa voluntatis natura omninò conſentit, & ſumma proportione adæquatur, & ut diximus, nihil aliud in voluntate efficit, niſi quòd ſecundam aliquam inclinationem primariæ & eſſentiali inclinationi voluntati ſuperaddit,in qua proportione efficienda, vis motionis ipſius, & efficacia exeritur: attamen ex aliis capitibus quæ alias proſecuti ſumus ex S.Thoma,requiri motionem prævìam ſatìs demonſtravimus: *Primò*,ut moveatur voluntas non ſolùm ex parte objecti, & quantùm ad ſpeciem actûs, ſed etiam quantùm ad exercitium, & ex parte principii: *Secundò*, ut averſa,& repugnans interdùm voluntas convertatur,& adverſum juſtitiæ amorem junctis additiſque Divinæ motionis viribus, & ſuperare, & ſupervincere poſsit: *Tertiò*, ut ipſa voluntas præparetur, & ut Divinum illud ſemen excipiat,priùs aptetur, & colatur: veriſsimè enim dixeris,nulla eſt *inaratæ gratia terræ*.Virgil.Geo.4. Ac demùm ut illum validiorem amorem concipiat,& partu riat,& ne veluti abortum patiatur.Vide diſſer.1.ubi probatum eſt motionem moralem non ſufficere.

Dices demùm, hæc equidem facilè admitti poſſe, niſi admitteretur illa phyſica motio, quæ ſi phyſica ſit, non poteſt non eſſe durior voluntati, nec ſatìs unquàm inflecti poterit: ſicut nec natura inflecti poteſt, ſed ſemper eſt ad unum determinata.

Sed contra. *Primò*: Jam *petimur, & poſtulamur de nomine*, ut reſpondebat Tertullianus iis quibus exoſum erat Chriſtiani nomen, & quos etiam Chriſtianos interdùm corrupto vocabulo nuncupabant.Sed,ut inquit D.Auguſt. 1. de dono perſever.cap.6.*Verborum cõtroverſias auferamus*. Quocumque nomine nuncupetur,perinde eſt, dũmodò efficiens, & verè effectrix motio intellecta fuerit, nec metaphoricè ſolùm, ſed & in genere cauſæ efficientis agat, & à motione morali, & in genere cauſæ finalis diſtinguatur: id enim ſatìs eſt, nec aliud phyſicæ motionis nomine intelligi volumus.Et verò non alio modo, nec aliis terminis explicare velim, quàm ipſis quibus uſus eſt D.Thomas. Voluntas, inquit,poteſt intelligi immutari ab aliquo dupliciter, *uno modo ſicut ab objecto ſuo*, ſive in genere cauſæ finalis; alio *modo per modum cauſæ efficientis*. At verò hoc pacto *ex parte volũtatis*, inquit, *mutare actũ voluntatis*

non

non potest, nisi quod operatur intra voluntatem: & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quodq; ea operatione illabitur voluntati, *quod secundùm Fidem solus Deus est. Unde solus Deus potest inclinationem voluntatis quam ei dedit, transferre de uno in aliud secundùm quod vult.* Sed pretereà recurrit semper argumentum ex comparatione volũtatis desumptum, quæ se se ad unum determinat. Etenim certum est voluntatem se ipsam in genere causæ efficientis, & eo sensu physicè se movere. Movetur quidem moraliter solùm ab objecto, ab eoq; solùm allicitur, quamvis & ab aliquibus existimatum fuerit physicè moveri posse voluntatem: sed quòd ad ipsam attinet, cùm ipsa verissima causa sit efficiens, & principium activum; negari non potest, quin se ipsam non moraliter, sed activè, sed efficienter, sed physicè moveat: & cùm seipsam movet, necesse est ad unum se se determinet, & cum ea ad unum determinatione supereſt in eadem voluntate libertas, & indeterminatio, seu indifferentia circa multa. Unde si possit voluntas hęc duo in se se conjungere, cur negetur Deus in ea idem conjungere posse: ut enim inquit D. Augustinus. *Deus noster in Cælo, & in terra fecit omnia quæ voluit, ipse tibi dat gratiam, ut in te ipso facias quod vis. Ipse igitur aget in te ipso quod voluerit ipse*, in Psal. 134. *Ipse enim sine dubio habet humanorum cordium quò placet inclinandorũ omnipotentissimam potestatem*, de Corrept. & Grat. cap. 14. *& magis in potestate sua habet voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Ibidem.

ARTICULUS V.

Ex triplici capite docuit D. Thomas, jungi posse in voluntate cum determinatione ad unum indifferentiam ad multa: ex parte rationis, voluntatis, & objecti.

Multis jam probatum est, non esse admodùm difficile hęc duo invicem jungere, scilicèt, quòd *Deus movet voluntatem*, & quidem ad unum, *immutabiliter propter efficaciam* divinæ virtutis *moventis, quę deficere non potest; & tamen propter naturam ipsius voluntatis motę, quę indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas*, atq; adeò, & indifferentia, & indeterminatio ad multa. Aperta enim hujus ratio est, quam supra ex D. Thoma retulimus, & hìc etiã repetit S. Doctor; quia *Sic etiam in omnibus providentia infallibiliter operatur: & tamen in causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantùm Deus omnia movet proportionabiliter unumquodq; secundùm suum modum*, qu. 6. de Malo ad 3. At verò si hæc duo jungi possint, initum est firmumque fœdus inter Divinam motionem, & libertatem.

Sed modò ad singularia principia deveniendum est, quibus hæc duo jungi posse, & à D. Thoma conjuncta fuisse demonstretur. At verò luculentissimo illo articulo unico quæstionis 6. de malo, sive de electione humana aut libero arbitrio, quem fermè integrum variis in locis retulimus, ex triplici capite colligit D. Thomas, quòd etiam cùm immutabiliter Deus voluntatem movet, remanet integra voluntas, & indifferentia: quæ tria capita figillatim recensere, & distinguere necesse est, & maximum erit operæ pretium, cùm indè planissima, & apertissima concordia repetenda sit, & solidissimè stabilienda.

Igitur cùm voluntas, rationalis appetitus, naturæ intellectualis, & longè superioris conditionis sit, quàm appetitus brutorum; Triplex universalitas vel amplitudo distingui potest, qua dirigitur, qua constituitur, qua perficitur; triplici amplitudini similis, quam pertinere ad libertatem initio hujus tractationis diximus: *Primò* enim dependet voluntas ab intellectu, & ratione, qua tanquàm duce dirigitur; & inde petenda est prima ratio libertatis. Eaque est amplitudo rationis, qua voluntati plurima proponuntur, & objiciuntur, quæ in omnem partem ratio vertit, in quibus semper mala bonis permixta sunt: unde non adeò ea approbat, quin etiam circa ea indifferens sit. *Secundò*: cum necesse sit ipsam voluntatem intellectui esse proportionatam ac omninò conformem, etiam & amplitudine quadam voluntas ipsa constituitur, ex communi ratione potentiæ, cui unicus actus par esse non potest, nec hujus unquàm capacitatem omnem implet. Atque adeò etiam dum unum actum habet, si ratio amplitudinis voluntatis habeatur, adhuc pluribus aliis locus supereſt. *Tertiò*, cùm voluntas amplissima potentia sit, quam nihil Deo minùs implere potest, quæque coaptationem habet cum summo bono, & quæ amplitudo ipsi concessa est, ut sit Beatitudinis capax, ipsoque Deo perfruatur: inde etiam tertiam habet amplitudinem objecti quod eligere potest. Et cùm nullo particulari bono satiari possit; inde fit ut quodcumque elegerit in quo solùm levissimam summi boni participationem percipiat, aliud semper, & optare, & quærere, & eligere possit, ut plura experiatur, cùm uno solo beari non possit.

Sed hęc in primis ex S. Thoma desumenda sunt. Igitur illa quæst. 6. de malo, articulo illo unico de electione humana, cùm statuisset indifferentiam, & immunitatẽ à necessitate pertinere ad libertatem; ut hujus verissima principia constituat, sic inquit. *Ad evidentiam ergo veritatis circa hanc quæstionem, Primò considerandum est, quòd sicut in aliis rebus est aliquod principium proprio-rum actuum, ita etiam in hominibus: hoc autem activum sive motivum principium in hominibus propriè est intellectus, & voluntas ut dicitur in 3. de anima. Quod quidem principium partim con-*

venit

venit cū principio activo in rebus naturalibus, partim ab eo differt. Convenit quidem: quia ſicut in rebus naturalibus invenitur forma quæ eſt principiū actionis, & inclinatio conſequens formam, quæ dicitur appetitus naturalis, ex quibus ſequitur actio; ita in homine invenitur forma intellectiva, & inclinatio voluntatis conſequens formam apprehēſam, ex quibus ſequitur exterior actio. Sed in hoc eſt differentia; quia forma naturalis eſt forma individuata per materiam. Unde, & inclinatio ipſam conſequens eſt determinata ad unum. Sed forma intellecta eſt univerſalis, ſub qua multa poſſunt comprehendi. Unde cùm actus ſint in ſingularibus, inquibus nullum eſt quod adæquet potētiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa. Sicut ſi artifex concipiat formam domûs in univerſali, ſub qua comprehenduntur diverſæ figuræ domûs, poteſt voluntas ejus inclinari ad hoc, quòd faciat domum quadratam vel rotundam, vel alterius figuræ.

Hæc quantùm ad primam duplicem univerſalitatem, & amplitudinem: Alteram ex parte intellectûs, qui nedùm plures ſucceſſivè ſpecies ac rerum formas, ſed, & univerſaliſſimas concipere poteſt, quæque ſua amplitudine penè infinita involvant, & comprehendant: Alteram verò ex parte voluntatis, cujus cùm amplitudo minor non ſit, nullo unico actu umquàm impleri poteſt, cùm omnis actus ſingularis ſit.

At verò tertiam univerſalitatem, & amplitudinem ex parte objecti ſubjicit deindè D. Thomas: *Conſiderandum eſt*, inquit, *quòd objectum movens voluntatem, eſt bonum conveniens apprehēſum. Unde ſi aliquod bonum proponatur, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem. Cùm autem conſilia, & electiones ſint circa particularia, quorum eſt actus; requiritur ut id quod apprehenditur ut bonū & conveniens, apprehendatur ut bonum & conveniens in particulari, & nō in univerſali tantùm. Si ergo apprehendatur aliquid ut bonum conveniēs ſecundùm omnia particularia quæ conſiderari poſſunt, ex neceſſitate movebit voluntatem: & propter hoc homo ex neceſſitate appetit Beatitudinem quæ ſecundùm Boëtium eſt ſtatus omnium bonorum cōgregatione perfectus. Dico autem ex neceſſitate quātùm ad determinationem actus, quia nō poteſt velle oppoſitum: non autem quantùm ad exercitiū actus, quia poteſt aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipſi actus intellectus, & volūtatis particulares ſunt. Si autem ſit tale bonum quod non inveniatur eſſe bonum ſecundùm omnia particularia quæ conſiderari poſſunt; nō ex neceſſitate movebit, etiam quantùm ad determinationem actus: poterit enim aliquis velle ejus oppoſitum, etiā de eo cogitans; quia fortè eſt bonum vel conveniens ſecundùm aliquod aliud particulare conſideratum: ſicut quod eſt bonum ſanitati, non eſt bonum delectationi, & ſic de aliis.* Hactenùs D. Thomas.

Ex quibus liquet, Triplicem eſſe univerſalitatem, & amplitudinem, in qua poſita eſt tota ratio libertatis. Proxima enim libertatis radix eſt amplitudo, & univerſalitas judicii, & rationis. Natura verò eſt in ipſa capacitate, & amplitudine, & univerſalitate potentiæ. Terminus verò eſt amplitudo objecti ad quod fertur, & circa quod exerceri poteſt. Sola enim eſt univerſalitas objectorum infra ſummum bonum circa quæ dumtaxàt poteſt exerceri libertas. Summum enim bonum alterius eſt, & ſuperioris ordinis, nec pertinet ad libertatis objectum.

At verò ex hoc Triplici capite facilè, quantùm quidem humano ingenio concipi poteſt, repeti poſſe concordiam libertatis cum Divina motione, & à D. Thoma repetitam eſſe, à nobis modò demonſtrandum eſt.

Probatur igitur illo apertiſſimo argumento quod jam ſæpiùs uſurpavimus. Facilis eſt quantùm in re Theologica optari poteſt concordia divinæ motionis cum libertate, ſi hæc duo ſimul ſine ullius læſione, vel detrimento, aut libertatis aut gratiæ, conjungi poſſint: ſcilicèt voluntatem moveri, & determinari ad unum infallibiliter, & *Immutabiliter, propter efficaciam Divinæ virtutis quæ deficere non poteſt; & tamen propter naturam voluntatis motæ, quę indifferenter ſe habet ad diverſa*, manere voluntatis libertatem, & indifferentiam ad multa: Atquì ex hoc Triplici capite quod recenſuimus, hæc duo conjungi ſimul poſſunt, & à D. Thoma conjungi poſſe exiſtimatum eſt: Ergo quantùm quidem intellectus ratione conſequi poteſt, non erit impoſſibilis aut difficilis ea concordia. De Majori nulla poteſt eſſe difficultas: in ea enim omnes unanimi conſenſu conveniunt: & ita arbitrantur in primis adverſæ ſententiæ Authores, & qui extra D. Thomæ ſcholam audiunt, qui hæc duo jungi debere nobis objiciunt, quæ tamen adeò diſſita eſſe ac invicem pugnantia exiſtimant, ut nulla arte, nulla ſolertia conciliari unquàm poſſe perpetuò in ore habeant.

Probatur itaque Minor, in qua ſolùm difficultas eſt, illo triplici capite. Et quidem, non eſt nobis hìc probandum, Deum *Immutabiliter, & infallibiliter movere voluntatem propter efficaciam ſuæ virtutis quę deficere non poteſt*: id enim aliàs probatum ſupponendum hìc eſt, & in terminis ita eſt à D. Thoma aſſertum, de cujus ſententia potiſſimùm agimus: ſed probandum dumtaxàt eſt, cum ea, & infallibili, & immutabili Divinæ motionis determinatione jungi poſſe indifferentiam voluntatis ad multa. Ex *Primò* igitur capite ſic probatur. Quantumcumque efficax ſit Divina motio, ſub eaque motione voluntas ad unum actum objectumque determinata ſit, remanet in voluntate indifferentia ad multa, ſi ſemper judicium rationis plura ſub indifferentia, & indifferenter amanda voluntati proponat. Cùm enim voluntas omninò regatur judicio rationis, nec poſſit non habere ſummam cum eo conſenſionem; impoſſibile eſt, indifferentiam eſſe ex parte judicii intellectus, niſi ſimilis ſit ex parte voluntatis indifferentia. Etſi enim ſi immutaretur naturalis modus agendi voluntatis,

tis, posset hæc consensio abrumpi; attamen cùm sine miraculo hic agendi modus immutari non possit, cui miraculo hìc locus esse non potest: certum est tandiù fore indifferentiam ex parte voluntatis, quandiù intellectus objectum indifferenter amandum proponet: non enim majorem objecto voluntas amorem impendet, quàm objectum mereri fuerit propositum voluntati; Atquì quantumcumque efficax sit motio Divina, sub eaque motione voluntas ad unum determinetur, attamen remanet semper indifferentia rationis, seu intellectus objectum indifferenter amandum proponit voluntati: Ergo etiam dum voluntas Divina motione ad unum determinatur, remanet tamen indifferentia libertatis, & voluntatis amor indifferens. Quid ex illo Argumento negari possit haud satìs video: cùm in rebus Theologicis utraque præmissa per se nota esse videatur. Et quidem de *Minori* dubium esse non potest: quantumvìs enim efficax motio esse possit, & quæcumque fiat in voluntate immutatio, non inde tamen consequitur, ullam debere fieri in intellectu immutationem. Repræsentat intellectus objecta eo modo quo sunt, particularia scilicèt, singularia, involuta variis defectibus, atque adeò repræsentat indifferenter amanda. Et sanè cùm Adversarii existiment, Deum posse movere voluntatem motione adeò efficaci, ut eam necessariò affigat ad unum, & veram necessitatem quæ libertati repugnet imponat, etsi tamen integra remaneat indifferentia judicii: non possunt non concedere, in eo genere physicæ, & efficacis motionis, posse reperiri alteram quæ determinet quidem ad unum, sed tamen relinquat libertatis indifferentiam simùl cum indifferentia judicii, si potissimùm, ut diximus, hæc ad Divinam potentiam referantur. *Major* verò ratione, & exemplo D. Thomæ apertissimè demonstratur, eò quòd voluntas sit inclinatio, quæ consequitur formam apprehensam, unde necesse est ipsi omninò esse conformem. Unde *cùm forma intellecta sit universalis, sub qua multa comprehendi possunt*: etiam necesse est, quòd *inclinatio* eam formam *consequens, non sit determinata ad unum*. Atque ea ratione *si artifex concipiat formam domûs in universali, sub qua comprehenduntur diversæ figuræ domûs, potest voluntas ejus inclinari ad hoc quòd faciat domum vel quadratam, vel rotundam, vel alterius figuræ*. Quantumcumque enim v. g. ad domum quadratam construendam animum applicet; non ideò tamen adeò adstringitur voluntas, quin aliam construere possit si velit; cùm etiam hæc idea, formaque domus universalis, plures alias, & diversæ figuræ, formas comprehendat: quælibet verò singularis forma domus sua commoda habere possit quibus placeat, & sua etiam incommoda quibus amovendis altera possit anteponi, & præelegi: Ergo quantumcunque sit efficax Divina motio, remanet tamen integra libertatis indifferentia: & hæc duo facilè possunt simul conjungi, quæ si conjungantur, inita est firmaque concordia inter libertatem, & Divinam motionem: hæc inquam duo reipsa possunt conjungi, scilicèt & determinatio ad unum propter efficaciam Divinæ virtutis; & indifferentia ad multa, propter indifferentiam judicii, & ipsius voluntatis quæ sequitur rationis judicium. Imo nec aliter fieri unquàm posset, nisi totius ordinis intellectualis œconomia inverteretur. Atque adeò vera est certaque ac secura ratio conciliandi libertatem cum Divina motione, quam hactenùs schola D. Thomæ à suo Magistro didicit.

Confirmatur que ea ratio, quòd D. Thomas eam concordiæ rationem docuerit, eaque usus fuerit: Etenim eadem quæst. citata 6. de malo. Tertio loco objicit sibi, quòd *Si homo ad eligendum movetur quodam interiori instinctu, scilicèt ab ipso Deo, & immobiliter*, hoc repugnat libertati: quia *cùm omne animal moveat se ipsum per appetitum, alia tamen animalia ab homine, non habent liberam electionem, quia eorum appetitus à quodam exteriori movente movetur, scilicèt ex virtute corporis cælestis, vel ex actione alicujus alterius corporis: si ergo volùtas hominis immobiliter movetur à Deo, sequitur quòd homo non habeat liberam electionem suorum actuum.* Quid verò respondet D. Thomas? Recurrit ad eam rationem quam fusè explicat in corpore articuli: *Quòd animalia bruta moventur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundùm modum formæ particularis, cujus conceptionem sequitur appetitus sensitivus.* At verò in homine, ut jam dixerat, *Forma intellecta est universalis, sub qua multa possunt comprehendi*, atque inde oritur *inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa*. Hoc igitur verum discrimen inter bruta, & hominem, unde oritur hominem præditum esse libertate, quâ bruta carent. In brutis enim, etsi successivè plures formas recipiant, quælibet singularis est; unde & inclinatio similis, & conformis, non potest non esse determinata ad unum: & ideò bruta quidem *Moventur per instinctum superioris agentis*, in quo etiam bruta cum homine conveniunt. At verò moventur bruta *ad aliquid determinatum secundùm modum formæ particularis*: unde non potest nō oriri sub eo instinctu superioris agentis inclinatio ejusdem conditionis, ut diximus, & ad unum determinata. At verò cùm forma ab intellectu apprehensa universalis sit, non potest etiam non esse paris amplitudinis universalis, & ad multa indifferens inclinatio. Unde subdit postea D. Thomas hæc aurea verba quæ satìs nunquàm repeti possunt. *Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam Deus omnia movet proportionaliter unumquodq; secūdùm suum modum.* Unde quia modus proprius naturæ intellectualis est, ut forma per intellectum apprehensa universalis sit, pluraque repræsentet, atque ex

ea forma inclinatio similis indeterminata, & indifferens ad diversa oriatur: inde fit ut Deus ita voluntatem moveat, quòd quamvis eam immutabiliter moveat propter efficaciam suæ virtutis: attamen propter naturam ipsius voluntatis, ita moveatur voluntas quòd indifferenter se habeat ad multa: Ergo ex D. Thoma vera ratio conciliandi libertatem cum gratia, in eo posita est, quòd simul cum determinatione ad unum ex efficacia & jure motionis, conjungatur etiam indifferentia & indeterminatio ex natura & jure voluntatis. Eandem rationem sumptam ex universalitate intellectûs habet idem Divus Thomas 3. contra gent. cap. 73: ubi probat, Divinam providentiam non excludere arbitrii libertatem,

Probatur *Secundò* eadem Minor, & concordia indifferentiæ cum efficaci motione ex amplitudine voluntatis. *Cùm* enim, ut inquit D. Thomas, *actus sint in singularibus, in quibus nullũ est quod adæquet potentiam universalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habẽs ad multa.* Enim verò ut hæc exemplis velutì ob oculos ponantur: quòd voluntas artificis hanc potiùs quàm alteram domum construere velit; actus singularis est, *Nec adæquat potentiam universalis*, seu formæ conceptæ, seu ipsius voluntatis, cui altera forma opportunior juxta rerum circumstantias magìs placere potest. Quòd voluntas unam virtutem v.g. castitatem colat, actus singularis est, *Nec adæquat potentiam* voluntatis: & interdùm altera virtus ob majus bonum præponderat, & eligenda est: ut castissima Esther olim ad servandam tuendamque suæ gentis salutem, & ad religionem promovendam in nuptias cum Assuero consensit. Quòd iterùm voluntas virtutem temperantiæ colat, actus singularis est, *Nec adæquat potentiam* voluntatis; & quod est utile sanitati, non est utile voluptati, & interdum ut convenientius bonum voluptatem prosequi potest, & *præeligere id quod est utile voluptati ei quod est utile sanitati*. Ibidem. Quin etiam pro hoc statu viæ cùm homo ab ultima Beatitudine procul abest, neque prima, & summa veritas intellectum repleat, neque Divina bonitas voluntatem omninò satiet, quæ satiabitur solùm cum animæ Divino & clarissimo lumine perfusæ gloria apparuerit: pro hoc inquam statu, quòd homo de beatitudine cogitet, aut beatitudinem appetat, actus particulares sunt, *neque adæquant potentiam* universalis. Quamvis enim Beatitudo, ut inquit D. Thomas eadem quæst. 6. moveat & intellectum, & voluntatem, *Quantùm ad determinationem actus, non tamen quantùm ad exercitium: quia potest aliquis non velle tunc cogitare de Beatitudine, quia & ipsi actus, & intellectus, & voluntatis particulares sunt*: atque adeò nec replent nec satiant voluntatem. Unde quantumvis voluntas ad unum actum determinatè se habeat (neque enim aliter fieri potest si agat) attamen ex illa amplitudine quæ multò latiùs patet, quàm unicus actus; oritur quòd in ea amplissima capacitate voluntatis semper alteri actui locus relictus sit. Unde & actum quem elicit, cùm is voluntatem sibi minimè subjiciat, nec superet aut adæquet voluntatis virtutem agendi ut eam sibi subjicere possit; è contra voluntas ejusmodi actum sibi subjicit, in ipsum perfectissimum dominium exercet, atque omninò ab illo independens cum summa indifferentia eum respicit, ut aliquid infra se positum, sibi inæquale, & impar. Ex quo fit, quòd quantumvis voluntas à Deo *Immutabiliter* moveatur *propter efficaciam Divinæ virtutis quæ deficere non potest*, & ex ea motione ad unum voluntas determinata sit: attamen *propter naturam volũtatis quæ movetur, & quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas*: & hæc duo conjunguntur, determinatio ad unum, & indeterminatio ad multa.

Probatur *Tertiò* eadem Minor, & utraque hujus concordiæ conditio ex ultimo capite, scilicèt universalitate, & amplitudine objecti. Quia intellectus & voluntas, potentiæ immateriales, & spirituales sunt, & supra conditiones materiæ evectæ quandam infinitatem habent: unde ab Aristotele anima dicitur fieri omnia, quòd nullam ex immersione in materia, cui eminet, coarctationem, & limitationem habeat; eâque ratione utriusque potentiæ objecta & amplissima, & universalissima sint; intellectus omne verum respiciat, voluntas omne bonum, ut comprehendit bona omnia particularia: atque ideò voluntas ex ea infinita amplitudine solo dumtaxàt infinito bono repleri potest. *Et si sit tale bonum, quod non inveniatur esse bonum secundùm omnia particularia quæ considerari possunt, non ex necessitate movebit, etiam quantùm ad determinationem actus. Poterit enim aliquis velle ejus oppositum, etiam de eo cogitans, quia est fortè bonum vel conveniens secundùm aliquod aliud particulare consideratum. Sicut quod est bonum sanitati non est bonum delectationi.* Ergo cùm voluntas sit capax infiniti boni, à nullo particulari satiari potest: sed cùm à voluntate unum amatur ac eligitur, exempli gratiâ, exercitatio quę ad modicum utilis est sanitati, repugnat quòd ea exercitatio ex necessitate voluntatem moveat, & attrahat, vel quantùm ad exercitium, vel quantùm ad hujus actus determinationem; ideſt repugnat quòd ex necessitate ad amorem hujus exercitationis determinetur voluntas, sed potest quietem anteponere, quæ majorem affert delectationem. Atque illud de quolibet alio particulari bono, quodcumque illud sit, etiam verum habet, eâdem ratione quam mox explicuimus, cùm eadem sit conditio, & objecti, & actûs. Cùm enim nec satiare nec implere possit capacitatem voluntatis, nec voluntatem sibi subjicit, nec voluntati dominatur. Hoc enim dumtaxàt ultimo fini, & summo bono dominium relictum est, quod planè totam capacitatem voluntatis implet, eamque subjicit, in quo voluntas, ut ita dixerim, sese immergit, neque hujus finem reperit, quia *Deus est major corde nostro* 1

Joa. 3. 20. At verò cætera, cùm guttulæ quædam sint quæ magis voluntatis sitim accendant quàm restinguant, ut aliàs ex D. Thoma diximus: potest semper aliud objectum voluntas quærere, in quo partem alteram beatitudinis quærat, cùm in uno solùm reperiri non possit. Vide quæ suprà multis in locis diximus, potissimùm ubi comparationem formarum prosequuti sumus, quæ si totam materiæ capacitatem non impleant, relinquitur locus alteri formæ, & subjectum mutabile est; quia ut egregiè inquit D. Thomas, *Principium, & causa mutationis est rei possibilitas, nec defectus esse potest nisi per potentiam incompletam*, in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 1. quod idem de libertate dici necesse est, cùm non possit non esse in diversa vertibilis, & mutabilis.

Ex quibus omnibus liquet, ex Triplici capite oriri posse, hæc duo simul conjungi, determinationem ad unum, & indifferentiam ad multa; quibus hæ duæ veluti partes quæ fœdus inire debent ac invicem contrahere, motio Divina, & libertas; quælibet suum jus illæsum integrumque servat; motio efficaciam, libertas indifferentiam: eoque pacto inconfusis servatisque utrinque juribus, certa, constans, firmaque, ac perpetuò stabilita concordia est.

ARTICULUS VI.

Altera concordiæ Divinæ motionis cum libertate conditio. Quòd cùm voluntas motione Divina ad unum movetur, possit & non agere, & etiam aliud agere.

HÆc ultima conditio hujus suavis concordiæ Divinæ motionis cum libertate, qua utriusque partis jura serventur; quæ si dilucidè quantùm quidem res aliunde satis caliginosa ferre potest, explicetur, nihil erit quod ultrà in hac gravissima controversia desiderari posse videatur. At verò ut clarissimè explicetur, non alia principia advocanda sunt præter ea quæ jam suprà ex Divo Thoma constituimus, quibus sublimiora exigi non possunt, cùm ex Divina Providentia, & hujus suavi administrandi mundum ratione repetantur.

Igitur in memoriam iterùm revocandum est quod veluti primum principium D. Thomas in hac controversia constituit; quòd *Ad Divinam providentiam pertinet naturam rerum non corrũpere, sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem*, 1. 2. quæst. 10. art. 4. Unde cùm Deus ita motionem voluntatis conditioni veluti contemperet, eaque motio adeò voluntati consentanea sit, ut in concilianda cum libertate motione Divina, solius potentiæ voluntatis ratio habenda esse videatur; etiam dum taxàt animadvertendum est, quid exigat ipsius voluntatis conditio, quid ipsa agat, ageretque etiam si nulla motione moveretur, cùm ipsa motio omninò voluntati consentanea sit, & si voluntas non ipsi satis coaptetur, aut ipsi satis subjiciatur; ipsa motio eam sibi coaptat, idoneam efficit, eamque sibi subjicit ac immutat, & transfert, ut & motio voluntati, & voluntas motioni coaptata, idonea, & consentanea sit. Ipsa enim Divina motio, sicut & charitas voluntatem in se transformat: est enim charitas forma voluntatis amantis; & ideò quia *Unumquodque agit secundùm exigentiam suæ formæ quæ est principium agendi, & regula operis*, ut inquit D. Thomas in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 1. ideò voluntas informata charitate, & motione, agit secundùm exigentiam utriusque: unde oritur operationem esse summè delectabilem, cùm sit suæ formæ conformis, ut fusè explicat ibidem S. Doctor.

Prima probatio. Non potest non esse facilis, & suavis hæc concordia, si sub ipsa motione, & dum motio sua jura servat, ac imperium in voluntatem exercet, etiam & ipsa voluntas sua jura, & indifferentiam integram, & illæsam servet: Atquì ita est: Ergo. Minor probatur. Non potest voluntas indifferentiam libertati congenitam non servare, etiam sub ipsa motione Divina, si dum movetur voluntas, etiam possit agere, & non agere; agere unum, & agere aliud, & potentiam retineat ad opposita: Atquì etiam, cùm v. g. voluntas motione Divina permota eligit statum religiosum, potentiam integram servat, ut possit si velit statum conjugalem eligere: Ergo etiam sub ipsa motione voluntas indifferentiam servat. Minor probatur, quia eo sensu potentia rationalis, & voluntas dicitur esse ad opposita, non *Quia opposita possint esse simul, cùm unum sit incompossibile alteri*, ut inquit Divus Thomas statim referendus. *sed quia utrumque oppositorum ad quod potentia se habet, sit possibile* voluntati, neque ejus virtutem, & activitatem superet, sed in ea ut fructus in radice, & artefactum in arte, ac multò etiam perfectiùs contineatur: Atquì etiam cùm voluntas motione Divina movetur ad unum actum, & v. g. statum religiosum eligit, etsi statum conjugalem simul eligere non possit, attamen etiam dum eligit statum religiosum, electio status conjugalis est ipsi possibilis. Ergo etiam dum movetur voluntas, habet potentiam ad opposita.

Minor apertissima est ex illo triplici capite, & triplici illa universalitate, & amplitudine voluntatis quàm suprà prosecuti sumus. Primò, quòd *nullus actus sit qui adæquet capacitatem illius*. Unde quantumvis unum actũ eliciat, remanet tamen locus alteri, ipsaque remanet indifferens, & *indeterminatè se habet ad multa*. Secundò, quòd *forma intellectûs sit universalis*, & plura complectatur: unde quamvis statum religiosum perfectiorem amplectendum repræsentet, tamen etiam statum conjugalem interdùm magis opportunum

num voluntati repræſentat, ut ſecundùm varias temporum circumſtantias religionis ſtatui eum anteponere debeat. Tertiò, quia cum voluntas ſit capax infiniti boni, à nullo particulari ſatiari poſſit.

Major verò probatur obſervatione D. Thomæ. Etenim quæſt. 6. de electione humana, ubi ſtatuit, voluntatem ex neceſſitate non moveri, inter 24. argumenta quę ſibi opponit, 16. loco ita ſibi objicit: Quòd niſi voluntas ex neceſſitate moveretur, voluntas eſſet potentia ad oppoſita. At, inquit, voluntas non poteſt eſſe potentia ad oppoſita, quia ex Ariſtotele 8. Metaph. *Nulla virtus ſe habens ad contraria*, & oppoſita, *eſt activa: quia omnis virtus activa poteſt agere id cujus eſt activa: poſſibili autem poſito non ſequitur impoſſibile: ſequeretur autem, duo oppoſita eſſe ſimul, quod eſt impoſſibile: ſed voluntas eſt activa: Ergo non ſe habet ad oppoſita, ſed de neceſſitate terminatur ad unum.* Ita, inquam, ſibi objicit. Quod argumẽtum ſanè exigit ut explicetur quo ſenſu potentia eſſe poſſit, & dicatur eſſe ad oppoſita: nam alioquin videretur, nullam omninò eſſe potentiam ad oppoſita, nullamque eſſe aut contingentem cauſam aut liberam.

Reſpondet verò D. Thomas. *Dicendum, quòd Philoſophus in 8. Metaphyſ. oſtendit per illud medium, non quòd aliqua potentia non ſit activa ad cõtraria ſe habens; ſed quòd potentia activa ad contraria ſe habens non ex neceſſitate producit ſuum effectum. Hoc enim poſito, manifeſtè ſequeretur quòd contradictoria eſſent ſimul. Si autẽ detur quòd aliqua potentia activa ad oppoſita ſe habeat, non ſequitur oppoſita eſſe ſimul, quia etſi utrumque oppoſitorum ad quod potentia ſe habet, ſit poſſibile, unum tamen eſt incompoſſibile alteri.* Hæc D. Thomas. Ex quibus clarè deſumitur, quis ſit hujus principii jam in Philoſophia, & Theologia recepti, potentiam rationalem eſſe ad oppoſita, germanus & legitimus ſenſus. Non enim intelligendum eſt, *quòd oppoſita poſſint eſſe ſimul*; id enim repugnat, *cùm unum ſit incompoſſibile alteri*: ſed ſenſus eſt, quòd *utrumque oppoſitorum ad quod ſe habet potentia, eſt poſſibile*, nec ſuperat virtutem ipſius potentiæ, in qua utrumque oppoſitum, ſicut in radice flores, & fructus, quamvis diverſæ conditionis, & multò perfectiùs continentur. Unde verò oriatur, utrumque actum licet oppoſitum, poſſibilem eſſe potentiæ, & in ea contineri: dici poteſt inprimis quod in ſimili alicubi à Cicerone dictum eſt, nec id ſine cauſa dici, *Ejus enim cauſa ipſa natura eſt.* Et ut alicubi Scotus inquit, hujus ratio eſt, quia hoc eſt hoc: nec enim alia, hujus cauſa præter naturam ipſam quærenda eſt. Eſt enim natura potentiæ, ut & radicis, quòd plura & diverſa virtute contineat. Sicut etiam & artis verbi gratiâ mechanicæ nedùm quòd diverſæ rationis angulos conficiat, ſed & figuram planam, & ſphæricam, quæ inter ſe opponi videntur. Sed tamen hujus etiam rationem reddit D. Thomas, & magis explicat in corpore ejuſdem articuli, ex ipſa amplitudine, & capacitate potentiæ, quam nullius particularis actus & adæquare, & replere poteſt, ut mox diximus. *Cùm*, inquit, *actus ſint in particularibus in quibus nullus eſt qui adequet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè ſe habens ad multa*, ideſt, remanet potentia ad oppoſita.

Altera probatio ſic habet. Poteſt ſub ipſa Divina motione voluntas agere, & non agere, ſervatq; potentiam ad oppoſita, ſi ſua ipſa motione ſuam eminentiam ſervet, qua utrumque oppoſitorum ita excedit ſibique ſubjicit, ut ab utroq; independens ſit. Atquì ita eſt: Ergo. Utraque propoſitio illuſtri D. Thomæ teſtimonio probatur, qui ut divinam libertatem explicet, illud idem principium ex eminentia deſumptum advocat, cùm non aliud profundius aut ſublimius eſſe poſſit. Igitur lib. 1. contr. gentes, cùm explicuiſſet cap. 81. *quòd Deus de neceſſitate vult alia à ſe*. Deinde cap. ſequenti 82. cùm ſibi illud potiſſimùm objeciſſet: *Quòd ſi Dei voluntas reſpectu aliquorum volitorum non determinatur, quantùm ad illa videtur ad utrumlibet ſe habere. Omnis autem virtus quæ eſt ad utrumlibet, eſt quodammodò in potentia*: quæ ſanè difficultatis reſolutio exigit ut illud explicet, quo ſenſu voluntas Divina etiam ad unum determinata, eſſe poſsit ad utrumlibet, ſeu verſari poſſit circa oppoſita. Ita verò reſpondet. *Ad utrumlibet eſſe alicui virtuti poteſt convenire dupliciter, uno modo ex parte ſui, alio modo ex parte ejus ad quod dicitur: Ex parte quidem ſui, quando nondùm conſecuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad unum determinetur. Unde hoc in imperfectionẽ virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa, ſicut patet in intellectu dubitantis, qui nõdum aſſecutùs eſt principia ex quibus ad alterum determinetur*: adde etiam & in voluntate inter varia objecta fluctuante, quę nõdùm aſſecuta eſt ultimũ finem, quo firmetur & juſta omnia ejus deſideria compleantur. Subjungit verò ſtatim D. Thomas. *Ex parte autem ejus ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet*, ſeu ad oppoſita *eſſe, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen utrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis diverſis inſtrumentis uti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad ejus eminentiã. in quantùm utrumq; oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad utrumlibet ſe habet.* Hæc D. Thomas. Atque ea ratione, ut aliàs explicuimus, Divinam libertatem explicat ex ſumma eminentia, quam ſupra res omnes obtinet, ſummâque independentiâ. *Sic enim*, inquit, *eſt in Divina voluntate reſpectu aliorum à ſe: nam finis ejus à nullo aliorum dependet, cùm ipſa fini ſuo perfectiſsimè ſit unita.*

Atquì hæc omnia mirum in modum conveniunt etiam voluntati creatæ, cùm in ea & imperfectionis, & perfectionis etiam quædam mixtura ſit. Eſt *ad utrumlibet ex parte ſui*, quia *nondum conſecuta eſt ſuam perfectionem per quam ad* ultimum finem *determinetur*, quo perfectè ſatietur, & hujus capacitas repleatur. *Unde hoc*

in imperfectionem virtutis, & voluntatis redúdat, & ostenditur esse potentialitas in illa. Sicut & materia ex potentialitate, & sui generis imperfectissima capacitate ad unicam formam immutabiliter non determinatur, quòd nulla corruptibilis forma eam omninò repleat. Opportunè enim objecta omnia particularia cum corruptioni obnoxiis formis conferri possunt, de quo jam plura aliis in locis diximus: hæc de prima illa imperfectione. At verò cùm in voluntate quædam etiam maximaque perfectio sit ex eminentia qua rebus omnibus creatis supereminet tanquàm prima, & universalissima, post Deum, causa; inde etiam oritur, circa plura oppositaque versari posse. *Hujus* enim *virtutis perfecta operatio à neutro oppositorum dependet.* Uni enim fini volũtas dumtaxàt subjicitur, sicut & artifex quilibet à solis regulis artis, & solo fine dependet, non verò ab *instrumentis quibus uti potest æqualiter*. Et quãvis dum uno utitur, aliud simul adhibere non possit; non inde tamen ejus libertas lædiur: servat enim semper eandem eminentiam, & independentiam ab omnibus. Neque enim dicitur ideò servare libertatem, quòd utrumque adhibeat, & utroque utatur; id enim planè repugnat: sed libertatem servat, quòd hanc eminentiam, & independentiam servet: & ex ea dicitur habere potentiam ad utrumlibet. Neque iterùm ad *imperfectionem* voluntatis, aut alterius *virtutis*, pertinet, quòd ad utrumlibet se habeat. *sed magis ad ejus eminentiam, in quantùm utrumque oppositorum excedit*. Pertinet equidem ad imperfectionem extremorum, ut in arte instrumentorum imperfectio est, quòd unum satis esse non possit, & pluribus ars egeat; sicut in rebus creatis imperfectio est quòd unum satiare voluntatem non possit: at in ipsa voluntate summa est perfectio ac summa eminentia, qua cætera omnia superat, & excedit.

Tertia probatio, aut veriùs superiorum explicatio sic proponi potest. Nihil vetat quominùs sub ipsa Divina motione voluntas possit agere & non agere, si sub ipsa motione voluntas habeat potentiam ad opposita, quamvis ea opposita non possint esse simul; sive si habeat simultatem potentiæ, quamvis non habeat potentiam simultatis: Atquì ita est: Ergo. Utraque præmissa ex D. Thoma probatur. Etenim ead. quæst. 6. de malo 19. loco Objicit sibi, voluntatem ad unũ determinatam esse debere, nec versari posse circa duo opposita. *Cùm* enim, inquit, *potentia dicatur ad actum, sicut se habet actus ad actum, ita se habet potentia ad potentiam: sed duo actus oppositi non possunt esse simul: Ergo nec potest una potentia esse ad duo opposita*. At verò huic argumento Respondet S. Doctor, distinctione quam retulimus, esse simul potentiam ad opposita, sed tamen opposita non posse esse simul; hæc enim duo admodùm diversa sunt. Priùs tamen explicat quo sensu vera sit altera propositio, & comparatio actus cum actu ex una parte, & potentiæ cum potentia ex altera. *Dicendum*, inquit, *quòd ista propositio sicut se habet actus ad actum, ita se habet potentia ad potentiam, quodammodò est vera, & quodammodò est falsa. Si enim accipiatur actus ex æquo correspondens potentiæ ut universale objectum ipsius, veritatem habet propositio. Sic enim se habet auditus ad visum, sicut sonus ad colorem.* Ubi pro actibus objecta reponit, sonum scilicèt, & colorem pro auditione, & visione, ex eo quòd eadem sit conditio, & actus, & objecti. *Si autem*, inquit, *accipiatur id quod continetur sub objecto universali sicut particularis actus; sic propositio veritatem non habet: una est enim potentia visiva, cùm tamen album, & nigrum non sint idem.* Unde tandem concludit: *Licet ergo simul insit homini potentia voluntatis ad opposita se habens, tamen opposita illa, ad quæ se habet voluntas, non sunt simul.* Hæc ibi: ex quibus ultimis verbis occasionem sumpsit Capreolus, ut diceret, superesse semper in voluntate *simultatem potentiæ* ad opposita, etiã sub ipsa Divina motione, quamvis non remaneat *potentia simultatis*.

Atque ex his in primis liquet, à D. Thomæ Discipulis nihil unquàm usurpatum fuisse nisi quod à suo Præceptore accepissent: ac deinde parùm oppositum esse argumentum quod sæpiùs objiciunt qui motionem negant: scilicèt ut sarta tectaque sit libertas, debere voluntatem posse oppositum. Quo sensu enim intelligunt? Quòd enim dum movetur voluntas possit *oppositum simul*, sive quòd sit in voluntate potentia ad oppositum actum simul cùm actu quem elicit; nihil magis Philosophiæ principiis adversum intelligi potest, ut enim inquit etiam D. Bernard. tract. de grat. & lib. arbitr. *Velle quippe, & nolle idem, eodem tempore voluntas non potest*, nec magis duo actus simul esse possunt, quàm possint duo puncta eandem lineam, aut duæ superficies idem corpus terminare. Quamvis enim eidem corpori plures superficies superimponi in infinitum possint, non tamen eam terminare: id enim repugnat rationi termini. Neque id ad rationem libertatis pertinere potest; tum, ut exemplo Divinæ libertatis manifestum est; tum etiam etsi nulla supponeretur Divina motio, seque ipsam voluntas primò, & sola determinaret; attamen non ideò posset opposita simul conjungere. Si verò intelligunt, quòd dum voluntas movetur, *possit simul* opposita, ita ut simultas ad potentiam referatur, nihil verius est. Est enim in voluntate, etiam dum agit, simul potentia ad oppositum, neque duplicem velutì potentiam simul esse repugnat. Quin imò ita necesse est in causis omnibus æquivocis, à quibus effectus diversæ rationis producuntur, & in quibus veluti diversæ potentiæ virtuales distingui possunt, ut sunt variæ series effectuum qui producuntur. At verò unde colligi unquàm poterit, aut probari, quòd quando voluntas unum actum elicit, non supersit in voluntate potentia ad aliud oppositum eliciendũ. Commendabat Phocionem Plutarchus. *Quòd paucissimis verbis plurimum sententiæ comprehenderet, &c. Nam ut numisma exiguo pondere plurimum*

pretii

pretii continet, ita vis dicendi paucis vocibus multa inducat neceſſe eſt. Nemo feliciùs Divo Thoma hanc regulam ſequutus eſt. Nihil enim breviùs dici unquàm potuit, ſed nihil etiam nervoſiùs, & quo faciliùs hæc controverſia reſolvi poſſit quàm quod inquit Sanctus Doctor, nimirùm eſſe ſimul *potentiam ad oppoſita*, ſed tamen *oppoſita non eſſe ſimul*: aut ſi mavis, eſſe ſimultatem potentiæ, ſed tamen *non eſſe potentiam ſimultatis*.

Quarta probatio ex eodem D. Thoma deſumi poteſt. Quia ſemper poteſt voluntas etiam ſub ipſa divina motione, vel non agere, vel aliud agere ſi velit; & ſi non agat, non oritur ex defectu potentiæ, ſed ex defectu voluntatis: Ergo abſolutè poteſt voluntas ſub divina motione agere, & non agere, vel aliud agere. Antecedens probatur, ac ſimul explicatur hic loquendi modus frequens apud D. Auguſtinum, & à S. Concilio Tridentino uſurpatus ſeſs. 6. ubi definitur, liberum arbitrium, etiam cùm movetur, *Poſſe diſſentire ſi velit*: cujus explicatio ſummè neceſſaria eſt ad hujus quæſtionis de concordia motionis cum libertate reſolutionem, & opportuniſſimus hic locus eſt, ut ex D. Thoma quis ſit verus hujus loquendi modi ſenſus expendamus, & explicemus.

Igitur ex S. Thoma q. 1. de Potentia art. 6. ubi inquirit, utrùm Deus poſſit facere quæ ſunt aliis poſſibilia? ut quæſtionem reſolvat, ſtatim diſtinctionem hanc adhibet. *Dicendum*, quòd *Deum abſolutè aliquid non poſſe, dicitur dupliciter; uno modo ex parte voluntatis, alio modo ex parte potentiæ: ex parte ſiquidem voluntatis Deus non poteſt facere quod non poteſt velle*; cujuſmodi eſt aut velle deficere à ſua bonitate, quod eſt peccare: aut etiam velle, ſuam voluntatem non impleri; aut quæ conſtituit agere, velle prætermitti, & alia hujuſmodi: quæ quidem poſſet ſi vellet, & tamen non vult, aut non poteſt velle, non quia deeſt poteſtas, ſed quia deeſt ſola voluntas. Unde veriſſimum eſt, quòd Deus v. g. poſſet ſi vellet, & ſemper etiam poteſt, ſi velit, obſtinatum quemlibet, & ſi quis eſſe poſſit Pharaone durior, convertere: ita tamen exigente juſtitia non convertit, non quia non poteſt, ſed quia non vult. Neque aliud ſignificat hic loquendi modus *poteſt ſi velit*, niſi hoc unum quòd non eſt impoſſibile ex parte potentiæ, ſiquidem ſemper poteſt, ſed ex parte voluntatis quæ non vult; poſſet enim ſi vellet. Neque hic ſenſus à communi modo loquendi alienus eſt. Quoties enim quiſque noſtrum dixit de rebus quas nec agit, nec aget unquàm, ſe eas poſſe agere ſi vellet, quamvis tamen non aget unquàm, nec etiam volet unquàm agere. Atque hujus exempla plurima ſupra retulimus, quibus ſimilia quiſque poſſit addere. Quis enim neget, poſſe quemlibet ſi vellet, ſe ſe confodere, aut amentiam ſimulare, aut nudum per plateas diſcurrere, aut, quod ajunt, in mari venari, & piſcari in aëre, & alia ejuſmodi, quæ nemo unquàm ſanæ mentis aget, & tamen poſſet ſi vellet, ſed prohibet ſemper recta ratio nè velit. Unde apertiſſimum eſt, non aliud, etiam juxta communiſſimum vulgi ſenſum, ſignificari hoc loquendi modo, niſi hoc unum, quòd non deeſt poteſtas, ſed ſolùm deeſt voluntas. *Neque id impoſſibile eſt ex parte potentiæ, ſed ſolùm ex parte voluntatis.*

Confirmatur, & oſtenditur in anteceſſum, de quo infra fuſiùs erit agendum, nihil officere Concilii Tridentini verba quæ retulimus efficaciæ divinæ motionis: quinimò hæc duo debere conjungi, & efficaciſſimam eſſe divinam motionem, & tamen voluntatem poſſe diſſentire ſi velit. Atque id egregiè explicat D. Thomas 2. cont. Gent. c. 25. ubi explicat, quo pacto Deus, licèt Omnipotens, dicatur tamen quædam non poſſe. Ibi enim poſt plurima, hęc habet huic difficultati expediendæ omninò opportuna. Num. 15. *Rursùs, quia Deus eſt per voluntatem agens, illa non poteſt facere quæ non poteſt velle. Quæ autem velle non poſſit, conſiderari poteſt ſi accipiamus qualiter in divina voluntate neceſſitas eſſe poſſit. Nam quod neceſſe eſt eſſe, impoſſibile eſt non eſſe; & quod impoſſibile eſt eſſe, neceſſe eſt non eſſe.* Deinde verò n. 17. inter illa quæ impoſſibile eſt eſſe, atque adeò quæ Deus velle non poteſt, ita ſubjungit. *Similiter oſtenſum eſt ſupra, quòd Dei voluntas non poteſt eſſe mutabilis; ſic igitur non poteſt facere id quod eſt à ſe volitum, non impleri. Sciendum tamen quòd hoc alio modo dicitur à præmiſſis.* (Quæ ſcilicèt, anteà enumeraverat, nimirùm quę repugnant rationi entis, vel imperfectionem involvunt.) *Nam præmiſſa Deus ſimpliciter nec velle, nec facere poteſt: hujuſmodi autem Deus quidē facere vel velle poteſt, ſi ejus volūtas vel potentia abſolutè conſideretur, non autem ſi conſideretur preſuppoſita voluntate de oppoſito: nam voluntas divina reſpectu creaturarum neceſſitatem non habet niſi ex ſuppoſitione, ut in primo libro oſtenſum eſt. Et ideò omnes iſtæ locutiones, Deus non poteſt facere contraria his quæ diſpoſuit facere, & quacumq; ſimiliter dicuntur, intelliguntur compoſitè: ſic enim implicant ſuppoſitionē divinę voluntatis de oppoſito. Si autem intelligantur diviſè, ſunt falſæ, quia reſpiciunt potentiam, & voluntatem Dei abſolutè.* Atq; iterùm, Num. 18. *Sicut autem Deus agit per voluntatem, ita & per intellectum, & ſcientiam, ut oſtenſum eſt: pari igitur ratione nō poteſt facere quę ſe facturum non preſcivit, aut dimittere quę ſe facturum preſcivit; quia non poteſt facere quę facere non vult, aut dimittere quę vult. Eodem modo conceditur, & negatur utrumque, ſcilicèt ut predicta non poſſe dicatur, non quidem abſolutè, ſed ſub conditione vel ſuppoſitione.* Hactenùs D. Thomas.

Igitur quædam ſunt quæ velle equidem poteſt Deus abſolutè, *& ſi ejus voluntas, vel potentia abſolutè conſideretur*. Quæcumque enim circa creaturas verſantur, poteſt abſolutè & velle & efficere, *Quia voluntas divina reſpectu creaturarum neceſſitatem non habet.* Unde cùm ab illis omninò abſoluta ſit, & independens propter ſummam eminentiam, omnia immutare poteſt in Cęlo, & in Terra, in Mari, & in omnibus abyſſis, id eſt, in ipſis perditiſſimorum hominum cordibus, ut ibi

expli-

explicat D. Augustinus. Potest, inquàm, si velit, & pro suo arbitrio, & ut ipsi libuerit: sed tamen non potest Deus & velle, & facere *suppositâ voluntate de opposito*, & supposito quòd semel ea non facere statuerit. Prohibet enim ejus immutabilitas, seu illa ex suppositione necessitas, quæ nullo planè modo libertatem aut minuit, aut lædit, sed voluntatem firmam, & immutabilem solùm ostendit: cùm enim *Dei voluntas non possit esse mutabilis, non potest facere id quod est à se volitum, non impleri*. Atque adeò supposita jam voluntate determinata, seu supposito quòd aliquid voluerit, ampliùs non potest illud non velle; quia *non potest dimittere quæ vult*. Unde & verissimè *conceditur, & negatur utrumque*: id est, *ut posse dicatur absolutè*: quia potest *si ejus voluntas vel potentia absolutè consideretur*: & tamen *non dicatur posse sub conditione vel suppositione*; quia *non potest facere id quod est à se volitum non impleri*. Quia ex firmitate, & immutabilitate propositi non potest, nec vult mutare consilium, nec potest non velle quæ vult, aut quæ vult prætermittere. Sicut iterùm *& conceditur, & negatur utrumque*, altera distinctione quam addidit D. Thomas. Negatur enim, si dicatur, quòd *potest facere contraria his quæ disposuit facere, compositè*; *sic enim hæc propositio implicat, &* componit *suppositionem divinæ voluntatis de opposito*: & deinde conceditur etiam, si dicatur, quòd *potest facere contraria his quæ disposuit facere, divisè*: *quia hæc propositio respicit potentiam, & voluntatem Dei absolutè*.

Ex quibus manifestissimum est, in divina voluntate hæc duo conjungi debere, & reverà conjungi, & conjuncta significari hac duplici distinctione, aut interpretatione, quam ex D. Thoma desumpsimus; immutabilitatem quidem, quia voluntas Dei, *Cùm non possit esse mutabilis, non potest facere id quod est à se volitũ non impleri*: siquidem supposita voluntate implendi, deest opposita voluntas non implendi: unde impossibile est, non impleri, *non ex parte potentiæ, sed ex parte voluntatis*. Conjungitur verò simul, & explicatur libertas; quia absolutè potest omnia quæ vult, & potest si velit, *si voluntas absolutè consideretur*. Siquidem impossibile est *ex parte voluntatis* solius quæ vult oppositum; sed non *ex parte potentiæ*, cui nihil circa creaturas est impossibile. Potest omnia agere, potest omnia immutare si velit: & si quid non agat, oritur non ex eo quòd non potest, sed ex eo quòd non vult. Sed

Prætereà, altera etiam distinctione, & interpretatione D. Thomæ, utraque & immutabilitas, & libertas divinæ voluntatis, & servatur, & conjungitur. Servatur quidem immutabilitas; quia *non potest facere contraria his quæ disposuit facere, compositè*: *sic enim implicatur suppositio divinæ voluntatis de opposito*. Et servatur etiam libertas: *quia potest facere contraria his quæ disposuit facere, divisè*: *quia sic respicitur potentia, & voluntas Dei absolutè*.

Confirmatur iterùm ex tertia distinctione quã affert D. Thomas ejusdem qu. 1. de Potent. artic. 5. ad primum argumentum. *Dicendum*, inquit, *quòd hæc locutio, Deus non potest facere nisi quod præscit se facturum, est duplex*: *quia exceptio potest referri ad potentiam, quæ imprimitur per ly potest, vel ad actum qui importatur per ly facere. Si primo modo, tunc locutio est falsa, plura enim potest facere quàm præsciat se facturum*; neque deest ullo modo potentia, quà possit si velit. *Si autem secundo modo, hæc locutio est vera*; quia reipsà quamvis possit plura facere quàm præsciat se facturum, non aliud tamen unquàm aget, quàm quod se facturum præscierit, & constituerit. Oportet enim hæc duo semper jungi; ex immutabilitate voluntatis non acturum nisi quod agere constituit: & tamen ex indifferentia voluntatis posse plura agere quàm constituerit.

Confirmatur ita explicari debere hunc communem loquendi modum, ut advertit D. Thomas: alioquin error esset Theologorum veterum qui existimabant, non aliud à Deo fieri posse, quàm quod fit; ea ratione, quia determinata jam divina voluntate, cùm immutari non possit, existimabant non aliud fieri posse, quàm quòd fit. Error fuit, inquit D. Thomas quæstione prælaudata de Potentia art. 5. *Quorumdam Theologorum considerantium ordinem divinæ justitiæ, & sapientiæ, secundùm quem res fiunt à Deo, quem præterire non posse dicebant*; *& incidebant in hoc, ut dicerent quòd Deus non potest facere nisi quæ facit*; *& imponitur hic error Magistro Petro Amalreo*. At verò quo alio sensu hic error vitari potest, & explicari, voluntatem divinam, & immutabilem esse, & tamen alia posse facere quàm quæ facit, nisi hac distinctione supra præmissa duplicis impossibilis, *ex parte potentiæ*, & *ex parte voluntatis*, vel *impossibilis compositè, & divisè*. Impossibile est alia fieri à Deo præter ea quæ facit, *ex parte voluntatis*, *non ex parte potentiæ*; seu impossibile est, non quia non potest, sed quia non vult. Non enim deest, ut inquit eodem articulo, aliquod principiorum quo possit agere. Quod enim deesse possit in Deo ubi omnia sunt immutabilia; sed deest voluntas, eo sensu, quòd si unum velit, alterum oppositum non vult. Vel iterùm, impossibile est, Deum facere alia præter ea quæ facit, & vult facere, *compositè*, & si componatur suppositio quòd nolit alia facere: sed non est impossibile *divisè*, si consideretur voluntas absolutè, & secundùm se. Quam etiam distinctionem iterùm affert Divus Thomas eodem artic. 5. *Ex suppositione*, inquit, *quòd Deus non velit alia facere, vel quòd præsciverit, se non alia facturum, non potest alia facere, ut intelligatur compositè, non divisè*.

Atque ex his manifestum est, quòd cùm negari non possit, Deum posse, si velit, alia plura facere quæ non facit; & tamen impedire immutabilitatem ejus voluntatis nè velit: necesse est, hæc duo utrâque hâc distinctione conjungi, ut à D. Thoma conjuncta fuisse monstratum est: quę si cõjungantur, non erit adeò arduum, ea quæ ad divinam voluntatem, & libertatem pertinent, intelligere,

gere,& explicare. Unde credibile est, inde eorum Theologorum, quorum Magistrum & antesignanum refert D. Thomas, errorem ortum fuisse, quòd immutabilitatem Dei cum ejus libertate conciliari non posse arbitrarentur, & existimarent illud omne necessarium esse, quod immutabile est; neque hæc duo distinguerent, quid fieri possit compositè, quid verò divisè: ea enim distinctione admissa, facilè utrumque conciliari poterat, & immutabilitas, & libertas. Nam divisè si sumatur voluntas secundùm se, potest aliud agere, & in hoc posita est libertas: & si sumatur compositè, voluntas non potest aliud agere: & in eo etiam posita est immutabilitas voluntatis, firmitasque consilii.

Confirmatur demùm, quòd ea quæ de divina voluntate jam dicta sunt, eodem omninò sensu, etiam de voluntate creata dicenda sint: cùm eadem etiam difficultas esse possit; & necesse sit in omni sententia, seu affirmetur voluntatem moveri prævia motione, seu negetur, hæc duo conjungi, & necessitatem, aut veriùs immutabilitatem dum agit, & tamen libertatem aliud agendi. Dixi in omnium sententia, quia non major apud nos, quàm apud alios difficultas est: siquidem, ut diximus, in concilianda libertate cum gratia sola conditio voluntatis observanda est, & ut ita dixerim, motio non ponit in numero, & vix aliqua hujus est ratio habenda: cùm adeò consentanea sit voluntati, ut sit utriusque idem velle, & eòdem utraque tendat. At verò etsi nulla supponeretur esse prævia motio, attamen quoties voluntas agit, dum agit reipsà, impossibile est non agere, & necesse est agere, & tamen etiam libertatem servat. Unde necesse est posse non agere, aut posse aliud agere si velit. Atque ut paucis superiora contrahantur, *Primò*: certum est, hæc duo in voluntate conjungi cùm agit, & necessitatem agendi quæcumque tandem illa sit, seu veriùs firmitatem & immutabilitatem agendi; & simul libertatem non agendi: Atqui hæc meliùs jungi non possunt, quàm ea distinctione quæ à D.Thoma excepta est. *Conceditur enim, & negatur simul utrumque*. Conceditur enim, posse aliud agere, vel posse non agere, *si voluntas vel potentia absolutè consideretur*: quia non deest potestas, neque aliquod principium agendi: & simul negatur posse agere, sub conditione, vel suppositione quòd agat: quia ex ea suppositione, quamvis non desit potestas non agendi, deest tamen non agendi voluntas: atque adeò dum agit, impossibile est non agere, *non ex parte potentiæ, sed solùm ex parte voluntatis*. Sed præterea, *Secundò*: alio etiam modo utrumque necesse est conjungi; & *conceditur, & negatur utrumque*, posse scilicèt voluntatem agere, & posse non agere etiam dum movetur: conceditur enim posse non agere, *si dicatur divisè*, quia *tunc respicitur potentia, & voluntas secundùm se*; continetur enim actus in potentia, & summa proportio est inter potentiam, & actum, major quàm inter plantam, & florem: neque singularis aliquis actus potest adæquare virtutem potentiæ, aut ejus capacitatem omnem, & omnem potentiam implere, aut eam ita constringere, & alligare, nè aliud etiam possit appetere. Sed præterea conceditur quòd possit non agere, *si dicatur compositè; sic enim implicatur suppositio voluntatis de opposito*: neque fieri potest quòd non agat, dum reipsà supponitur agere, quamvis tamen posset non agere si vellet, sed impedit ipsa suppositio quòd agat, nè velit non agere. *Tertiò*: ex eodem D.Thoma, cùm voluntas movetur, potest non agere; etenim si locutio *referatur ad potentiam quæ importatur per ly* potest: *locutio est falsa*; plura enim potest agere potentiâ, quàm agat. Unde falsum est quòd dum movetur & agit, non possit aliud agere: quod *si referatur ad actum qui importatur per ly* agere, *locutio est vera*: cùm enim agit, repugnat aut non agere, aut aliud agere.

Confirmatur, & explicatur iterùm magis comparatione, & exemplo divinæ libertatis, in qua necesse est hæc duo jungi, & coniuncta agnoscere, & summam immutabilitatem, & summam libertatem. Et sanè necesse est hęc duo tanquàm omninò diversa distinguere; divinam scilicèt voluntatem esse immutabilem, & esse ex naturâ suâ determinatam ad unum. Esse immutabilem, summa perfectio est: esse naturâ determinatam ad unum, summa imperfectio est opposita libertati: Ergo immutabilis, sed tamen adhuc libera est. Unde D.Thomas eâdem qu.1. de Potentia a.5. cùm hoc sibi argumentum opposuisset num. 13. *Deus mutari non potest: Ergo non se habet ad utrumlibet contrariorum, & sic sua potentia est determinata ad unum.* Respondet: *Dicendum, quòd licèt Deus sit immutabilis, tamen ejus voluntas non est determinata ad unum in his, quæ facienda sunt, & ideò habet liberum arbitrium.* Ex quo constat, hęc duo esse omninò distinguenda, & immutabilitatem, & necessitatem. Unde verò oritur divinam voluntatem non esse determinatam ad unum? Scilicèt ex eo quòd suæ bonitati dumtaxàt immutabiliter adhæreat. *Finis enim naturalis divinæ voluntatis est ejus bonitas, quam non velle non potest*, ut inquit in corpore articuli ibid. sed nullus ordo rerum *commensuratur*, & adæquatur *huic fini*: unde divina voluntas à rebus omnibus independens est, *& potest se extendere ad alia quæ non facit*: & cum ea immutabilitate summam servat libertatem, & indifferentiam ad opposita. Atque ita necesse est; quia alioquin asserendum foret, Deum non posse aliud agere, quàm quod agit, quod citra errorem dici non potest, ut à D. Thoma observatum est. Nam præter superiùs dicta, id etiam ex S.Scriptura certissimè constat. Siquidem & Christus Matth.27. cùm à Judæis comprehenderetur, Petro dixit, qui existimabat armis Magistrum esse defendendum. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis, ut ibi annotat S.Thomas, *destruxerunt quidam opinionem illorum*, scilicèt Magistri Amalrei, quem nominat q.1. de Potentia citata,

tata,& aliorum,*Qui dicebant,quòd nō poterat Dominus facere nisi quod facit;quia si poterat legiones convocare quas non convocavit ; constat quòd potest facere multa quæ non efficit*. Igitur certum est,in Divina voluntate hæc duo conjungi , & immutabilitatem , & tamen libertatem : Atquì idem de voluntate creata ut stat sub motione Divina dicendum est . Tum quia cùm agit, etiam plura alia agere posset si vellet , quæ tamen non agit . Tum quia *Finis hujus est Divina bonitas*, aut bonum in communi,*quod non potest non velle*:nullus verò rerum ordo *commensuratur huic fini* , unde voluntas remanet indifferens,*& potest se extendere ad ea quæ non facit*. Et sanè excutiantur omnia quibus impugnari solet motio prævia ex eo capite quòd libertatem lædat ; & certum est , ea omnia hac unica comparatione Divinæ libertatis omninò profligari . Quòd enim voluntas Divina à se determinetur , voluntas verò creata à Deo moveatur , perinde est ad hanc difficultatem enodandam , quæ hìc de libertate pertractatur . Negari enim non potest , quin sub ea motione integra sit illæsaque libertas; si etiam cum ipsa actione possint hæc duo conjungi , scilicèt infallibilitas actionis , seu immutabilitas voluntatis cum ipsius libertatis indifferentia : & si cùm agit voluntas, etiam possit si velit aut oppositum agere , aut omninò non agere; quæ omnia in Divina voluntate apertissimè demonstratur,ut dixerim esse propositionem æternæ veritatis , quam etiam in Beatis, in Christo, ac Deo , verum habere necesse est . Sed prætereà

Confirmatur:Quæcumque ex ipsa vi naturæ ita se habent , ut mutuam oppositionem non habeãt, aut reipsa exerceant,impossibile est aliter se habere ex altero quod ipsis omninò extrinsecum est , quodque naturam non constituit . Exempli gratiâ , etsi fingi posset ignem , & aërem ab æterno fuisse , aut esse entia omninò improducta; non minùs ignis cum aqua pugnaret,& aër ignis amicus esset , quàm nunc sit , cùm ea elementa producta sunt ; quòd nimirùm productum aut improductum esse , sint conditiones omninò extra naturam elementi , & quantùm attinet ad eam vel concordiam , vel pugnam exercendam : quia ex sola natura oritur ea concordia vel pugna,quę natura semper eadem esse supponitur : Atquì ex ipsa vi naturæ, & ex naturæ principiis immutabilitas voluntatis , aut infallibilitas actionis non pugnat cum libertatis indifferentia , nec eam aufert aut minuit,cùm toties à D.Thoma dictum sit; quòd *Deus immutabiliter movet voluntatem propter efficaciam virtutis moventis , & tamen propter naturam voluntatis non inducitur necessitas , sed remanet libertas*,qu.6.de malo . *In Deo etiam, licèt sit immutabilis , tamen ejus voluntas non est determinata ad unum in his quæ facienda sunt,& ideò habet liberum arbitrium*,qu.1.de potent.art.5.ideſt,infallibilitas actionis , & libertas inter se non adversantur : Ergo nihil officiet quòd voluntas primò à Deo moveatur , aut etiam omninò non moveatur,ut infallibilitas actionis cum indifferentia possit conjungi . Iterùm

Confirmatur : Si quid repugnaret , aut si quod periculum esset ne læderetur libertas , esset maximè , quòd cùm motio ad unum actum movet , & ipse actus elicitur , alius simul actus componi non possit , & ut interdùm loquuntur D. Thomę Discipuli cum suo Magistro , quòd voluntas non possit in sensu composito alium actum conjungere ; Atquì illud necesse non est , nec ad libertatem requiritur. Etenim, ut diximus, quocumque modo voluntas moveatur , aut agat , impossibile est non agere cum agit ; & tamen etiam cùm agit integram servat libertatem , quamvìs non possit non agere , nec possit aliud in sensu composito agere : imo neque id ad Divinam libertatem, quæ in apice , & culmine perfectionis est , pertinere potest, ut dum agit,possit in sensu composito non agere;sed si agat,necesse est agere, quamvis ea necessitas verìùs dicenda sit voluntatis ex summa perfectione firmitas & immutabilitas , quàm necessitas , ut ex D. Thoma , ipsoque etiam gentili Seneca diximus: Ergo ex ipsis legibus naturæ impositis, nihil repugnat, voluntatem,dum agit,& ex Divina motione infallibiliter agit ; illæsam integramque libertatem servare , cùm necesse non sit ut possit *Compositè* agere ; sed satìs sit, posse *Divisè* , ut loquitur S. Thomas , ideſt, *si consideretur natura , & potestas voluntatis* .

Sed dices : jis omnibus argumentis æquivocationem latere , neque hìc agi de ipso voluntatis actu aut ipsius determinatione,sed agi de motione prævia,quæ antecedit actum , quæque non potest non esse de prærequisitis ad agendum . Unde necesse est , ut servetur libertas illæsa , quòd posita ea motione in voluntate,câque etiam durãte, voluntas oppositum actum cum ea jungere possit , sicut cum habitibus quibus voluntas perficitur.

Sed impugnatur *Primò* hæc responsio , quòd cum ipso actu Divina motio conjuncta sit: unde & de ipsa motione , sicut & de ipso actu idem sit omninò sentiendum . Etenim qua ratione fieri potest, moveri voluntatem , quæcumque tandem illa motio sit, & moveri in ratione principii activi,nisi actum eliciat . Si enim moveatur , necesse est aliter se habere,& immutari ab eo statu in quo erat potentia iners,& otiosa , & ad actum reduci . Neque aliter intelligi potest , voluntatem in ratione principii activi moveri,nisi quatenùs ex potentia , & otio ad actum revocatur . Atque id observat expresè S.Thomas qu.6. de malo ad 17. ubi inquit : *Quòd voluntas quando de novo incipit eligere , transmutatur à sua priori dispositione, quantùm ad hoc quod priùs erat eligens in potentia,& postea fit eligens actu: & hęc quidē transmutatio est ab aliquo movente , in quantùm ipsa voluntas movet seipsam ad agendum,& in quantùm etiam movetur ab aliquo exteriori agente , scilicèt Deo,non tamen ex necessitate movetur , ut dictum est* ; scilicèt in corpore articuli . Unde quamvis motio, ea ratione qua prævia est , sit alterum ex prærequisitis ad agendum ; attamen ea ratione qua motio est,non potest non involuere actum ad

quem

quem movet : conjungit enim motio ipſam voluntatem cum actu. Et ut inquit Divus Thomas quæſt. 3. de potent. art. 7. *Virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris.* Ideòque ea motio ſecum affert, & ſecum trahit involvitque ipſum actum, & ita dixerim, non ponit in numero cum ipſo actu. Atque adeò non aliter de motione quàm de ipſo actu loquendum eſt. Eſt enim ipſa applicatio aut determinatio activa, & effectiva potentiæ ad actum. At verò quî fieri poteſt, manere eandem ſemper motionem, & actum ad quem motio terminatur non remanere, neque eundem eſſe; cùm motus omnis, & ſpeciem, & unitatem à termino deſumat, & omninò repugnet eundem eſſe motum, & diverſum terminum. De habitibus quidem id facilè intelligitur, cùm nullum actum neceſſariò conjunctum habere debeant, & poſſint inertes eſſe, & in homine aut otioſo, & dormiente etiam integri eſſe poſſint. At de motione, non de habitu loquimur, & impoſſibile eſt actu motionem eſſe in voluntate, niſi voluntas moveatur; aut remanere motionem, & actum diverſum eſſe. Ergo ſicut ad libertatem non pertinet quòd poſſit unũ actum cum altero conjungere, ita nec pertinet quòd poſſit cum motione, quæ ad unum actum movet, oppoſitum componere. Unde, & huc etiam ſponte recurrunt quæ de Divina voluntate ex D. Thoma diximus, ad eam pertinere, ut poſſit *non compoſitè, ſed diviſè*.

Secundò impugnatur, & cõcedi etiam velim adverſariis ſimilem eſſe ex parte motionem habitibus, ſimilemque ex parte conditionem referre. Sicut enim media motio eſt inter potentiam, & actum, ita & media etiam eſt inter habitum, & actum. Unde ut hæc facilè intelligantur, exiſtimet quis, motionem eſſe inſtar habitûs per modum tranſeuntis infuſi, & qui actum conjunctum habet, quo actu ſemel elicito habitus tranſit: ideò enim dicitur per modum tranſeuntis non per modum permanentis infundi. At verò quatenùs habitus omninò proportionatur potentiæ, ipſique conformatur; & dum actus elicitur, non repugnat alium actum elici, aut omninò non elici, ex ipſa ratione habitûs, qui ut ſatìs liquet, cum actu adverſo non repugnat. At verò quatenùs eſt habitus per modum tranſeuntis, & ut actum conjunctum habet ad quem eliciendum infunditur; repugnat quòd dum ipſum actum elicit, aut non eliciat, aut alium eliciat, non quidem ex ratione habitûs, ſed ex ratione habitus tranſeuntis, & in ipſo ut ita dixerim tranſitu actum efficientis. Idem omninò de Divina motione ſentiendum eſt : cùm etiam motus omnis ad terminum, cum alio motu aut alio termino ex communi ratione motûs oppoſitionem non habeat, ſed ratione termini quem ponit, & efficit. Unde cùm voluntas motione Divina ad unum actum eliciendum movetur, putà ad electionem ſtatus Religioſi, quem conjugali anteponit; actus oppoſitus, electio ſcilicèt conjugalis ſtatus, non opponitur per ſe Divinę motioni, ut motio eſt, & ex communi ratione motionis, & ſi quis velit etiam ut eſt quid prærequiſitum ad agendum; ſed ipſi opponitur ut motio efficit, involvitque ipſum actum, & ita eſt quid ad agendum prærequiſitum, ut tamen actum ipſum involvat. Unde nihil mirum ſi cum ipſa motione hoc pacto conjungi non poſſit, cùm ipſum actum ſecum conjunctum habeat. Unde ſemper, & ea ratione hæc duo junguntur, quæ jungenda eſſe perpetuò diximus, indifferentiâ relictâ libertati, & efficaciâ aſſertâ Divinæ motioni. Indifferentia quidem convenit motioni, ut conformatur voluntati : efficacia verò convenit motioni, ut tranſeunti, & in ipſo tranſitu voluntatem ſecum trahenti, & ducenti. Unde iterum

Tertiò impugnatur, aut eadem impugnatio magis ex D. Thoma explicatur. Etenim ut etiam jam obſervatum eſt ſuprà; duplex ratio in ipſa Divina motione diſtinguenda eſt. Nimirùm ut afficit voluntatem in qua recipitur, & ut reſpicit actum ad quem efficiendum voluntatem impellit : aut ut loquitur D. Thomas, poteſt conſiderari ſecundùm ſuum eſſe commune cæteris accidentibus, ut voluntati inhæret, & ab ipſa etiam dependet, ac ſimilem conditionem inducit, ea communi lege, quòd quidquid recipitur in ſubjecto eſt inſtar ipſius ſubjecti à quo recipitur, ſed prætereà poteſt conſiderari ſecundùm peculiarem rationem quam habet, ut eſt impreſſio quædam Divinæ virtutis, & qua voluntatem evehit, ipſique ſuam immutabilitatem imprimit. Ita verò inquit D. Thomas, qui hoc ipſum Argumentum, quod nobis objici ſolet, præoccupaſſe videtur: nimirùm quòd ſi motio prævia ſit, & antecedat actum, non poſſit non eſſe inſtar habitus, qui in voluntate poſitus eſt ad modum ipſius voluntatis, in omnem partem mutabilis. Etenim qu. 24. de verit. quæ integra eſt de libero arbitrio art. 8. *Utrùm creaturæ liberum arbitrium confirmari valeat in bono per aliquod ipſius gratiæ donum?* ubi loquitur de perfecta confirmatione, qua Beati *immutabiliter ad Deum feruntur, cùm ſupernaturalem inclinationem voluntatis, erit in eis charitas perfecta totaliter ligans eos cum Deo*. Ita num. 6.

Objicit ſibi: *Dicitur in libro de cauſis : quod eſt in aliquo eſt in eo per modum ejus in quo eſt : ſed liberum arbitrium ſecundùm ſuam naturam eſt mutabile in bonum, & malum : Ergo & gratia ei ſuperveniens*, & Divina motio, *hoc modo in eo recipitur, quòd* ad utrumlibet eſſe debeat, & ſub ipſa voluntas, *in bonum, & in malum mutari poſſit: Ergo liberum arbitrium per gratiam non poteſt confirmari in bono*. En idem reipſa Argumentum quod ſæpiùs objicitur: Quidquid in voluntate recipitur, quodque antecedit actum, debere eſſe ejuſmodi ut voluntas poſſit etiam oppoſitum *Compoſitè, & in ſenſu compoſito*, ut loquitur D. Thomas, conjungere; quod idem planè eſt ac motionem eſſe inſtar habitûs, quocum actus etiam oppoſitus conjungi poteſt, ex ea communi lege qua quidquid in ſubjecto recipitur, ſimilem conditionem

induit;& quòd voluntati imprimitur,instar ipsius voluntatis in omnem partem verti potest. Sed

Respondet D. Thomas: *Ad sextum Dicendum, quòd ejus quod recipitur, considerari potest, & esse, & ratio. Secundùm quidem esse suum, est in eo in quo recipitur per modum recipientis; sed tamen ipsum recipiens trahitur ad suam rationem. Sicut calor receptus in aqua habet esse in aqua per modum aquæ, in quantùm scilicèt inest aquæ ut accidens subjecto; tamen aquam trahit à naturali sua dispositione, ad hoc quòd fiat calida, & faciat actum caloris: & similiter lux aërem, licet non contra naturam aëris. Ita gratia secundùm esse suum est in libero arbitrio per modum ejus, sicut accidens in subjecto: sed tamen ad rationem suæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum Deo conjungens.*

Hæc D. Thomæ solutio egregia planè, & qua hæc duo quæ suprà jungenda esse diximus, mirum in modum conjungit. Dupliciter igitur considerari potest Divina motio, ut res quædam est, & secundùm *esse*, quod recipit à subjecto cui inhæret; & *ut ratio*, seu secundùm illud quod est ipsi eximium, & quod ex sua peculiari ratione subjecto superaddit. Ut recipitur quidem in voluntate, ab ea dependet ipsique conformatur, ea lege, quòd quidquid recipitur, est instar illius in quo recipitur: quæ lex adeò communis est, ut egregiè dixerit D. Thomas opusc. 3. cap. 174. quòd resumpto corpore nullæ futuræ sint transmutationes. Quia *resumpto corpore* anima *non sequetur mutationem corporis, sed potiùs econversò: nunc enim anima infunditur corpori seminato*, in eoque veluti recipitur: *& ideò convenienter transmutationes corporis sequitur. Tunc verò corpus unietur animæ præexistenti*, ipsique adveniet; *unde totaliter sequetur ejus conditiones*. Igitur ea lege quæ proportionem efficit inter formam quæ recipitur, ac subjectum quod eam recipit; sicut voluntas mutabilis est, ita etiam & mutabilis est Divina motio, ac indifferens *secundùm* suum *esse*; neque ea ratione immutabilitatem habere potest: quia ut aliàs fusè, nec semel ex D. Thoma dictum est, forma quæ non replet totam subjecti capacitatem, neque subjectum sibi subjicit, nunquàm immutabiliter inhæret. Unde cùm gratia adveniat subjecto mutabili, scilicèt voluntati, similem conditionem induit, ac mutabilis est. Atque ea ratione dici potest, nec quidquam nostræ sententiæ nocet, si concedatur, quòd cùm Divina motio ad eligendum statum religiosum voluntatem movet, actus oppositus aut negatio illius non repugnat cum Divina motione: si inquam motio consideretur *secundùm esse*, & ut recipitur in subjecto, ipsique conformatur. Verùm, si secundùm peculiarem & singularem rationem Divina motio consideretur, & ut est Divinæ virtutis quædam participatio, evehit Divina motio voluntatem, ipsamque ad suam conditionem, & *ad rationem suæ immutabilitatis pertrahit*. Neque eo pacto negatio actûs ad quem movet, aut actus oppositus potest cum ipsa Divina motione conjungi.

Atque ex his omnibus quæ satìs fusè prosecuti sumus, tandem concluditur, iis D. Thomæ principiis, eaque explicatione, non posse non esse legitimam Divinæ gratiæ cum libertate concordiam, quam docet docuitque semper Schola Divi Thomæ: cùm hac unica serventur, & motionis Divinæ, & humanæ libertatis jura omnia integra, illæsa, & inconfusa: eaque ratione hanc Divi Thomæ sententiam cæteris esse anteponendam meritò dici potest. Unde tandem hìc opportunissimè repeti meritò potest, & debet; quod jam sæpiùs diximus: *Quòd Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas sed manet libertas*: Idque ex communi lege Divinæ providentiæ quæ etiam *infallibiliter operatur; & tamen causis contingentibus proveniunt effectus contingenter; in quantùm Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundùm modum suum.*

QUÆSTIO VIII.

De concordia Libertatis Chriſti cum Impeccabilitate, & Præcepto à Patre impoſito.

Quod à D. Auguſtino lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 15. dictum eſt, *Præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ* eſſe Salvatorem mediatorem Dei & hominum; non immeritò de divinæ gratiæ cum libertate concordia dici poteſt. Urget validè hoc Argumentum D. Auguſtinus, quo inimicos gratiæ omninò ſe ſe conſtringere arbitratur; à quibus cùm falsò jactaretur, non gratiâ præveniri voluntatem, cui merita gratia tribueret; ſed voluntate præveniri gratiam, quæ retribueretur merito voluntatis. *Reſpondeatur quæſo*, inquit S. Doctor: *Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruerit? quod ejus bonum qualecumque præceſſit?* Hìc ſanè neceſſe eſt merita conticeſcant, & divinæ gratiæ operatrici palma concedatur. Hoc idem ex ea comparatione Argumentum uſurpari à nobis poteſt, quo legitimam eſſe libertatis creatæ cum gratia concordiam, quam ex D. Thoma hauſimus, hactenùsque tradidimus, apertiſſimè demonſtremus. *Præclariſſimum* illius concordiæ *lumen eſt* Chriſtus Patri æterno obediens, impeccabilis, ac ſummè liber: utrumque enim in Chriſto jungendum eſt, quod ad hanc concordiam pertinere diximus, & ſumma ex præcepto Patris ad ſubeundam mortem determinatio, & ſumma à neceſſitate immunitas. Quin etiam, & multò difficilior eſt ea in Chriſto concordia, cùm alterum etiam ſuam velutì in ea concordia partem habere neceſſe ſit, ſcilicèt ſummam ex ſanctitate impeccabilitatem, à qua homines in peccatis nati, iiſque immerſi, remotiſſimi ſunt. Igitur, ut Auguſtini verba ac ſimile Argumentum uſurpemus: *Reſpondeatur quæſo*, quo pacto, quo vinculo hæc tria in Chriſto conjungi potuerunt? atque ut hæc ex eodem S. Doctore ſubjungam, *Nunquid metuendum fuit, nè accedente ætate homo ille* (Chriſtus ſcilicèt) *libero peccaret arbitrio*? ut ſarta rectaque maneret libertatis indifferentia? *An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magìs erat, quantò magìs peccato ſervire non poterat*: Hæc omnia ſimul jungenda ſunt; obedientia, impeccabilitas, libertatis indifferentia: neque extenuanda obedientia eſt, aut ſanctitas obſcuranda, ut ſervetur illæſa libertas; neque minuenda eſt etiam libertas, ut aut perfecta defendatur obedientia, aut ſanctitas in tuto reponatur. Sed hoc Argumentum tota hac quæſtione proſequendum eſt, ex quo legitimam eſſe concordiam à nobis hactenùs traditam clariſſimè, ut arbitramur, tandem erit à nobis demonſtratum.

ARTICULUS I.

Triplex obſervatio. Prima, veram eſſe D. Thomæ concordiæ rationem. Secunda, nihil adverſam ſententiam juvare, ſi negetur præceptum Chriſto impoſitum. Tertia, nullam ad conciliandam libertatem admittendam in Chriſto imperfectionem poſſibilem etiam potentiâ phyſicâ.

Hæc una difficultas ſupereſſe poteſt, nec hujus reſolutio eſt prætermittenda, nè quidquam in hac graviſſima controverſia deſit, quod aut morari lectorem poſſet, aut ex quo novam, & majorem lucem mutuari nobis liceat. Diximus aliàs, liberum Chriſti arbitrium circa objecta varia quæ infra Deum poſita ſunt, liberè verſari poſſe, ſummamque indifferentiam ſervare, quòd determinationem ſolùm habeat ſecundùm genus morale, ac plura diverſaque eligere poſſit ſervato ſemper ordine finis. Diximus etiam, liberum Chriſti arbitrium circa ultimum finem, ac ipſum Deum verſari poſſe, ut eſt tamen ratio diligendi creaturas, Angelos, & homines: quibus cùm infinita dona vel negari vel conferri ſemper potuerint, ac etiam nunc poſſint: ampliſſimus, ut ita dixerim, campus apertus eſt, in quo ſumma cum indifferentia potuit libertas Chriſti verſari.

Verùm, altera difficultas, & major forſitan videri poterit; quid ſit de libertate Chriſti ſentiendum, cùm circa unum determinatum objectum verſatur, ſcilicèt mortem præceptam à Patre æterno. Non enim hìc latitudo objecti ulla eſſe poteſt, unde indifferentia oriatur; ex qua latitudine, & amplitudine indifferentiam ſumendam eſſe diximus, quæ poteſt circa diverſa exerceri. Communis difficultas eſt apud omnes Theologos, in eo poſita, quòd tria jungenda ſint, quæ omninò pugnare invicem videantur: quæque ſola Divi Thomæ Schola conjungit. Unde

Prima obſervatio ſtatuenda eſt, veram eſſe ex

D. Thoma desumptam libertatis Christi concordiæ rationem. Atque id probatur quia vera concordiæ ratio postulat, ut hæc tria simul conjungantur. *Primò*, fuisse à Patre æterno præceptum Christo impositum de morte subeunda: *Secundò*: in impletione hujus præcepti Christum fuisse impeccabilem, nec potuisse præceptum impositum prætermittere: *Tertiò*, & tamen licèt impeccabilem, & ad implendum paternum præceptum sua ipsa sanctitate determinatum, fuisse tamen liberum. Hæc enim tria simul jungenda sunt, quæ tamen jungere videtur maximè arduum. Si enim Christus implendo ejusmodi præceptum fuit liber: Ergo potuit implere, & non implere, quod cum impeccabilitate non satìs cohærere videtur. Si verò non potuit non implere: Ergo nulla libertas est quæ indifferentiam requirit: Atquì nullus hactenùs hæc tria conjungendi, & conciliandi modus ab his qui extra D. Thomæ Scholam audiunt, reperiri potuit: sed eum modum reperit D. Thomas: Ergo. Minor probatur. Alii enim verum, & in rigore præceptum impositum negant, ut impeccabilitatem cum libertate concilient: alii quod sanè, quo animo excipiendum sit, aliis judicium relinquo, potentiam in Christo physicam ad imperfectionem moralem ultrò admittunt, ut obligationem præcepti cum eadem libertate, & libertatis indifferentia conjungant.

Tanti scilicèt visum est aliquibus ideam à se de libertate conceptam defendere, ut cùm hæc tria in hoc fœdere, & conciliatione concurrant, obligatio præcepti à Patre impositi, impeccabilitas Christi, ac demùm ipsa Christi libertas; nihil non moverint ut alia duo, quocumque tandem modo ita inflecterentur, & deprimerentur, ut cum ea libertatis idea cohærere possent: & maluerint etiam in periculum adducere aut veritatem, & sinceritatem paterni præcepti, ac ipsius Christi obedientiam; aut etiam, ut diximus, ipsam Christi impeccabilitatem; quàm vel minimùm illam libertatis indifferentiam temperare & coarctare, ut cum impeccabilitate, veraque obedientia Christi conjungi commodè, & conciliari posset: Ergo nulla apud alios vera concordiæ ratio est. Atquì è contra nos maxima luce, ut olìm Hebræi, undique perfundimur, cùm nos planè nulla nova difficultas vel minimùm premat, ut hæc tria jungantur, quæ alii coguntur vel negare vel inflectere: ut verissimum sit quod supra satìs à nobis observatum est, nos perpetuò in medio positos esse, ac tutissimâ viâ incedere: eaque omnia quæ alii dividunt, à nobis salva utriusque proprietate, & nullius juribus læsis, quod ad veram concordiam, & amicum fœdus pertinet, conciliari.

Confirmatur: quòd, ut aliàs etiam animadvertimus, sola D. Thomæ sententia medium teneat, & sola principium neget quo cæteri omnes conveniunt. Etenim certum est, cæteros omnes qui in extremas sibique adversas sententias declinarunt, communi hoc principio convenire, scilicèt præceptum Christo impositum, & summam in hujus adimpletione impeccabilitatem, nulla ratione nullaque arte cum vera libertatis indifferentia conjungi posse. Hinc in varias, & extremas partes deinde abeunt: Atquì, subsumunt alii, negari non potest, impositum fuisse Christo verum, & in rigore præceptum, cùm ab ipso etiam dictum sit, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: & ex Apostolo, *Christus factus fit obediens usque ad mortem*: & vera obedientia esse non possit, nisi verum, & in rigore præceptum impositum supponat: Ergo, inquiunt, nulla est in Christo libertatis indifferentia, quam subindè ad meritum necessariò requiri existimandum non est. Ita falsò sensit Jansenius, & erravit. At verò alii in alio extremo positi: Atquì, inquiunt, servanda est Christo vera libertatis indifferentia, & immunitas à necessitate, quæ si desit, nullum meritum esse potest: Ergo existimandum non est, rigorosum præceptum Christo fuisse impositum: vel saltem si Christo fuit præceptum, intelligendum est, fuisse impositum de morte in communi, non tamen de variis circumstantiis, aut variis motivis, quibus voluntas Christi moveri poterat, ut mortem spontè amplecteretur. Demùm alii cùm sine apertissima vi Scripturæ Sacræ illata, præceptum Christo impositum quod ex obedientia impleret, negari non posse animadvertant, nec si negaretur quidquam causam juvaret, cùm aliunde Christus ex beatifica visione, & ex summo amore, ad illud quod erat magìs placitum Patri determinatus sit, in eas angustias conjecti sunt, ut cùm alium exitum non reperirent, fateri coacti fuerint Christum moraliter quidem, seu potentia morali non potuisse imperfectum, & remissum actum eligere omisso perfectiori, & ferventiori, seu non potuisse se remissè gerere in exercitio virtutum, ac imperfectionem moralem habere: potuisse tamen potentiâ physicâ; idque ea dumtaxàt ratione ut sarta tectaque esset ea libertatis indifferentia soluta, & vaga, quam perpetuò defendendam esse arbitrantur. Et nè quis existimet, me falsò quemquam gravare velle, aut à me quidquàm falsò imponi, infra Authoris ipsius verba referam, ex quo ista desumpta sunt. Ergo evidens est, cæteros omnes eo principio convenire quod unica Divi Thomæ Schola negat. Nullus enim hactenùs modus ab aliis repertus est, quo hæc tria conjungere possint: sed malunt cæteri in quamcumque aliam partem se se conjicere; quàm Divi Thomæ principia quibus hæc tria connectuntur, amplecti. Sed istud verissimè non est difficultatem resolvere, sed planè difficultati succumbere: cùm hæc tria quæ enumeravimus, & ex Scriptura Sacra certò constant, invicem conjungenda sint. Et

Confirmatur iterùm, veram concordiæ rationem exigere, ut hæc tria conjungantur. Etenim, quod meritò observari debet, certum est, nullum seorsìm, & in singulari ex his tribus, quæ enumeravimus, & quæ in hac concordia, & fœdere con-

concilianda, & conjungenda ſunt, ſcilicèt obligationem præcepti, & veram obedientiam Chriſti, & ſummam ejus impeccabilitatem, quam nulla vel minima imperfectionis umbra obſcurat; ac deinde perfectiſſimam libertatem, & merendi facultatem; nullum, inquam, ex his tribus ſeorſim, & in ſingulari, negari unquàm poſſe, aut reipſa negari ab Adverſariis, vel etiam quocumque pacto inflecti; ea ratione, quòd eorum aliquod in ſingulari, & ſi ſeorſim ſumatur, etiamſi ſummo rigore, & ſine ulla prorſus diminutione explicetur, & defendatur, & per ſe falſum ſit, aut impoſſibile, aut Scripturæ adverſum: cùm è contrà aut omninò ex fide quodlibet indubitatum ſit, aut magis Scripturæ conſentaneum: ſed dumtaxàt ea ratione hi quos Adverſarios habemus, alterum ex his tribus inflectere aut minuere tentarunt, quòd eorum omnium concordiam ac fœdus reperire non potuerint. Enim verò cur v.g. negetur, impoſitum Chriſto verum, & in rigore præceptum, aut ſaltem cur negetur, potuiſſe imponi à Patre æterno, ex ſummo dominio, quod habet in Chriſtum, & mortalem, & moriturum? nulla à priori ratio fingi poteſt, aut ex natura præcepti, aut ex conditione Chriſti Domini. Hæc una ſolùm à poſteriori, & inconvenienti ratio occurrit cur negent, præceptum Chriſto impoſitũ fuiſſe, quia alioquin, ut putant, læderetur libertatis Chriſti perfecta indifferentia, quam volunt nullam determinationem ferre poſſe. Cur iterum non dubitarunt aſſerere concedendam in Chriſto Domino potentiam phyſicam, qua phyſicè imperfectionem moralem potuiſſet admittere? Refugit enim animus etiam id cogitare de ſumma, & qua nulla major concipi poſſit ſanctitate, quam ex perpetua Verbi Divini directione primus Religionis ſenſus cogit in Chriſto agnoſcere. Non alia ratione moventur, neque ulla alia fingi poteſt, præter hanc unicam, nimirùm quia perfectam libertatis indifferentiam, cum omnimoda ſanctitate & perfectione non poſſint conjungere. Sed demùm cur alii, quos etiam ſuprà fusè impugnavimus, negent morienti Chriſto, & animam ponenti, ſummam libertatem ineſſe, & libertatis indifferentiam aliquam, licet ordine finis temperatam, & à neceſſitate immunitatem? Nulla omninò alia ratione ab his negari potuit, niſi ea dumtaxàt ex inconvenienti deſumpta, quòd ea cum impoſito præcepto libertatis indifferentiæ, & immunitatis à neceſſitate, unio & concordia ipſos latuerit. Ergo manifeſtum eſt, nullum ex his tribus negatum fuiſſe, quòd in ſingulari, & ſeorſim ſumptum falſum eſſe exiſtimatum fuerit.

Atque inde, ut arbitror, validum deſumi poteſt argumentum, quo ſententiæ omnes D. Thomæ principiis adverſæ rejiciantur, ac demonſtretur, nullum alium concordiæ modum admitti poſſe. Etenim nulla eſſe poteſt legitima concordia, nullum verum fœdus, niſi hæc tria ita ſimul conjungantur, ut ſuum cuilibet jus integrum, & illeſum ſervetur; Paterno præcepto vis omnis obligandi; impeccabilitati Chriſti ſumma integritas; & libertati ſua indifferentia, & à neceſſitate immunitas: Atquì nullus alius eſt explicandi modus præter eum quem nos à D. Thoma didicimus, qui hęc ita coniungat, ut cuilibet jus ſuum ſervet: cæteri enim omnes explicandi modi, aut Paterni præcepti obligationem emolliunt, & enervant, aut ipſam ſanctitatem, & impeccabilitatem Chriſti obſcurant, aut indifferentiam, & à neceſſitate immunitatem negant: quæ tamen tria conjungenda eſſe diximus. Ergo.

Secunda obſervatio eſt, facilè omnes vel inde Adverſariorum ſententias, aut explicandi modos rejici poſſe, quòd nullus cauſam eorum juvare poſſit. Etenim certum eſt, plurima excogitata fuiſſe à multis, ut defenderent, præceptum paternum à Chriſto ſine culpa prætermitti potuiſſe: nimirùm vel quia præceptum non obligabat, ſed erat inſtar conſilii, Chriſti arbitrio relicti, ut ipſum vel impleret vel prætermitteret; vel quia poterat Chriſtus diſpenſationem petere; vel quia ad omnia virtutum motiva, aut omnes circumſtãtias temporis minimè ſe ſe extendebat, vel quia demùm poſſibilis fuit in Chriſto imperfectio aliqua moralis potentiâ phyſicâ: Atquì nihil ex his Adverſariorum cauſam juvare poteſt: quia ſcilicèt, ut jam diximus, hæc omnia ſupponenda ſint, & conjungenda, ut vera ſit difficultatis reſolutio: ſcilicèt & impoſitum fuiſſe præceptum etiam ſummo rigore obligans, & Chriſtum ſummè impeccabilem eſſe, & tamen etiam fuiſſe liberrimum. Alioquì enim velle ex iis aliquod negare, non eſt inter ea concordiam ac verum fœdus ſtatuere, ſed potiùs concordiam omnem evertere, & unius detrimento & ruinâ, alterius velutì vim, & poteſtatem erigere. Ergo.

Confirmatur: quòd quantumvìs ſumma ſubtilitate paterni præcepti vim obligandi temperare & emollire Adverſarii conentur, nihil tamen ad ſuæ cauſæ patrocinium opportunum afferant. Atque id evidenter probatur. Ideò enim vim divini præcepti extenuare volunt, nè cogantur admittere voluntatem Chriſti fuiſſe determinatam ad unum, quòd eam determinationem noxiam eſſe libertati arbitrentur: Atquì licèt voluntas Chriſti non eſſet determinata ad unum ex vi paterni præcepti, aliunde tamen ad unum determinata fuit: Ergo. Minor probatur. Etenim certum eſt, quòd quamvìs voluntas Chriſti non fuiſſet vi præcepti ad unum determinata, non deerat tamen ex alio capite ea determinatio: ſcilicèt, ex eo quòd ut erat comprehenſor, divina Viſione, ac Scientiâ Beatâ, nedùm ſcientiâ infuſa, humana voluntas Chriſti regebatur, & regulata divina viſione Charitas non poterat non eſſe determinata ad illud omne quod optimum eſt. Enimverò latère Chriſtum non poterat, quid ſibi Pater æternus conſuleret, quodnam eſſet virtutis motivum perfectius, ac Patri acceptius; aut demùm quid ab ipſo prædefinitum fuiſſet. Cùm enim Pater in ſua poteſtate omnia momenta habeat, omniaque diſponat in numero,

ponde-

pondere, & mensura; nec solùm quantùm ad rerum varios gradus, sed etiam quantùm ad circumstantias omnes, ipsaque temporum momenta: latère hæc omnia Christum non poterant. Neque aliunde ab ea voluntate Patris sibi cognita Christus unquàm recedere poterat, cùm etiam diceret, quòd *Quæ sunt ei placita, facio semper*, & ingrediens Mundum dixit, *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam Deus*. Unde & Christi Domini voluntas, ut notat D. Thomas 3.par.qu.18.art.5. nedùm quantùm ad rationem volendi, sed etiam quantùm ad volitum, semper fuit divinæ voluntati conformis; nec minùs quàm volùtas Beatorũ, quibus, ut observat idem S. Doctor, Deus ipse, divinaque bonitas tanquàm regula actionum omnium, motuumque directrix conjuncta est, & est unica ratio agendi: & ut iterùm inquit D. Thomas 3.par.qu.18.art.1. quo sanè nulla major à Verbo Divino motio, & directio, aut major ad bonum determinatio significari potest, *Cùm voluntas*, inquit, *pertineat ad naturam, ipsum quod est aliqualiter velle* (ut loquitur D. Damascenus, quem explicat) *pertinet ad naturam, non secundùm quòd est absolutè considerata, sed secundùm quòd est in tali hypostasi. Unde & voluntas humana Christi habuit quendam determinatum modum, ex eo quòd fuit in hypostasi divina, ut scilicèt moveretur semper secundùm nutum divinæ voluntatis*. Et sanè cùm ipsa humanitas esset instrumentum conjunctum Divinitati, non poterat non perpetuò regi, ac moveri à Verbo Divino. Ideòque dicitur ad Philip.2. *Habitu inventus ut homo*: quòd ipsa humanitas motus omnes Verbi Divini sequeretur, ut vestis ad varios corporis motus variè mutatur. Ac demùm nè quis de sententia S. Thomæ dubitet, *Sicut*, inquit, *corpus movetur ab anima, ita in Domino Jesu Christo humana natura movetur, & regitur*. 3.par. quæst. 19. artic. 1. Quod adeò antiquis certum ac indubitatum visum est, ut maluerint ea ratione Christo vel duplicem diversam voluntatis operationem, vel ipsam voluntatem humanam negare, quàm denegare summam illam, & perfectivam à Divino Verbo directionem. Cùm enim hæc duo conciliare non possent, scilicèt, humanam voluntatem Christi à Verbo Divino perpetuò regi ac moveri; & tamen sub ea Verbi Divini motione voluntatem seipsam movere, & operari; fatiùs ipsis visum est, vel operationem voluntatis humanæ, vel ipsam voluntatem humanam negare, quàm negare quòd volũtas, si qua esset à voluntate Verbi Divini moveretur ac regeretur, ut advertit & explicat Divus Thomas 3.par.quæst.18.& 19. Inde, ut advertimus supra, hæreses omnes in Ecclesiam semper invectæ sunt, quòd cùm in speciem adversa fides doceat; in eoque posita sit, ut Patres animadvertunt, majestas mysteriorum Fidei, quòd contrariis, & oppositis omninò partibus constare videantur: maluerint semper Hæretici pro suo arbitrio alterutrum negare, quàm utrumq; simul conjungi credere, suamque rationem, quæ hanc utriusque unionem non percipit, fidei subjicere.

Igitur dubitari non potest quin Christi Domini voluntas ad omnia, & singula ex Visione beatifica, ex directione Verbi Divini, & ex ipsa ejus motione determinata esset, & ita determinata, ut etiam nec posset unquàm non amplecti quod perfectius esse agnoscebat, deoque magis gratum hìc & nunc, & divinæ voluntati magis conforme, ab eaque dispositum. Et si S. Theresia fese voto adstrinxerit semper meliora sectandi, & quæ Deo magis grata esse intelligeret; si S. Ignatius hoc unum in votis habebat, ut omnia ad majorem Dei gloriam ageret: si demùm Beata Virgo Deipara, ut nemo negat, semper ex perfectissimo motivo, & secundùm totam intensionem habitûs ageret: etiam cùm Christum Dominum latère non posset, quid acceptius esset Patri æterno, quid ejus voluntati conformius, etiam quantùm ad omnes rerum circumstantias, cùm à Divina voluntate omnia dispositа sint, nec vel ullum ex arboribus folium sine dispositione Patris decidat; dubitari non potest quin etiam Christi Domini humana voluntas, quamvis etiam nullum supponeretur impositum à Patre præceptum, ad omnia & singula determinata esset, & ita determinata, ut non posset quod optimum erat, quod perfectius, non amplecti. Et tamen negari non potest, quin tum etiam integram ac perfectissimam, & ut ita dixerim, liberrimam libertatem servaret: Ergo nihil omninò adversariorum causam juvat, neque difficultatem resolvit, quod mitius aliquod præceptum, & solùm instar Consilii impositum fingant, aut quòd potuerit dispensationem petere.

Confirmatur variis exemplis, ut id fiat manifestius, cùm, ut inquit Aristoteles, abstractis concreta notoria sint. Cùm S. Magdalena ad Christum accessit, vel adultera mulier jam jam lapidibus obruenda ad ipsum adducta est; vel cùm Diva Martha ab ipso ut Lazarum suscitaret petiit; dubitari non potest, quin Christus clarissimè noverit gratissimum fore Patri Æterno, imò ab ipso jam dispositum esse, quòd & Lazarum excitaret è tumulo, & adulteram mulierem è manibus Judæorum, & Magdalenam à graviori periculo æternæ mortis eriperet. Imò cùm nullum majus intelligi possit quàm æternæ mortis periculum, in quo Magdalena versabatur; nec iterùm ullum magis imminere mortis periculum possit, quàm immineret mulieri in adulterio deprehensæ, quæ jam jam lapidibus obruenda erat; forsitan ex ipsa lege naturæ, & imperante charitate tenebatur Christus utrique periclitanti opem ferre. Qua ratione etiam quidam existimant, quòd etsi nullum fuisset impositum præceptum Christo de morte subeunda, tamen Christus tanquàm hominum caput periclitanti generi humano subvenire ex charitate tenebatur; ut de Codro Athenensium Rege refert D. Augustinus, qui spontanea morte patriam liberavit, si tamen parva magnis, comparare liceat. Sed certius est, in eo v. g. singulari opere, in eo momento temporis,

sciviſſe

ſciviſſe Chriſtum, acceptiſſimum fore Patri, ſi Magdalenæ peccata remitteret; & aliunde ex ipſa ſua ſumma ſanctitate, qua non poterat non velle quæ Patri ſunt placita, non poterat, etiam ex perfectiſſimo Charitatis motivo, nō velle quod Pater volebat, ut Magdalenæ peccata remitteret: Ergo etiam ſi nullum ſupponeretur fuiſſe à Patre Æterno præceptum impoſitum, efficit tamen ſumma ipſius cognitio, efficit perfectiſſima charitas quod efficere præceptum potuiſſet: Ergo nihil juvat, quòd nullum fuiſſet præceptum impoſitum, cùm nihilominùs ad unum determinatum fuiſſet; & tamen libertas ſervanda ſit, cùm dubitari non poſſit, quin remittendo Magdalenæ peccata, ipſe meruerit. Quod argumentum majorem vim habet in præceptis naturalibus, in quibus nulla diſpenſatio eſſe poteſt: & tamen dubitari non poteſt quin etiam tunc liberrimus eſſet, & perfectiſſimo illo charitatis actu mereretur.

Quid verò huic argumento reſponderi poteſt? Unum reſpondent, quod ſanè impugnare nolim; neque enim impugnatione egere arbitror, ſed velim ſolùm ab Erudito Lectore paulò attentiùs animadverti, quas in anguſtias conjecti ſint, qui à D. Thomæ ſententia receſſerunt, & qui, ut huic argumento reſponderent, & difficultatem reſolverent, ad hanc ſolutionem confugere coacti ſunt. Et hæc

Tertia obſervatio eſt, quo ſcilicèt pacto ab his argumentis ſeſe expediant. Atque omnia ex nobili Auctore Delugo referam, ac ipſius etiam verbis, ne quidquam impoſuiſſe videar. Diſputatione igitur 26. de incarn. ſect. 10. ita aſſerit. Chriſtum potuiſſe elicere actum *Minùs perfectum omiſſo perfectiori*, non quidem potentia morali; quia *nec defectū habuit nec potuit habere imperfectionē moralem*: Idq; ſuadet, inquit, modus *Communis concipiendi omnium fidelium, qui ſanè non aliter ſentiunt de Chriſto Domino, niſi credentes, ipſum data quavis occaſione faciſſe id quod hìc & nunc melius; & perfectius erat. Quis enim*, inquit, *audeat credere in aliqua occaſione in qua poterat elicere actū perfectum elicuiſſe remiſſum. Si hoc ſemel de facto concedas, concedes accidiſſe frequenter ſine novo inconvenienti, & per conſequens Chriſtum remiſsè ſe habuiſſe in exercitio virtutum*, quod ſanè *nemo Chriſtianus ferre poſſet*. Id habet num. 122.

Verùm, cùm ſtatim importunum argumentum de libertate, eaque determinatione ex præcepto paterno concilianda, menti occurreret: etenim ſi Chriſtus non potuit ſeſe remiſsè in exercitio virtutum habere, nec ulla vel minima imperfectio eſſe unquàm potuerit: Ergo non potuit non agere hìc, & nunc, ex perfectiſſimo virtutis quam exercebat motivo. Quid verò fiet de libertate, ſi aliter à Chriſto Domino fieri non potuit, quàm ut ea quæ placita erant Patri Æterno amplecteretur, aut ſemper ad optimum, & perfectiſſimum determinatus fuerit? Ut hujus difficilis, aut veriùs in aliis quàm D. Thomę principiis inſolubilis argumenti vim effugiat; addit quòd quamvis in Chriſto nulla potuerit eſſe imperfectio moralis moraliter loquendo, ſeu potentia morali, quæ aliquando reduceretur ad actum; potuiſſe tamen potentiâ phyſicâ, quæ ſcilicèt non ex aliqua intrinſeca repugnantia, ſed ſolùm ex aliqua difficultate nunquàm reduceretur ad actum. Unde poſt ſuperiora num. 134. alteram concluſionem ſtatuit; *Licèt*, inquit, *Chriſtus habuerit impotentiam moralem ad eligendum opus ſupererogationis minùs perfectum, videtur tamen habuiſſe potentiā phyſicam. Nomine autem potentiæ phyſicæ intelligo juxta communem acceptionem, eam potentiam, quæ ratione difficultatis annexæ nunquàm reducetur ad actum.* At verò, ut inquit num. 131. nomine imperfectionis moralis intelligitur, cùm quis actū minùs perfectum eligit relicto perfectiori; ut *ſi quis optetur remiſsè, cùm poſſit operari intensè, habet imperfectionem moralem*. Unde & potentia phyſica potuit eſſe in Chriſto Domino imperfectio moralis.

Qua verò ratione id unquàm, & probari poſſit & defendi? *Probatur*, inquit, *unico, ſed gravi fundamento, quia nimirùm ſi Chriſtus præſupponatur determinatus ad optimum non manet libertas ſufficiens ad laudem, & præmium.* Quàm grave fundamentum, aut veriùs quàm difficile, & ut olim vocabatur Herculeum argumentum, ex quo ut ſeſe eripiat Delugo, ad illud dubio procul invitus compellitur, ut admittat, in Chriſto Domino potuiſſe imperfectionem moralem eſſe potentiâ phyſicâ, & potuiſſe remiſsè ſe habere in exercitio virtutum: nimirùm quia alioquin in Chriſto nulla fuiſſet libertas.

Nec verò id ſemel, & eo loco ſignificavit, vim alioquin argumenti ineluctabilem eſſe; ſed præterea ſect. 2. ſequenti, ita objicit ſibi num. 163. *Sexto objici poteſt; ſi Chriſtus habuit libertatem, & potentiam phyſicam in ordine ad actum minùs perfectū: Ergo hìc & nunc habuit concurſum ex parte Dei paratum ad actum minùs perfectum. Ergo habuit Deus hìc & nunc aliquam voluntatem indifferentem concurrendi cum Chriſto ad actum minùs perfectum, omiſſo perfectiori; & per conſequens conjungendi imperfectionem moralem cum unione hypoſtatica, quod videtur abſurdum.* Hæc ibi: ubi ex eo quòd Chriſtus potuerit actū minùs perfectum perfectiori relicto elicere; concludit, & rectè quidem, ſi conſequentiæ ratio habeatur, cùm ex antecedente ita concludi neceſſe ſit; potuiſſe in Chriſto imperfectionem moralem eſſe.

Quid verò huic argumento Reſpondet. *Reſpondeo*, inquit, *hæc omnia neceſſariò ſequi, ſi Chriſtus habuit potentiam phyſicam reſpectu imperfectionis*, & actus minùs perfecti relicto perfectiori, *quia reverâ hæc potentia phyſica non ſalvatur ſine iſta voluntate Dei indifferenti in actu primo*. Hæc igitur omnia ſequi neceſſe eſt: Potentiâ phyſicâ potuiſſe à Chriſto actum minùs perfectum relicto perfectiori elici; potuiſſe imperfectionem moralem eſſe in Chriſto; potuiſſe eam imperfectionem moralem cum unione hypoſtatica conjungi, & habuiſſe Deum voluntatem indifferentem concurrendi cum Chriſto, ut imperfectio

cum

cum unione hypostatica conjungeretur. *Hæc omnia necessariò sequi admittendum est*; & quamvis illud *videatur absurdum*; hæc omnia necessariò admittenda sunt, & ex eo gravi fundamento admittenda, quia si Christus supponatur esse semper determinatus ad optimum, nulla remanere potest libertas.

Verissimè fateor, hæc nisi apud eum Authorem legissem, vix existimassem unquàm cuiquam Theologo hæc potuisse in mentem venire. Millies enim mallem ab his principiis, quæ adversarii constituunt resilire, quàm illud concedere, in Christo, potentiâ etiam physicâ, potuisse imperfectionem esse, & cum unione hypostatica potuisse imperfectionem aliquam conjungi, ac potuisse Christum Dominum remisse se habere in exercitio virtutum, & quod inde consequitur, potuisse esse aliquo vituperio dignum: & eâ potentiâ, quæ ratione solius difficultatis annexæ nunquàm reducetur ad actum, qualis admittitur in confirmatis in gratia: nec dubito quin ille communis sit ac verus sanctitatis sensus, ut quisquam mallet spoliari se quacumque libertate, quàm eam infelicem potentiam retinere, prætermittendi ea quæ Deo magis placita sunt, & imperfectionem moralem habendi, quantumvis tenuissima possit intelligi. Sed tamen

Impugnatur: *Primò*, ea Responsio, quòd ex ea argumentum omni penè demonstratione mathematica certiùs deduci videatur, non posse non esse à vero alienum eum modum conciliandi libertatem cum divina motione, quem ii Authores adhibent; ex quo tanquàm grave fundamentum statuunt, nullam posse determinationem ad unum cum libertate conjungi; cùm non possit fundamentum illud defendi, nisi gravius alterum incommodum defendatur, scilicèt potuisse in Christo potentiâ physicâ imperfectionem moralem esse.

Secundò. Repugnat quòd aliqua perfectio simpliciter simplex exigat, ut aliam perfectionem etiam simpliciter simplicem excludat, aut cum alia facultate, & potestate conjungatur, quæ sit vel imperfectio, vel imperfectionem conjunctam habeat: Atquì negari non potest quin libertas sit perfectio simpliciter simplex, cùm etiam in Deo reperiatur: Ergo repugnat quòd cùm potentia physica admittendi imperfectionem conjungi exigat: cùm è contra, ut toties ex D. Thoma dictum est, *Libertas per se ad bonum ordinetur*. De quo vide superiùs dicta tota quæst. 4.

Tertiò. Impugnatur, quòd repugnare videatur Scripturæ Sacræ hæc sententia, quæ adeò deprimit ideam illam quam omnes habent summæ sanctitatis Christi: *Et communis concipiendi modus omnium Fidelium* est, non solùm non fuisse aliquam imperfectionem moralem, sed etiam nullam esse potuisse, cùm eam summa, & increata sanctitas humanitati conjuncta excludat. Etenim cùm à Christo dictum est Joan. 8. *Ego quæ placita sunt ei facio semper*, non solùm impotentiam moralem hæc verba significant, sed etiam impotentiam physicam aliud agendi: quod expressiùs adhuc hæc verba significant Joan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Quæ verba, quocumque modo explicentur, significant, nihil aliud unquàm à Christo, nisi quod magis erat placitum Patri Æterno, potuisse etiam potentiâ physicâ effici.

Dupliciter enim ea explicat D. Thomas ex PP. in Catena Aurea. Primò ex S. Augustino 7. de Trinit. ita ut intelligatur, *Hoc quod ipse ageret, Patris opus esse: quia ipse* Pater *in se*, scilicèt Filio, *operatur operante*. Quidquid enim natura assumpta operabatur, Patri tribuendum erat: nam etiam, ut addit S. Thomas ex S. Augustino in Joannem, *Ambulatio carnis supra Mare à Patre fiebat per Filium: quando enim caro ambulabat, Divinitas Filii gubernabat, Pater absens non erat, cùm Filius dicat, Pater in me manens ipse facit opera*: quòd nimirùm, ut dictum est, humanitas instrumentum Divinitatis conjunctum sit, nec ullum motum habeat nisi Divinitate regente: sicut nec corpus motum habet aut operationem nisi regente anima. Et, ut ex D. Thoma 3. part. q. 18. a. 1. ad 4. supra retulimus, *Voluntas humana Christi quemdam determinatum modum habuit, ex eo quòd fuit in hypostasi divina, ut scilicèt moveretur semper secundùm nutum divinæ voluntatis*: Ergo si non poterat Christus à se facere quidquã, nisi quod Pater in ipso operabatur: etiam nec poterat, potentiâ etiam physicâ, aliud agere, nisi quod Patri magis placitum erat; nec poterat ullâ potentiâ cum unione hypostatica imperfectio aliqua moralis conjungi.

Sed secundò explicat D. Thomas hæc verba in Catena Aurea ex S. Chrysostomo hoc sensu. A semetipso non posse Filium facere quidquam, *quia nihil contrarium Patri, nihil alienum ab eo facere potest*. Neque, ut subdit egregiè D. Chrysostomus, illa vera impotentia censenda est, aut imbecillitas, sed è contra sanctitas summa; siquidem à summa primaque regula recedere posse non potentia, sed impotentia est. Unde subdit, *Non enim imbecillitatem Filii, sed multam ejus virtutem ostendit hoc verbum. Sicut enim cùm dicimus, impossibile est Deum peccare, non imbecillitatem ejus accusamus, sed ineffabilem quandam virtutem ejus testamur: ita cùm dicit Filius, non possum à me ipso facere quidquam; hoc dicit quoniam impossibile est eum facere aliquid cõtrarium Patri*. Quis verò existimaverit, hæc à D. Chrysostomo dicta, impotentiam aliud agendi, quàm quod placitum esset Patri, moralem solùm, & non physicam etiam significare? cùm planè idem sit, impossibile esse, & Deum, & Christum peccare, cùm non posset non tribui Verbo ea imperfectio moralis, si posset cum ipsa unione hypostatica conjungi, cùm specialissimo modo humanitas à Verbo Divino moveretur, & multò potiori quàm Angelus: qui si in primo instanti peccare potuisset, ex D. Thoma peccatum tribuendum fuisset Deo, qui specialissimo modo Angelum in prima

illa

illa operatione movebat. Cùm etiam aliunde non minùs ſaltem teneretur Divinum Verbum humanitatem ſibi conjunctam regere, quàm debeat voluntas in homine regere appetitum ſenſitivum, cujus pravi motus niſi voluntas eos cohibeat cùm poteſt, ipſi voluntati tribuuntur.

Dices, nihil eſſe quod in ea ſententia mirum videri debeat, cùm etiam veteres aliqui Theologi admiſerint, in Chriſto potuiſſe eſſe quodcumque peccatum, & aliunde neceſſe ſit, eam potentiam admitti ad libertatem ſervandam.

Sed contra. *Primò*: Quia nullus modò inter Theologos eſt, qui hanc antiquatam ſententiam, ut refert ipſe Delugo, aliquâ cenſurâ dignam non exiſtimet. Contra, *Secundò*: Nam inter veteres etiam Theologos, qui ita ſentiebant, exiſtimabant ſolùm id de ſola Dei potentia abſoluta eſſe intelligendum: neque repugnare omninò, & abſolutè, quòd peccatum cum unione hypoſtatica conjungeretur: ſicut exiſtimabant non repugnare de potentia Dei abſoluta, peccatum cum gratia, aut viſione beata conjungi. Sed non puto ulli unquàm veteri Theologo veniſſe in mentem, in Chriſto Domino fuiſſe potentiam phyſicam, & poſitivam in ordine ad imperfectionem moralem, quæ potentia ratione ſolius dumtaxàt *difficultatis adjunctæ*, nunquàm reduceretur in actũ, quamvis nulla repugnantia eſſet, in actum reduci. Unde nullus unquàm, quod ſciam ex veteribus eâ ſententiâ uſus fuerat, ut in Chriſto libertatem ſervaret: & verò graviſſimo nos periculo hęc Theologia exponeret, ſi ad ſervandam illæſam Chriſti libertatem, neceſſe foret Chriſti ſanctitatem, & impeccabilitatem minuere.

Tertiò. Impugnatur ea Reſponſio, eaque ſententia, quòd in præceptis naturalibus, in quibus diſpenſatio nulla eſſe poteſt, etiam nec ulla eſſe poteſt latitudo, ut poſſit eſſe minùs perfectum aut perfectius, ſed neceſſe eſt, aut præceptum impleri aut omiſſionem culpabilem eſſe, cujuſmodi eſt præceptum honorandi Parentes, aut veritatem dicendi: Ergo nihil juvat ea reſponſio, cùm recurrat perpetuò eadem difficultas reſolvenda.

Reſpondet citatus Author eâd. diſp. 26. ſect. 8. num. 112. *In horum præceptorum obſervatione non fuiſſe Chriſtum liberum quoad ſubſtantiam operis, ſed quoad circumſtantias intentionis, motivi &c. quæ indifferentia ſufficit ad meritum &c. Nam Chriſtus non poterat mentiri v. g. & ideò non meruit, nec moraliter erat dignus laude, eò quòd ſimpliciter non mentiretur, ſed quia impensè amabat veracitatem, & ex meliori motivo &c.* Atque eâdem ratione cùm de Chriſto dicitur Luc. 2. quòd *erat ſubditus illis*, ſcilicèt Beatæ Virgini Deiparæ, & S. Joſepho, erit dicendum, quòd nihil ex ea obedientia ſecundùm ſe Chriſtus merebatur, nec moraliter laude ulla dignus erat, ſed ſolùm quòd majori reverentia, quàm exigeret præcepti impletio, Matri ſubjiceretur, aut ex meliori motivo: quamvis tamen Patres illud ad ſummã Chriſti Domini laudem à Divo Luca annotatum, & expreſſum animadvertãt, quodque nos imitari debeamus. *Diſcamus ergo & nos Filii parentibus noſtris eſſe ſubjecti*, inquit Origenes in catena aurea D. Thomæ. Pari etiam ratione cùm Chriſtus Dominus interrogatus à Præſide: *Tu ergo es Filius Dei?* veritatem cum periculo vitæ defendit, *nihil meruit, nec moraliter erat dignus laude, eò quòd ſimpliciter non mentiretur, ſed quia impensè amabat veracitatem, vel ex meliori motivo*: cùm tamen interdùm Sanctos Patres ſummam illam Chriſti Domini conſtantiam quam accuſatus ubique prę ſe tulit, admirentur, nec ſatis laudari unquàm poſſe aſſerant. Cur verò nihil Chriſtus meruerit, nec laude aliqua dignus fuerit; ea unica ratio eſt, quia aliàs nulla ſuperſtes eſſe poſſet libertas: atque adeò ut ea illęſa ſervetur, privandus eſt laude, & meritò, quòd ex impletione præceptorum naturalium ipſi accedere poſſet: & concedendum eſt, ex imperfectiori motivo agere potuiſſe phyſicè; ac remiſsè potuiſſe ſe habere in exercitio virtutum; ac potuiſſe vituperio aliquo eſſe dignum. Hæc omnia incommoda ex ea ſententia neceſsariò admittenda eſſe videntur, ut poſſit defendi.

Quartò: Impugnatur ea ſententia, & reſponſio, quòd de præcipuis Chriſti Domini operibus, quæ ſpecialiter à Patre ordinata fuiſſe, dubitari non poteſt, qualia ſunt converſio Magdalenæ, ſuſcitatio Lazari, cæteraque omnia miracula, atque illud bis repetitum miraculum cùm in deſerto tantam multitudinem pavit, & cui forſitan ex præcepto naturali tenebatur neceſsaria ſubminiſtrare, ne in via deficeret: De his, inquam, omnibus idem erit dicẽdum, nihil meruiſſe Chriſtum, nec moraliter fuiſſe dignum laude; ac ſubinde nihil Chriſto debuiſſe Magdalenam, quòd eam & benignè ſuſcepiſſet, & in pace à peccatis liberam dimiſiſſet; ſed gratias ſolùm agere debuiſſe, quòd in aliqua certa circumſtantia temporis, vel intenſiori aliquo actu ipſi peccata condonaſſet. Nihil etiam Lazarus debuit Chriſto, quòd eum abſolutè ſuſcitaverit. Nec demùm quidquam debuit Chriſto Domino hæc multitudo populi, quòd neceſsaria ei ſubminiſtraverit. Nihil enim in his Chriſtus Dominus meruit, nec moraliter erat dignus laude, ſed ſolùm ob circumſtantias, quas cuique fingere licuerit.

Quis verò hæc ſibi ſuadeat, & ſi quid umquàm ſimile ulli ex Divi Thomæ Diſcipulis exciſſet, aut ſi ex Divi Thomæ ſententia paria incommoda conſequerentur, quantùm adverſariorum eloquentia ſeſe exereret ut eam ſententiam exagitarent. Sed de his, aliis judicium relinquo, neque hæc fuſiùs impugnare animus eſt; quia, ut arbitror, iſta etiam retuliſſe, ſatis refutaſſe eſt. Nec verò exiſtimari velim hæc me retuliſſe, eo animo, ut crearem adverſæ ſententiæ invidiam, ſed dumtaxàt ut defenderem Divi Thomæ ſententiam. Nihil enim efficacius eſſe ad eam ſtabiliendam arbitror, quàm cùm etiam ipſa confeſsione adverſariorum liquet, adverſam Divi Thomæ ſententiam defendi non poſſe, niſi hæc incommoda admittantur, quæ tamen

nemo credet ſpontè, & ultrò ab adverſariis admiſſa fuiſſe, & niſi defenſionis neceſſitas, ut ea admitterent eos coëgiſſet, quantumvis repugnare videantur.

ARTICULUS II.

Reſolutio difficultatis ex D. Thoma: vim divini præcepti, impeccabilitatem, & libertatem debere ſimul conjungi.

VEra igitur difficultatis reſolutio poſtulat, ut hæc tria ſimul conjungantur; impoſitum à Patre Æterno præceptum Chriſto, ſumma ejus impeccabilitas, ac perfectiſſima libertas. Hæc verò tria conjungi poſſe, & à D. Thoma conjuncta fuiſſe demonſtrandum eſt. Ac inprimis.

Explicatur ex D. Thomæ principiis, hæc tria conjungi poſſe: & ex ſuperioribus ſatis conſtare poteſt, & ex ea diſtinctione finis, & mediorum, circa quæ voluntas varium ordinem ſervat. Atque eam diſtinctionem ſtatim obſervat S. Thomas, ubi de voluntate Chriſti agit. Etenim 3.par. quæſt. 18.art. 3. *Voluntas*, inquit, *ut in 2. Parte dictum eſt, eſt finis, & eorum quæ ſunt ad finem: & alio modo fertur in utrumque: nam in finem fertur ſimpliciter, & abſolutè, ſicut in id quod eſt ſecundùm ſe bonum; in id autem quod eſt ad finem fertur cum quadam compara ione, ſecundùm quòd habet bonitatem ex ordine ad aliud. Et ideò alterius rationis eſt actus voluntatis ſecundùm quòd fertur in aliquid quod eſt ſecundùm ſe volitum, ut ſanitas, quod à D. Damaſceno vocatur* Theleſis, *id eſt ſimplex voluntas, & à Magiſtris vocatur voluntas, ut natura. Et alterius rationis eſt actus voluntatis ſecundùm quòd fertur in aliquid quod eſt volitum ſolùm ex ordine ad alterum, ſicut eſt ſumptio medicinæ: quem quidem voluntatis actũ Damaſcenus vocat* Buleſim, *id eſt conſiliativam voluntatem; à Magiſtris autem vocatur voluntas ut ratio.* Atque hac obſervatione præmiſſa, utramq; admittendam, & diſtinguendam eſſe in Chriſto voluntatem inquit S. Thomas. *Eſt enim voluntas ut natura quæ dicitur Theleſis, & voluntas ut ratio quæ dicitur Buleſis.* Eandem obſervationem habet Articulo ſequenti: ex ea enim quæcumque ad Chriſti voluntatem pertinent, deſumenda ſunt. Etenim circa finem voluntas, ut natura, determinata eſt, ipſique inſtar naturæ neceſſariò adhæret; neque enim per ſe libertas unquàm circa ultimum finem verſatur; finis enim per ſe voluntatis ſimplicis objectum eſt, non libertatis: quamvis per accidens, & ratione ſtatus, quo à conſecutione ultimi finis ſejuncti ſumus, circa ultimum finem, & Deum libertas verſari poſſit, ea ſolùm parte infelix quòd interdùm ab ultimo fine excidat. At verò libertas tota circa media cæteraque omnia infra Deum poſita, tanquàm circa proprium objectum verſatur. Cùm enim creata ac finita objecta ſecundùm ſe implere voluntatem non poſſint, nec ſummam habeant bonitatem; etiam ab illis voluntas independens eſt, ea ſibi ſubjicit, ſervatque ſemper abſolutum in ea dominium, & integram libertatem. Verùm nec circa media quomodocumque voluntas verſatur ſi recta ſit, ſed ſolùm *ſervato ordine finis, non verò prætermiſſo*, ut loquitur D. Thomas. Hæc enim eſt infelicitas voluntatis creatæ, quæ cùm adhæſione ad finem firmata non ſit, hinc inde fertur inſtar navis, quæ amiſsâ anchorâ, fractoque malo, laceratis velis, ſuſdeque jactatur, & interdùm fluctibus abſorbetur.

Hæc in communi libertatis notio, cujus integram imaginem ſatis ſupra expreſſimus. Atque ex ea notione, eaque diſtinctione finis, & mediorum; & voluntatis, ut natura, & ut libera eſt; facilè explicari, & reſolvi poteſt difficultas de qua agitur. *Primò*: *Determinatio ex præcepto divino cum libertate*, ſic conjungi poteſt. Etenim quantumvis præcepto paterno voluntas humana Chriſti Domini ad moriendum determinata eſſet; attamen cùm mors ſecundùm ſe non poſſit aliud eſſe quàm medium, quod per ſe ſe nullam connexionem neceſſariam habeat cum volitione ultimi finis; ſiquidem poterat imperari à Patre Æterno aliud medium ad reparationem generis humani, quodque ipſi non minùs quàm ipſius mortis ſacrificium acceptum fuiſſet: poterat abſolutè Chriſtus Dominus velle non mori; nullamq; habuit Chriſti humana voluntas, aut etiam habere potuit, quamvis beatâ viſione regulata, determinationem, niſi erga Deum ſummum bonum, & ultimum finem, ad quem ut natura, & naturali modo ac neceſſariò, ſemper ita ferebatur, ut planè non poſſet ipſum non velle, & non amare: cùm hujus infiniti objecti vis omninò voluntatem ſibi ſubjiceret, ejuſque ſumma bonitas omnem capacitatem voluntatis impleret. At verò circa ſubeundam mortem longè aliter ferebatur humana Chriſti Domini voluntas, ſcilicèt non *ut natura*, ſed ut *ratio & libera*. Cùm enim ut mox diximus, mors ſubeunda medium dumtaxàt ſit, quod ſecundùm ſe nullam connexionem neceſſariam habet cum ultimo fine, poterat ſecundùm ſe voluntas Chriſti velle mori, & non mori: ea enim volitio mortis, cùm eſſet actus particularis, nec voluntatem cum ultimo fine conjungeret, etiam nec poterat voluntatem replere. Unde & voluntas Chriſti cum ſumma indifferentia mortem ſubeundam reſpicere poterat: ex quo oriebatur, quòd integram, ac illæſam libertatem, etiam ſuppoſito paterno præcepto ſervaret. Atque eo pacto libertas cum præcepto paterno, & determinatione ex eo præcepto orta conjungitur. *Secundò*: *Impeccabilitas cum libertate* ſic etiam ex ſuperioribus principiis conjungi poteſt. Etenim cùm voluntas, ſi recta ſit, medium velle non poſſit, *niſi ſervato ordine finis*: etiam & Chriſti Domini hu-

ni humana voluntas certiſſima poſt divinam voluntatem operationum regula, non poterat velle aut non velle mori, niſi *ſervato* eodem *ordine finis*, & ſervato Paterno præcepto: atque inde ſummam impeccabilitatem etiam ſervabat. Non enim peccatum ullum eſſe poteſt, niſi ex eo quòd ordo finis prætermittitur. Nec verò præjudicium aliquod inferre poterat libertati, quòd non poſſet velle non mori prætermiſſo ordine finis, cùm, ut diximus ſuprà, non magis ad libertatem pertineat ordinem finis prætermittere, dum eligit media, quàm ad rationem pertineat nullam principiorum rationem habere, dum concluſiones deducit. Atque eo pacto hęc tria invicem conciliantur, & cuilibet ſuum jus integrum illæſumque ſervatur: Paterno præcepto vis ſumma obligandi; libertati Chriſti Domini integra indifferentia, & à neceſſitate immunitas; ac demum ipſius voluntati perfectiſſima impeccabilitas.

Igitur ultrò etiam admittimus, verum ac rigoroſum præceptum à Patre Æterno impoſitum fuiſſe Chriſto de morte ſubeunda. Neque illa determinatio ex eo præcepto orta lædere poterat libertatem; quia cùm mors dumtaxàt medium ſit, poterat voluntas humana Chriſti mortem ſecundùm ſe ſumptam velle, & non velle, in quo poſita eſt ratio libertatis: & cùm prætereà ratio medii poſtulet, ut volitum ſit ſervato, non prætermiſſo, ordine finis; cumque etiam ratio libertatis idem poſtulet, ut ſervato, & non prætermiſſo, finis ordine eligat; non poterat voluntas humana Chriſti velle non mori *prętermiſſo ordine finis*, ſed dumtaxàt *ſervato* eo ordine; & inde oriebatur ejus impeccabilitas.

Confirmatur hæc explicatio, ex eo quòd nullam dubio procul in ea difficultatem perſentiet, quiſquis hujus meminerit, quod ſæpiùs ex D. Thoma diximus; *Quòd Deus immutabiliter voluntatem movet propter efficaciam ſuę virtutis; & tamen quòd propter naturam voluntatis, quę indifferenter ſe habet ad multa, non inducitur neceſſitas, ſed remanet libertas*: Cui alterum D. Thomæ principium addendum eſt ex Sanctis Patribus ſumptū, *Potentiam peccandi neque ad libertatem pertinere, neque partem eſſe libertatis*. Ex eo enim facilè poteſt intelligi, in ſententia D. Thomæ nulla nova difficultate nos premi in concilianda Chriſti Domini libertate cum ipſius impeccabilitate: ſiquidem S. Thomæ principiis ſatis ſuperque compertum eſt, potentiam peccandi, aut potentiam eligendi minus bonum relicto meliori, nullo planè modo ad libertatem pertinere. Unde eiſdem planè principiis, quibus motio divina cū libertate qualibet humana conjungi, & conciliari poteſt; etiam & determinationem in Chriſto Domino ſive ex viſione Beatifica, ſive ex præcepto Paterno, ſive ex ſumma ipſius ſanctitate ortam, cum ipſius impeccabilitate nullo negotio conjungimus: quod ſanè, inconcuſſa eſſe principia D. Thomæ, & ex ipſa rei natura, aut conditione naturæ intellectualis deſumpta eſſe, ſatis demonſtrat: cùm iiſdem principiis, & ipſius Dei, & Chriſti, & Angelorum, & Beatorum, & hominum libertas explicari poſſit. Quamvis enim defectus quidam & nævus humanæ voluntati adhæreat ratione ſuæ originis, ut eſt ex nihilo, & à conſecutione ultimi finis longiùs diſtat, in quo ſtatu peccare poteſt; attamen cùm hæc potentia peccandi minimè ad libertatē pertineat, nullo planè modo impedire poteſt, quominùs eadem principia ex vera perfectaque notione libertatis uſurpentur.

Probatur itaq; jam explicata ea conciliatio ex D. Thoma, cùm *nihil nobis magis cordi ſit, neque alio animo ſit à nobis hoc opus ſuſceptum*, quàm ut veram D. Thomæ ſententiam explicemus; ac ſubjiciamus etiam oculis, *nihil* à nobis etiam in hac gravi controverſia aſſertum unquàm eſſe, niſi quod ab Angelico Doctore acceptum fuerat. Probatur itaque, hęc quę hactenùs dicta ſunt, ex Divo Thoma deſumpta fuiſſe. Etenim 3. par. qu. 18. art. 1. ubi reſolvit contra Monothelitarum errorem, præter divinam voluntatem, etiam & voluntatem humanam in Chriſto Domino eſſe admittendam: Obſervat enim in primis. *Quòd Macharius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexādrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus, & quidam eorum ſequaces poſuerunt in Chriſto unam volūtatem, quamvis ponerent duas naturas in Chriſto ſecundùm hypoſtaſim unitas; quia opinabantur quòd humana natura nunquàm movebatur proprio motu, ſed ſolùm quòd erat mota à Divinitate, ut patet ex Epiſtola Synodica Agathonis Papæ*. Adeò ſcilicèt, ut advertimus ſuprà, erat inſitum omnium animis, humanam in Chriſto voluntatem non potuiſſe non regi ſemper ac moveri divina Verbi voluntate, ut cùm divinam Verbi motionem ſimul cum humanæ voluntatis Chriſti operatione conciliare non poſſent, maluerint Chriſto Domino denegare voluntatem humanam, quàm Divini Verbi motionem. Atque eadem ratione obſervat idem S. Thomas, qu. ſeq. 19. art. 1. quòd cùm exiſtimarent, & rectè quidem, humanitatem eſſe inſtrumentum Divinitati conjunctum: nec ſatis diſtinguerent inter actionem cauſę principalis, & inſtrumenti; nec ſatis intelligerent, quo pacto à Verbo Divino moveri voluntas Chriſti poſſet, & tamen ſeipſam movere; exiſtimarunt ſatius eſſe, & conſentaneum magis ſanctitati, & dignitati Chriſti, ſi operationem omnem ipſi denegarent, ut Verbo Divino operationem, & motionem adſcriberent. Igitur cùm hi, quos memoravimus, Chriſto propriam actionem, & libertatem denegarent, quòd eam cum Divini Verbi motione conciliare non poſſent, & quidem motione, quæ poſſet eſſe libertati adverſa; & tamen id ab Eccleſia reprobatum ſit: manifeſtum eſt etiam in Chriſto admittendam eſſe eam motionem Verbi Divini, & cum operatione voluntatis humanæ Chriſti, & ipſius libertate conciliandam.

Cōfirmatur *Primò*: quòd ut advertit D. Thomas, non omnem operationem voluntatis Chriſti Macharius Antioch. aliiq; denegabant; ſed dicebāt, *In comparatione ad divinam, humanam operationem*

non esse dicendam actionem, sed potiùs passionē, quòd refellit Damascenus. Ita enim observat in 3. dist. 18. qu. 1. art. 1. Sed prætereà 3. par. qu. 19. art. 1. ita magìs eum errorem refert, & explicat. *Ut eorū*, inquit, *opinio erronea meliùs intelligatur; considerandum est, quòd ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur à superiori, sicut in homine corpus movetur ab anima, & inferiores vires à ratione. Sic igitur actiones, & motus inferioris principii sunt magìs operata quædam, quàm operationes: id autem quod pertinet ad supremū principium, propriè est operatio; puta si dicamus in homine, quòd ambulare quod est pedum, & palpare quod est manuum, sunt quædam hominis operata, quia unum operatur anima per pedes, aliud per manus. Et quia est anima operans per utrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium movens, est una indifferens operatio: ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur. Sicut autem,* prosequitur D. Thomas, *in homine puro corpus movetur ab anima, & appetitus sensitivus à rationali, ita in Domino Jesu Christo humana natura movetur, & regitur à Divina: & ideò dicebant, quòd eadem est operatio & indifferens ex parte ipsius Divinitatis, sunt tamen diversa operata, in quantùm scilicèt Divinitas Christi aliud agebat per seipsam; sicut quòd portabat omnia Verbo virtutis suæ: aliud autem per humanam; sicut quòd corporaliter ambulabat.* Hæc D. Thomas: quæ deinde verbis ipsius Severi hæretici in 6. Synodo relatis confirmat.

Igitur inde ortus fuit ille error, quòd cùm hæc duo simul jungi non intelligeret, humanam Christi voluntatem à Verbo Divino regi, ac moveri, & tamen movere seipsam; existimarunt satius esse quòd humanæ voluntati Christi denegaretur vera actionis ratio, eaque solùm passio quædam diceretur; quàm si denegarent, à Verbo Divino regi ac moveri: Atquì non absimile esse videtur quod in ista controversia contingit. Cùm enim hiqui à D. Thomæ sententia sibi esse recedendum existimarunt, non satìs intelligi posse existiment, hanc utramque duplicis voluntatis dotem, aut conditionem conjungi; scilicèt ex una parte, quòd Divina ac superior voluntas humanam inferiorem regat, & moveat, ac determinet, qua motione humanam impeccabilem efficit; aut etiam quòd Paternum præceptum vim omnem obligandi habeat, & voluntatem humanam ad obediendum determinet: ex alia verò parte quòd humana ac inferior voluntas mota, & determinata seipsam etiam movere ac determinare possit, unde & libertas oriatur, ac meritum; existimarunt, satius esse, libertatem omnem, meritumque redemptioni hominum necessarium asserere, quàm vel obligationem ex præcepto Paterno ortam, vel eam Verbi Divini, & superioris voluntatis Divinæ directionem, & motionem, vel summam illam, quâ nulla major intelligi possit, sanctitatem, & impeccabilitatem, quam nulla imperfectio aut moraliter aut physicè obscurare possit, concedere. Ergo cùm è contra sentiendum sit, & sensisse D. Thomam dubitari non possit: etiam admittendum est, ea omnia, quæ diximus, simul jungenda esse: ac potissimùm voluntatem humanā Christi Verbi Divini motione regi, neque ideò hujus actionem passionem esse, libertatis expertem, sed perfectissimam operationem cum libertate conjunctam.

Confirmatur *Secundò* ex D. Thoma 4. cōt. gen. cap. 36. ubi sic inquit. *Videtur ortum habuisse ea positio, ex hoc quòd ejus authores nescierunt distinguere inter id quod est simpliciter unum, & ordine unum. Viderunt enim, voluntatem humanam in Christo omninò sub voluntate Divina ordinatam fuisse, ita quòd nihil voluntate humana Christus voluit, nisi secundùm quòd eum velle voluntas Divina disposuit. Similiter etiam nihil Christus secundùm humanam naturam operatus est, vel agendo, vel patiendo, nisi quod volūtas Divina disposuit, secundùm illud Joan. 8.* „ *quæ placita sunt ei facio semper.* „ *Humana etiam operatio Christi quādam efficaciam divinam ex unione Divinitatis cōsequebatur, sicut actio secundarii agentis consequitur efficaciam quandam ex principali agente; ex quo contingit quòd quælibet ejus actio vel passio fuit salubris: propter quod Dionysius humanam Christi operationem vocat Theandricam ideſt Deivirilem, quia est Dei, & hominis. Videntes igitur humanam voluntatem, & operationem Christi sub Divina ordinari infallibili ordine; judicaverunt in Christo esse unam tantùm voluntatem, & operationem unam: quamvis non sit idem unum ordine, & unum simpliciter.* Hactenùs D. Thomas: quibus iterùm manifestum est, quòd cùm nec negare, nec dubitare hi, quos suprà nominavimus, possent, humanam Christi Domini naturam omninò Divina voluntate, & Divina Motione regi, ac nescirent hæc duo simul conjungere, scilicèt, qua ratione voluntas humana Christi à seipsa moveretur, & tamen regeretur operatione divina; maluerunt omninò, & propriam operationem humanæ voluntati Christi, & voluntatem denegare; quàm revocare in dubium, quòd humana voluntas à divina regeretur: Atquì, ut jam diximus, de his omninò è contra statuendum est, ut à nemine jam dubitari potest: Ergo statuendum etiam, admittendam esse singularem illam Verbi Divini motionem, admittendum paternum præceptum, & utrumque esse cum libertate humanæ voluntatis Christi conjungendum.

Explicatur prætereà, & elucidatur magìs, quòd simillima hæc controversia, de qua agimus, alteri esse videatur. Siquidem libertas ac meritum humanam Christi voluntatem, & operationem consequuntur: præceptum verò Patris, aut intimata, & quomodocumque significata voluntas ad Divinam Verbi operationem pertinet. Unde idem planè de libertate ac de operatione est sentiendum, cum Divini Verbi motione, ac obligatione paterni præcepti conjuncta. Ergo sicut semper existimatum est, & Verbi Divini directionem, & motionem, ac ipsius voluntatis humanæ

næ operationem eſſe conjungendam: ita planè exiſtimandum eſt, ejuſdem Verbi Divini motionem, aut ex præcepto paterno determinationem cum libertate voluntatis humanæ Chriſti Domini eſſe conjungendam: neque quidquam ex veritate operationis voluntatis Chriſti imminuendum eſt, ut dicatur eſſe potiùs paſſio expers libertatis, quàm actio perfectiſſimè libera: neque ullo modo obſcuranda eſt ipſius ſanctitas, eâ potentiâ phyſicâ admittendi imperfectionem moralem: ſed hæc tria quæ ſæpiùs diximus, ſalvis eorum juribus, invicem jungenda ſunt, ut nos à D. Thoma edocti conjungimus.

Confirmatur *Tertiò*, quòd præcipua eorum, quos nominavimus, argumenta, ſi parùm inflectantur, eadem eſſe videantur, quæ in hac controverſia objici ſolent D. Thomæ Diſcipulis.

Objiciebant enim, & refert D. Thomas 3. par. quæſt. 18. art. 1. num. 2. *Inſtrumentum non movetur propria voluntate, ſed voluntate moventis: Sed natura humana fuit in Chriſto ſicut inſtrumentum Divinitatis ejus: Ergo natura humana in Chriſto non movebatur propria voluntate ſed divina.* Atque adeò erat equidem ſub ea directione ſummè impeccabilis: ſed nec veram libertatem, nec meritum ullum habere poterat, cùm nulla inſtrumenti laus eſſe poſſit, ſi peritè ab Artifice moveatur. Sed

Reſpondet D. Thomas, eaque ſolutione non ſolùm veterum illorum difficultatem reſolvit, ſed etiam controverſiam omnem, quæ nunc inter Recentiores fertur, omninò dirimit. Reſpondet itaque, varia eſſe genera inſtrumentorum, & quæ pro varia eorum conditione moventur. Atque adeò moveri quidem humanam voluntatem à Verbo: unde impeccabilitatem oriri diximus; ſed tamen ſub ea primaria motione ſeipſam movere, unde & libertas oriatur, & ex libertate meritum comparetur. *Dicendum*, inquit, *quòd proprium eſt inſtrumenti, quòd moveatur à principali agente: diverſimodè tamen, ſecundùm proprietatem naturæ ipſius. Nam inſtrumentum inanimatum, ſicut ſecuris, aut ſerra, movetur ab artifice per ſolum motum corporalem. Inſtrumentum verò animatum anima ſenſibili movetur per appetitum ſenſitivum, ſicut equus à ſeſſore. Inſtrumentum verò animatum anima rationali movetur per voluntatem ejus, ſicut per imperium Domini movetur ſervus ad aliquid agendum, qui quidèm ſervus eſt ſicut inſtrumentum animatum, ut Philoſophus dicit in primo Politic. Sic ergo humana natura in Chriſto fuit inſtrumentum Divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem.* Igitur cùm varia ſint inſtrumentorum genera, & quæ juxta eorum conditionem moventur; poterit & ipſa humana Chriſti voluntas moveri; ita ut & moveatur, & ſeipſam moveat. Eoque pacto ut movetur impeccabilis eſt; ut ſeipſam movet, eſt & meriti, & laudis capax, & libertatem ſervat. Sed

Explicari hæc magìs poſſunt ex his, quæ habet Reſponſione ad primum argumentum, quam reſponſionem jam datam ſupponit. Ita igitur habet. *Dicendum*, inquit, *quòd quidquid fuit in natura humana Chriſti, movebatur nutu volũtatis divinæ; non tamen ſequitur, quòd in Chriſto non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ: quia etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates movẽtur ſecundùm volũtatem Dei, qui operatur in eis velle & perficere, ut dicitur Philipp. 2. Licèt enim volũtas non poſſit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo, ut in prima parte dictum eſt; & ſic etiam Chriſtus ſecundùm voluntatẽ humanam ſequebatur voluntatem divinam. ſecundùm illud pſalm. „ Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. „ Unde Auguſtinus dicit contra Maximinum. „ Ubi dixit Filius Patri „ Non quod ego volo, ſed quod tu vis. „ Quid te adjuvat quia tua verba ſubjũgis & dicis. Oſtendit verè ſuã voluntatem ſubjectã ſuo Genitori? quaſi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere eſſe ſubjectam.*

En planè totius difficultatis pleniſſimam, & apertiſſimam reſolutionem. Equidem humana Chriſti natura movebatur ac regebatur ſpecialiſſimo modo à Verbo; ita ut, quod addit S. Thomas reſponſione ad quartum. *Voluntas humana Chriſti habuit quemdam determinatum modum, ex eo quòd fuit in hypoſtaſi divina, ut ſcilicèt moveretur ſemper ſecundùm nutum divinæ voluntatis*: ſed tamen non inde conſequitur, inquit S. Thomas, quin etiam, & humana Chriſti Domini voluntas ſe ipſam moveret; quia *etiam, & aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur ſecundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle & perficere. Licèt enim voluntas non poſſit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo.* Et tamen dubitari non poteſt, quin etiam voluntas, quam Deus interius movet, ſeipſam moveat, & libera ſit, & mereatur.

Hæc D. Thomas, quibus in verbis obſervari inprimìs velim, quæ mens eſſe potuit Divo Thomæ, ut motionem, quâ *aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur ſecundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere*, comparare voluerit cum ea motione, quâ *Quidquid fuit in humana natura Chriſti movebatur nutu voluntatis divinæ*, & quâ, ut ex eodem D. Thoma diximus, ita *In Domino Jeſu Chriſto humana natura movetur, & regitur à divina, ſicut in homine puro corpus movetur ab anima*. Qua ratione, inquam, utramq; motionem comparare potuit, niſi utramque præviam, non ſimultaneam ſolùm; efficacem per ſe ſe, & non ex eventu exiſtimaret? Nam de ea motione, quâ voluntas Chriſti movebatur; eam eſſe præviam, & per ſe ſe efficacem, eaque motione voluntatem Chriſti omninò ad unum determinatam, & applicatam fuiſſe, nec ab ipſis adverſæ ſententiæ authoribus in dubium revocari poteſt: cùm ideò exiſtiment, Chriſtum nullam retinuiſſe libertatem circa mortem ſubeundam abſolutè, ſed ſolùm quantùm ad circumſtantias; aut etiam non fuiſſe liberum in impletione præceptorum naturalium; quòd ad ea implenda ita determinatus eſſet, ut ea non poſſet non implere: Ergo cùm Divus Thomas motionem, quâ *Sanctorum*

rum piæ voluntates moventur, cum ea motione comparet, *quâ humana Christi voluntas movebatur*; non potuit intelligere D. Thomas quòd ea motio, quâ Sanctorum piæ mentes moventur, prævia sit, ac per se se efficax. Alioquin quò tenderet ea comparatio, aut quo pacto una alterius explicatione intelligi posset, nisi esset utraque similis.

Confirmatur *Quartò*, & potissimùm ea comparatione D. Thomæ refellitur altera adversariorum existimatio, nullam scilicèt fuisse superstitem Christo libertatem in adimpletione præceptorum naturalium, quantùm ad substantiam, aut in subeunda morte. Etenim ex D. Thoma, *Quidquid fuit in humana natura Christi, movebatur nutu voluntatis divinæ: sicut aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur, secundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere*: Atquì dubitari non potest, quin aliorum Sanctorum voluntates dum moventur, etsi moveantur motione illi motioni, quâ movebatur voluntas Christi, adeò simili, ut comparari una cum altera potuerit: dubitari inquam non potest, quin aliorum Sanctorum voluntates dum moventur, integram illæsamque voluntatem servent in præceptorum naturalium impletione: Ergo etiam non potuit humana Christi Domini voluntas, etsi ea motione, & directione Verbi Divini moveretur, non servare libertatem, & ex libertate non comparare sibi meritum. Sanè nihil posset unquàm intelligi opportunius ea comparatione, ad controversiam omnem de divinis auxiliis dirimendam; cùm illius comparationis utraque pars aliquid certum, & indubitatum habeat, quo facilè alterum, quod in dubium revocari potest, explicetur. Etenim dubium esse posset, utrùm motio, quâ *Sanctorum piæ mentes moventur*, efficax sit per se se, & prævia; an verò solùm indifferens, concomitans, & ex eventu suspensa. Atquì illud apertè resolvitur cõparatione alterius, cùm dubitari non possit, motionem esse previam ac per se se efficacem, quâ *humana Christi Domini voluntas movebatur nutu voluntatis divinæ*, sicut *movetur corpus ab anima*. Deinde dubium esse posset è contra, utrùm *humana Christi natura*, & voluntas libertatem integram servet, meritumq; ullum habeat, cùm *movetur nutu voluntatis divinæ*. Atquì illud extra dubium omne ponitur alterius etiam comparatione: cùm dubitari non possit, quin *aliorum Sanctorum piæ voluntates* dum *moventur secundùm voluntatem Dei*, integram libertatem servent, & meritum sibi acquirant. Observatione sanè dignissima est ea comparatio, quâ nodi omnes, qui in hac utraque celeberrima, & difficillima controversia necti possunt, quantumvìs constringantur, nullo negotio resolvuntur.

Confirmatur *Quintò*, ex iisdem D. Thomæ verbis, quod à nobis supra dictum est, non esse diversam hanc difficultatem aut majorem in Christo Domino, quàm in qualibet altera voluntate creata. Quia nulla potentia peccandi, vel minimam imperfectionem admittendi, pertinere unquàm potest ad veram rationem libertatis: atque adeò etiam in Christo Domino suppositа ea summa sanctitate, quæ nullo vel levissimo imperfectionis moralis nævo obscurari unquàm potuit aut moraliter aut physicè, servanda est, & concilianda libertas. Perindè enim est ad veram rationem libertatis servandam; seu absit omninò hæc potentia peccandi aut graviter, aut leviter, aut levissimè: seu etiam ex conditione naturæ adhæreat, nec detergi omninò possit. In quocumque enim statu aut reperiri aut fingi possit, necesse est integram manere libertatem, & indifferentiam: quamvìs si adsit potentia peccandi, quam *umbram libertatis* dixit alicubì D. Thomas, obscurior erit libertas, perfectior verò si ea infelix potentia, & verissima agendi impotentia deleta sit. Sicut eadem est similitudo in imagine aurea vel ærea, quamvìs in auro magìs fulgeat, & pretiosior sit, & in ære obscurior.

Confirmatur *Sextò*, & explicatur iterùm ex his quæ habet S. Thomas quæst. sequenti 19. ubi etiam & idem argumentum ex comparatione instrumenti solvit, eoque exemplo rem omnem explicat. Etenim, inquit, *Ubicumque movens, & motum habent diversas formas seu virtutes operativas, ibi oportet quòd sit alia operatio moventis, & alia operatio proprii moti; licèt motum participet operationem moventis, & movens utatur operatione moti, & sic utrumq; agat cum communione alterius.* En commune principium, & legem naturæ constitutam; quoties duæ causæ conveniunt aut fœdus ineunt, quælibet quæ sua sunt servat, quæ ad perfectionem pertinent; & præterea inferior quidem communione superioris, & participatione additæ virtutis nobilitatur, eamque virtutem velutì in mercedem sui obsequii recipit: superior verò inferiori utitur, & in meritum virtutis, quâ confert, inferioris obsequium, & usum requirit; & in eo posita est veræ concordiæ, & veri fœderis ratio, quòd hinc inde aliquid, & recipiatur, & conferatur. Atque ita etiam in Christo Domino contigisse existimandum est. Unde inquit D. Thomas. *Sic igitur in Christo humana natura habet propriâ formam, & virtutem, per quam operetur, & similiter divina. Unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, & è converso: & tamen divina natura utitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione instrumenti: & similiter humana natura participat operationem principalis agentis. Et hoc est quod dicit Leo Papa in Epistola ad Flavianum. Agit utraque forma, scilicèt tam natura divina quàm humana in Christo cum alterius communione, quod proprium est. Verbo operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est*: Adde, voluntate etiam exequente, & agente quod voluntatis est. Atque inde solidissima, & clarissima hujus difficultatis explanatio desumi potest. Divinum fœdus initum est Verbum inter, & humanitatem. In eo fœdere necesse est quamlibet partem

quod

quod ſibi eximium eſt, & ad perfectionem pertinet, illæſum ſervare. Humanitas ex eo ſacro commercio ſummè nobilitatur & perficitur, & ut inquit D. Thomas in 3. diſt. 18. art. 1. ad 1. *Humana actio ipſius Chriſti participabat aliquid de perfectione Divinæ naturæ, ſicut intellectus ejus aliis eminentiùs intelligebat ex virtute intellectus Divini, ſibi in perſona conjuncti.* Ipſique ejus ſanctiſsimæ carni inerat ſpecialis quædam virtus, ea ratione, qua *Inſtrumentum agit in virtute principalis agentis. Hoc* enim *modo in ipſa actione humanitatis Chriſti eſt aliqua virtus, in quantùm ipſa humanitas eſt inſtrumentum Divinitatis.* Quod ſæpiùs repetit D. Thomas, ac docent Sancti Patres. Atque eâdem ratione ipſa ejus voluntas majorē, & ſummam, quantùm capax eſſe poteſt ulla creata voluntas, ſanctitatem, & impeccabilitatem aſſequebatur: ita ut nec umbrâ imperfectionis obſcurari poſſet etiam phyſicè. Sed tamen nobilitata voluntas, ſua omnia jura, ſuas dotes illæſas ſervat, ſcilicèt libertatem, & meritum. Neque enim exiſtimandum eſt, quòd dum Verbum novas perfectiones voluntati Chriſti ſuperaddit, nativas auferat. Unde cum ſumma illa impeccabilitate remanet illæſa perfectiorque libertas, & quæ ex libertate accedit ratio laudis ac meriti. Atque eo pacto initum eſt firmumque illud fœdus, dum agit utraque forma cum alterius communione, *Verbo operante quod Verbi eſt*: & voluntate exequente quod voluntatis eſt. Unde veriſſimè in ſextæ Synodi determinatione dicitur, inquit D. Thomas, *Duas naturales operationes indiviſè, inconvertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter in eodem Domino Jeſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus; hoc eſt Divinam operationem, & humanam operationem*: & ex Divina operatione ſummam impeccabilitatem, remota omni potentia nedùm morali, ſed etiam phyſica, ullam imperfectionem admittendi; & ex humana operatione perfectiſsimam, & abſolutiſsimam libertatem, & facultatem merendi.

ARTICULUS VI.

Major, & apertior reſolutio difficultatis: impoſitum fuiſſe Chriſto de morte ſubeunda præceptum: Ipſum fuiſſe liberum, & potuiſſe non mori: fuiſſe tamen impeccabilem.

ETſi ea, quæ jam ex D. Thoma plurima retulimus, ſatìs explicent, hæc tria in Chriſto Domino ſimul eſſe conjungenda. *Primò* Divinam operationem qua regitur humanitas, & voluntas humana Chriſti, atque adeò obligationem ortam ex præcepto ab Æterno Patre impoſito, ſeu ex intimatione Divinæ voluntatis cui neceſſe ſit humanam voluntatem Chriſti conformari: *Secundò* derivatam ex ea conformitate ſummam impeccabilitatem: ac *Tertiò* conjunctam cum utraque ſummam libertatem: etſi inquam hæc tria ex ſuperioribus ita conjungenda eſſe ſatìs compertum ſit; & qua ratione conjungantur, comparatione ſuperiùs poſita etiam ſatìs conſtet: attamen non potuit eum conciliationis, & concordiæ modum expreſsiùs non referre S. Thomas, à quo nihil unquàm quod difficultatem ingerere poſsit in rebus Theologicis, prætermiſſum eſt.

Probat igitur in primìs S. Doctor impoſitum fuiſſe Chriſto de morte ſubeunda præceptum. Atque id omninò tanquàm certum, & omninò ſupponendum eſſe ſignificat: cùm certum ſit, Chriſtum ex obedientia eſſe mortuum. Unde 3. par. quæſt. 47. art. 2. ubi inquirit, Utrùm Chriſtus fuerit ex obedientia mortuus? In primìs ſupponit, impoſitum fuiſſe Chriſto verum, & in rigore præceptum, cùm obedientiæ virtus ſuperioris præceptum ſupponat. Unde cùm ſibi primo loco Objeciſſet: *Obedientia reſpicit præceptum: ſed non legitur, Chriſto fuiſſe præceptum quòd pateretur: nō ergo paſſus eſt ex obedientia.* Reſpondet: quòd reipſa *Chriſtus mandatum accepit à Patre ut pateretur. Dicitur enim Jo. 10. „ Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, & hoc mandatum accepi à Patre meo: „ ſcilicèt ponendi animam, & ſumendi eam. Ex quo, ut Chryſoſtomus inquit, non eſt intelligendum quòd priùs expectaverit audire, & opus ei fuerit diſcere; ſed voluntarium monſtravit proceſſum, & contrarietatis ad Patrem ſuſpicionem deſtruxit.* Ergo ex D. Thoma impoſitum fuit Chriſto præceptum; & quidem in rigore præceptum, cùm vera obedientia ſtrictum, & in rigore præceptum impoſitum ſupponat: & cùm Scripturæ Sacræ verba in proprio, & legitimo ſenſu explicanda, & intelligenda ſint; dictumque fuerit, quòd Chriſtus *mandatum moriendi accepit à Patre*, & quòd moriendo *obediens* fuit, & Patri obtemperavit; non poteſt negari, quin verum præceptum impoſitum Chriſto fuerit, mortuuſque fuerit ex vera obedientia, quę verum, & ſtrictum præceptum ſupponit. Quamvìs etiam aliunde etſi nullum impoſitum fuiſſet à Patre præceptum Chriſto, nihilominùs tamen ex ſumma qua Patrem proſequebatur benevolentia, & charitate, non potuiſſet etiam non ponere animam, cùm nullum majus charitatis, & amoris Argumentum eſſe poſſit, quàm animam ponere. Cùm maximè id placitum eſſe Patri non dubitaret: neque ulla eſſe poſſet vel minima *contrarietatis ad Patrem ſuſpicio*, cui quæ placita erant faciebat, & ita faciebat ut nec aliud facere poſſet.

Probatur præterea, quòd quamvìs præceptum impoſitum fuerit Chriſto, & ex vi præcepti mortuus fuerit, ſubindeque non potuerit non mori, attamen etiam liberrimè mortuus fuerit. Et ſi quis ipſa Chriſti Domini verba expendat, animadvertet, in ipſis etiam verbis utrumque

con-

contineri, & D. Thomæ sententiam clarissimè explicari. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & hoc mandatum accepi*. Quo pacto enim dici potuit, potestatem Christum habuisse ponendi animam, idest liberè summaque libertate posuisse animam, & tamen præceptum habuisse eam ponendi. Hæc enim duo non satis cohærere existimari posse videtur: atque ita existimarunt hi Theologi, qui ut libertatem servent, aut præceptum negant, aut quod est gravius sanctitatem Christi obscurant, dum imperfectionem potentiâ physicâ adhærere Christo potuisse affirmare non dubitant. At verò ea quæ ab ipso Christo verba dicta retulimus, planè significant, hæc duo in Theologia, & vera sapientia Verbi, & Christi, non repugnare, sed necessariò jungenda esse: & Christum *potestatem habuisse ponendi animam*, summaque libertate mortuum fuisse; & tamen quòd *mandatum accepit à Patre* Æterno, & ex mandato Paterno imposita ei est obligatio moriendi. Hæc necessariò jungenda sunt, & nisi verè conjungantur, quæcumque fingi poterunt & pro concordia in medium afferantur, à Christi Domini intentione, & Verbi Divini Theologia remotissima erunt.

Confirmatur *Primò*. Probaturque, hæc omnia egregiè D. Thomam conjunxisse. Etenim loco proximè citato Responsione ad secundum Argumentum, ita sibi objicit. *Illud dicitur aliquis ex obedientia facere, quod facit ex necessitate præcepti: Christus autē non ex necessitate præcepti, sed voluntariè passus est: Non ergo passus est ex obedientia*. Hæc difficultas tanta quanta esse potest: quo pacto scilicèt necessitas imposita ex præcepto cum libertate conjungi potuerit, supposita summa ejus nedum impeccantia, sed etiam impeccabilitate. Neque enim, ut puto, unquàm in mentem venit Divo Thomæ, etiam potentiâ physicâ imperfectionem ullam in Christo esse potuisse. Respondet D. Thomas, *Quòd obedientia etsi importet necessitatem respectu ejus quod præcipitur; tamen importat voluntatem respectu impletionis præcepti, & talis fuit obedientia Christi. Nam ipsa passio, & mors secundùm se considerata naturali voluntati repugnabat; volebat tamen Christus Dei voluntatem circa hoc implere, secundùm illud Psalmi, „Ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui.„* Hæc igitur verissima totius difficultatis resolutio; scilicèt determinationem esse aliquam, & necessitatem, quæ libertati non repugnat: & hæc duo simul esse jungenda, & *necessitatem respectu ejus quod præcipitur* à Patre Æterno, scilicèt mortem, quæ ut præcepta prætermitti non potuit à Christo summè impeccabili: & tamen summam fuisse libertatem, & liberrimam *voluntatem Christi respectu impletionis præcepti* Paterni de morte subeunda: quia *ipsa passio, & ipsa mors secundùm se considerata*, omninò indifferens est; quin etiam *naturali voluntati repugnabat*: sed tamen, ut præcepta erat, non poterat servato ordine præcepti, & charitatis prætermitti.

Confirmatur *Secundò*: quòd etiam hæc eadem solutio sit quam supra retulimus, neque enim alia esse potest; & qua etiam sæpiùs eam motionem, qua aliæ Sanctorum piæ voluntates à Deo moventur, cum libertate conciliavimus. Movet enim Deus voluntatem *Immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis. Et tamen propter naturam voluntatis quæ indifferenter se habet ad multa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas*, qu. 6. de malo ad 3. Movet etiam voluntas Divina humanam voluntatem Christi tanquàm instrumentum sibi conjunctum; ipsam determinat etiam præceptum à Patre Æterno Christo impositum; ipsaque Christi *obedientia importat necessitatem respectu ejus quod præcipitur*: sed tamen etiam propter conditionem voluntatis humanæ Christi, importat libertatem *respectu impletionis præcepti*. Qua vero ratione hæc omnia concilientur? eadem prorsus ratione, quam suprà sæpiùs explicuimus; & quæ in eo posita est, quòd libertas possit agere, & non agere, *servato* tamen, & *non prætermisso ordine finis*. Prætermitti enim ordinem, minimè ad libertatem pertinere diximus, sed maximum esse libertatis, & voluntatis defectum, nec minorem certè quàm quòd à principiis ratio aberret. Atquì sub quacumque motione, cùm à Deo movetur voluntas *Immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, remanet tamen libertas, nec inducitur necessitas*: atq; adeò potest voluntas mota si recta sit, possunt Sanctorum piæ voluntates agere, & non agere, *servato* tamen *non prætermisso ordine finis*: Atquì iterùm etiam imposito à Patre præcepto sub ipsa Verbi Divini directione, sub ipsa etiam vi Divinæ motionis, potuit impeccabilis voluntas Christi velle mori, & non mori *servato ordine finis*, *non verò prætermisso* eo ordine: Ergo sicut piæ Sanctorum voluntates sub Divina motione liberè operantur, etiam & impeccabilis voluntas Christi implendo præceptum Patris, perfectissimam habuit libertatem.

Confirmatur *Tertiò*, ac explicatur magìs, quo pacto hæc omnia simul conjungi, & convenire possint. Etenim ratio finis postulat, ut posito præcepto Patris de morte subeunda, possit Christus non mori; non equidem ut definita mors subest præcepto, hoc enim est peccare, quod neque finis exigit, neque, ut diximus, ad libertatem ullo pacto pertinet; nec magìs quàm ad rationem pertineat nulla habita ratione principiorum hinc inde vagari. Sed ad libertatem solùm pertinet ut Christus potuerit non mori, proùt mors præcisè secundùm se considerari potest: neque enim secundùm se mors necessariam connexionem habet cum affecutione finis, ulla parte qua considerari possit; neque etiam cum reconciliatione generis humani necesariam ullam connexionem habuit: cùm multis aliis modis reparari natura humana potuisset. Atque adeò ita ex præcepto paterno subeunda mors fuit Christo; ut tamen secundùm se mors nihil haberet, quo necessariò eligi posset aut deberet: sed deberet è contrà secundùm se indifferenter amari: Imo *se-*

cundùm

tundùm ſe naturali voluntati repugnet, ut dixit D. Thomas: Ergo etiam dum voluntas Chriſti humana mortem eligit, cùm objectum ſecundùm ſe indifferens ſit, non poteſt non eſſe libera iſta electio.

Confirmatur *Quartò*, ex his quæ aliàs ſæpiùs dicta ſunt, & quæ hìc etiam locùm habere poſſunt. Unde *Primò* recolenda ſunt quæ ſuprà retulimus ex *triplici* amplitudine, & *univerſalitate judicii, voluntatis, & objecti*; ex quibus clariſſimè conſtat, electionem mortis, ipſamque mortem ſecundùm ſe planè indifferentem fuiſſe, atque inter media repoſitam, quæ media voluntatem nec ſibi ſubjicere, nec implere poſſunt. Unde, & quantumcumque ſubeunda mors argumentum eſſet dilectionis Paternæ: attamen cùm ſecundùm ſe nihil haberet, quo voluntatem per ſe ſe rapere poſſet, eamque ſibi ſubjicere, quæ in voluntatem poteſtas aut dominium dumtaxàt ad ultimum finem pertinet: voluntas Chriſti circa eam liberè, & indifferenter verſabatur. *Secundò*, videnda etiam ſunt quæ 2.2. qu. 104. D. Thomas de obedientia docet: ubi idem Argumentum nec ſemel reſolvit; quòd quamvìs illud, quod præcipitur ex obligatione impoſita vi præcepti, neceſſarium eſſe videatur, nihilo tamen minùs, & meritorium ac liberum eſt, eò quòd objectum ſecundùm ſe indifferens ſit, atque adeò juxta ipſius objecti merita, & conditionem voluntas amorem impendat. *Tertiò*, recolenda etiam ſunt ea quæ ſuprà ex D. Thoma dicta ſunt de ea felici neceſſitate ex obligatione votorum impoſita, quæ voluntati firmitatem aliquam in bono conferunt: qua firmitate ad ſtatum Beatorum voluntas accedit, nec libertatem amittit, quâ fit capax, & laudis, & meriti: imò & eò majus ſibi meritum comparat, quò voluntas firmiùs adhæret ex votis; ſicut & quo firmiùs habitus inhæret ſubjecto, actus ex habitu productus perfectior eſt.

Confirmari *Quintò* efficaciſſimè hæc omnia poſſunt, ex his quæ ſuprà ex Divo Thoma animadvertimus; plura à Deo fieri poſſe, quàm faciat aut facere velit; & quæ facere poſſet ſi vellet, quæ tamen nunquàm faciet, quia nec facere volet: quo pacto diximus conciliari divinam libertatem cum ipſius immutabilitate; quia ſi vellet, plura alia faceret, quod ad libertatem pertinet; & tamen efficiet ſemper immutabilitas, ne illa velit quæ poſſet ſi vellet; & quæ ſi reipſa non faciat, oritur *non ex defectu potentiæ*, quæ integra eſt, ut etiam ea poſſit quæ non vult; *ſed defectu voluntatis*, quæ non vult agere omnia quæ poteſt. Quæ omnia certiſſima ſunt, nec negari ullo modo aut fides aut recta ratio permittit: nec niſi à quibuſdam veteribus unquàm negatum eſt, quorum opinionem cæteri, ac in primis S. Thomas, errorem eſſe exiſtimarunt. Atque ex his efficaciſſimum Argumentum in hac de libertate Chriſti controverſia deſumi poteſt in hunc modum.

Si quid obſtaret quominùs integra remaneret Chriſto libertas, vel in ſubeunda morte, quantùm ad ipſam ſubſtantiam mortis; vel in adimpletione præceptorum naturalium &c. obſtaret maximè ea determinatio orta vel ex præcepto Paterno, quod prætermittere non poterat; vel ex ipſa obligatione juris naturalis, quod violari, & lædi, nefas eſt judicare de ſumma ſanctitate, & quâ nulla major poteſt intelligi; vel demùm ex motione aut directione voluntatis divinæ, cui humana Chriſti voluntas, ut inſtrumentum conjunctum, ſubjiciebatur: Atquì ea determinatio ex illa triplici obligatione orta nihil obſtat quò minus libertatem integram ſervet Chriſtus: Ergo. Minor apertiſſimè probatur. Certum eſt plura potuiſſe Chriſtum facere, quæ tamen non fecit: certum etiam eſt ea prætermiſiſſe ex illa obligatione parendi orta ex impoſito ſibi à Patre præcepto: & tamen etiam dubitari non poteſt, quin ea, quę prętermiſit, ut præcipienti Patri obtemperaret, liberè prętermiſerit: Ergo manifeſtum eſt, quòd cum ea determinatione, & obligatione agendi libertas componi potuerit. *Antecedens* quantùm ad omnes partes clariſſimè probatur ex eo Matth. 26. v. 53. Ubi cùm Chriſtus à Judęis comprehenderetur, & Petrus, cui antea ab ipſomet Chriſto dictum fuerat ut gladios emeret, exiſtimaret Chriſtum armis eſſe defendendum; Chriſtus ut falſam Petri exiſtimationem rejiceret, dixit. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturę, quia ſic oportet fieri?* Ex quibus in primis conſtat, potuiſſe Chriſtum ſi voluiſſet in auxilium advocare etiam integras legiones Angelorum; & tamen certum eſt non advocaſſe: Ergo manifeſtum eſt, quòd plura potuit Chriſtus facere, quę non fecit. Et ſanè adeò locus apertus eſt, ut adverterit D. Thomas; *Quòd ex iſto loco deſtruxerunt quidam opinionem illorum, qui dicebant, quòd non poterat Dominus facere, niſi quod facit; quia ſi poterat legiones convocare, quas non convocavit; conſtat quòd poteſt facere multa, quæ non facit*. Neque enim nova eſt hęc opinio, quę cum obligatione ex prępcepto Paterno, vel divina prędefinitione orta, libertatem Chriſti componi non poſſe exiſtimabat. Sentiebant enim quidam alii Theologi, quos inter nominat D. Thomas Magiſtrum Amalreum, Deum, atque etiam eadem ratione Chriſtum, non poſſe aliud facere, quàm reipſa facerent: quę ſanè opinio non aliis inniti principiis potuiſſe videtur, quàm iis quibus innititur Recentiorum ſententia, libertatem ſcilicèt omnis determinationis antecedentis impatientem eſſe: ex quo veteres conſequi exiſtimabant, quòd nec Deus, nec Chriſtus, poterant aliud agere quàm ex decreto divino, ut agerent conſtitutum fuiſſet: Atquì è contra certum eſt ac indubitatum, quòd etiam poſito decreto divino Deus aliud agere poteſt ſi velit, quàm quod agat. Etenim ex verbis ſuprà relatis conſtat, quòd poſita prædefinitione æterna, quâ prædefinitum erat, Deum in obſequium Chriſti non miſſurum Angelos, poſitaque prę-

definitione æterna, quâ prædefinitum fuerat, Christum in manus judæorum tradendum: certum inquam erat, Christum non advocaturum legiones Angelorum, quamvis eas advocare posset.

Nec verò dici potest, posita prædefinitione æterna, quâ definitum erat, quòd Christus Angelos non advocaret in auxilium: Christum etiam necessariò non advocasse, neque liberè prætermisisse eos advocare. Manifestè enim reclamat Scriptura S., ipsaque vox Christi, cùm dicat, potuisse Angelos advocare etiam posita prædefinitione. Quòd si advocare potuit illos, & tamen non advocavit: Ergo liberè eos advocare prætermisit.

Ex quibus manifestum est, apertè ex S. Evangelio constare hæc tria, quæ suprà distinximus. *Primò*, potuisse Christum plura facere quæ non fecit. *Secundò*, Ideò non fecisse, quia determinatus erat prædefinitione æterna ut ea non faceret, quæ facere prætermisit. *Tertiò*, & tamen cùm ea facere prætermisit, quæ ut prætermitteret, definitione æterna determinatus erat, liberè prætermisisse. Ex quibus iterum constat, ut semper contendimus suprà, hæc conjungenda esse, & determinationem ad unum ex prædefinitione æterna; & tamen potentiam ad oppositum; & libertatem ex natura voluntatis, & conditione objecti. Unde poterat Christus si voluisset, advocare Angelos quibus defenderetur, quia *Possum*, inquit, *rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*: & in eo relucet positaque est libertas. Et tamen certum est quòd noluit Angelos advocare, ut prædefinitioni divinæ obtemperaret, *quomodò enim implebuntur Scripturæ?* & in hoc relucet vis ipsius prædefinitionis cum obedientia conjuncta. Non igitur hæc duo adversa sunt, *quòd sic oporteat fieri*, & quòd Angelos in auxilium reipsà, actu, & de facto non advocaverit; & tamen quòd advocare potuerit. *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*. Alterum enim reipsà fit: alterum verò, & oppositum potest solùm fieri: quæ duo, ut toties diximus, nunquàm repugnant scilicèt unum esse actu, & oppositum esse solùm in potentia.

Confirmatur *Sextò*, ut hæc meliùs, & clariùs explicentur, comparatione, quam aliàs fusius prosecuti sumus, libertatis divinæ, de qua vide quæ superiùs dicta sunt, quæ hic etiam locum habent. Et adde *Primò*: aliud esse necessarium absolutè, & aliud esse immutabile. Immutabile enim cum libertate conjungi potest, quia posito decreto divino immutabili, infallibile etiam, & immutabile est, Deum agere, & Deum liberè agere: quia cùm utraque perfectio sit, & immutabilitas, & libertas, una alteri non repugnat, sed invicem sese complecti in Deo necesse est, & in creaturis non repugnat: Ergo etiam posito divino decreto, *quia sic oportet fieri ut impleantur Scripturæ*, immutabile fuit, & infallibile, quòd Christo non poterant mitti legiones Angelorum: & tamen quia non impediebat ea immutabilitas quominùs liberè ageret, etiam potuit petere ut legiones Angelorum sibi mitterentur à Patre æterno. *Secundò* Adde: posse Deum si vellet aliud agere, quàm quod agit, ex summo dominio, & ex summa à rebus independentia, summaque libertate: & tamen efficit summa nec minor immutabilitas; ut non velit aliud agere quàm quod agit: Ergo etiam poterat Christus ex summa à rebus omnibus independentia, quæ extra Deum positæ sunt, & ex summo dominio quo Angelis etiam imperare potest; poterat liberrimè si voluisset Angelos in obsequium sui advocare; & tamen ut Patri æterno obtemperaret, & impleret Scripturas, etiam liberrimè noluit Angelos advocare. *Tertiò* Adde: quòd cùm Deus agit, & immutabiliter agit, potest tamen si velit non agere, aut aliud agere pro arbitrio, quia *nihil deest ex parte potentiæ*, quâ possit; cùm potentiam infinitam habeat: at verò quòd interdùm non agat, oritur solùm *ex parte voluntatis*, quia scilicèt cùm possit agere, non vult tamen agere: Ergo idem etiam de Christo sentiendum est, cùm Christus ut obtemperaret Patri Angelos non advocavit; potuisset tamen si voluisset eos advocare, quia nihil deerat *ex parte potentiæ*, cùm haberet summum dominium in Angelos, & potuisset quod voluisset à Patre obtinere. Quod si reipsà non advocavit, nec à Patre mitti petiit, causa fuit solùm *ex parte voluntatis*: quia ut obtemperaret Patri, & ut implerentur Scripturæ, noluit postulare, quæ postulare, & obtinere potuisset si voluisset: quæ omnia de morte à Christo Domino subeunda etiam dicenda sunt. Quid sanè ex his negari possit, planè non video, adeò hæc omnia rationi, ac Scripturæ Sacræ consentanea sunt: & ex ea comparatione divinæ libertatis omninò convincuntur.

Confirmatur demùm *Septimò*: & ne varios explicandi modos, quos ex suo Angelico Magistro usurpare solent ipsius Discipuli, prætermittam, quique etiam interdùm ut variè argumenta proponuntur, usui esse possunt ad explicandam motionis prævіæ cum libertate concordiam: ita possunt breviter omnes perstringi: & simul tota difficultas ita potest paucis cõprehendi. In eo enim totius controversiæ cardo vertitur, quòd ad asserendam Christo libertatem in subeunda morte, concedendum sit, Christum potuisse non mori: at verò si concedatur Christum potuisse non mori, & supponatur præceptum à Patre impositum de subeunda morte, in periculum vocatur summa ejus impeccabilitas, & sanctitas: quia si potuit non mori, potuit omittere actum qui præcipitur: Atquì posse omittere actum qui præcipitur, est posse peccare. Ergo. Verùm universalis hæc propositio, quæ unica negotium facescere potest, scilicèt, qui potest omittere actum qui præcipitur, potest peccare: Quatuor vel quinque modis excipi potest, quos ita paucis refero. Unde in forma: Qui potest omittere actum qui præcipitur, potest peccare: Atquì Christus potuit omittere actum qui præcipitur, cùm potuerit non mori: Ergo potuit peccare. Respondeo *Primò*: Qui potest

omit-

omittere actum *formaliter*, & ut cadit ſub præcepto, poteſt peccare; Concedo; qui poteſt ſolùm *materialiter*, & ſecundùm ſe; Nego. Vel *Secundò*: Qui poteſt omittere *privativè, & contrariè*, poteſt peccare; Concedo: qui poteſt ſolùm *negativè, & contradictoriè*; Nego. Vel *Tertiò*: Qui poteſt ſolùm *potentia antecedente*, omittere actum debitum, poteſt peccare; Nego: qui poteſt *potentia conſequente*, Concedo. Vel *Quartò*: Qui poteſt actum debitum omittere *in ſenſu compoſito*, ſeu potentia conjuncta cum actu, poteſt peccare; Concedo: qui poteſt ſolùm omittere *in ſenſu diviſo*, ſeu potentia diviſa ab actu; Nego. Vel demum *Quintò*: Ut diximus, qui poteſt actum omittere *ſervato ordine finis*, poteſt peccare; Nego: qui poteſt actum omittere *prætermiſſo ordine finis*, Concedo.

Explicantur ejuſmodi omnes ſolutiones, quæ ex D. Thoma deſumptæ ſunt, & quarum idem omninò eſt ſenſus, quem ita explico. Actus poteſt dupliciter conſiderari; *Primò*, ut comparatur ad potentiam, quæ cùm habeat majorem amplitudinem, quàm habeat actus, non determinatur ad unum, ſed poteſt illum elicere vel non elicere. Et hoc eſt poſſe elicere, & non elicere actum *materialiter* ſumptum, & *negativè, in ſenſu diviſo*, & *potentia antecedente*, quæ ſcilicèt potentia conſideratur præcisè ſecundùm ſe. *Secundò*: poteſt conſiderari actus non præcisè abſolutè, & ut eſt pars dominii voluntatis, ſed cum circumſtantiis, & ut cadit ſub præcepto: & ſi poſſit eo modo voluntas omittere, poteſt omittere *formaliter*, ut eſt ſub præcepto; *privativè*, ut eſt determinatus ratione præcepti; *potentia conſequente*, ut reſpicit circumſtantias, & exercitium; *prætermiſſo ordine finis*, quia eſſet contra præceptum: ita verò omittere, cùm ſit peccare, non pertinet ad libertatem. At verò ita de Chriſto dicendum eſt: potuit non mori, ſi mors conſideretur ſecundùm ſe, & *materialiter*; potuit non mori *negativè*; potuit etiam *potentia antecedente*, & *in ſenſu diviſo*, & *ſervato ordine finis*: hoc verò modo poſſe non mori nullum peccatum eſt; quia peccatum in eo poſitum eſt, quòd omiſſio actus cum ipſo præcepto *formaliter*, *potentia conſequente*, *ac in ſenſu compoſito* conjungatur, quòd eſt omittere *prætermiſſo ordine finis*. At verò primo modo, non altero, id eſt *ſervato non prætermiſſo ordine finis*, Chriſtus mori potuit.

Quòd ſi quis objiceret: ſicut ſe habet actus ad actum, ita ſe habet potentia ad potentiam: Atquì ſi præcepta mors reipſa prætermitteretur, etiam reipſa peccatum eſſet: Ergo ſi potuit prætermitti, etiam peccari potuit. Mirum eſſet ſi hoc idem, aut omninò ſimile argumentum in S. Thoma non reperiretur. Objicit enim ſibi quæſt. 6. de malo artic. unico, ubi agit de electione humana, & libero arbitrio: Potentiam omnem eſſe determinatam ad unum, neque ullam potentiam eſſe poſſe ad oppoſita; quia *Cùm potentia*, inquit numero 19. *dicatur ad actum, ſicut ſe habet actus ad actum, ita ſe habet potentia ad potentiam; ſed duo actus oppoſiti non poſſunt eſſe ſimul: Ergo nec poteſt eſſe una potentia ad duo oppoſita*. En idem fermè argumentum, in quo tamen ſtatim agnoſci poteſt, ſuſpectam debere eſſe eam Majorem, & cum aliqua exceptione intelligendam; cùm ex ea adeò falſum conſequens deduci poſſit, quale illud eſt, quod in ſuperiori argumento deducitur. Sed Reſpondet D. Thomas. *Dicendum, quòd iſta propoſitio, ſicut ſe habet actus ad actum, ita ſe habet potentia ad potentiam, quodammodo eſt vera, & quodammodo eſt falſa. Si enim accipiatur actus ex æquo correſpondens potentiæ, ut univerſale objectum ipſius, veritatem habet propoſitio. Sic enim ſe habet auditus ad viſum, ſicut ſonus ad colorem. Si autem accipiatur id quod continetur ſub objecto univerſali, ſicut particularis actus, ſic propoſitio veritatem non habet. Una eſt enim potentia viſiva, cùm tamen album, & nigrum non ſint idem. Licet ergo ſimul inſit homini potentia voluntatis ad oppoſita ſe habens, tamen oppoſita illa, ad quæ ſe habet voluntas, non ſunt ſimul*.

Igitur una ex parte legitima eſt, ſimiliſque comparatio actus ad actum, & potentiæ ad potentiam: at altera ex parte admodùm diſſimilis eſt. Cùm enim multò majorem amplitudinem potentia habeat, quàm unicum ſingulare objectum, aut unicus actus; impoſſibile eſt, totum quod continetur ſub objecto univerſali potentiæ, ſeu omnia objecta ſecundùm etiam ſingulares rationes accipi, ac ſi eſſent unum ſingulare objectum: ſicut impoſſibile eſt, omnes actus potentiæ accipi ac ſi eſſent unus actus; cùm manifeſtum ſit, objecta ſingularia in exercitio, & reipſa poſita, variis circumſtantiis & accidentibus involuta, admodùm eſſe diverſa; cujuſmodi ſunt reſpectu potentiæ viſivæ album, & nigrum: unde & actus ſingulares non poſſunt non eſſe diverſi, imo contrarii, qui ſeſe invicem excludant. At verò cùm potentia ſemper univerſalior, & eminentior ſit, eſt etiam, ut ita dixerim, maximè præciſiva. Unde etiam actus plures, pluraque objecta reſpicere poteſt ſecundùm rationem communem, quâ conveniunt, non ſecundùm rationes ſingulares quibus invicem repugnant: ſicut potentia viſiva reſpicit v. g. album, & nigrum ſub præciſa ratione objecti viſibilis: non verò ſub ea ratione ſingulari, quâ unum alteri adverſatur. Atque inde fit, unum equidem actum cum alio actu jungi non poſſe: quia in exercitio poſiti ſingulares differentias, & conditiones habent, quibus invicem opponuntur: at verò è contra unicam potentiam poſſe, & plura objecta ſecundùm ſe, & plures actus reſpicere ſimul: quia cùm præciſiva ſit, non ea reſpicit, ut dictum eſt, ſecundùm ſingulares rationes, ſed ſecundùm rationem communem, quâ invicem conveniunt. Unde non poſſunt duo objecta oppoſita, aut duo actus oppoſiti eſſe ſimul, & tamen poteſt unica potentia circa duo objecta quamvis invicem oppoſita verſari. At verò, ut hæc ad argumentum de quo agitur, referantur; cùm actus ſingularis ſit, nec à circumſtantiis ſingularibus præſcindi poſſit; inde fit, quòd quiſquis actum præceptum actu, & reipſa omitteret, non poſſet

non omittere etiam cum ea circumstantia, & ut cadit sub præcepto, atque adeò peccaret. At verò cùm potentia præcisiva sit, potest actum respicere secundùm se, & ut ad specificationem potentiæ pertinet, non ut in exercitio positum: quô modô cùm à circumstantiis præscindat, etiam non intelligitur subesse præcepto. Atque eo pacto non consequitur, quòd qui præceptum actum omittere potest, peccare possit: cùm actus sub ea consideratione sumptus, omninò à malitia exemptus sit. Atque eo modo dictum est, potuisse Christum non mori, seu præceptam mortem, si ita loqui liceat, cùm etiam ipsius Christi dominio subjecta esset, repellere: nimirùm si mors secundùm se materialiter sumeretur, qua ratione mors secundùm se objectum est indifferens.

QUÆSTIO IX.

Utrùm de Divina Motione sententia cùm Sacri Concilii Tridentini Decretis consentiat.

POSTULAT integra hujus concordiæ libertatis cum gratia resolutio, quàm hactenùs prosecuti sumus, ut altera etiam hìc difficultas pertractetur, quam urgèt plurimi, qui extra Scholam D. Thomæ audiunt; utrùm scilicet, ea quæ hactenùs ex S. Thoma de divina motione sententia à nobis tradita est, rectè cum Sacri Tridentini Concilii Decretis consentiat, quibus recta fronte adversari eam sententiam nobis objiciunt. Verùm quàm apprimè ea D. Thomæ ejusque Scholæ Doctrina Tridentinis Sanctionibus consentanea sit, intelliget quisquis animadvertit, à B. Pio V. Pontifice Maximo dictum, *Divina Providentia factum esse, ut Doctoris Angelici doctrina, exortæ hæreses confusæ, & convictæ dissiparentur, quod & ante, & liquidò nuper in Sacri Tridentini Concilii Decretis apparuit*: Intelliget quisquis à Cardinali Baronio dictum recolet, *Vix quisquam enarrare possit, quantàm ejus illibatæ doctrinæ à Sanctis Patribus in Sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino fuerit acclamatum*: Intelliget quisquis ab Oratore ejusdem Concilii Tridentini in laudem D. Thomæ coram ipsis Tridentinis Patribus dictum audiet, ad ipsum Angelicum Præceptorem ejusque doctrinam, ut *ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiæ exortum fuerit, communibus votis esse referendum*, omnes existimasse. Intelliget tandem quisquis animadvertet, Cathechismi Tridentini conficiendi curam hujus Scholæ Discipulis commendatàm fuisse; quo in Catechismo ex communi doctrina, quæ in ea Schola jam obtinuerat de prævia motione sententiam ab iis insertam expresè contineri, & explicari, dubitari non potest. Sed non solùm præjudiciis nobis agendum est. Expressiùs & in singulari ea consensio est demonstranda, eamque tota præsenti quæstione prosecuturi sumus.

ARTICULUS I.

Quo sensu intelligi debeat liberum arbitrium motum, & excitatum posse dissentire, si velit: Gravis accusatio Suaris refellitur.

LIbens prætermisissem hujus argumenti solutionem, quod objici solet D. Thomæ Discipulis, quasi prævia motio adversa sit Tridentino Concilio, à quo definitum est Sess. 6. Can. 4. *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit*. Libens inquam hoc argumentũ prætermisissem, cùm unius D. Thomæ sententiam explicare suscepissem, quæque variis in locis refert, colligere, in quibus nihil de Tridentino Concilio reperire est, quod posterioribus sęculis celebratum nemo nescit. Sed cogit me gravissima Suaris accusatio, quâ D. Thomæ Scholam gravat, ut argumentum hoc pertractem, & calumniam depellam: nec dubitabit candidus ac pacis studiosus Lector, quin maxima nobis conquerendi ratio suppetat adversùs Suarem, quem sanè moderationis omnis regulas prętergressum fuisse negari non potest: cùm in opere posthumo de vera intelligentia auxilii efficacis, si tamen verum ac legitimum illius opus sit, affirmare ausus est, à Concilio Tridentino sententiam de prævia motione fuisse proscriptam. Ita enim habet hujus operis cap. ult. paginaque ultima, atque iis toti operi finem imponit.

Sexta propositio, quæ ex omnibus precedentibus cõcluditur, est, doctrinam hanc de physica prędeterminatione qualem explicavimus, non solùm nõ videri nobis necessariam ad veram ac efficacem Dei gratiam defendendam; verùm potiùs ad eum finem esse supervacaneam; & aliunde gratiam sufficientẽ, libertatisque usum de medio tollere; ac proinde hæreticis hujus temporis favere; ideòque dignam esse, ut per

ut per Eccleſiæ cenſuram damnetur, vel potiùs jam damnata declaretur. Nam licèt non ſub ea voce, ſub aliis æquivalentibus jam damnata eſt, ut quòd gratia neceſſitatem inducat: neceſſitas enim & prædeterminatio ad unum, idem ſunt tanquàm definitio, & definitum.

Hæc omnia Suarez pag. 368. in quibus nemo æquus Judex dubitabit, plurimùm exceſſiſſe Suarem, & violati præcepti à Summis Pontificibus impoſiti, nè una pars alterius partis ſententiam ullâ cenſurâ notaret, maximè reum eſſe. Etſi enim interdùm utriuſque partis Theologi argumentorum, quę urgent, vim eò deducere nitantur, ut probent, videri ſententiam quam impugnant, cum Conciliorum decretis collidi; quod diſputationis legibus, citra tamen omnem cenſuram, ſemper permiſſum eſt; quâ conceſsâ Theologis licentiâ diſputando, nihilque aſſerendo, & relicto Summis Pontificibus judicio, quod cùm iis expedire viſum fuerit, proferant; potuit Lemos in ſuo pręclariſſimo opere inde Molinæ ſententiam impugnare, & rejicere, quòd ad Pelagianorum, & Maſſilienſium errores propiùs accidiſſe videretur: nec nos etiam admodùm graviter ferimus D. Thomæ ſententiæ conſenſionem cum errore Calvini, ſi modeſtè id fiat, ſæpiùs objici; cùm maximè ex ipſa Adverſariorum confeſſione compertum ſit, eam objectionem, aut veriùs calumniam, non ex vera, quæ animo ſedeat ſententia proficiſci; ſiquidem & olìm P. Annatus Societatis Theologus, nihil commercii intereſſe Thomiſtas inter, & Calviniſtas apertiſſimè demonſtravit, ut erat res admodùm facilis: & palàm etiam ſit, adverſarios ad eam conſenſionem cum Calviniſtis objiciendam, ſola neceſſitate compulſos fuiſſe, ut Molinæ ſententiam ab ea quæ objiciebatur ipſi cum Maſſilienſium erroribus conſenſione defenderent, ut fatetur ipſe Ripalda Societatis ejuſdem Theologus, de quo videndus eſt ſapientiſſimus P. Gonetus, ſub quo olìm prima Theologiæ tyrocinia poſuimus, in ſua Apologia, & depulſione Calviniſmi. At qua ratione defendi poſſet, non egiſſe Suarem ſi opus poſthumum ſuppoſitivum non ſit, contra Bullas SS. Pontificum, quibus vetitum eſt, nè quis unquàm alteri parti ullam cenſurę notam inurat: cùm ita Suarez exertè pronuntiet, *Doctrinam de phyſica præmotione dignam eſſe, ut per Eccleſiæ cenſuram damnetur, vel potiùs jam damnata declaretur.*

Multi equidem hoc opus ſuppoſititium eſſe arbitrati ſunt, neque ipſe dubito, & malim etiam credere, quàm exiſtimare Suarem, quem alioquin virum gravem ac pium dicunt, hęc potuiſſe ſcribere, quæ in illo eas dotes deſiderari aliquando potuiſſe probarent. Sed tamen, quiſquis hujus poſthumi operis Author fuerit, excuſari non poſſe videtur, quin nimio calumniandi æſtu ſe ſe abripi paſſus fuerit, cùm dixit quòd *neceſſitas & prædeterminatio ad unum, idem ſunt, tanquàm definitio, & definitum.* Cui enim iſta ſuaderi poterunt, aut qua ratione poterũt evinci. Aut enim de motione pręvia intelligit, quæ ad unum actum voluntatem activè determinat, aut de ipſo voluntatis actu, qui eſt ipſa determinatio formalis. Si de ipſo voluntatis actu intelligat; quâ nova proprietate, & ſignificatione verborum, prædeterminatio ad unum dici poterit? Eſt quidem ipſa determinatio formalis, ſeu ille ipſemet actus determinatus, quem prævia motio efficit: ſed quòd ille actus determinatus ſit ipſa prædeterminatio ad unum, quis unquàm ſatìs intelligat? Quodnam enim alterum eſſet reſpectu cujus prædeterminatio diceretur? Neque enim ratione ſui prædeterminatio eſſe poteſt. Quòd ſi nomine prædeterminationis ad unum ipſa prævia motio intelligatur, quâ Deus voluntatem impellit, & ad unum determinat: quamvis etiam hoc ultrò Suari concederetur, quod tamen à vero alieniſſimum eſt, quòd voluntati motio neceſſitatem imponat; qua ratione dici poterit, prædeterminationem ad unum & neceſſitatem eſſe unum & idem, ſicut definitio, & definitum unum ſunt? Cùm manifeſtum ſit, eam prædeterminationem ad unum, ad Deum referri, & ad ipſum Deum pertinere, qui voluntatem movet ac determinat; neceſſitatem verò ad voluntatem pertinere, quam, ut objiciunt, ea motio ad unum adigeret. Dixiſſet ſaltem hic Author, unum ex altero neceſſariò conſequi, & utrumque eſſe conjunctum, tanquàm cauſam & effectum, & neceſſarium eſſe, & neceſſariò conjunctum; dixiſſet enim quod cæteri objicere ſolent: quamvis expreſſiſſimis D. Thomæ teſtimoniis, à ratione, & veritate alieniſſimum eſſe, nullamq; niſi neceſſitatem conſequentiæ, & ex ſuppoſitione, quam expreſsè D. Thomas admiſit, hic intervenire, milliès demonſtratum fuerit. Sed quòd prædeterminatio phyſica, & neceſſitas abſoluta, & ſimpliciter dicta, de qua intelligit, idem ſint, tanquàm definitio, & definitum; idem planè eſt, etiamſi prævia motio neceſſitatem induceret, ac ſi quis affirmaret, cauſam & effectum ſolùm terminis diſcrepare, & ſignificatione convenire.

Sed deinde quo loco reponi poterit infallibile, aut quo nomine poterit nuncupari? Cùm etiam infallibile ad unum determinatum ſit. Nunquid etiam & infallibile, & neceſſarium; & prædeterminatio phyſica, & determinatio ad unum; & omnia permiſcenda erunt, ut D. Thomæ Diſcipulis invidia creari poſſit. At nos iſta diſtinguere ex D. Thoma didicimus, & diſtinximus ſupra. Atque inde animadvertimus, ortũ fuiſſe errorem eorum qui exiſtimabant, Deum non aliud facere poſſe, quàm quæ faciebat; quòd inter infallibile, & neceſſarium non diſtinguerent. Infallibiliter quidem ad unum etiam, *& immutabiliter Deum movere volũtatem propter efficacium virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*, à D. Thoma didicimus: at neceſſitatem ea motione inferri per calumniam ſolùm nobis imponi, aut ſolius diſputationis licentia permitti poteſt ut objiciatur; quâ licentiâ etiam à noſtris Authoribus objici ſolet, adverſâ ſententiâ de ſcientia media, divina omnia attributa everti, & virtutes omnes, ac

Chri-

Christianæ pietatis sensum omnem aboleri. Sed quòd necessitas, & prædeterminatio ad unum, quocumque modo intelligi possint, dicantur esse unum & idem, sicut definitio,& definitum unum sunt, quibus sanè Dialecticæ legibus posset permitti non video, nec dubito quin injuria sit, Suari ista tribuisse.

Sed illud prætereà, & Suari, & aliis repono qui Canonem Tridentini tanquàm adversum motioni præviæ,& efficaci opponunt; si quid unquàm à D. Thomæ Discipulis dictum sit, quod unquàm Tridentini censuram mereri potuisset,mereretur etiam quod à Societatis Parẽte D.Ignatio in exercitiis spiritualibus dictum est, quem librum tamẽ nemo nescit magno semper in pretio habitum fuisse. Etenim D.Ignatius in libro Exercitiorum hebdomadâ secundâ, quinta die, §. *De tempore triplici ad electiones rectè faciendas magìs opportuno*. Ita inquit omninò ad D. Thomæ principia consentaneè. *Tempus primum erit quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quominùs sequatur impulsionem talem; sicut legimus B. Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo accidisse*. Hactenùs S.Vir. Atquì si quam unquàm Thomistarum de prævia motione sententia mereri censuram potuisset, non posset non mereri, quod à S.Viro dictum est. Nec enim quidquam ab ullo ex D.Thomæ Scholę Theologis unquàm dictum est,quòd magìs in speciem adversum SS. Concilii Trident. definitioni esse videatur. Velim enim ultrò conquiri ab Adversariis, & in mediũ proferri,quid unquàm ab ullo Scholę nostræ Theologo validius ad efficaciam divinæ gratiæ evehendam, & inculcandam, scriptum sit, quàm quòd à D.Ignatio dictum est,*Voluntatem divina virtute sic impelli,ut omnis dubitatio, immò dubitandi facultas animæ sublata sit, quominùs sequatur talem impulsionem*. Quo pacto enim *potentiam dissentiendi*, & dubitandi relictam esse dici poterit, si *facultas* etiam *dubitandi* sublata sit. Quid non dixisset Suarez, si ista in aliquo ex nostris Thomistis reperisset? dixisset, eam *virtutem sic impellentem, libertatis usum de medio tollere, ac proinde Hæreticis hujus temporis favere*. Dixisset,eam sententiã de virtute sic impellente, *dignam esse ut per Ecclesię censuram damnetur,vel potiùs jam damnata declaretur*. Dixisset demùm, hanc sententiam,quâ asseritur virtutem divinam hominis voluntatem *sic impellere, ut omnis dubitatio,etiam & dubitãdi facultas sublata sit, quominùs sequatur talem impulsionem*; quamvis non sub ea voce, tamen *sub aliis æquivalentibus jam damnatam fuisse, ut quòd ea virtus necessitatem inducat*. Et sanè eadem ratione quâ superiùs dixit,*necessitatem,& prædeterminationem* idem esse: addere etiam Suarez potuisset, *virtutem quâ facultas dubitandi aufertur, & necessitatem, unum esse, sicut & definitio,& definitum*.

Hæc adversùs Suarem, & ut ostenderem, hanc Suaris censuram in totius etiam Societatis caput recidere, & Sanctum parentem Ignatium, à quo ea dicta sunt. Nemo enim nostrùm dixit unquàm, dum voluntas divina virtute impellitur, sublatam esse dubitandi facultatem, quominùs voluntas sequatur talem impulsum; cùm perpetuò Scholæ D. Thomæ Theologi in ore habeant, posse voluntatem divinæ motioni, & divinæ virtuti dissentire, & posse resistere: nec à nobis unquàm dictum sit,voluntatem non posse dissentire, nisi eo temperamento adhibito, scilicèt non posse potentia consequente, & cum actu conjuncta.

Absit tamen ut existimemus, quidquam in iis D. Ignatii verbis jure reprehendi posse, quæ nos etiam & ambabus, ut dicitur, ulnis amplectimur: atque ex his, inter primos, & sanctitate magìs conspicuos D. Thomæ Discipulos D.Ignatium agnoscimus. Nec puto quòd sibi vitio vertisset D.Ignatius Thomistam nuncupari, si sua ętate in usu hæc nuncupatio erat; cùm erga D. Thomam, & ejus Scholam, quam acriter Suarez insectatur, adeò affectus fuerit; ut voluerit suos Discipulos in Schola D. Thomæ audire, ejusq; Scholæ Discipulorum numerum, suorum accessione augeri; quod maximi beneficii à nobis accepti loco reponimus. Nec nobis invidere debet Suarez si priùs etiam D.Ignatium Thomistam dixerimus, quàm Societatis Parentem.

Et sanè apertissimè D. Thomæ, & ejus Scholæ sententiam iis verbis D.Ignatius expressit,& eundem sensum hæc verba habent, quem nos intelligimus, cùm à nobis dici solet, voluntatem à Deo motam, & excitatam non posse dissentire in sensu composito, seu nullam esse potestatem, & dissentiendi, & dubitandi compositam, & consequentem, quamvis divisa ab actu, & antecedens, semper relicta sit.

Atque ex his satìs liquet, quantùm excesserit Suarez: & si eâdem licentiâ, quam ipse usurpavit, & nos reprehendimus, utì deceret; quantùm ejus singularis, & privata censura graviori censura digna esset. Neque enim dubitari potest, ea sæpiùs in D. Ignatii libro legisse Suarem, ad quæ tamen suam sententiam minùs quàm vitam composuit; quæ ipsum cohibere debuerant, nè eam sententiam reprehenderet, aut censurâ notaret, cùm eadem reprehensio ac censura in Divum Ignatium non posset non recidere: maluerit que sententiam D. Ignatii in discrimen vocare, quàm Molinam deserere, quem etiam sequi maluit quàm parentem. Hæc pro nostra adversùs Suarem defensione.

Sed propiùs ad ipsum accusationis caput est accedendum, & oculis etiam subjiciendum, quænam ex duplici sententia, seu D. Thomæ & ejus Scholæ, seu Molinæ ac Recentiorum, cum Sacri Concilii Tridentini definitionibus magìs conveniat. Ac inprimìs probandum est D. Thomæ sententiam omninò cum illo Sac.Tridentini Concilii decreto, de quo controversia est, consentire. Sed necesse est aliqua priùs de Calvini errore, quem Concilium Tridentinum confixit,referre.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Calvini Hæreſi circa Libertatem.

I Gitur antequàm demonſtrem nihil ineſſe Canoni Sacri Concilii Tridentini, cum quo mirum in modum D. Thomæ ſententia non conveniat; inprimìs paucis explicanda eſt ipſa hæreſis Calvini, ex qua ſimplici, & nuda explicatione manifeſtum fiet, quantùm à craſſis erroribus D. Thomæ ſententia abhorreat. Neceſſe enim eſt, ut monet S. Irenæus initio libri quarti, regulas, principia, & argumenta Hæreticorum primò perſpecta eſſe, ut facilè deinde confodiantur. Et quamvìs, ut idem inquit lib. 1. cap. 1. ſoleant Hæretici, velutì *de arena reſticulas nectere*, quod malè compacta ac omninò inconſequentia jungant, ac fœdiſſima monſtra pariant, *ut nec pes, nec caput uni reddatur formæ*; & plura in Calvino hujus inconſequentiæ, ac ſæpiùs exempla occurrant; cùm hinc inde difficultatibus jactatus palantis more ferebatur: tentabo tamen quendam inter ea principia ordinem ſtatuere: quædam enim rectè conſequuntur, cùm non ſemper Hæretici deſipiant, & aliqua etiam ſit erroris, ut & veritatis propagatio. Nec verò nuda Calvini verba referam, ſed præcipua ejus principia, quæ ſi quis Calvini eſſe negaverit, Hæreticum pro magna parte ab errore abſolvet. Fateor tamen, me non habere hìc Calvini libros præ manibus: unde utar his, quæ olìm in Scholis à me dictata ſunt, cùm ejuſmodi libri præſto eſſent. Utebar autem inſtitutionibus Calvini quæ minores ſunt editæ ann. 1561. ex officina Antonii Rebulii. Aliæ enim ſunt multò auctiores: ut enim notat Doctor Sorbonicus Andreas Duvallius tom. 1. in 2. 2. nunquàm recuſæ ſunt, quin plura etiam magni momenti mutata fuerint: quòd advertendum cenſeo, nè quem, ſi conſulere loca ipſe velit, variatio citationum fallat.

Primum igitur principium, quo non leviter Calvini mens attingitur, eſt, Calvinum admiſiſſe prædeſtinationem, & reprobationem æqualiter antecedere merita hominum lib. 3. Inſtitut. c. 20. & 23. & utramque ita ſuum effectum fortiri, ut qui ſemel prædeſtinatus eſt, nunquàm poſſit non habere gratiam, id eſt, non eſſe acceptus Deo per imputationem juſtitiæ vel Dei, vel meritorum Chriſti: nullam enim inhærentem juſtitiam, ſeu gratiam habitualem agnovit: ita ut etiam ſtupro natus, ſi ſit electus ad gloriam, pari cum Joanne Baptiſta privilegio, in utero Matris ſanctificatus ſit, cùm alioquì ſacrum Baptiſma nihil homini conferat, ſed ſolùm ſit Symbolum noſtræ purgationis, vel inſtar ſignati cujuſdam diplomatis, quo Deus nobis confirmet, noſtra omnia peccata deleta eſſe, nè unquàm in conſpectu ejus veniant lib. 4. cap. 15. lect. 1. de qua immunitate videndus eſt Bellarminus & alii: qui verò è contra reprobatus ſit, ita odio habeatur ſemper, ut neq; per Baptiſmum, neq; per alia Sacramẽta, cùm ea nullam vim habeant, gratiam unquàm aut fidem recipiat. Eam autem eſſe utriuſq; efficaciam, ſcilicèt prędeſtinationis, & reprobationis, ut hominem omninò neceſſitet ſive ad bonum, ſive ad malum. Quòd penè infinitis locis repetit. Lib. 3. cap. 23. lect. 6. ſic inquit. *Profanæ linguæ obganniunt, cur* (Deus) *ea vitia imputaret hominibus, quorum neceſſitatem ſua prædeſtinatione impoſuit*: & lect. 8. ſequenti inquit: *Non dubitabo igitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem; atque id neceſſariò futurum quòd ipſe præviderit*: & poſteà: *nunc ſi pro ſua, & impiorum excuſatione eam neceſſitatem, quâ ex Dei prędeſtinatione conſtringuntur, objiciant, nihil afferunt ad cauſam idoneum*: & lect. 9. *excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt neceſſitatem, præſertìm cùm ex Dei ordinatione injiciatur talis neceſſitas*.

Secundum principium, quod ex ſuperiori deſumitur, eſt, quòd exiſtimaverit Calvinus, efficaciam divinæ prędeſtinationis, & providentiæ ac divinæ motionis cum libero hominis arbitrio cohærere non poſſe: quod adeò certum in Calvino Bellarminus exiſtimavit lib. 4. de Gratia & Lib. Arbitr. c. 7. ut dixerit, eam fuiſſe unicam cauſam, cur Calvinus libertatem hominis ſuſtulerit, quòd ſcilicèt exiſtimaverit, pugnare cum Dei providentia: ubi tamen non meminit Bellarminus hujus quod dixerat de ſtatu primi hominis cap. 1. ubi aliam rationem aſſignat ex peccato primi hominis, ut infra dicemus. Pugnare autem providentiam, & motionem divinam cum libertate humana expreſsè habet Calvinus lib. 2. c. 5. §. 10. inquit, *Deus movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, ſed eam efficaciter efficiendo*. Ubi ex eo quòd Deus voluntatem efficaciter moveat, & efficiat, putat Calvinus, conſequi ipſam hominis voluntatem non poſſe diſſentire Deo moventi: quod quidem à Sacro Concilio Tridentino in Calvino damnatum eſt, cùm definit, *liberum hominis arbitrium motum, & excitatum à Deo*, motione utique efficaci, de qua loquebatur ipſe Calvinus, *poſſe diſſentire ſi velit*: Eundem errorem iterùm habet Calvinus lib. 2. Inſtitut. cap. 4. lect. 6.

Tertium principium eſt, quod ex efficacia prædeſtinationis conſequitur, qualem admiſit Calvinus, & ſigillatìm eſt explicandum, quòd prędeſtinati nunquàm poſſint amittere gratiam, & fidem; quod quidem inter pręcipua hæreſis Calvini fundamenta reponendum eſſe dubitari non poteſt: Lib. enim 3. c. 2. §. 12. ita inquit: *Hoc interim tenendum eſt, quàtumvìs exigua ſit ac debilis in electis fides; quia tamen ſpiritus Dei certa illis arrha eſt ac ſigillum ſuæ adoptionis, nunquàm deleri poſſe ejus ſculpturam*. Non ſunt addenda plura in re minimè dubia. At verò quæ libertas eſſe poſſit, aut veræ libertatis umbra, ſi nulla indifferentia homini relicta ſit, nec poſſit fidelis acceptam ſemel fidem amittere; adeòq; conſtricta ſit ea mutabili-

bilitas liberi arbitrii, & ut à justitiæ statu ad alterum injustitiæ statum, & vice versa nunquàm transire possit: cùm tamen expressè dictum sit, à Spiritu Sancto 1. ad Tim. 1. quòd *Quidam à Fide naufragaverunt*.

Quartum Calvini principium est, quòd neget, hominis voluntatem divinæ motioni cooperari; eodem sensu quo supra dixit, non esse relictum electioni hominis, divinæ gratiæ vel obtemperare, vel refragari. Quamvis enim dixerit lib. 2. c. 5. §. 14. *Se non ita desipere ut hominis motionem à jactu lapidis nihil differre autumet, sed in naturalem hominis facultatem referat approbare, respuere, velle, nolle.* Attamen ita se se explicat, ut velit hominem esse instar bruti eod. lib. c. 3. §. 7. nam inquit: *Sed erunt qui fortè credant voluntatem suopte ingenio aversam sola Domini virtute converti, sic tamen ut præparata suas deinde in agendo partes habeat: quemadmodùm docet Augustinus, omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente, pedissequa, non previa volũtate. Quod non malè à S. Viro dictum præposterè huc detorquet Lombardus. Ego autem tam in Prophetæ verbis quæ citavi, quàm in aliis locis clarè duo signari contendo, quòd & pravam nostram voluntatem corrigat Deus, vel potiùs aboleat, & à se ipso bonam submittat: quatenùs autem gratia prevenitur, in eo ut pedissequam appelles tibi permitto: sed quia reformata opus est Domini, perperàm homini tribuitur, quòd gratiæ pedissequa voluntate obsequatur. Ideò non rectè à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quidquam posse operari.*

Hęc ibi, aliaq; plura Calvinus, quibus voluntatem gratię cooperari negat. Unde lib. item 2. c. 2. §. 6. negat divisionem gratię in operantem, & cooperantem, quam astruit Magister Sententiarum; *Duplicem gratiam*, inquit, *nobis necessariam esse docet*, (scilicèt Magister Sententiarum) *quâ reddamur ad bonum opus idonei; alteram vocat operantem, qua efficaciter velimus bonum, cooperantem alteram quæ bonam voluntatem sequitur adjuvando .... In secundo membro me offendit quòd perversam genuit interpretationem. Ideò enim putarunt nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quòd nostri juris sit primam gratiam vel respuendo irritam facere, vel obedienter confirmare, secundùm quod Author operis de vocatione gentium sic exprimit; liberum esse iis, qui rationis judicio utuntur, à gratia discedere, ut non discessisse sit præmium, & ut quod non potest nisi spiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Hæc obiter*, subdit, *notare libuit, ut videas jam Lector, quantùm à sanioribus Scholasticis dissentiam: longiore enim intervallo à recentioribus Sophistis differo, quantò scilicèt à vetustate longiùs abscesserunt*. Hæc ibi.

Quintum hinc & alterum principium desumit quod omnem libertatem volũtatis interimit: negat enim, ulla esse hominum merita, quòd nimirùm meritum, & libertatem, & cooperationem voluntatis supponat; quamvis etiam hunc errorem ex alio principio deducat, quòd velit omnia hominum opera esse peccata mortalia lib. 5. c. 12. §. 4. & cap. 14. §. 9. idque iterùm ex alio principio, scilicèt concupiscentiam esse proprium, & strictè peccatum, lib. 2. cap. 8. quo omnia hominum opera inficiantur: & in eo libertatem Christianam sitam esse voluit, quòd minimè opus sit meritis: de quo lib. 3. cap. 19. Nulla verò esse merita ex eo quòd gratiæ voluntas minimè cooperetur, explicat lib. 2. cap. 5. §. 6. *Novam creationem quâ aboletur quod communis est naturæ, Paulus commendat ..... hac enim ratione probare vult, gratuitam esse nostram salutem, quia initium omnis boni sit à secunda creatione quam in Christo consequimur. Atquì si quæ esset vel minima ex nobis facultas, aliqua etiam esset meriti portio. Verùm ut nos exinaniat, nihil pro merito esse ratiocinatur.*

Sextum principium ex superioribus deductum est, totam legem esse homini impossibilem, quòd nulla reprobis gratia concedatur, & omnium universìm hominum opera sint peccata mortalia, quibus legem implere non possunt: lib. 3. Inst. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta & sordes, & quæ justitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas*: & cap. 14. §. 9. *habemus ne unum à sanctis exire opus, quod si in se inspiciatur non mereatur justam opprobrii mercedem?* & apertiùs lib. 2. cap. 2. *Sit*, inquit, *extra controversiam, impossibile esse in homine legis implementum*. Ergo etiam extra controversiam omnem est, nullam veram relinqui in homine indifferentiæ libertatem, & vix deteriorem esse Dęmonum conditionem, qui nihil nisi peccare possunt.

Septimum principium Calvini, ex prædestinatione divina ab ipso perperàm intellecta desumptum est, quodque plura alia continet, scilicèt nullum dari auxilium sufficiens reprobis, qui non sunt à massa perditionis discreti, lib. 3. c. 24. §. 15. & 16. de quo videndus Bellarminus lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 31. Inde lib. 2. cap. 1. negat, Christum pro omnibus mortuum, lib. 3. cap. 22. §. 2. Negat, Deum velle omnes salvos fieri, lib. 3. cap. 24. §. 26. Negat, gratiam ullam concedi reprobis, immò reprobos ad omnia flagitia impelli, eo fine ut in eos divina justitia vindictam exerceat. Non opus est cætera in longum proferre, cùm ea esse Calvini principia adeò certum sit, ut nemo id negare possit. Hæc autem omnia libertatem interimere ac præfocare manifestius est, quàm ut probari debeat.

Octavum est, peccato primi parentis omninò sublatam esse, & extinctam libertatem, ut Bellarminus notat lib. de statu primi hominis; & ex Calvino deducitur lib. 2. Institut. cap. 1. cui huc titulum præfigit; *Hominem arbitrii libertate nunc esse spoliatum, & miseræ servituti addictum.* Etenim cùm in primo homine nullum admiserit supernaturale donum, quod homo peccato potuisset amittere, & aliundè perpetuò Patres inclamarent, humano generi ingentem cladem illa-

tam

tam esse per peccatum primi Parentis; voluit Calvinus hanc cladem esse amissionem libertatis, & nunc in statu lapsi hominis, libertate nos spoliatos esse. Unde inquit: *Libero arbitrio pollebat homo in prima conditione creationis, quod lapsu suo amisit. Hoc ignorasse*, inquit, *Philosophos, & planè despere qui eos sequuntur, & liberum in homine arbitrium adhuc querunt.* Et lib.1.cap.15.sect.8. cujus verba contraho, inquit, *Ergo animam hominis Deus mente instruxit, quâ bonum à malo, justum ab injusto discerneret .... Huic adjunxit voluntatem.... his preclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia.... suppeterent.... deinde ut accederet electio.... In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quòd si vellet, adipisci posset vitam æternam.... Libera tamen fuit electio boni, & mali: neq; id modò, sed in mente, & voluntate summa rectitudo, & omnes organicæ partes in obsequium compositæ, donec se ipsum perdendo bona sua corrupit. Hinc tanta Philosophis objecta caligo, quòd in ruina edificium, & in dissipatione aptas junctiuras quærebant. Principium illud tenebant, non fore hominem rationale animal, nisi inesset libera boni, & mali electio: veniebat etiam illis in mentem, alioquin tolli discrimen inter virtutes, & vitia, nisi proprio arbitrio homo vitam institueret. Probè quidem hactenùs, si nulla fuisset in homine mutatio, quæ dum ipsos latuit, nihil mirum si Cœlum Terræ miscescant. Qui verò Christi se discipulos esse professi, in homine perdito, & in spirituale exitium demerso, liberum arbitrium quærunt: inter Philosophorum placita & cœlestem doctrinam partiendo, planè desipiunt, ut nec Cœlum nec Terram attingant.* Hæc ibi Calvinus: quibus etiam apertum est, nullam ex ipsius Calvini sententia remanere in homine post lapsum indifferentiam voluntatis, nullam electionem boni, & mali: sed voluntatem, ut alicubì idem Calvinus dixit, debere sequi, velit nolit, Divinæ motionis impulsum.

Nonum, & ultimum Calvini principium, est, quo manifestè convincitur, omnem negasse veram indifferentiam libertatis; quòd pro hoc statu naturæ lapsæ, non aliam inesse homini libertatem existimet, quàm exemptionem à coactione, & nudam spontaneitatem. Hunc verò errorem Calvinus fusè prosequitur lib. 2. cap. 2. §. 6. ubi sic Lombardo imponit. *Pronuntiat tandem Lombardus, non liberi arbitrii ideò nos esse, quòd ad bonum, & malum vel agendum vel cogitandum peræque polleamus, sed dumtaxat quòd coactione soluti sumus: quæ libertas non impeditur, etiamsi pravi simus, & servi peccati, & nihil quàm peccare possimus. Et §. 7. liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntas agit, non coactione.* Et eo sensu infrà inquit, se Logomachias quibus Ecclesia frustrà fatigatur, abominari; ut nimirùm quocumque vocabulo nuncupetur, ita liberum arbitrium intelligimus, quatenùs à coactione solutum est. Idem iterùm repetit lib. 2. c.3. §.5. quem statim infrà subjicimus; & c.5.ubi rationes impugnat, quæ pro arbitrii defensione afferri solent: ac sæpiùs repetit, non minùs peccatum esse si sit necessarium, dummodò voluntarium sit; cujus in Diabolo exemplum ponit, qui necessariò, voluntariè tamen peccat. Hunc etiam eundem errorem ubiq; alibì tenacissimè defendit, ut lib.2.contra Pighium: *Si coactioni*, inquit, *opponatur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter assevero, & pro hæretico habeo quisquis secùs sentiat: si hoc inquam sensu liberum vocatur, quia non cogitur, aut violenter trahitur externo motu, sed sponte agit sua, nihil moror.* Et in Antidoto ad sess.6.Concilii Tridentini cap.5. *De verbo*, inquit, *nè moveamus rixam, sed quia liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta, titulum esse sine re, qui affirmant, Christum habent auctorem & Augustinum.* Vide quo sensu Logomachias se odisse dicat, & nolit de voce contendere. Sic etiam lib.2.Institut. cap.5. §.11. vocat *simulachrum liberi arbitrii*.

Sed præcipuus omnium locus forsitan est quem habet lib.2.Instit.c.3.§.5.ubi sic inquit, *Porrò quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci, mirum est si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quippiam, nec è Sanctorum usu aliena est: offendit autem eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt. Et si quis eos interroget, an non Deus necessariò bonus, an non diabolus necessariò malus, quid respondeant; sic enim connexa est Dei bonitas cum Divinitate, ut non magis necessarium sit, ipsum esse Deum, quàm bonum: diabolus autem per lapsum sic à boni communione alienatus est, ut nihil quàm malè agere possit. Quòd si quis sacrilegus obganniat, Deo parùm laudis ex sua bonitate deberi, ad quam servandam cogatur: cui non erit prompta responsio, immensa ejus bonitate fieri, nè malum agere possit, non violenta impulsione? ergo si liberam Dei voluntatem in benè agendo non impedit, quòd necesse est illum benè agere; si diabolus qui non nisi malè agere potest, voluntate tamen peccat: quis hominem ideò minùs voluntariè peccare dicat, quòd sit peccandi necessitati obnoxius.* Hactenùs ibi Calvinus: quod exemplum à diaboli malitia desumptum ita Calvino placuit, ut cap.5.sequenti §.1. id rursùm usurpet, ubi argumenta refert, quæ pro defensione liberi arbitrii afferri solent; & contendit, peccandi necessitatem non excusare hominem. *Atque hoc*, inquit, *clarè explicui, & in diabolo ipso exemplum proposui. Unde patere*, inquit, *non minùs voluntariè peccare qui necessariò peccat: sicut rursùs in electis Angelis cùm voluntas licèt immobilis sit in bono, non desinit tamen voluntas esse.*

Ex his autem Calvini principiis facillimum est probare, nullam veram libertatem aut libertatis indifferentiam homini relictam esse. Etenim qui negat, voluntatem posse ab injustitia transire ad justitiam, aut fidem amittere posse, quam semel consequutus est: qui negat, esse in homine auxilium sufficiens quo legis præcepta impleri pos-

sint: ac demùm observationem legis esse in potestate hominis: qui inquam hæc negat, consequens est ut de medio tollat omnem libertatem, & indifferentiam quoad specificationem, & contrarietatis, quæ solùm inter extrema, sibi invicem opposita versari potest: Atqui Calvinus, ut jam satis ostensum est, hæc omnia negat: Ergo libertatem, & indifferentiam quoad specificationem de medio tulit. Iterùm qui contendit, prædestinationem, Deique motionem imponere necessitatem voluntati, eamque constringere, & totam abolere; item gratiæ efficaciam nulla ratione posse cum libertate cohærere; & voluntatem nec obtemperare nec refragari gratiæ efficaci posse; & voluntatem nullo pacto cooperari motioni gratiæ Divinæ; voluntatem non esse etiam gratiæ Divinæ pedissequam; demùm non aliam esse libertatem, quàm exemptionem à coactione: qui hæc inquam contendit, exscindit funditùs omnem libertatem, quoad exercitium, & contradictionis, quæ inter extrema, contradictoriè opposita versatur, & quæ exigit idem posse, & non posse fieri: Atqui Calvinus ea omnia statuit: Ergo libertatem omnem in suis principiis, primaque radice præfocat.

Hactenus de Calvini mente egimus, parùm solliciti de Calvinistarum sententia; quòd certum sit, ipsos sæpiùs sui Magistri aut immutasse aut correxisse errores: imò & ipsum Calvinum se se aliquando correxisse, ut dicemus infra, quoad eum non tam errorem, quàm horrendam blasphemiam, Deum esse authorem peccati. Et Duvallius supra citatus notat, quàm sæpissimè in ipsis Institutionibus Calvini, plura tum ab ipso dum viveret, tum ab aliis post ejus mortem immutata fuisse: jamque supra ex Bellarmino referente advertimus, Lutherum, & Melanchonem vertigine actos in hac ipsa de libero arbitrio materia turpiter secum pugnasse. V. sup. hac Diss. quæst. 3. art. 7. pag. 299. Notissima enim est Hæreticorum inconstantia, qui perpetuò instabiles omni doctrinæ vento hinc inde circumferuntur. Et ut de Chamaleonte Tertullianus refert lib. de Pallio cap. 3. *De corio suo ludunt*. Unde nec mirum videri debet, parem sibi cum hæreticis Magistris Discipulos potestatem asumere: idem enim sibi, quod aliis licere putant: & ut inquit Tertullianus lib. de Præscript. *Quisque de suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodùm de suo arbitrio composuit qui tradidit*. Et ut refert P. Baronius Vir in controversiis, & conhercationibus cum Hæreticis in Gallia versatissimus 3. par. dogmatica de scientia Divina disput. 2. sect. 3. art. 1. Gommaristæ Calvinistarum rigidissimi extinctam omnem libertatem existimant efficaciâ Divinæ prædestinationis, cum Calvino, & Beza: Arminiani in aliud extremum lapsi, efficaciam omnem, & gratiæ, & Divinæ motionis negant, ut libertatem sartam tectamque tueantur: quem errorem cumularunt Sociniani, omnium Hæreticorum Christianæ Religioni infensissimi, sublata fide SS. Trinitatis, Incarnationis &c. & Paganismo in Ecclesiam inducto. Conciliabulum verò Dordracenum sententiam Calvini temperavit, servatâ libertatis humanæ cum efficaci gratia concordiâ: quam non minùs à Scoto quàm à S. Thomâ, & Alvare didicerunt, cùm Tuvisius, inter hujus sententiæ Authores non postremus, dixerit, Scoti subtilitatem sibi summè placere. Et refert etiam Franciscus Macedo Franciscanus, sæpiùs Arminianos, aliosque purum putumque Semi-pelagianismum invexisse: quos inter, inquit, Arminius multò acutior est, & tectior, quique testes multos decipere possit. Unde non erat quòd Annatus lib. Scientiæ Mediæ disp. 4. cap. 4. §. 1. Arminianorum sententiam eandem esse cum Societatis sententia diceret.

Nec verò mirum, quòd in ea Divinæ gratiæ efficaciæ cum libertate concordia tanta fuerit facta à Calvini Discipulis immutatio: cùm & Gravina noster referat tom. 1. Cathol. Præscript. in Annal. cap. 14. à Lutheri tempore, anno scilicet 1517. usque ad annum 1597. ultra ducentas Hæreses ortas fuisse. Unde in Hæreticos illud egregiè D. Epiphanii lib. contra Hæres. cap. 36. intorquet. *In suis scriptis monstruosè Poetæ confixerunt centimanum Briareum, quem etiam Ægeonem, aut Gygem, aut Argum illum multis oculis præditum vocarunt. Sic omnes hujus temporis Hæretici in corpus centum capita habens se ipsos efformarunt, & quilibet horum cupiens sibi ipsi principatum constituere, caput nominavit se ipsum, aliam introducens, præter Præceptorum suorum vanum laborem, ac furiosam doctrinam.*

His itaque primùm constitutis, accedendum est ad explicationem Canonis Tridentini.

ARTICULUS III.

Probatur, D. Thomæ sententiam cum SS. Tridentini Concilii Decretis exactissimè convenire.

PRobandum igitur illud in me suscipio, tantùm abesse, quòd D. Thomæ sententia digna sit *ut per Ecclesiæ censuram damnetur, vel potiùs ut jam damnata declaretur*: ut è contra ipsa Divi Thomæ, & ejus Discipulorum sententia exactissimè cum S. Tridentini Conc. definitione cõveniat, etiam in eodẽ Canone, quo impeti eam sententiam Recentiores arbitrantur. Atque, ut id apertius sit, non dimidiatus Canon, sed integer reponendus est, & conjungendæ duæ partes sunt, quibus constat. Sic ergo habet SS. Concilium Tridentinum sess. 6. de Justificatione Canone 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse*

dissen-

diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere: Anathema ſit.

Cùm verò hìc de SS. Tridentino Concilio agatur, cujus ſumma in rebus Fidei poteſtas eſt, & à quo nihil definitum unquam aſſeri debet; niſi quod reipsà definitum certò conſtet, & apud omnes compertum ſit: abſit à me, ut ex his quæ à me dicentur, tantam certitudinem ſententiæ noſtræ accedere exiſtimari velim, quaſi reipsà à Sac. Concilio Tridentino definita ſit; temeritatis enim eſt velle Eccleſiæ judicium antevertere. Sed cùm ab aliis totiès nobis objici ſoleat, ſententiam de prævia motione in Tridentino Concilio virtualiter damnatam eſſe: ipſe, ut modeſtiùs loquar, omninò probandum ſuſcipio, eam quàm exactiſſimè cum S. Concilii Tridentini definitionibus convenire, & quantùm etiam argumentandi leges permittunt, id etiam à me non inefficaciter probari aſſerere non verebor, quantùm, inquam, argumentandi leges ſinunt; argumentorum enim vis inter Theologos attenditur: quo ſenſu intelligi cætera ſemper velim, ſi quandoque argumenta premendo nimiam aſſerere certitudinem ſententiæ Scholæ noſtræ viderer: id enim dumtaxat eo ſenſu accipi velim, quantùm conſequentiæ ratio obtinere poteſt.

Igitur tria his SS. Tridentini Concilii verbis à Patribus Tridentinis definita ſunt. Primò: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti..... Anathema ſit.* Secundò: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum.... non poſſe diſſentire.* Et Tertiò, *non poſſe diſſentire, ſi velit,.... Anathema ſit.*

Paulò aliter proponi poteſt argumentum, ut hæ propoſitiones in affirmativas commutentur. Unde hæc tria à Tridentinis Patribus aſſerta eſſe videntur. *Primò* liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti: *Secundò, liberum arbitrium motum, & excitatum*, quod cooperatur, & aſſentitur Deo moventi, *poſſe diſſentire*, etiam dum cooperatur, & aſſentitur: *Tertiò*, ac demum, liberum arbitrium motum, & excitatum, *poſſe diſſentire, ſi velit*: Atqui ab his tribus D. Thomæ ſententia non diſcedit. Ita enim exiſtimamus, & aſſerimus: *Primò*, quòd cùm Divina motio prævia ſit, & efficax, quotiès *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum* eſt hac motione, totiès *cooperatur, & aſſentitur Deo moventi, & excitanti*, nec unquam contingit quòd Deo moventi, & excitanti non cooperetur. *Secundò*: ſed præterea, quia nunquam Deus voluntatem movet, niſi conſentaneè ad ejus naturam, & conditionem, etiam cùm liberum arbitrium movetur, & excitatur, *poteſt* reipsà ſemper *diſſentire*, quòd à D. Thoma dictum eſt, poſſe divisè, ſeu ſi diſſentire referatur ad poſſe, cùm nullus unquam actus ſingularis ita impleat, & conſtringat potentiam, ut non alteri locus relictus ſit, quod ſignificaſſe videtur Concilium, cùm addit, *poſſe diſſentire, ſi velit*: id enim ſignificat, quod *Tertiò* volumus, quòd ſi reipsà non diſſentiat, non eſt ex defectu potentiæ, quæ ſemper poteſt diſſentire, ſi velit; ſed ſolùm ex defectu voluntatis, quæ non vult diſſentire etiam ſi poſſit, & ſi non diſſentiat, oritur ex ipſa motionis efficacia, quæ ita movet voluntatem, ut quamvis poſſit diſſentire, ſi velit, efficiat tamen nè velit: Ergo exactiſſimè convenit D. Thomæ, & ejus Scholæ ſententia cum ea Sac. Concilii Tridentini definitione.

Confirmatur, quòd ſi quis ea verba Concilii, quæ eo Canone continentur, cum iis conferat, quę ex D. Thoma ſæpiùs retulimus; agnoſcet neque ovum ovo eſſe ſimilius, & eodem planè ſenſu omnia eſſe explicanda. Etenim, cùm à D. Thoma dictum eſt, *quòd Deus immutabiliter movet voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, & tamen propter naturam voluntatis, quæ indifferenter ſe habet ad multa, non inducitur neceſſitas, ſed remanet libertas*: apertum eſt ex D. Thomæ verbis, hæc duo, quæ potiſſima ſunt, & quibus tertium continetur, neceſſariò eſſe conjungenda: in primis, quòd cùm Deus voluntatem movet, etiam *propter efficaciam virtutis moventis*, quæ *immutabiliter movet*, voluntas & movetur, & agit; ita ut hæc duo ſimul eſſe non poſſint, Deum movere voluntatem, & voluntatem non moveri, & non agere. Sed præterea etiam liquet, quòd dum voluntas movetur, & infallibiliter, ſeu *immutabiliter movetur propter efficaciam virtutis movẽtis*, poteſt diſſentire, poteſt reſiſtere, ſi velit: ſiquidem; *propter naturam voluntatis, quæ indifferens eſt ad multa, non inducitur neceſſitas, ſed remanet libertas*: Atqui videntur eadem à Sacro Concilio Tridentino aſſerta. *Si quis* enim *dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, & moventi; Anathema ſit.* Et præterea etiam: *Si quis dixerit, liberum arbitrium motum, & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit; Anathema ſit.* Ergo mirum in modum ſententia D. Thomę cum definitione S. Concilii Tridentini convenit.

Confirmatur iterum, & ut ea conſenſio apertior ſit, expendenda ſunt præterea hujus Canonis verba. Exiſtimandum enim, etiam in Conciliorum definitionibus, ut & in ipſa Scriptura Sacra, nihil eſſe ſuperfluè ſcriptum, cùm *etiam in brevi dictione, variarum ſententiarum vim, & indicibiles divitias invenire liceat*, ut inquit Sanctus Chriſoſtomus Homil. 3. in Geneſ. & ut ſæpiùs D. Hieronymus inquit, ipſi etiam apices non carent myſteriis; unde ab Hebræis olim dictum eſt, quòd neque apex eſt, ex quo ingentes montes non dependeant; ideòque Scripturas ſcrutari jubemur. Igitur obſervationes plurimæ ſubjungendæ ſunt, quæ tot erunt hujus conſenſionis novæ confirmationes.

Primò igitur obſervandum eſt, dictum eſſe à S. Concilio Tridentino, *Liberum hominis arbitrium motum, & excitatum à Deo*: ubi & illuminationem ex parte intellectûs, & motionem ex

parte voluntatis admittit: in ea enim potissimùm illuminatione excitantem gratiam Theologi reponunt, cùm animus veluti vitiis immersus, & sopitus lethaliter dormit, & Divina potissimùm illuminatione excitatur: ita enim inquit S.Augustinus in Psal. 62. Apostolus *Excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur à Christo. Ergo secundùm ipsius vigilias dicit iste: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Non vigilaret in te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret: illuminat enim animas Christus, & facit eas vigilare. Si autem lumen suum distrahat, obdormivit*, &c. eam *Spiritus Sancti illuminationem* apertiùs explicat idem SS.Concilium ejusd.sess. c.5. Atqui eandem illuminationem, & gratiam excitantem, & motionem moralem admittit D. Thomæ Schola, quòd nimirùm ita exigat conditio voluntatis, ut non solùm physicè, sed etiam moraliter moveatur. Inprimis, quia ut supra expresè ex D.Thoma probatum est: si Deus ipsam voluntatem solùm moveret per modum efficientis causæ, non autem per modum finis, vis quædam inferretur voluntati, ut docet 3. cont. Gent.cap.88.quia scil.motus esset omninò ab extrinseco, neque ipsa voluntas se se movere posset: siquidem voluntati deesset cognitio, quâ ostenderetur in quam partem se se verteret. Unde esset voluntas instar stipitis, & velut inanime, quod à solo Deo moveretur, & ab una in alteram partem transferretur: qui fuit aliquando Lutheri error: quòd cùm nullam rationē haberet motionis moralis, & ex parte intellectûs, sed solius physicæ, & effectricis ex parte voluntatis, existimavit, voluntatem ut inanime quoddam à Deo agi, spoliatum omni potestate agendi. Et prætereà, inquit D.Thomas, *Totius libertatis radix in ratione constituta est*: q.24.de Verit.a.2. Ergo opportunissimè excitatio ex parte intellectûs cum motione ex parte voluntatis à Concilio explicata est: atque ea ex parte S.Th.sententia cōvenit cū ea Concilii definitione.

Secundò. Sed prætereà observandum est, quàm accuratè, & quantâ sapientiâ à S. Concilii Tridentini Patribus hęc duo distincta sint, *cooperari, & dissentire*: alterum enim esse actu, alterum verò solùm potentiâ dictum esse observavimus. *Si quis* enim, inquit, *dixerit liberum arbitrium motum, & excitatum non cooperari Deo assentiendo*: *Anathema sit*: actu igitur cooperatur liberum arbitriū quoties à Deo movetur, & tamen adhuc *potest dissentire*: Atqui & illud idem perpetuò docuit D.Th. nam præter ea quæ mox ex ipso retulimus, etiam 1.2.q.10.a.ad 3. expresè inquit, *quòd si Deus movet voluntatē ad aliquid, incompossibile est huic positioni quòd voluntas ad illud nō moveatur. Non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur*: & ut habet Quodlibeto 1.a.8. *Propter hoc quòd virtus rationalis se habet ad opposita, ideò sic Deus movet voluntatē ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere*. Atque ea D.Thomæ ratio ex D.Augustino deprompta est l.7. de Civit.Dei c.30. ubi cùm superiori capite à Deo constitutum in omnibus totius Universi rebus decentissimum ordinem explicuisset, deinde inquit, quòd Deus *Sic administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat*: Ergo etiam ex eo capite, quod potissimum est, exactissimè cum definitione S.Concilii sententia D.Thomæ convenit: & tantùm abest ut ea Thomisticæ Scholę sententia de Divina motione prævia, & physica cum ea Sac. Concilii Tridentini definitione collidatur, ut è contra nec optari à nobis potuisset, aliis verbis conceptam esse definitionem, ut cum ea S. Thomæ sententia exactissimè conveniret.

Tertiò: Observandum iterum est, dici à Tridentino, *Liberum arbitrium motum, & excitatū posse dissentire, si velit*. Quæ verba apertè significant, quòd si liberum arbitrium, quamvis possit dissentire, attamen non dissentiat, id oritur non ex defectu potentiæ, sed ex defectu voluntatis. Seipsam enim voluntas veluti compellere videtur, & ut inquit S.Bernardus ipsa voluntas *compulsa, & cōpellens ubi amittere, ibi & recipere visa est libertatem; vim quippe, quam ipsa sibi intulit, à se pertulit*. Etenim, ut ibidem inquit, *Velle quippe, & nolle idem eodem tempore non potest*. Unde cùm reipsà Deo moventi voluntas cooperetur, non potest simul non cooperari, & si reipsà cooperetur, nec dissentiat, oritur non ex eo quòd desit potentia, sed quòd desit voluntas. Unde sapientissimè à S.Concilio dictum est, quà voluntas dum cooperatur, potest dissentire, si velit: Atqui & eadem omninò est D.Thomæ sententia, quam jam etiam explicuimus superiori qu. art. 7. pag. 381. Ergo:

Quartò: Observandum est prætereà, dictum esse à S.Tridentino Concilio: *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nō posse dissentire, si velit, sed velut inanimè quoddam, nihil omninò agere, merèque passivè se habere: Anathema sit*. Inde enim statim colligi potest: Ergo si merè passivè non se habet, aliquo igitur modo se habet passivè: Atqui & ea est D. Thomæ sententia. Et reverà ita necesse est. Si enim liberum arbitrium à Deo movetur, necesse est quòd à Deo motum aliquem recipiat: neque enim aliter intelligi potest, aliquid moveri, & motu non affici, cùm ex Aristotele motus sit in subjecto, quod movetur, & ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 15. artic. 2. *Agens quod agit, in quantùm motum ab alio, recipit aliquid à movente*, scilicet ipsum motum. Igitur cùm voluntas liberè agit, cùmque Deo moventi cooperatur, & quantùm ad eundem actum quem elicit, quo Deo cooperatur, etiam motum à Deo recipit. Quo sanè nihil conformius dici potest iis, quæ toties ex Sancto Thoma toto isto Opere diximus: nunquam scilicet voluntatem se ipsam movere, quocumque motu etiam indeliberato; nunquam agere quemcumque actum etiamsi liberrimum eliciat; nisi à Deo prima causa moveatur. Unde non est existimandum, liberum arbitrium ad actus dumtaxat indeliberatos, & per eos ad actus liberos à Deo moveri, & applicari; sed sine limitatione ulla intelligendum est,

volun-

voluntatem ad eos omnes actus, quibus Deo moventi cooperatur, & aſſentitur, qui non poſſunt non eſſe liberrimi, ſive ad eam liberrimam cooperationem, & aſſenſum immediatè à Deo moveri, motumq; ab ipſo Deo recipere; ſcilicet eam applicationem, ac motionem prævíam, & phyſicam, quâ voluntas cum actu conjungitur: quo pacto voluntas aliquo modo paſſivè, licèt *non merè paſſivè* ſe habet. Atque ita neceſſariò intelligendum eſſe videtur, ex eo quòd de ea motione Tridentinum loquatur, quam tum Lutherus, tum Calvinus admittebant: quamvis eâ poſitâ variè deinde errarent, dum alius inde rationem voluntarii, alius rationem liberi auferri exiſtimabat. At verò, ut eam Divinam motionem prævíam, & phyſicam à ſe non negari, ſed etiam ultrò admitti S. Concilii Patres ſignificarent, ab eis dictum eſt, non merè paſſivè ſe habere liberum arbitrium, cùm movetur, & excitatur à Deo: ex quo, ut diximus, colligitur, aliquo ſaltem modo liberum arbitrium tunc ſe ſe paſſivè habere, quòd ſcilicet eam motionem recipiat. Atqui, ut jam diximus, nihil magis conſentaneum S. Thomæ ſententiæ unquam dici poteſt: cùm ita exiſtimet S. Doctor, quòd quoties voluntas agit, & liberrimè agit, ipſam voluntatem Deus ad eos liberos actus applicat, & voluntas motum, ſeu *virtutem artis*, ſeu *virtutem per modum intentionis* recipit qu. 3. de Potent. art. 7. Adde quòd motio conſiderari poteſt *ſecundùm eſſe*, & *ut eſt ratio*: *ſecundùm eſſe*, *eſt in eo in quo recipitur per modum recipientis*: qu. 24. de Verit. art. 8. Adde præterea, quòd cujuslibet gratiæ, ſicut & cujuslibet formę *duplex eſt effectus*: *quorum primus eſt eſſe*, *ſecundus eſt operatio*. At verò ſecundùm eſſe *non agit in animam effectivè*, *ſed formaliter*; *ſicut albedo dicitur facere album ſuperficiem* 1. 2. q. 11. art. 2. ad 1.

Ex quo manifeſtiſſimum eſt, quòd etiamſi hujus Canonis apices vel minimi expendantur, nullus planè ſit qui cum D. Thomæ ſententia quàm exactiſſimè non conveniat. Nec verò aliter fieri potuit: cum deinde idem Sacroſanctum Concilium aliis in locis clariſſimè efficacem gratiam ſignificet, ut ſtatim probabitur, atque etiam ex Cathechiſmo ejuſdem S. Concilii, aliiſque operibus Patrum, qui Concilio intererant, omninò compertum ſit, eos pro efficaci gratia, Divinaque motione ſtetiſſe.

Quintò. Sed inſuper obſervandum eſt, quod etiam primo loco reponendum fuiſſet, dictum eſſe à S. Concilio Tridentino, *Liberum hominis arbitrium motum*, *& excitatum eſſe à Deo*. Quod apertiſſimè ſignificat, non voluntatem dumtaxat quomodocumque moveri, & ad actus dumtaxat indeliberatos: ſed moveri etiam liberum arbitrium immediatè à Deo ad actus etiam liberrimos; cùm ad liberum arbitrium dumtaxat actus liberi pertinere poſſint. Et perpetuò animadverti etiam poteſt, quantâ ſapientiâ, vel ipſa ſingula verba veluti ſelecta ſint. Dici enim nec immeritò potuiſſet, voluntatem à Deo moveri. Id enim quis ibit inficias? Sed quia dupliciter voluntas conſiderari poteſt, ut S. Thomas multis in locis obſervat, & aliàs fusè retulimus, ſcilicet *ut natura* eſt, ad quam actus neceſſarii, & indeliberati pertinent; *& ut rationalis*, *ſeu libera eſt*, quæ ſequitur judicium rationis ultimò decernentis, & ad quam actus liberi pertinent; ut enim inquit S. Bernardus Tract. de Gratia, & Libero Arbitrio: refertur *liberum ad voluntatem*, *arbitrium ad rationem*, & ex illo rationis judicio vera oritur libertas voluntatis: ad amovendam omnis deceptionis cauſam dictum eſt à Sacroſancto Concilio, non dumtaxat voluntatem, ſed liberum etiam arbitrium moveri: quod, ut diximus, apertè ſignificat, etiam ad actus liberrimos voluntatem moveri. Unde.

Sextò: Obſervari poteſt quod refert Lemos tum tom. 1. Tract. 6. cap. 1. tum etiam tom. 4. par. 1. c. 20. quòd cùm à S. Concilii Tridentini Patribus ageretur de formando Canone 4. ſeſſione 6. exiſtimaverit P. Laynez Societatis Generalis, dicendum eſſe, *non liberum arbitrium motum*, & excitatum eſſe, ſed dumtaxat *mentem* motam, & excitatam, ut ſe legiſſe, inquit idem Lemos, in ipſis Concilii Tridentini Actis: & obſervat etiam Cardinalis Pallavicinus Hiſtor. Trident. lib. 8. cap. 13. primò quidem ita Canonem fuiſſe conceptum: *Si quis dixerit hominem motum*, *& excitatum*. Verùm & hæc mutavit S. Concilium, voluitque ita Canonem hunc efformari, ſcilicet, *Si quis dixerit*, *liberum hominis arbitrium à Deo motum*, *& excitatum*. Ex quibus planè convincitur, eam fuiſſe Tridentini mentem, definiendi, quòd liberum hominis arbitrium etiam ad actus quantumlibet liberrimos moveretur à Deo. Quod ſanè, ut diximus, mirè concinit cum his, quæ ſupra ex S. Thoma retulimus, ſcilicet ad omnes omninò actus ipſam voluntatem, liberumque arbitrium moveri. Et verò quamvis ita expreſſum à Tridentino non fuiſſet; attamen negari non poterat quin ita eſſet intelligendum; cùm inter Capitula, quæ Cœleſtinus Pontifex, ut certam Fidei regulam, ad Galliæ Epiſcopos miſit, ita c. 9. expreſsè dictum ſit: *Quòd ita Deus in cordibus hominum*, *atque in ipſo libero operetur arbitrio*, *ut ſancta cogitatio*, *pium conſilium*, *omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit*: *quia per illum aliquid boni poſſumus*, *ſine quo nihil poſſumus*. Et certum videtur prælaudatum Pontificem de Divina gratia præveniente loqui, quæ ſcilicet efficit ut hominis voluntas agat, & in eodem ordine quo operatur, ſcilicet ordine phyſico per modum efficientis cauſæ. Igitur præveniente, & effectrice gratia Deus in ipſo libero hominis arbitrio operatur, ſeu efficit, quòd ipſa voluntas operetur. Quod idem omninò eſt, quod à Tridentino intellectum fuiſſe oſtendimus; ſcilicet non voluntatem ſolam ad actus quomodocumque indeliberatos, ſed liberum etiam arbitrium ad actus, quantumvis liberos, à Deo moveri ea præveniente, & efficaci gratia, ſeu phyſica, & prævia motione, quâ Calvinus hominis libertatem extingui putabat.

Septimò. Iterum obſervandum etiam eſt, ut

jam

jam ſupra innuimus, locutum eſſe Sac. Concilium Tridentinum, non de quacumque gratia, ſed de efficaci, & quam etiam Calvinus admiſerat: de quo ſanè dubitari non poteſt. Id enim nobis Adverſarii objiciunt, & multis aliqui probare nituntur. Sed ſanè inutilis labor eſt: neque enim id negamus, ſed contra maximè contendimus, de quo iterum infra redibit ſermo: atque interim nobis ſatis ſit ea referre, quæ habet Suares Opere poſthumo c. 32. circa medium edit. Lugdun. p. 196. *Si Concilium*, inquit, *omittit illam motionem, cùm tamen neceſſaria ſit, immeritò damnat Calvinum, & ſophiſticè, ac pueriliter agit contra illum. Nam ille non ignorabat Divinas illuminationes non inferre neceſſitatem voluntati, cùm frequenter illis reſiſtat: ſed addit præter illas, motionem quandam neceſſariam, ut voluntas conſentiat; dixitque voluntatem non poſſe illi reſiſtere, & inde concludit, tollere libertatem. Si ergo Concilium ſubticendo, & permittendo præmotionem illam phyſicam, ſolùm loquitur de aliis excitantibus gratiis, immeritò invehitur contra Calvinum, & malè colligit uſum libertatis ex poteſtate reſiſtendi excitanti gratiæ; nam ad libertatem non ſatis eſt poſſe diſſentire poſito uno, vel alio requiſito ad agendum, ſed poſitis omnibus.* Egregiè hæc à Suare dicta eſſe agnoſco, quibus quàm libentiſſimè nos omnes aſſentimus; cùm inde invictiſſimum, ut nobis videtur, argumentum eruatur, ut poſteà fuſiùs proſequemur; id enim à nobis obſervatum eſſe in præſentiarum ſatis ſit, ut dumtaxat verus Canonis Tridentini ſenſus colligi poſſit. Et verò hunc Canonem loqui de gratia, ſeu motione efficaci dubitari non poteſt; cùm ibi de ea gratia Sac. Concilium loquatur, quâ homo convertitur. Totius enim juſtificationis ſeriem cap. 5. Concilium ut explicet, ita caput ſtatim inchoat: *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione &c.* Effectrice ſcilicet, ut eam vocat S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. & quâ Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: Atqui liquet hominem non juſtificari, neque converti, niſi præveniente, & efficaci gratia: Ergo dubitari non poteſt, Sacr. Concilium loqui de gratia efficaci, tum in eo capite, tum in Canone, de cujus legitimo ſenſu jam controvertitur, neque in eo, ut puto, diutiùs immorandum eſt. Sed.

Octavò: Obſervandum eſt, quòd cùm verba indefinita, & nullâ particulâ, aut notâ limitante coarctata, ſemper univerſalem ſenſum efficiant; ipſaque Tridentini Canonis verba, de quibus nunc agitur, indefinita ſint; neceſſe videtur etiam in univerſali ſenſu intelligi, ut ſenſus ſit: quoties liberum hominis arbitrium movetur, & excitatur à Deo, motione ſcilicet præveniente, nec quomodocumque, aut ex effectu dumtaxat efficaci, ſed prævia, & vi ſua effectrice; toties liberum arbitrium moveri, & cooperari aſſentiendo, ſeu aſſentiri: quia, ut jam ſupra bis à S. Thoma dictum obſervavimus, ſi Deus ad aliquid voluntatem moveat, impoſſibile eſt, voluntatem ad id non moveri: quibus etiam & tertium S. Thomæ locum adjungere poſſumus, ut apertius ſit, quantùm ea ſententia menti ejus inhæſerit: *Impoſſibile eſt*, inquit, *hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actus charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando*, 2. 2. qu. 24. art. 11. Igitur legitimus Canonis ſenſus eſſe videtur, quòd quoties liberum arbitrium movetur, & excitatur, toties liberum arbitrium Deo movenți, & excitanti, aſſentiendo cooperatur, & tamen poteſt diſſentire, ſi velit.

Atque ex his omnibus concluditur tandem quàm exactiſſimè, & ut ita dixerim, ad amuſſim, D. Thomæ ſententiam cum ea Concilii definitione convenire. Etenim ex his omnibus quæ obſervavimus apertiſſimum eſſe videtur, legitimum Canonis ſēſum eſſe, quòd quoties homo movetur, & immutabiliter movetur, ut inquit S. Thomas, ſive eâ gratiâ quâ Calvinus abutebatur, & quâ extingui libertatem contendebat; toties reipsà liberum arbitrium movetur, & cooperatur aſſentiendo Deo moventi, id eſt, toties aſſentitur: neq; enim aliud eſſe poteſt, cooperari aſſentiendo, quàm aſſentiri: & tamen etiam quando cooperatur, & aſſentitur, poteſt diſſentire, ſi velit: Atqui & eadem omninò eſt D. Thomæ ſententia, à quo hæc duo ſemper conjuncta ſunt, quòd ſi *Deus moveat, & quidem immutabiliter propter efficaciam ſuæ virtutis, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas non moveatur: & tamen quòd propter naturam voluntatis, motus ipſius eſt contingens, & liber, & poteſt voluntas hujus motioni reſiſtere*; quę ipſa verba ex eodem D. Thoma variis in locis ſupra adductis excerpta ſunt: Ergo vel ex ipſo dicti Canonis contextu qui nobis objicitur, compertiſſimum eſt, S. Thomæ, ejuſque Scholæ ſententiam, cum ipſo S. Concilii Canone, ac ſingulis etiam verbis exactiſſimè convenire. Adeò ut nec ab ipſis Divi Thomæ Diſcipulis optari unquam potuiſſet, clariùs, & expreſſiùs S. Tridentinum Concilium de ea motione locutum fuiſſe. Unde & veriſſimè dictum eſt à ſapientiſſimo P. Lemos lib. 4. par. 2. c. 22. ea S. Concilii verba pro confitenda Divinæ gratiæ prævenientis efficacia ſatis eſſe: & parum ſcire res noſtras ſignificant ii, à quibus aliquando dictum eſt, hactenus D. Thomæ Diſcipulos exiſtimaſſe, ſatis ſibi conſultum eſſe, ſi poſſent ab eo argumento ſe ſe expedire, quod ex eo Canone eis objicitur. Tantùm enim abeſt, ut nedum ab eo argumento ſe ſe facilè S. Thomæ Diſcipuli expediant, ſed etiam inde efficaciſſimè probent, non minùs ex S. Concilio Tridentino, quàm ex aliis Sacris Conciliis, efficacem eſſe Divinam gratiam, & admittendam eſſe prævium motionem Dei omninò contendant. Et verò cùm plurima ſint, quę ex aliis Conciliis, potiſſimùm ex Milevitano, & Arauſicano 2. referri à noſtris ſoleant, quæ evidenter efficaciam Divinæ, & prævenientis gratiæ probare videntur; non potuit his adverſari Sac. Concilium Tridentinum, quod ex his SS. Conciliis, ut & ex D. Auguſt. plurima deſumpſiſſe

pisse dubitari non potest. Alia deinde ex eodem Sacro Concilio Tridentino referam, ex quibus non minùs evidenter Divina motio, & efficax gratia probetur.

ARTICULUS IV.

Quid significet, liberum arbitrium posse dissentire, si velit.

SEd cùm ex his S.Canonis verbis, posse liberum arbitrium motum & excitatum *dissentire si velit*, validum argumentum desumi posse quidam arbitrentur; ac si his verbis significatum esset à Tridentino, quòd sub ipsa motione ea sit indifferentia voluntatis, ut planè quacumque ex parte soluta sit, & possit quacumque potentiâ etiã consequente, quocumque sensu etiam composito, jungere dissensum cum ea motione: explicanda sunt ea verba, & probandum manifestissimis argumentis, ea longè alio sensu esse intelligenda, & remotissimam esse eam explicationem à legitimo hujus Canonis sensu, neque ex eo Canone ullum commodum eorum sententiæ accedere.

Atque, ut id compertissimum fiat, quatuor agenda sunt. *Primò*: Verus, & legitimus sensus est reponendus. *Secundò*: Ostendendum est, sensum quem alii affingunt, omninò repugnare Canoni, cùm destruat alteram ejus partem, quâ definitum est, ita liberum arbitrium motum, & excitatum assentire, & cooperari Deo moventi, ut si quis dixerit non cooperari assentiendo, anathema sit. *Tertiò*: Sed prætereà probandum etiam, quòd quamvis ultrò, & gratis Adversariis cõcederetur, S.Tridentinum Concilium loquutum fuisse de ea motione, quæ adeò arbitrio libertatis relicta esset, ut cùm ea posset voluntas quemçumque actum componere, eamque motionem in quamcumque partem vellet, vertere: attamen ostendendum etiam est, quòd quamvis de motione efficaci, & efficacissima loquutum fuisset Tridentinum; definiri tamen ab ipso etiam poterat, quòd liberum arbitrium motum, & excitatum ea motione efficaci potest dissentire si velit: *Quartò*: Tandem ostendendum est, eo communi loquendi modo, *posse dissentire si velit*, nihil aliud significari, nisi hoc unum, scil. relictam esse homini libertatem, & potestatem integerrimam, & completissimam agendi: quia si non agat, ex defectu solius voluntatis est, non verò defectu potestatis.

Quantùm ad primum igitur recolendum est, quod ex D. Thoma diximus, quæst.1. de Potentia art.6. quòd *Deum absolutè aliquid non posse*, & eadem ratione Christum, Angelum, Hominem; (quæ enim ad libertatem pertinent communia sunt, & necesse est naturę intellectuali convenire:) *Deum*, inquam, *absolutè aliquid non posse, dicitur dupliciter; uno modo ex parte voluntatis, alio modo ex parte potentiæ; ex parte siquidem voluntatis Deus non potest facere quod non potest velle.* Et quidem sapientissimè à D. Thoma id dictum est, & ad leges naturæ omninò consentaneè. Ut enim liberum arbitrium, aut voluntas actu agat, & operetur, duo necessaria sunt; alterum ut possit, alterum ut velit: & quidem si secundum adsit, primum nunquam deesse potest: tum quia ut communi principio fertur, ab actu ad potentiam legitima consequentia est: tum quia si primum deesset, scilicet potentia volendi, dubio procul deesset voluntas, siquidem sublato priori posterius aufertur. Sed tamen potest esse volendi potentia, etsi voluntas ipsaque actio non adsit; unde cùm deest voluntas agendi, & quandiu ea voluntas agendi deest, verissimè dici potest impossibilem esse voluntatis actum, seu impossibile esse, quòd voluntas agat, non ex parte potentiæ, cùm integra sit ea volendi potentia, quæ posset agere si vellet; sed impossibile esse ex parte voluntatis, quæ reipsà non vult agere, etsi possit & velle, & agere. Et

Confirmatur: quòd ut alibi inquit D. Thomas, scilicet 2. cont.Gent.c.25. *Deus non potest quidem facere, id quod est à se volitum non impleri: & hujusmodi Deus quidem facere vel velle potest, si ejus voluntas, vel potentia absolutè consideretur, non autem si consideretur præsuppositâ voluntate de opposito. Et ideò omnes istæ locutiones: Deus non potest facere contraria his quæ disposuit facere; & quæcumque similiter dicuntur, intelliguntur compositè: sic enim implicant suppositionem Divinæ voluntatis de oppositò. Si autem intelligantur divisè, sunt falsæ, quia respiciunt potentiam, & voluntatem Dei absolutè.* Cùm igitur integra maneat potentia volendi, *si voluntas absolutè consideretur* secundùm se, possibile est ipsum velle, rem à se constitutam non impleri. Sed si consideretur, *præsuppositâ voluntate de oppositò*, quòd scilicet velit rem à se constitutam impleri, impossibile est ea suppositione facta non impleri: unde manifestum est, hanc impossibilitatem oriri non *ex parte potentiæ*, quæ semper integra remanet; sed dumtaxat oriri *ex parte voluntatis*, quæ deest. Atque ut id significetur, scilicet illam impossibilitatem oriri, non ex parte potentiæ, quæ semper adest, sed ex parte solùm voluntatis, quæ deest, rectè dicitur, quòd Divina voluntas, quæ rem fieri constituit, posset si vellet constituere rem non fieri: quia reipsà integra manet potentia, quâ ita constituere potest si velit: & quòd si ita non constituat, causa est præcisè quòd nolit, quamvis velle possit. Atque inde oritur illa distinctio propositionis divisæ, & compositæ, seu sensus compositi, & divisi. Supposito enim quòd velit, non potest simul non velle; quia tunc sensus compositus est: sed tamen absolutè, etiam quando vult, potest non velle, & cùm agit potest non agere si velit; quia tunc sensus divisus efficitur. Vide hæc fusiùs explicata supra quæst. 7. art. 6. pag. 381.

Atque ex his manifestissimum est, quis sit verus, & legitimus hujus Canonis S. Concilii Tridentini

tini sensus: & sapientissimè ab ejusdem Concilii Patribus dictum esse, liberum hominis arbitrium motum, & excitatum à Deo, *posse dissentire si velit*; ut innuerent, integram manere potentiam volendi, & non volendi, & solùm deesse agendi voluntatem: & quòd si voluntas vellet dissentire Deo moventi, posset; cùm nihil desit ex parte potentiæ. Si enim reipsà non dissentiat, inde oritur quòd non velit: atque id efficit ipsa motio, non quidem ut non possit non velle, sed dumtaxàt ut non velit, in quo Divinæ motionis artificium positum est, ut alibi à nobis dictum est. Hæc de vera hujus partis Canonis explicatione: & sperare etiam ausim, nullum futurum Theologum à partium studio alienum, qui eam explicationem legitimam, & germanam, & rationi maximè consentaneam non arbitretur. Videnda sunt quæ supra diximus, ac quæ deinde subjungimus. Quare

Quantùm ad secundum: Alienum scil. omninò eum esse sensum, quasi à S. Concilio existimatum fuerit, liberum arbitrium Divino auxilio motum & excitatum, sub ea motione ita manere ex utraque parte suspensum, ut possit etiam dissentire si velit, potentia consequenti, & in sensu composito; probari facilè potest ex superioribus etiam dictis. Duo enim à Tridentino dicta sunt, quæ necesse est simul jungi, scilicet liberum arbitrium motum, & excitatum, actu, & reipsa cooperari assentiendo, id est assentire, & tamen posse dissentire si velit: Atqui si sensus hic, quem modò diximus, etiam obtineret, hæc duo simul jungi non possent, sed secunda pars primæ omninò adversaretur. Etenim si liberum hominis arbitrium motum, & excitatum possit Deo moventi, & excitanti, potentia consequente, ita dissentire ut reipsà aliquando dissentiat: Ergo falsa erit altera pars, quòd scilicet: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo moventi: Anathema sit.* Siquidem contingat aliquando, reipsà liberum arbitrium motum, & excitatum non cooperari Deo moventi, & excitanti: atque hæc duo jungentur, quæ D. Thomæ visum est omninò repugnare ut jungantur: *Quòd Deus*, inquit, *moveat ad aliquid, & quòd voluntas ad illud non moveatur, impossibile est*, eo modo quo statim infra explicandum est: Ergo manifestum est, ejusmodi sensum de potentia vaga, & indifferente, qui his verbis Concilii explicandis afferri posset, omninò à vera Concilii mente alienum esse. Neque, ut puto, diutiùs in probatione immorandum est, cùm ea apertissima esse videatur, & si quid reponi possit infra statim referemus, & diluemus.

Quod ad tertium attinet: & superiora validè hìc confirmari possunt, & probari legitimum esse sensum, quem supra explicuimus, & maximè Canoni Tridentino consentaneum: quamvis enim argumentum ex eo Concilii Canone in gratiam nostræ sententiæ desumptum ultro Adversariis cederemus, & fateremur, Concilium nunquam de motione efficaci, quæ consensum efficiat, locutum fuisse, sed solùm de motione, quæ relinqueret voluntatem in omnem partem vertibilem; attamen adhuc compertissimum est, idem nihilominus potuisse definiri à Concilio, scilicet *Liberum arbitrium motum & excitatum à Deo, posse dissentire si velit*, etiamsi supponeretur, liberum arbitrium moveri motione efficaci.

Itaque in primis, ut morem geramus Adversariis, supponamus quòd arbitrantur, motionem quâ Tridentinum inquit, liberum arbitrium motum & excitatum cooperari Deo moventi, non esse præviam motionem, & efficacem: sed vicissim hanc nobis gratiam Adversarii non negent, ut supponamus, saltem disputationis gratiâ, & ad rei obscuræ veritatem indagandam, quod nos certum existimamus: posse liberum arbitrium moveri, & excitari à Deo motione efficaci, prævià, physicâ, seu efficaci, & effectrice: Atqui etiam si concederetur liberum arbitrium moveri, & excitari à Deo, ea motione prævia, efficaci, & effectrice; nihilo tamen minùs verissimè dici posset, liberum arbitrium quod ea motione immutabiliter moveretur, & infallibiliter ageret, posse tamen dissentire si vellet: Ergo ex his S. Concilii verbis, eaque forma loquendi colligi non potest, liberum arbitrium ita manere suspensum, & in utramque partem ita solutum, ut dissensum etiam in sensu composito conjungere possit. Consequentia apertissima est: neque enim illo modo loquendi colligi potest, voluntatem omni ex parte suspensam esse, & posse alterutrum etiam in sensu composito; si possit idem modus loquendi usurpari, etiamsi liberum arbitrium sit ita ad unum determinatum, ut aliud in sensu composito conjungere non possit, alterum solùm efficere in sensu diviso. Minor verò subsumpta probatur ex his quæ jam ex D. Thoma retulimus. Etenim cùm jam Deus aliquid agere constituit, certissimum est non posse aliud agere; aut quod agere constituit, non agere in sensu composito; cùm ejus voluntas & immutabilis, & efficacissima sit, & omnia quæcumque vult faciat in Cælo, & in Terra; & nemo sit qui possit resistere ejus voluntati: nec tamen minùs certum est, tunc etiam verissimè de Deo dici, quòd si velit, aliud agere potest, quàm quod agere constituit: quia eo loquendi modo nihil aliud significatur, nisi hoc unum scilicet, quòd nunquam Deo potest deesse agendi potentia, sed deest solùm voluntas. Imò & quando homo ipse agit, & obfirmato animo unum agit, quis dubitet verissimè dici, quòd potest aliud agere si velit: quia eâ loquendi formâ, ut dictum est, hoc unum innuitur, nihil deesse ex parte potentiæ, ut agat; cùm potentia semper integra sit, sed solùm voluntatem deesse: cui hoc solùm denegatur, quod nunquam concedi potuit, ut dum agit possit simul non agere; quæ duo cùm invicem pugnent, nullâ potentiâ conjungi possunt.

Confirmatur, quòd hic loquendi modus ex S. Augustino sumptus sit, & apud ipsum frequens; quo tamen loquendi modo hoc unum significari existimandum esse monet, nimirùm libertatem

sub

ſub ipſa effectrice gratia illæſam ſervari. Equidem verum eſt, ſub ipſa Divina gratia poſſe hominem diſſentire, poſſe etiam conſentire ſi velit; neque enim inuitus homo aut nolens credit, aut vult: ſed hoc unum id ſignificat, nimirùm liberum eſſe ſub ipſa Divina motione, & gratia conſenſum; Vivi enim lapides ſunt, quibus Cæleſtis Jeruſalem ædificatur: ſed non excludi Divinam motionem hujus conſenſus effectricem. Præparatur enim voluntas à Domino à quo efficitur ut conſentiat, & velit. Unde cùm Cęleſtius apud D. Auguſtinum libro de perfectione juſtitiæ cap. 19. plurima coacervaſſet, quæ Divinæ gratiæ fidei opponeret, & quibus vafer hæreticus, dum libertatem extolleret, abutebatur, ut gratiam negaret. *Magnum aliquid*, inquit S. Auguſtinus, *pro ſua cauſa ſe inveniſſe arbitratus eſt apud Eſaiã Prophetã, quia Deus dixit*: „ *Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis, &c.* „ *Quaſi non lex tota hujuſmodi conditionibus plena ſit*. Nimirùm hæc omnia non aliud ſignificant, niſi ſervatam homini libertatem. Atque eadem ratione ipſe S. Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arb. cap. 2. cum ejuſmodi plurima, & multò plura collegiſſet, ubi eadem conditio eſt: *Ecce*, inquit, *apertiſſimè videmus expreſſum liberũ humanæ voluntatis arbitrium*, Etenim *innumerabilia talia in veteribus libris Divinorũ eloquiorum quid oſtendunt, niſi liberũ arbitriũ libertatis humanæ*. Verum admonet deinde cap. 4. cavendum eſſe, ne nimia liberi arbitrii laude, vis Divinæ gratiæ deprimatur & extenuetur. *Sed metuendũ eſt*, inquit S. Doctor, *ne iſta omnia Divina teſtimonia, & quæcũque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima, in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adiutorio, & gratiæ Dei locus non relinquatur*. Utrumque enim conjungendum eſt, hominem poſſe, & velle, & nolle; poſſe conſentire, & diſſentire, ſi velit: ſed alterum ſemper addendum eſt, efficaciæ gratiæ Dei eſſe, ut conſentire velit, nolitque diſſentire. Etenim, ut inquit deinde cap. 16. *Certum eſt, nos mandata ſervare ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendũ eſt, ut tantùm velimus quantùm ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus &c. certum eſt, nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Igitur certum eſt, eo loquendi modo non aliud à D. Auguſtino ſignificari, niſi hoc unum, quòd ſcilicet nemo conſentit invitus; & ut inquit quæſt. 2. ad Simplician. & refert ipſe lib. de prædeſt. SS. cap. 3. *Utrumque noſtrum eſt propter arbitrii libertatem: & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & charitatis*. Non igitur exiſtimandum eſt, eo loquendi modo ſignificari, ita conſentire in noſtra eſſe poſitum poteſtate, ut non Divinæ gratiæ effectricis ſit quod velimus, & gratiæ Dei aſſentiamus; nam alioquin certum eſt; per velle & nolle, ut inquit S. Proſper, non ſolui eam quæſtionem ubi de Divina gratia agitur, cum ſemper exiſtimandum ſit, initium fidei, & ſalutis eſſe à Deo. Nec quemquam ſola *libertate ſua proprioque vigore venire*, ut inquit Carmine de Ingratis: aut cuique dumtaxat ſalutem eſſe *ex fonte volendi*. Sed ut ſæpiùs refert idem D. Auguſtinus ex cantico canticor. cap. 4. juxta Septuaginta verſionem: *Venies, & pertranſibis ab initio fidei*, quam ſcilicet Divina gratia, & vocatio effectrix confert: lib. de perfect. cap. 19. & epiſt. 105. &c.

Liquet igitur ea communi phraſi, & loquendi modo, qui apud D. Auguſtinum frequens eſt, & ex Scriptura uſurpatur, poſſe hominem conſentire, poſſe credere, poſſe ſalvari, ſi velit; non aliud ſignificari, niſi volentem hominem conſentire, & credere, integerrimamque libertatem homini eſſe relictam: Atqui idem multò potiori ratione dicendum eſt, non aliud etiam ſignificari cùm dicitur, hominem poſſe diſſentire ſi velit. Neque enim dubium eſt, integram eſſe hominis libertatem, & poteſtatem, ubi de diſſenſu, & peccato agitur, cùm ipſa etiam ſola voluntas peccati cauſa ſit. Ad malum enim ſufficit ſibi; ad bonum autem, ſuamque ſalutem, nihil eſt, niſi adiuvetur ab omnipotenti bono. Unde ab Africanis Epiſcopis in Sardinia exulibus, Epiſtola Synodica dictum eſt; *Tam humani arbitrii egena paupertas eſt, quàm Divinæ gratiæ indeficiens largitas*, & D. Auguſt. obſervat lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. dictum eſſe cant. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata. Dealbata enim eſt*, inquit, *quę per ſe alba eſſe non poteſt*. Ergo omninò compertum eſt, non aliud eo loquendi modo ſignificari poſſe, niſi relictam eſſe homini libertatem: & ut ex S. Thoma dictum eſt, non ex defectu potentiæ, ſed ex defectu voluntatis eſſe quòd diſſentire nolit, cum poſſit diſſentire, ſi velit.

Confirmari id poteſt ea ratione, quæ ſemper hìc præ oculis habenda eſt, quam ſuprà explicuimus: certum eſſe, Deum plura poſſe agere, quæ non agit: quod idem de Chriſto, & de qualibet voluntate certum eſt: & probat D. Thomas ex eo Chriſti Domini cohibentis nimium Petri ardorẽ Matth. 25. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum &c.* Ergo etiam cùm Divina voluntas, ſeu quæcumque alia voluntas agit, rectè dici poteſt, quòd etiam cùm agit, poteſt non agere, ſi velit; vel poteſt, ſi velit, aliud agere: Ergo ex eo loquendi modo colligi non poteſt, voluntatem manere in utramque partem ſuſpenſam, & ſignificari, quòd poſſit non agere vel aliud agere in ſenſu compoſito: cùm etiam quando omninò conſtat non poſſe non agere in ſenſu compoſito, rectè dici poſſit, quòd poteſt non agere, vel aliud agere ſi velit. Atque in eo poſitum eſt Divinæ motionis artificium. Movet enim efficaciter Divina motio voluntatem; movet immutabiliter propter efficaciam virtutis; ſed tamen propter conditionem mutabilis voluntatis relinquit ea motio voluntati hanc poteſtatem, ut poſſit diſſentire ſi velit. Unde inter ſeſe veluti hæc duo partiuntur Divina motio, & voluntas, ſuaque jura ita permiſcent: movet immutabili-

ter Divina motio voluntatem, & voluntas infallibiliter agit, & obsequitur Divinæ motioni; & hoc imperium Divinæ motionis patitur vltrò voluntas: sed tamen potest voluntas dissentire, si velit, Divinæ motioni; & hanc potestatem Divina motio relinquit voluntati. Actum quo voluntas consentit, sibi vendicat Divina motio; potestatem qua potest voluntas dissentire, si velit, sibi vendicat retinetque voluntas; & eo pacto, eaque conditione, illæsis utriusque iuribus initur mutuum fœdus, & firma manet Divinæ motionis cum libertate concordia.

Quantùm ad quartum attinet: res facilis est, quòd in hoc explicandi modo nihil novi aut insoliti dici à nobis existimandum sit, quodque variis, & quotidianis experimentis comprobari non possit. Etenim, ut rectè post Aristotelem obsérvat S. Thomas: hic primus est cuiuslibet habitus seu acquisiti seu infusi effectus, ut in similes actus inclinet; & quò validior est habitus, eò magis voluntatem inclinet: atque eò tandem pervenire potest vis habitus, ut quoties agendum est, v. g. quando ingruit tentatio, & voluptate pellicitur animus, adeò habitus castitatis v. g. animum inclinet, ut quamvis voluntas possit non uti habitu, attamen ipse habitus efficiat, vt longè convenientius voluntati proponatur uti habitu; & tunc quamvis posset voluntas non uti habitu si vellet, attamen efficit ipse habitus ne velit. Et ita necesse est de ijs asserere qui in gratia confirmati sunt, v. g. de Deipara Virgine, de qua nefas esset dubitare, fuisse ab omni labe remotissimam: potuisset enim si voluisset, filium offendere, cùm & filium liberè amaret, & in eo amore maximè mereretur; sed tamen efficiebat ipse amor erga filium, ut quamuis ipsum offendere posset, non tamen vellet. Atque ita respondet D. Tomas quæst. 24. de verit. art. 8. Ubi inquirit, *Vtrum liberum arbitrium confirmari valeat in bonum, per aliquod gratiæ donum?* Affirmat enim, ita fieri posse, quia *super naturalem inclinationem voluntatis erit in Beatis charitas perfecta totaliter ligans eos cum Deo*: &, ut postea articulo sequenti addit; *per gratiam viæ ita potest homo bono adstringi, quòd non nisi valdè de difficili peccare possit; per hoc quòd ex virtutibus infusis inferiores vires refrænantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur; & ratio perficitur in contemplatione veritatis Divinę, cuius continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit à peccato.* Quòd si in via hęc confirmatio integra esse non possit; quia nondum Divina illa forma adest, Divina scilicet bonitas visa in se, quæ totam impleat voluntatem: attamen *Totum quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam Divinę Providentię in illis qui cōfirmati dicuntur; ut scilicet quandocūque occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitùs excitetur ad resistendum.* Unde quamvis absolutè peccare possent, si vellent, nunquam tamen contingit, quòd peccent; quia efficit hęc confirmatio in bono ut nolint: *& ea confirmatio in bono B. Virgini competebat, quia mater erat Divinæ Sapientiæ in quam nihil inquinatū incurrit. Sap. 7. & similiter Apostolos decuit, quia erant quasi fundamentum, & basis totius Ecclesiastici ędificii, unde eos firmos esse oportuit.* Igitur certum est, eos omnes in gratia confirmatos, potuisse quidem peccare, si voluissent, quia non erat omninò ligata ea potentia peccandi, sicut nec arbitrii mutabilitas, aut ipsa mortalitas absorpta à gloria: sed tamen potissimus erat ille confirmationis in bono effectus, ut quamvis peccare possent, peccare tamen nollent; quia ea confirmatio, aut acquisiti aut infusi habitus, ipsaque specialia auxilia ita voluntatem in bonum virtutis inclinabant, ut non aliud quàm virtutis bonum unquam conveniens voluntati videretur.

Atque ita Respondet D. Thomas argumento quod obijci potest, sibique obijcit, nimirùm *In potestate liberij arbitrij est vti gratia, vel nō uti*, sicut & quolibet alio habitu; *nam liberum arbitrium à gratia cogi non potest: sed, si liberum arbitrium gratia super infusa non utatur, decidit in malum: Ergo nulla gratia superveniens potest liberum arbitrium confirmare in bono.* Ita argumentum habet, cui necesse est, à Theologis omnibus solutionem adhiberi, cùm nemo dubitet, in B. Virgine, alijsque Sanctis viris, hæc duo esse concedenda, potuisse quidem peccare si voluissent, sed tamen noluisse.

Respondet verò Diuus Tomas, quòd *in potestate liberi arbitrij est non uti habitu; tamen potest hoc quod est non uti habitu, sibi proponi sub specie boni: quod de gratia in beatis accidere non potest.* Atque inde fit, confirmationem viæ longè inferiorem esse confirmationi Beatorum, quia absolutè confirmati in gratia, dum morituri viuunt, peccare possunt; ideoque indigent speciali Divinæ Providentiæ protectione, ac specialibus auxilijs, quæ illud suppleant quod ad perfectam confirmationem deest. Sed tamen, cùm certum sit, confirmatis in gratia nunquam deesse eam Divinam Providentiam, eosque nunquam peccaturos, quamuis semper possent peccare, si vellent; illud inde oritur scilicet ex ea ratione D. Thomæ, quia hoc quod est *non uti habitu*, nunquam practicè proponitur sub ratione, *& specie boni*; sed econtra proponitur semper *sub ratione boni, uti ipso habitu*. Atque adeò inde fit, ut quamvis possent si vellent peccare, & Deo moventi dissentire, & inclinanti habitui repugnare, nunquam tamen contingit ut velint, quia, ut dictum est, hic primus habitus effectus est, sicut & delectationis victricis, ut, quamvis aliud posset voluntas velle, aliud tamen nolit.

Confirmatur iterum: quòd idem in Sanctis viris milies videre sit, qui interdum Divino Spiritu afflati, & veluti rapti ardua quædam aggrediuntur; & qui à D. Paulo ad Roman. 8. agi potiùs quàm agere dicuntur; quod sanè specialissimam motionem significat. Vt enim inquit Divus Thomas ibidem lect. 3. *Illa agi dicuntur quæ quodam superiori instinctu mouentur, & non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis, nō quasi ex motu proprię voluntatis princi-*

principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendũ, ſecundùm illud Iſai. 56. „ *Cum venerit quaſi fluvius vehemens quem Spiritus Dei cogit.* „ *Et Luc. 14.* „ *quod Chriſtus agebatur à Spiritu in deſertò*. Quæ Divina motio, qua voluntas rapitur, propriè ad dona Spiritus S. pertinet: cùm interdum viri Sancti ad Divina quædam opera ſe ferri veluti impetu perſentiant, & ſupra rationem, & ſupra omnes prudentiæ regulas, ut de Sanſone, Divaque Apollonia, ac aliis interdum legitur. Atque de his, ut notat D. Thomas 1. 2. quæſt. 68. artic. 1. *Philoſophus ait capite de bona fortuna, quod his qui moventur per inſtinctum, non expedit conſiliari ſecundùm rationẽ humanam, ſed quòd ſequantur interiorem inſtinctũ, quia moventur à meliori principio quàm ſit ratio humana*: Atqui de his etiã manifeſtum eſt: quòd etſi diſſentire poſſent ſi vellent, Divinæ motioni qua rapiuntur & impelluntur; nunquam tamen contingit eos fore diſſenſuros. Quia efficit illa motio (quæ cùm ad donum Spiritus Sancti pertineat, cùm ſumma delectatione coniuncta eſt:) ut convenientiſſimum ipſis videatur, quòd Divinæ motioni conſentiant, ſeque ultrò rapi ſinant iis ſuaviſſimis, ſed validiſſimis etiam illecebris, quibus ſe perfundi perſentiunt. Neque tamen exiſtimandum eſt, quòd in his qui ita à Divino Spiritu aguntur, perimatur libertas; cùm, ut etiam expreſsè obſervat Divus Thomas, *Non tamen per hoc*, ſcilicet quòd agantur, *excluditur, quin viri ſpirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur; quia ipſum motum voluntatis, & liberi arbitrii, Spiritus Sanctus in eis cauſat, ſecundum illud ad Philipp. 2.* „ *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere*: „ & ut inquit D. Proſper contra Caſſ. cap. 10. *Quotquot Spiritu Dei aguntur; hi filii Dei ſunt. Ut nec noſtrum ſentiamus deeſſe arbitrium, & in bonis quibuſcumque, ac voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium*. Ergo iterum nihil nouum, nihil inſolitum dicitur, quodque movere quemquã debeat, cùm dicitur, voluntatem poſſe diſſentire ſi velit, etiam quando maximè certum eſt, eam numquam eſſe diſſenſuram.

Confirmatur iterum apertioribus exemplis, & quæ frequentiùs etiam occurrunt quam optandum foret. Cùm enim quis ita corripitur, & accepta injuria in vindictam inardeſcit; Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ, & ut D. Gregorius in Job. inquit, non longe *ab arreptitiis abeſt*, Herculi furenti ſimilis. Quis dubitet, quin poſſit debeatque etiam iram cohibere, & mutare animum; & tamen nimia illa commotio efficit, ut nolit ulciſcendi deponere animum: efficit enim ipſa ira, quæ eſt appetitus vindictæ, ut ſibi & honeſtiſſimum, & convenientiſſimum eſſe exiſtimet illa crudeli vindictæ voluptate frui. Nam ut inquit Sanctus Auguſtinus, *Nulli iraſcenti ira ſua videtur injuſtitia* Epiſt. ad Dioſcor. & ut obſervat Divus Thomas 1. 2. quæſt. 46. artic. 4. & refert etiam ex Ariſtotile in Problematibus: Ita eſt ſemper cum ratione; non quidem *ſemper ut præcipiente vindictam, ſed ut manifeſtante injuriam*; Ergo etiam iis exemplis, & experimentis quę pauci ſunt qui aliquando non perſenſerint, ſatis liquet, etiam de illis veriſſimè dici poſſe, quòd poſſunt agere vel non agere; quos tamen certum eſt durante ea commotione animi non aliud eſſe acturos, quamvis aliud agere poſſent, ſi vellent; cùm ſupponamus, non eſſe motus primò primos, qui non ſunt omnino in poteſtate animi.

Confirmari demum iſta poſſunt: quòd neque neceſſe eſt de his animi variis perturbationibus loqui. Quàm multa enim ſunt, ut ſuprà obſervavimus, à quibus ita ratio retrahit, ut quamvis homo poſſet, ſi vellet; nemo tamen ſuæ mentis compos unquam futurus ſit qui ita velit. Quis enim vir gravis, & ſapiens qualem animo fingimus Catonem, vel Senecam, vel aliquem eorum qui inter nos verſantur in dignitate conſtituti; qui vellet amentiam palam ſimulare, nudũ per plateas diſcurrere, & alia hujuſmodi; à quibus ita ratio abhorret, ut vix etiam in animum cadere poſſit, hominem ſui compotem, nullis perturbationibus commotum, illa poſſe agere? & tamen certum eſt, quòd etiam in ſumma animi tranquillitate conſtitutus ita agere poſſet, ſi vellet: Ergo ut illud tandem, in cujus confirmationem hæc omnia attulimus, concludamus; luce meridiana clarius eſt, nihil aliud ſignificari eo modo loquendi, hominem *poſſe* agere *ſi velit*: niſi hoc unum, ſcilicet, non deeſſe homini poteſtatem agendi, ut voluerit, & pro arbitrio, etiam cùm non agit. Quòd enim plurima ſint quæ non agat, & quæ non aget unquam, unica ratio eſt, quòd nolit ita agere, quamvis ita agere poſſet, ſi vellet.

Ex quibus ſatis liquet, nihil planè ex his S. Concilii Tridentini verbis quæ attulimus, deduci poſſe, quod adverſariorum cauſam promoveat, aut noceat D. Thomæ ſententiæ: ſed econtrà ea eſſe ipſius ſententiæ maximè conſentanea, & conformia.

Dices: in primis non eſſe dictum à Sacro Concilio Tridentino abſolutè; Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non cooperari; ſed ita definitionem expreſſam eſſe: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari &c.* Unde contraria propoſitio debet eſſe vera, ſcilicet liberum arbitrium aliquid cooperari: Atqui hæc cum Thomiſtarum principiis non conſentiunt, ſiquidem Thomiſtæ exiſtimant, efficacem gratiam ſemper effectum omnem obtinere, nec poſſe vel minimùm reipſa in ſenſu compoſito voluntatem noſtram moventi Deo obſiſtere: Ergo. Verum.

Reſpondeo, levem eſſe obiectionem, & iam ſuperiùs præoccupatam. *Primò*, quia his verbis opponitur S. Concilii Tridentini Decretum errori Lutheri, qui, cùm exiſtimaret, liberum hominis arbitrium nihil cooperari Deo ipſum moventi, & excitanti, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere; hunc Lutheri errorem Sacrum Concilium relatis Decreti verbis proſcribit: *Si quis dixerit, liberum*

hominis arbitrium nihil cooperari Deo moventi &c. Et verò, cùm, ut jam præmiſimus, duplex error hoc Canone profligatus fuerit, alius Lutheri, alius autem Calvini; neceſſe non eſt quòd eadem Canonis verba vtrique errori opponantur: ſed præfatis verbis à Tridentino proſcribitur error Lutheri; aliis verò deinde error Calvini, dum Sacrum Concilium definit, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari* quidem, ſed tamen *poſſe diſſentire, ſi velit.* Unde.

Secundò. Reſpondeo, poſterioribus Tridentini Decreti verbis, ultimò relatis, ſuperiorem adverſariorum interpretationem excludi, & neceſſariò intelligendum ita eſſe Decretum, quòd quoties liberum hominis arbitrium movetur, toties homo cooperatur, non ex parte, ſed omninò aſſentiendo Deo moventi. Enim verò quo pacto intelligi rectè poteſt, liberum arbitrium cooperari aliud, aſſentiendo motioni, & gratiæ Divinæ, ideſt, ſolùm ex parte aſſentiri Divinæ motioni. Et quidem diſſentire poſſe Divinæ motioni qua excitatur, & movetur, intelligi facilè poteſt, id enim ad libertatem pertinet. At verò cùm v. g. liberum hominis arbitrium movetur, ut propoſitis fidei Miſterijs aſſenſum præbeat; quo pacto intelligi poterit, aliqua ſolùm ex parte cooperari aſſentiendo, & veluti aſſenſum dividere. Neceſſe enim eſt quòd vel credat, vel non credat, neque datur medium, vt credat aliqua, alia verò reijciat. Ergo ijs Tridentini Decreti verbis, *cooperari aſſentiendo*, planè colligitur, legitimam eſſe explicationem quam attulimus, cooperari ſcilicet omninò, & tamen poſſe diſſentire ſi velit.

Tertiò, Refelli poteſt præfata Adverſariorum Reſponſio, quod, ut diximus, neceſſe videatur quòd omnes conſentiant, Tridentinum locutũ fuiſſe de motione quam Calvinus admiſerat, & qua homini auferri libertatem arbitrabatur: Atqui ea motio Divina eſt cui liberum hominis arbitrium, non ex parte, ſed omninò aſſentiendo cooperatur: Ergo & definire Concilium videtur, quòd etiam ſub ea motione qua liberum arbitrium movetur, & excitatur, huic motioni liberum arbitrium etiam cooperatur aſſentiendo, & tamen diſſentire poteſt, ſi velit; quia ſub ea motione Dei manet integra, & illæſa hominis libertas.

Quartò. Impugnatur ea Adverſariorum ſolutio, & retorquetur argumentum quòd obiiciunt. Etenim admiſſa etiam ea explicatione quam referunt; ſaltem neceſſe eſt concedi, quòd quotiès liberum arbitrium movetur, totiès aliqua ſaltem ex parte cooperetur aſſentiendo Deo moventi, & excitanti. Expreſsè enim definit Tridentinum. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, &c. Anathema ſit.* Atqui, ſi adverſa ſententia obtineret, non eſſet verum, quòd quoties liberum hominis arbitrium à Deo movetur, totiès cooperetur aſſentiendo Deo moventi; neque ulla ratione explicari unquam poſſet ea prima hujus Sexti Canonis Tridentini pars. Adverſæ enim ſententiæ authores exiſtimant, quòd nedùm potentia antecedente, & ab actu diviſa (quòd nos ultrò admittimus:) ſed etiam in ſenſu compoſito, ſeu potentia conſequente, & cum actu conjuncta, poſſit hominis voluntas Deo moventi diſſentire, eamque abiicere. Supponamus igitur ita contingere, & reipſa actu, & de facto voluntatem motioni Divinæ reſiſtere: Ergo tunc neque in modico, neque in magno, liberum hominis arbitrium cooperatur Deo moventi, & excitanti: Atqui id cum Tridentina difinitione pugnare videtur, in his verbis quæ iam ſæpius retulimus. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatũ, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti..... Anathema ſit.* Econtrà enim in eo caſu eveniret; ſiquidem liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nulla ratione cooperaretur Deo moventi, & excitanti: Ergo quocumque tandem modo hæc verba explicentur, vt mitius loquar quàm Suarez locutus fuerit, Sacri Concilii Tridentini difinitioni multò conformior eſt Divi Thomæ, quàm Aduerſariorum ſententia.

Quintò. Demum impugnatur eadem Adverſariorum ſolutio, & admiſſa etiam ea explicatione, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, aliqua veluti parte cooperari Deo moventi, & excitanti; probari evidentiſſimè poteſt, quòd tantùm abeſt ut ea Tridentini Canonis verba etiam eo ſenſu intellecta, noſtræ ſententiæ officiant, ut econtrà eam quàm maximè ſtabiliant, & confirment. Et verò perpetuò mirari ſubit, quanta ſapientia hæc Tridentini definitio expreſſa fuerit, & quantùm in ipſis Sacrorum Conciliorum, ſicut & in Scripturæ Sacræ apicibus, veræ ſapientiæ arcana recondita ſint. Nihil enim Divinius, nihilque etiam S. Thomæ ſententiæ accommodatius dici vnquam potuiſſet videtur. Veriſſimum enim eſt, quòd quoties liberum arbitrium movetur, & excitatur, toties aliquid agit, & cooperatur motioni Divinæ; at juxta quantitatem ipſius Divinæ gratiæ & motionis, & ſecundùm intentionem Dei moventis, vt loquitur Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 112. artic. 3. *Moventur* enim, inquit Divus Tomas q. 1. de potent. art. 2. *quædam efficacius, & quædã minùs efficaciter.* Et ut alicubi inquit S. Auguſt. *Scio, tantò magis minuſque poſſe hominem, quantò magis minuſque adiuvatur gratia Dei.* Neque enim hìc agitur de ſufficiente ſolùm auxilio, quod ab Erudito Lectore obſervari velim: de eo enim aliud longè ſentiendum eſt, ne quis huc intempeſtivè referat, nulli interiori gratiæ reſiſti; ſufficienti enim heu! nimiùm reſiſtitur, & culpa eſt ſolius voluntatis, quòd reſiſtat, ut aliàs ſatis explicuimus: ſed agitur hìc de efficaci auxilio, & de previa ac phyſica motione Divina, qua Caluinus conclamabat, libertatem noſtram extingui: de qua, ut probavimus, loquitur Sacrum Concilium Tridentinum citato Canone.

Atqui

Atqui de ea veriſſimum eſt, nec aliter intelligi poteſt, vel colligi ex S. Thomæ principiis, iuxta quantitatem Divinæ motionis, ſeu gratiæ, liberum arbitrium cooperari. Etenim certa eſt D. Thomæ eiuſque Scholæ ſententia, ſupernaturale auxilium totam eſſe & adæquatam rationem agendi homini: non eo ſenſu, quòd excludat aboleatque eius potentiæ nativam vim ſeu intellectus ſeu voluntatis, eamque inertem, & otioſam relinquat: ſed quòd ipſam ita evehat, ut ea nihil agat niſi ſubdita Divino auxilio: ut ſi v. g. ſupponamus, ex intentione Dei moventis eſſe ut voluntas eliciat amoris actum ſupernaturalem, & veræ charitatis, actum intenſum ut quatuor: neceſſe eſt quòd ſupernaturale auxilium eiuſdem virtutis, & gradus ut quatuor, voluntati à Deo conferatur, ut ſit perfecta inter actum, & auxilium commenſuratio. Atque id ſanè neceſſe eſt ita fieri: ſi enim Deus auxilium voluntati dumtaxat ut duo conferret, & voluntas eliceret actum ut quatuor; à quo eſſet exceſſus ille actus charitatis ſuprà vim ipſam agendi Divini auxilii? Neceſſe foret, quòd in ſolam nudamque libertatem refunderetur. Nec verò hìc ſola cooperans gratia, & ſimultaneus dumtaxat concurſus ſupernaturalis advocari ſatis commodè poſſunt; quia etiam ipſa determinatio voluntatis adæquatè ſupernaturalis eſt, etiam ut à libero arbitrio emanat: Ergo neceſſe eſt, quòd oriatur à principio ſupernaturali, quo determinetur ipſa voluntas: Atqui nec ſola cooperans gratia, nec concurſus ſolùm ſimultaneus cauſæ ſunt quibus liberum arbitrium priùs determinetur, Ergo &c.

Atque id videtur conceſſiſſe Molina in Concordia quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membr. 6. editionis Uliſſiponenſis: ubi concedit, quòd ſi ſermo ſit de aliquo, ideſt, de realitate aut formalitate aliqua, non quidem *quæ ſpectetur ſimpliciter, ſed præcisè ut emanat ab una parte integrę ſuę cauſę &c. concedendum eſt, dari aliquid quod ſit à noſtro arbitrio, & non aliter, ea precisè conſideratione à Deo, niſi tanquā à naturę ipſiuſque liberi arbitrii authore*: quod deinde non ſemel repetit; & ſanè apertè conſequi videtur ex ea ſententia, quòd Deus ac voluntas creata ſint cauſæ partiales, neque Deus voluntatem determinet. Unde & eodem ſenſu expreſsè inquit, 1. par. queſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membr. 10. quod eſt præcedentis appendix, bonum uſum gratiæ non in ipſam gratiam, ſed in ipſam voluntatis libertatem refundi: & bonum uſum liberi arbitrii, ſi ſpectetur ut emanat à libero arbitrio, non eſſe effectum Divinæ prædeſtinationis. *Quòd actus*, inquit, *à gratia prævemente, & ab arbitrio elicitus, liber ſit, eaque de cauſa capax rationis, virtutis, laudis, & honoris, quæ propter eum homini liberè eo pacto influenti tribuantur, profectò non eſt effectus gratiæ prævenientis, ſed arbitrii*. Iterumque ibidem ex eodem ſemper principio, diſcrimen, cur unus convertatur, alius non, in ſolam innatam libertatem refundit. Unde conſequenter ſic proſequitur, *Quòd item è duobus qui æquali motu gratię prævemuntur ac moventur, unus conſentiat, cōcurrat cū gratia, eliciat actū, & convertatur; alter verò non; certè ſolū provenit ab innata ac propria, & intrinſeca libertate utriuſque; bonis, & malis, reprobis & prędeſtinatis communi: gratia namque pręveniens ex parte ſua æqualiter utrumque movet, naturęque neceſſitate ex parte ſua agit: ex eo autem quòd unus eorum liberè adhibere vult influxum illum ſui arbitrii proprium, & alter non; unus eorū convertitur, alter non item*. Hæc ibi Molina. Quæ quidē rectè ex eo principio conſequuntur; ſi enim præveniens gratia liberum arbitrium non determinet, neceſſe eſt, quòd ea determinatio ſub ea ratione qua emanat à libero arbitrio, neque effectus ſit prædeſtinationis, neque effectus prævenientis gratiæ, ſed in ſolam libertatem refundatur.

Ex eodem etiam principio multò apertiùs, tùm idem Molina, tum alij plurimi Authores idem fatentur, vbi agitur de viſione Beatifica, de qua maior eſt ſentiendi libertas. Contendunt enim, perfectiorem eſſe viſionem cum æquali lumine gloriæ quo intellectus perfectior eſt. Vnde neceſſe eſt, exceſſum illum viſionis v. g. quo Angelus ſuperaret viſionem hominis, non in ipſum lumen quod æquale eſt, ſed in ipſum intellectum refundi, quod noſtri 1. par. quæſt. 12. fuſiùs proſequuntur.

At verò certiſſimum eſt, adverſam eſſe omnino ejuſmodi principio ſententiam S. Thomæ, neque id diffitetur ipſemet Molina 1. par. queſt. 12. art. 6. diſput. 2. Enim verò D. Thomas ita exiſtimat, lumen gloriæ eſſe adæquatam viſionis Beatificæ cauſam; ut contendat, ejuſdem perfectionis & intenſionis viſionem eſſe, & in Angelo, & in homine, ſi utriuſque lumen gloriæ æquale ſit, quod noſtri prima parte fusè explicant: cui etiam ſententiæ plurimi extra Scholam noſtram ſubſcribunt; parùm tamen conſequenter: ſi enim lumen gloriæ ſit adæquata ratio Beatificæ viſionis: Ergo neceſſe eſt etiam, quòd ſupernaturale auxilium ſit adæquata ratio actus charitatis. Fundatur enim hæc ratio in ipſa conditione actus ſupernaturalis, qui, cùm adæquatè ſupernaturalis ſit, neceſſe eſt, quòd habeat adæquatè ſupernaturale principium.

Atque inde, ut arbitror, validiſſimum argumentum deſumi poteſt ad probandam efficaciam motionis Divinæ. Neceſſe enim eſt, quòd Divina motio ſit adæquata ratio ipſius actus Charitatis; ſicut v. g. lumen gloriæ vel ſupernaturale auxilium, quòd hujus defectum ſupplere poteſt, (ut in raptu D. Pauli) eſt adæquata cauſa viſionis Beatificæ: cùm non minùs actus Charitatis ſit adæquatè ſupernaturalis, etiam ſub ea ratione, qua elicitur à voluntate, quàm ſupernaturalis viſio ut elicitur ab intellectu; nec verò adæquata ratio eſſe poſſit actus Charitatis ut elicitur à voluntate, niſi ipſam voluntatem determinet.

Quod enim reponi poſſet, ita quidem exigi ex ipſa rei natura, & ex conditione actus charitatis ſupernaturalis: aliud tamen accidere ex ratione libertatis, quæ cum poſſit uti, vel non uti auxilio

Divi-

Divinæ gratiæ, neceſſe eſt admittere, auxilium Divinæ gratiæ non eſſe adæquatam rationem actus Charitatis; quamvis lumen gloriæ ſit adæquatum principium viſionis Beatificæ, & per accidens diſparem eſſe utriuſque rationem.

Verùm hoc unum dumtaxat eo diſcrimine probari poteſt, ſcilicet non eſſe legitimam hanc libertatis notionem, quæ cum ea Divinæ gratiæ efficacia conjungi non poſſit. *Cùm* enim *verbum vero minimè contradicat*, ut inquit S. Lateran. Concil. ſub Leo. X. ſeſſ. 8. neceſſe eſt, hæc omnia ex ipſa rei natura coniungi; lumen gloriæ eſſe vi ſua & efficacia, adæquatum principium viſionis Beatificæ; & ſupernaturale Dei auxilium eſſe vi ſua & efficacia, adæquatum principium actus Charitatis; & tamen veram hominis libertatem poſſe cum ea gratiæ Divinæ efficacia coniungi. Quòd ſi aliqua libertatis humanæ notio efformata ſit, quæ cum ea efficacia coniungi non poſſit, ea libertatis notio tanquàm ſpuria reiicienda eſt; neque fieri unquàm poteſt, quòd illud quod ex accidenti convenit, deſtruat id quod ipſa rei natura exigit; potiſſimùm in ordine ſupernaturali ubi omnia ordinatiſſima ſunt, & ad perfectionem pertinent; cùm alioquin etiam libertas ipſa in actu Charitatis reperta ſupernaturalis ſit, & infeliciſſima foret libertas, niſi ad ordinem ſupernaturalem evehi poſſet.

Atque ex his omnino perſpicuum eſt, quocumque modo hæc S. Canonis Tridentini verba explicentur, cum iis exactiſſimè communem S. Thomæ, & ejus ſcholæ ſententiam convenire, & neque id, puto, negari poteſt, & ut cum D. Auguſtino loquar, de gratia, & liber. arbitr. cap. 8. *Nec intellectum acutum, ſed tantummodo intentum deſiderat auditorem.*

Sed dices iterùm, hæc dicti quarti Canonis Tridentini verba, ita eſſe intelligenda, ut hæc conditionalis, *ſi velit*, ad utramque Canonis partem pertineat; ac ſi dictum fuiſſet, *liberum hominis arbitrium motum, & excitatum nihil cooperari Deo moventi, ſi velit.* Atque iterùm *liberum arbitrium motum, & excitatum poſſe diſſentire ſi velit*: quòd ſanè ſignificat, perindè utrumque, & aſſentire, & diſſentire prevenienti gratiæ, ad libertatem arbitrij pertinere.

Verùm impugnatur *Primò* ea ſolutio, quòd hujus fundamentum nulla ratione ſtabiliri, aut defendi poſſit, nimirùm æqualitatem ex utraque parte conſtituendam eſſe: & poſſe perinde voluntatem veluti pari momento, & aſſentire, & diſſentire Divinæ gratiæ. Latiſſimum enim diſcrimen inter utrumque conſtituendum eſt, ut ſæpiùs diximus, & D. Thomas ex eo Scripturæ Sacræ loco apertè deducit; *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Unde cum Sancto Auguſtino obiectum olim fuiſſet, Deum *Indifferenter univerſos* velle ſalvos fieri, & *conſequens* eſſe, *ut, quia prævaricator, ideò dicitur non obediſſe, quia voluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuiſſe quia voluit; & quantùm quiſque ad malum, tantùm habere facultatis ad bonum; parique momento animum ſe vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentē gratia Dei, foveat, mala ſectantem damnatio juſta ſuſcipiat.* S. Proſper Epiſt. ad Auguſtinum. Hæc inquam cùm obiecta D. Auguſtino fuiſſent, ipſe econtrà negat, eam eſſe inter utrumque æqualitatem. Quòd enim gratiæ Divinæ humana voluntas diſſentiat, voluntatis quidem malitiæ tribuendum eſt; quòd autem aſſentiat Divinæ gratiæ motioni, id ipſimet Divinæ gratiæ eſt adſcribendum: quia neceſſe eſt, uſum Divinæ gratiæ, liberique humani arbitrii, effectum eſſe ipſiuſmet Dei prævenientis gratiæ. Unde lib. de prædeſt. SS. cap. 6. huic argumento reſpondens, inquit: *Multi audiunt verbum veritatis; ſed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo iſti, volunt illi; quis hoc neget? ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas; diſcernendum eſt utique quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio.*

Et quidem, ſi obtineret adverſa ſententia, uſum ſcilicet liberi arbitrii non eſſe prævenientis gratiæ, & predeſtinationis effectum, & eandem gratiam communem prædeſtinatis, & reprobis, interdùm in uno effectum habere, non autem in altero, ex ſola libertate illius qui conſentit; in eorum quidem ſententia dici poſſet, & liberum arbitrium motum, & excitatum poſſe cooperari ſi velit, & pari momento poſſe in utramque partem ferri. Sed eam ſententiam à SS. Auguſtini, & Thomæ ſententia alieniſſimam eſſe arbitramur, a quibus dictum eſt, uſum gratiæ oriri ab ipſa gratia; & eſſe quidem relictum libertati arbitrii eo ſenſu quòd poſſit voluntas, & diſſentiri, & aſſentiri ſi velit, ſed non pari momento, quia efficit ipſa Divina motio, ut velit.

Ac ſanè cùm Julianus perpetuò libertatis humani arbitrii definitionem D. Auguſtino obiiceret: Reſpondet S. Doctor lib. 6. poſterioris operis contra Julianum cap. 10. *Te fallit definitio tua qua in ſuperiori proſecutione liberum arbitrium diſiniſti. Dixiſti enim, liberum arbitrium non eſſe aliud quàm poſſibilitas peccandi, & non peccandi.* At verò duo in ea definitione reprehendit S. Auguſtinus, quòd in primis poſſibilitatem peccandi ad libertatem pertinere dictum fuerit; ac deindè quòd etiam inter utramque partem æqualitas conſtituta ſit: Cùm tamen longè ſit diſpar, & eſſe debeat utriuſque ratio. Unde inquit S. Doctor. *Quis neſcit, hominem credere libero voluntatis arbitrio, ſed præparatur voluntas à Domino.* Neque enim juſtitiæ fructum niſi Divino ſemine accepto, & exculta à Deo voluntas parit; cùm tamen ex ſe ſe ſpinas, & tribulos germinet; & ut eſt ex nihilo potentiam peccandi habeat: quod cùm veriſſimè à S. Auguſtino dictum fuiſſet, Julianus ibid. lib. 5. cap. 32. & ſequentibus impugnandum ſuſcepit. Liquet igitur, alieniſſimum eſſe à D. Auguſtini ſententia, æqualitatem in eo conſtituendam eſſe, ut pari momento in eo ordine quo agit liberum hominis arbitrium, poſſit ſeſe æquè in bonum, & malum flectere: poteſt equidem abſolutè, & aſſentire,

&

& diſſentire, ſi velit: ſed ut aſſentire velit, neceſſe eſt quòd moveatur à Deo, & cùm actu à Deo movetur, facit ipſa motio Divina, ut liberum hominis arbitrium, agere velit.

Secundò Impugnatur, quia, ut obſervatum eſt, Sacrum Concilium Tridentinum nedum ſupponere, ſed & aſſerere videtur, quòd liberum hominis arbitrium nedum poteſt cooperari, ſed & reipsà cooperatur Deo moventi: ſi autem actu, & reipsà cooperatur, ſuperflua eſſet ea adiectio *ſi velit*, cùm reipsà ſupponatur quòd velit: Ergo nulla veriſimilitudo eſt, poſſe eam conditionem *ſi velit*, pertinere ad primam partem *cooperatur*, ubi de actu ipſo abſoluto agitur, quem voluntas humana ponit, & ubi nihil poteſt remanere ſuſpenſum, nec poteſt ulla deeſſe conditio; ſed pertinere ſolùm poteſt ad alteram partem, ubi de potentia agitur, *poteſt diſſentire*: quia potentia natura ſua ſuſpenſa eſt, & conditionem expectare poteſt. Ergo cùm ipſa, & potentiæ, & actus natura ita exigant, non immeritò colligimus, quòd prima dicti Canonis pars, ubi de actu agitur, omninò abſoluta ſit, ſcilicet *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*, Deo moventi *cooperatur*; alteri verò parti, ubi de potentia agitur, conditio adiecta ſit, *poteſt diſſentire ſi velit*. Unde

Tertiò Impugnatur; quòd, ut infrà magis expendemus, & jam ex Suare retulimus, prædicto Canone quarto agat Tridentinum contra Lutheranos, & Calviniſtas, à quibus cùm prævia Divina motio & efficax admitteretur, ea motionis efficacia exiſtimabant libertatem præfocari, & extingui. Ergo Sacrum Concilium etiam de eadem motione prævia, & phyſica efficaci definire videtur, eam non auferre libertatem, ſed cum ea conciliari, quia poteſt liberum arbitrium diſſentire ſi velit. Quid enim Concilium ageret, ſi dum hæretici de una motione loquebantur, Sacrum Concilium eius loco aliam ſupponeret? Sed negat ſolum, ea motione libertatem auferri, corrigitque eorum errorem; & malo, quod periti medici eſt, remedium adhibet: Atqui conceſſa ſuppoſitaque prævia phyſicaque motione Divina, ſuperflua eſſet ea additio in prima Canonis parte, quòd liberum arbitrium motum à Deo motione phyſica, ipſi Deo moventi cooperatur ſi velit; ſiquidem ſupponitur quòd reipsà velit: ſecùs verò eſt de altera parte, vbi de ſola potentia agitur: quantumuis enim reipsà aſſentiat, poteſt tamen diſſentire ſi velit; neque enim unico actu exhauritur potentia ut alium elicere non poſſit.

Quartò Impugnatur, ex eo quod apertè S. Canonis Tridentini verborum ſeries reclamet, quæ oſtendit, ad ſecundam dumtaxat Canonis partem hæc verba pertinere, nullo autem modo ad primam partem. Et ſanè longiùs hæc conditionalis poſita eſt, ut poſſit ad primam pertinere, neque ſervari poſſet ea locutionis, & orationis perſpicuitas, & nitor quem ubique Concilium ſectatur; qua de re non alium niſi æquum Lectorem iudicem volo: Ita enim ibidem ſemper Tridentinum habet: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere: Anathema ſit.* Hæc ibi. Quis verò exiſtimet, conditionalem illam, niſi illata aperta vi, & turbata locutionis omnis perſpicuitate, cum prima Canonis parte poſſe coniungi. Vnde ſaltem ea ratione ſuperabit ſemper noſtra ſententia adverſam; quòd ſeriem, & proprietatem omnem verborum, locutionis perſpicuitatem ſervet, integramque exhibeat, & ſingula Canonis verba, ne mutato quidem apice, aut ullo pacto inverſo ordine, cum noſtra ſententia conſentiant, nullamque vim ei inferre cogamur.

Quintò: Sed demum impugnari poteſt ex eo quod Tridentinum Concilium eadem ſeſſ. cap. 5. unde Canon de quo agitur deſumptus eſt, utrumque coniungat quod obſervavimus; nimirùm quoties liberum arbitrium movetur, toties agere, & conſentire, & cooperari, & tamen etiam dum movetur poſſe diſſentire. Neque tamen addita eſt ea conditionalis, *ſi velit*, quòd minimè neceſſaria ſit. Si enim infallibiliter quoties movetur voluntas ſupponatur operatura, ſuperfluè adderetur ſi velit, cum ſemper eam velle ſupponatur. Sic verò habetur eo cap. 5. ſeſſ. 6. *Declarat præterea* (Sacroſancta Synodus) *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum, præveniente gratia, ſumendum eſſe; hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationē, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponatur. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationē illam recipiens, quippè qui, & illam abijcere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam corā illo libera ſua voluntate poſſit. Vndè in ſacris litteris cùm dicitur, „ conuertimini ad me, & ego cōvertar ad vos „, libertatis noſtræ admonemur: cùm reſpondemus: „ Converte nos Domine ad te, & convertemur: „ Dei nos gratia præveniri confitemur.* Hæc ibi. Ubi cum Concilium de ea gratia loquatur, qua adulti non ſolùm diſponi per gratiam poſſunt, ſed etiam qua reipſa per gratiam excitantem, & adiuvantem diſponuntur; non immeritò obſervari etiam poteſt, iterum iſta dua coniungi; ſcilicet quotiès homo movetur, conſentire, & cooperari, & tamen dum cooperatur poſſe diſſentire; quorum alterum actu eſt, alterum verò potentia. Et primum quidem actu cooperari, explicatur cum dicitur, exordium juſtificationis in eo eſſe poſitum, quòd adulti, *Per excitantem, & adiuvantem gratiā ad convertendum ſe eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.*

Hæc

Hæc enim omnia actu, & reipsa fiunt & indicant quotiès voluntas movetur, & excitatur Divina gratia, totiès libera reipsa assentiri, & cooperari: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens*, semper eodem sensu; quia quotiès à Deo Divinaque gratia tangitur cor hominis, agit homo inspirationem, & gratiam recipiens: neque intelligi potest quòd inspirationem seu Divinam motionem qua cor tangitur, voluntas illam recipiens agat, nisi quia reipsa consentit, & liberè consentit, *quippe qui illam abijcere potest*: Et hoc alterum est quod additur scil. posse voluntatem, etiam dum movetur, & dum consentit, dissentire. Ubi de dissensu Concilium loquitur, solùm tanquam de dissensu possibili. Quæ omnia mirum in modum consentiunt, cum his quæ deinde in Canone paucioribus verbis comprehenduntur eo modo quo suprà explicuimus. Unde quantum argumentationis leges Theologo permittere possunt, non immeritò colligimus veram Concilij sententiam esse, quòd quoties homo per excitantem, & adiuvantem gratiam, ut sese ad Deum convertat disponitur; quotiès tangitur cor hominis Divina motione, Divinaque inspiratione; quotiès liberum arbitrium movetur, & excitatur ea motione de qua agitur; totiès liberè, & assentitur, & cooperatur: & tamen etiam dùm movetur, dùm assentitur, dùm cooperatur, potest dissentire, & potest motionem abijcere, & dissentire si velit, cum non nisi liberè assentiatur, & cooperetur: quæ sanè ipsissima est D. Thomæ, & eius Scholæ sententia. Ex quibus omnibus colligi potest, non immeritò à B. Pio V. P. M. in Angelici Doctoris D. Thomæ laudem dictum esse: quod *Omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cælestibus civibus adscriptus fuit, multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses confusæ, & convictæ dissiparentur: quod & antea sæpe, & liquidò nuper in Sacris Tridentini Concilij decretis apparuit.*

Adeò enim D. Thomæ omnia principia cum Sacri Concilij Tridentini decretis conveniunt, ut nihil à nobis expressius unquam optari possit.

ARTICULUS V.

Probatur ex SS. Concilio Tridentino physica motio Divinaque gratia per se efficax: Ex Can. 3. sess. 6. hominem sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione non posse credere: Ex Can. 26. Christum in fideles ut caput in membra influere.

VErùm non potuit S. Concilium Tridentinum, prætermittere quod caput semper existimatum fuit, ubi de Divina gratia agitur; quæ scilicet efficacia sit Divinæ motionis, qua Deus impellit movetque voluntatem creatam. Ex plurimis verò quæ afferri possunt, hæc pauca satis esse poterunt, quæ iam expendemus.

Probatur igitur primò, admissam à Tridentino effectricem prævenientem gratiam, quæ alia præter physicam, & præviam Dei motionem esse non potest. Probatur inquam ex Can. 3. sess. 6. S. Concilij Tridentini. Ubi sic expresse habet: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: Anathema sit.* Vbi intelligendum est, non solùm inspirationem, sed etiam ipsum Divinum adiutorium prævenire hominis voluntatem; prævenire inquam per modum efficientis causæ, & in eodem ordine & genere quo ipsa voluntas agit: Atqui illud adiutorium præveniens est in genere causæ efficientis, quæ sola propriè dicta causa est; moralis enim quæ ad causam finalem pertinet, metaphoricè solùm agit. Ergo. De Minori ut puto dificultas nulla est.

Maior autem probatur. Quia de ea præveniente gratia existimandum est loqui Tridentinum, de qua unica, aut præcipua saltem fuit semper à tẽpore S. Augustini in Ecclesia controversia: Atqui de prævenientę solùm gratia, per modum efficientis causæ, vnica, aut saltem præcipua, fuit in Ecclesia controversia: Etenim ut inquit S. Augustinus Epist. 107. ad Vital. postquàm 12. regulas per ordinem recensuisset, quas, in hac cõtroversia de gratia, ad fidem pertinere contendit: *Recognoscis me*, inquit, *vt puto in iis quæ nos scire dixi, non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse: sed ea tantum quæ ad istam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia quæstionem: Vtrùm precedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem: hoc est ut planiùs eloquar, utrùm ideò nobis detur quia volumus, an per ipsam Deus etiam efficiat ut velimus.* Hæc ibi D. Augustinus, quibus satis liquet, eius temporibus in Ecclesia actum esse de gratia Dei præveniente quæ voluntatem hominis antecedit,

non

non verò eam ſubſequitur. Et quidem antecedit, quod præ oculis ſemper habendum eſt, etiam in eodem genere, & ordine phyſico, quo voluntas agit; quæ gratia non poteſt non eſſe effectrix, & phyſica, & prævia motio. Etenim neceſſe eſt, quòd in eodem genere, & ordine, gratia voluntatem præveniat, in quo ipſa voluntas gratiam Dei ſubſequitur: Atqui dubitari non poteſt, quin voluntas gratiam ſubſequatur in ordine phyſico: Ergo in eodem ordine voluntatem gratia præveniat neceſſe eſt. Ergo & tempore S. Auguſtini ea gratia, de qua tunc in Eccleſia agebatur, erat effectrix gratia præveniens, ſeu phyſica motio, quæ prævenit, agit, & movet voluntatem hominis per modum cauſæ efficientis. Ergò cùm non alia fuerit S. Concilii Tridentini mens, quàm olim fuerit mens D. Auguſtini, quem omnia Catholicæ Eccleſiæ Concilia, ut Divinæ Chriſti gratiæ præcipuum, poſt Apoſtolum, defenſorem, & vindicem ſuſpexerunt, etiam, & S. Concilium Tridentinum de eadem gratia, & adjutorio præveniète intelligendum eſt.

Confirmatur hæc iterùm ratio, præcipuam in Eccleſia controverſiam de gratia præveniente, & effectrice ſemper fuiſſe, ex Arauſicano 2. can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem etiam, ut purgari velimus per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti; præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter confitenti, Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*: Atqui hæc præveniens gratia, quæ non expectat voluntatis noſtræ conſenſum, ſed ipſum etiam, & operationem in nobis efficit, non alia eſſe poteſt præter ipſam motionem prævíam, & prævenientem gratiam effectricem. Etenim de eadem præveniente gratia duo dicit Arauſicanum Concilium. *Primò*, quòd conſenſum, & operationem in nobis efficit; & *Secundò*, quòd non expectat voluntatem noſtram, ſeu noſtræ voluntatis conſenſum, ſed ipſum efficit: Atqui impoſſibile eſt, hæc duo in aliam, quàm prævenientem per modum efficientis cauſæ, gratiam cadere. Nam inprimis repugnat de præveniente ſolùm moraliter gratia intelligi, quòd ipſam operationem in nobis faciat, cum ſola moralis gratia alliciat equidem voluntatem, eamque ſuadeat, ſed nihil omninò verè, ac propriè efficiat. Eſt enim longè diverſus cauſandi modus cauſæ moralis, quæ ad finalem pertinet, & cauſæ efficientis; neque enim quiſquam dixerit, quòd is, qui ſuadet, aut data pecunia jubet imaginem pingi, ipſemet imaginem pingat.

Sed prætereà repugnat etiam notioni cooperantis gratiæ, ſeu ſimultanei concurſus, quòd præveniat voluntatem, ut ſatis compertum eſt; ac deindè veriſſimè de utroque, ſcilicet tùm præveniente moraliter gratia, tùm ſimultaneo concurſu, dici poteſt, quòd expectet conſenſum, & determinationem voluntatis. Etenim, cùm hic ſimultaneus concurſus minimè voluntatem determinet, neceſſe eſt, quòd ſupponat aliundè voluntatem determinari, ut determinata voluntate ſimultaneus concurſus locum habeat. Nec verò etiam ab altero, quam à ſeipſa determinari voluntas poteſt, ſi à præveniente gratia in eo genere, quo ipſa voluntas agit, id eſt effectivo, non determinetur. Unde dicendum erit, quòd Deus expectat noſtram voluntatem, in eo ſcilicet genere, quo voluntas agit, ut purgari velit, & quòd ideò nobis datur gratia effectrix, quia volumus. Atque id ſanè videtur omninò ſequi ex communibus ſententiæ adverſæ principiis: Tum ex iis, quæ ſcripſit Molina 1. par. quæſt. 23. art. 4. & 5. membr. 10. *Quòd uſus liberi arbitrii, nec* eſt effectus prædeſtinationis, nec gratiæ prævenientis, *ſi intelligatur de eo actu præciſè ſpectato ut emanat à peculiari illo, & proprio influxu liberi arbitrii inſuper neceſſario. Non enim eo modo ſpectatus effectus eſt gratiæ prævenientis, ſed ſolius arbitrii.* Tum ex his, quę paulò poſt ſubjungit; *quòd è duobus, qui æquali motu gratiæ præveniũtur, ac moventur unus conſentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, convertatur; alius verò non; certè ſolùm provenit ab innata, ac propria, & intrinſeca libertate utriuſque, bonis & malis, reprobis, & prædeſtinatis communi.* Et iterùm paulò poſt: *Quòd auxilia prevenientis gratiæ efficacia ſint aut inefficacia ad converſionem, pendere ab eodem influxu arbitrio proprio.* Vide etiam, quæ fuſiùs alias referemus.

Ex his enim conſequi ſtatim videtur, quòd ſi Deus voluntatem noſtram ſolùm moraliter moveat, & alliciat, non efficiat tamen uſum, & influxum liberi arbitrii, ut ab arbitrio dimanat, neceſſe eſt, quòd Deus voluntatis conſenſum expectet, ut effectrix gratia locum habeat. Sive forſitan apertiùs, ſi Deus voluntatem, in eodem ordine, in quo voluntas agit, non determinet; neceſſe eſt, expectet, quòd voluntas ſe ipſam determinet; ut Deus cum voluntate concurrat: Deus igitur expectabit aliquid, quod ipſe non efficiet, ſed voluntas ſola ſua & innata libertate, ſcilicet uſum liberi arbitrii; qui, ut emanat à libero arbitrio, non eſt effectus gratiæ prævenientis. Unde cùm in ea ſententia ratio à priori, & propria cauſa, cur Deus cum uno potiùs, quàm cum alio concurrat, hæc ſit, quia *unus innata ac propria, & intrinſeca libertate* utitur Divina gratia, conſenſum ei adhibet, & ſemetipſam determinat; in ea, inquam, ſententia videtur omninò compertum, *Deum voluntatem noſtram expectare, ut purgari velimus*; & expectare aliquid à voluntate, quòd ipſa voluntas ſola ſua, & innata libertate efficit. Vnde Deus equidem præveniet voluntatem motione, & vocatione morali, & ſtans veluti ad oſtium, & pulſans inclamabit hominis voluntati, ut ſibi aperiat: ſed neceſſe eſt, quòd Deus expectet ab homine *pro ſua innata libertate* peſſulum oſtii cordis reſerari. Ergo cum econtrà à Concilio Arauſicano dictum ſit, Deũ non expectare, ut velimus, ſed ipſum ſua gratia efficere, ut reipſa velimus; neceſſe eſt, quòd ipſa gratia præveniens, ac effectrix ſit; id eſt, ſit ipſa vera phyſica, & prævia

motio, quam admittendam esse contendimus.

Neque verò id etiam negat Suarez tum alibi, tum opere posthumo cap. 6. vbi inquit; *Negamus Deum expectare voluntatem hominis, ut eum vocet: fatemur autem expectare, ut iam vocatus consentiat, cum auxilio eiusdem gratiæ*. Et quidem, si præveniens gratia solum moraliter agat, omninò necesse est, quòd ipsa gratia expectet voluntatem in ordine physico à seipsà solum determinari: neque enim gratia moraliter dumtaxat voluntatem movens, eam in eo ordine physico determinat: & quamvis deinde Deus cum voluntate concurrat ad ipsam determinationem, ut est absolutè quidam actus, & ens à Deo dependens; attamen impossibile est, quòd Deus eam voluntatis determinationem sub ea ratione, qua à voluntate oritur, efficiat: quia sub ea ratione impossibile est eam determinationem à Deo, ac Divina gratia fieri, nisi Deus voluntatem determinet, ut alias nec semel ex S. Thoma explicuimus. Vnde tandem sequitur, quòd non minus dici possit, Divinam gratiam à voluntate præveniri, quam voluntatem ab ipsa gratia; quia licet in ordine morali gratia præveniat voluntatem: in ordine tamen physico voluntas gratiam præveniet. Imo & multò nobiliori modo, & in ordine nobiliori gratiam voluntas prævenit, quàm præveniatur à gratia. Prævenit enim voluntatem gratia, eam solùm alliciendo, & invitando: prevenit autem voluntas gratiam, efficiendo, ac ipsam gratiam ad usum applicando. Quis autem dubitet, quòd si duo ordines, moralis, & physicus conferantur, potior sit omnino physicus: causalitas enim solùm moralis, metaphorica est, si cum efficientis causæ causalitate conferatur: & ut à D. Thoma dictum est, causa solùm moraliter agens suasione, vel imperio est solum causa disponens: causa verò per modum efficientis agens, determinando, & immutando est sola, & vera causa perficiens.

Confirmatur hæc ratio, & quod potissimùm hic probamus, actum fuisse semper ab Ecclesia de preüeniente gratia, & adiutorio, quod efficit, propriè, ac vera causalitate, & non metaphorica, ut faciamus: atque adeò eodem sensu intelligendum esse, quòd à Concilio Tridentino dictum est, neminem *Sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adiutorio credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur*. Confirmatur, inquàm, ex Canone 6. Concilii Arausicani, ubi sic habet: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, querentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri Divinitus, non autè, ut credamus, & velimus, ut hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur: & aut humiliati, aut obedientiæ humanæ subiügit gratiæ adiutorium, nec ut obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti; „ quid habes quod non accepisti; & gratia Dei sum id, quod sum.* „ Ac deinde Canone 9. ita habet: *quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

Atqui iterùm nisi Divina gratia præveniat voluntatem in ordine physico, seu per modum effectricis causæ, in quo voluntas agit, manifestè consequi videtur, quòd laborantibus, & consentientibus gratia confertur, non autem, ut consentiant, & velint; & quòd *Obedientiæ humanæ gratiæ adjutoriü subjungitur*; nõ enim efficiet, gratiæ adjutoriü, quòd voluntas humana ei consentiat: neque Deus omnia in nobis efficiet, cum non efficiat liberũ arbitrii usum, qui nec effectus est gratiæ Dei prevenientis, ut ipse usus manat à libero arbitrio; & ut etiam aliàs retulimus ex eodem Molina in Concordia quæst. 23. disput. 1. membr. 6. *Si sermo sit de realitate, aut formalitate aliqua, non quidè quæ spectatur simpliciter, sed precisè, ut emanat ab una parte integræ suæ causæ &c. concedendum est, dari aliquid quod sit à nostro arbitrio, & non aliter ea præcisè consideratione à Deo, nisi tanquam à naturæ, ipsiusque liberi arbitrii authore.*

Ac prætereà cum efficacia omnis cujusque auxilii ex innata lĩbertate bonis, & malis communi pendeat; *illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se sit, efficax dicatur, cũ quo arbitriü pro sua libertate convertitur*, ut Molina inquit in Concord. quæst. 14. disput. 38. hinc oriri videtur, veram causam esse, cur homo cõsentiat, quia vult: & Deum expectare, quòd homo consentire ipsi velit; & obedientiæ humanę, gratiæ adjutorium subjungi. Idque etiam non minùs apertè consequi videtur ex his, quæ habet in Concord. quæst. 23. art. 5. & 6. disp. 1. membr. 8. ubi ita inquit: *Si verò spectetur, ut præcisè ab arbitrio creato emanat, tanquam ab altera parte integræ illius causæ; habet se ex parte prædestinati; estque illud, quod Deus ab eo exigit, ut cooperetur etiam ad suam salutem, dignusq; præmio æterno per propria merita, quæ dona etiam sunt Dei, efficiatur.* Si enim usum illum liberi arbitrii Deus requirat, ut voluntas cooperetur, etiam dicendum erit, quòd Deus hunc liberi arbitrii usum expectat. Neque negari poterit, quin ideò Divinum adjutorium nobis detur, quia volumus, non verò per ipsum effici, ut velimus.

Et verò apertiùs forsitan loquitur Lessius de gratia efficaci cap. 11. *Fatemur*, inquit, *liberum arbitrium directè esse causam, cur hic & nunc Deus influat in opus, tum per dona sua, tum per seipsum; non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Non enim ideò hic & nunc fit hoc opus, quia Deus vult absolute, illud hic & nunc fieri, aut gratia ex se determinat voluntatem, ut hic & nunc illud faciat; sed quia voluntas Divinitùs præparata vult hic & nunc illud facere.* Ergo si liberum arbitrium *causa est, cur hic & nunc Deus in opus influat*, etiam concedendum videtur, quòd ideò nobis datur Divinum auxilium, quia sic volumus; & non ideò volumus, quia datur. Quod enim dictum est, voluntatem Divinitus esse præparatam, intelligitur solùm præparatam esse sufficienti auxilio, quod voluntatem non determinat, sed à voluntate determinatur.

natur. Unde conſequitur ſemper liberum arbitrium cauſam eſſe, cur hic & nunc in actum voluntatis Deus influat, ut de habitibus dici ſolet: nemo enim negat quin habitus determinationem voluntatis in operando expectet, ab eoque dependeat quantum ad uſum, & determinationem, qua priùs natura applicatur, ut in actum, bonumque opus influat.

Idem & fortè apertiùs adhuc fatetur Bellarminus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. ubi inquit. *Ex quo ſequitur, ut licet in eodem prorſus momento temporis & naturæ, Deus & voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia voluntas operatur, & non econtrà; & hoc eſt, quod aliqui dicunt, voluntatem priùs natura operari quàm Deũ, nõ prioritate inſtantis in quo, ſed à quo.*

Atqui ea omnia non ſatis conjungi poſſe videntur, cum his, quæ jam ſupra ex Concilio Arauſicano, & ex S. Auguſtino retulimus. Et verò illud potiſſimum argumentum eſſe videtur Epiſt. 107. ad Vitalem. Unde & cùm reſumeret 12. regulas, quas ad fidem ſpectare dixerat: *Quomodo* inquit, *Deus expectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, cùm gratias ei non immeritò, agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia perſequentibus, miſericordias prærogavit, eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit?* Etenim ſi ex nolentibus volentes facit Deus; neceſſe eſt, quòd Divina gratia præceſſerit, quæ voluntatem noſtram in eodem ordine, quo ipſa voluntas agit, ideſt, per modum efficientis cauſæ ipſam volentem effecerit priùs natura, quàm agat.

Dices. Iſai. cap. 30. dici quòd *Deus expectat, ut miſereatur noſtri*: & Apocalipſ. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo*: & Iſai. 4. *Expectavi, ut* vinea *faceret vuas, & fecit labruſcas*: & alia ejuſmodi.

Verùm Reſpondeo, nullam ibi ineſſe difficultatem. Deus equidem expectat voluntatis conſenſum, ſed quem ipſemet ſuæ Divinæ gratiæ efficacia facit. Sicut in ea ſerie diſpoſitionum, quæ ad juſtificationem ordinantur, & inter ipſos effectus prædeſtinationis, quis dubitet, unum alteri præſupponi; ſicut per Apoſtolum inquit Deus: *miſerebor, cui miſertus ſum*: ad Rom. 9. Omnia enim Divinæ miſericordiæ, inquit S. Thomas, adſcribit Apoſtolus; neque intelligi rectè poteſt uſum liberi arbitrii non eſſe effectum, & prædeſtinationis, & gratiæ prævenientis. Equidem Deus, hominem vocat, prævenitque Divina gratia, ſed efficit etiam *ea vocatio effectrix*, ut eam D. Auguſtinus vocat quæſt. 2. ad Simplic. quòd homo huic vocationi conſentiat; neque enim quidquam ab ea communiſſima regula eximi poteſt, omnia in nobis à Deo fieri, & Deum in nobis operari & nobiſcum. Efficit ipſe in nobis Deus, quod poſtulat, efficit quod jubet, efficit quod promittit, efficit quod expectat; quia ſine ipſo nihil omninò poſſumus facere. Etenim piiſſimè juxtà ac veriſſimè à S. Auguſtino dictum eſt, lib. 10. Cõfeſſ. cap. 29. *Da, quod jubes, & jube, quod vis. Quæ mea verba*, ut inquit S. Doctor, lib. de dono perſeverat. cap. 20. *Pelagius Romæ cùm à quodam fratre Coepiſcopo meo fuiſſent eo præſente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs penè cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit.* Sed litiget, ſuccenſeatque Pelagius, aut ira diſrumpatur, erit perpetuò veriſſimum, quod à D. Auguſt. dictum eſt, quòd ipſe, qui jubet, dat ipſum, quod jubet.

Et ſanè cùm obiicitur, qua ratione dici poteſt, Deum expectare, quod ipſe efficit? ſimile eſt alteri, quòd olim obiiciebatur S. Aug. l. de gr. & lib. arbitr. cap. 15. *Quare Deus jubet, ſi ipſe daturus eſt?* Reſpondet autem S. Doctor, utrumque verum eſſe, & Deum jubere, & Deum etiam efficere: quia utrumque jungendum eſt, & hominem quidem agere, ſed nihil agere ſine effectrice gratia: *Meminerimus*, inquit, Deum *dicere*, *facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum*: „ *qui dicit* „ *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis.* „ *Quomodo ergo quod dicit facite vobis, hoc dicit dabo vobis? quare jubet, ſi ipſe facturus eſt? quare dat, ſi homo facturus eſt? niſi quia dat, quod jubet, cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet.* Vide de ſpiritu, & littera cap. 29. ubi inquit, *Confugiendũ eſt ad Divinam miſericordiam, ut det, quod jubet.* Igitur & eadem ratione, Deus expectat ab homine, quod ipſe efficit in homine. Sicut etiam & ipſe efficit, quod præſcit, & quod promittit. *Prædeſtinatione quippè*, inquit idem S. Pater, lib. de prædeſt. SS. cap. 10. *præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*: & cùm promiſit Abrahæ, eum Patrem multarum gentium fore poſiturum: *Non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines; quia, etſi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ille facit ut illi faciant, quę præcipit; nõ illi faciunt, quod ille promiſit: alioquin, ut Dei promiſſa complerentur, nõ in Dei, ſed in hominũ eſt poteſtate.* Ergo etiã, cùm Deus prævenit voluntatem, non voluntatis conſenſum expectat, ſed efficit. Atque adeò neceſſe eſt, uſum ipſius liberi arbitrii hominis non in propriam, & innatam hominis libertatem, ſed in Divinæ gratię vim referri. Quod ita expreſsè docuit S. Auguſtinus, ut mirum ſit in eo obſervatum non eſſe. Etenim lib. 1. retract. cap. 9. nondùm exortam Pelagianorum hæreſim, ſe profligaſſe, inquit S. Doctor, ſcilicet lib. de liber. arbitr. ubi & magna, & media, & minima bona eſſe à Deo jam ſtatuerat. At verò inter magna bona, etiam uſum gratiæ, & bonæ voluntatis recenſendum eſſe dubitari non poteſt. *Ecce*, inquit, *tam longè antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet, ſic diſputavimus, velut jam contra illos diſputaremus. Cùm enim omnia bona dicerentur ex Deo, ideſt, & magna, & media, & minima; in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo uti poſſumus; ſed tamen tale eſt, quod ſine illo rectè vivere nequeamus. Bonus autẽ uſus ejus jam virtus eſt, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè uti nullus poteſt: & quia omnia bona, ſicut dictũ eſt,*

& magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit, & bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. Hæc ibi totidem verbis S. Doctor : quibus è diametro non potest non adversari ea sententia, quæ statuit, usum liberi arbitrii non esse effectum prędestinationis Dei, eiusque Divinæ prævenientis gratiæ.

Sed adhuc majoris ponderis est, quod ex eodem D. August. desumit, & definit Cælestinus Pontifex in notissima illa ad quosdam Galliarum Episcopos Epistola cap. 7. ubi & ipse titulus inscriptus est : *Quòd per Christum libero benè utamur arbitrio*: ac statim deinde : *Quòd nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, idem Magister*, scilicet S. Augustinus, *Epistola ad Melevitanum Concilium data prædicat* : Ergo fateri necesse est, ipsum etiam liberi arbitrii usum, effectum esse prævenientis gratiæ, quæ subindè non alia esse potest præter effectricem gratiam, quę voluntatem movet, & applicat, & vi sua efficit, ut operetur.

De S. Tho. aliàs dicemus. Ideò enim contendit, neq; ipsa merita, quamvis orta ex ipsa gratia, potuisse esse causam prædestinationis, quia usus ipsius gratiæ, ipsiusque liberi arbitrii utentis gratia, non potest non esse effectus Divinæ prædestinationis. Unde & palàm Molina in Concord. quæst. 23. disput. 1. membr. 6. fatetur se, quòd ad prædestinationem, & quæ inde sequuntur attinet, à D. Thomæ, & à communiori Scholasticorum sententia recedere. *Salva*, inquit, *reverentia, quæ D. Thomę debetur magna, non miror, si cōmunior Scholasticorū sententia à multis dura nimis, indignaque Divina bonitate, & clementia judicetur*. Paulò liberiùs locutum fuisse Molinam dubitari non potest, cùm Bellarminus S. Augustini sententiam de prædestinatione ad fidem pertinere expressè dixerit : & ipse D. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 19. tanta fiducia, & securitate de ea loquatur, ut ita asserat ; *Hoc scio, neminem contra istā prædestinationem quā secundùm scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. Neque magis probari potest, quod inquit eodem loco idem Author, cum de ea sententia agit, quę pręter sufficiens auxilium, alterum majus ad agendum requirit. *Certè*, inquit, *non dubitarem, hanc sententiam errorem in fide appellare; etenim ea data non video, qua ratione libertas illa arbitrii nostri salva possit consistere*. Ut enim de Suare jam supra diximus, excessisse omninò videtur etiam Molina ; cùm compressa omni judicandi licentia, judicium à S. Pontifice expectandum sit.

Confirmatur : quòd ea ratio, quam hactenùs prosecuti sumus ex communi sensu Ecclesię, multò majorem vim habeat, si status Ecclesiæ, cùm habitum est Sac. Concilium Tridentinum, & hæreses, quæ tunc temporis excitatæ fuerant, considerentur, & quas ut Ecclesia extingueret, celebrata est Synodus Tridentina. Esto enim quòd tempore D. Augustini difficultas aliqua, vel præcipua versari potuisset, vel de quacunque gratia prævenięnte, vel de sola cooperatione Divina cum voluntate ; quod tamen ne quidem umbram verisimilitudinis habet, ut alias expendemus ; cùm neque à Summis Pontificibus, neque à Sac. Conciliis, nec ab ipso S. Augustino, nec deindè à S. Thoma existimari unquam potuisset : difficillimum esse conciliare libertatem cùm Divina gratia, si non alia, quam præveniens moraliter, aut concomitans solùm admittenda foret ; neque sanè erant illius temporis adeò tarda ingenia, ut post diutinas, & accerrimas concertationes non potuissent capere, quod nunc vel ipsi tyrones post solam, & nudam explicationem, quam facillimè, & citissimè capiunt, scilicet neque motione morali, neque simultaneo concursu lædi libertatem.

Sed, ut sit de eo illius præteriti temporis statu Ecclesiæ, & de ea controversia, quæ tunc scilicet D. Augustini tempore versabatur ; dubitari non potest, quin graves controversiæ, quæ Sacri Concilii Tridentini tempore Ecclesiam discindebant, circa efficacem vi sua, & prævenientem gratiam, & physicam motionem maximè versarentur. Neque enim quisquam tum negabat, requiri motionem moralem, aut gratiam prævenientem moraliter ; neque negabatur etiam concursus simultaneus, quo Deus cum causis secundis, ipsaque voluntate concurrit : de gratia igitur dumtaxat præveniente, & effectrice agebatur : hac enim dumtaxat gratia existimari poterat extingui hominis libertatem, aut sub ejus motione voluntatem spontaneo solùm motu agi, aut nec spontaneè quidem moveri : & extingui merita hominis, ipsumque ad peccata à Deo impelli ; & alia ejusmodi, quæ suprà retulimus dum de Calvini erroribus loqueremur : Ergo euidens est, quòd etiam à Suare suprà concessum vidimus, intelligenda esse de prę veniente, & verè effectrice gratia, quę à Trident. de movente, & preveniēte gratia dicta sunt.

Atque ex his omnibus, quæ hactenùs dicta sunt, apertè colligi potest, eam fuisse perpetuò in Ecclesia controversiam, dum S. Augustinus dicendus meritò, *Miles acerrimus, & defensor invictissimus gratiæ*, sicut ipse S. Doctor lib. de prædest. SS. cap. 20. D. Paulum vocat, pro tuenda gratia Divina olim dimicaret ; ac deindè dum relictis à S. Augustino armis Ecclesia in Sacris Conciliis decertavit : colligi, inquam, potest eam fuisse perpetuò in Ecclesia controversiam : Utrùm scilicet Divina gratia humanam præveniret voluntatem, ipsumque usum liberi arbitrii efficeret ; Utrùm hæc Dei effectrix gratia, quæ scilicet verè, & proprio sensu facit, ut faciamus ; & quidem facit in eodem ordine, in quo, & nos ipsi facimus, utrum, inquam, hæc effectrix gratia *præcedat, an subsequatur voluntatem* ? de morali enim quis in dubium revocare poterat ? Item utrùm *Deus expectet, ut purgari velimus*, an verò per S. Spiritus infusionem operationem ipsam voluntatis nostræ in nobis efficiat ? denique *Utrum obedientiæ humanę subjungatur Divinę gratię adiutoriū*, an vero ipsa gratia efficiat, ut obedientes simus ? Ergo, cùm etiam à S. Synodo Tridentina dictum est can. 3. ejusdem sess. 6. *Si quis dixerit, sine prę veniente*

niente Spiritus Sãcti inſpiratione, atque ejus adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit: Tridentinum non poteſt non concinere retroactis Concilijs, & intelligere de adiutorio efficaci per ſe, & voluntatem præveniente; nulla enim unquã, aut fuit, aut eſſe potuit vera in Eccleſia controverſia, vel de ſola motione morali, quę nihil propriè, & per ſe, ac infallibiliter efficit; vel de ſola cooperatione, quæ iam determinatam à ſe voluntatem ſupponit. Quis enim vel alterutra, vel etiam vtraque lædi libertatem exiſtimaret? & tamen certum eſt de ea præveniente gratia definiſſe Concilia, de qua dubium eſſe poterat, an illa libertatem hominis extingueret. Unde præter alia innumera, quæ referri poſſent, ipſe Epiſtola, quam retulimus, Cœleſtinus cap.12. inquit: *Non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, vt aliquid boni, velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur: ut de tenebroſo lucidũ, de prævo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum.*

Confirmatur demum non minus efficaci argumento ex eodem Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 19. ubi expreſsè inquit, quod ipſe *Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat: quę virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Atqui ea virtus, quę bona iuſtificatorum opera antecedit, non alia eſſe poteſt præter eam vim effectricem, ac ipſam motionem Divinam, qua Chriſtus perpetuo in membra, ſcilicet juſtificatos fideles ſuos influit. Ergo. Minor probatur ex D. Thoma in ea verba Apoſtoli ad Epheſ.4. *Vt creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus; ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctură ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ędificationem ſui in charitate.* Ibi enim obſervat D. Thomas, quod ſicut caput tria efficit reſpectu membrorum, ſcilicet adunationem, & veluti coagmentationem inter partes, colligationem per nervos, & diffuſionem virtutis vitalis ad omnes operationes partium ſibi ſubiectarum: ita Chriſtus caput Eccleſiæ, hæc tria efficit 1. enim veluti coagmentat Eccleſiæ, eamque congregat ex varijs gentibus: 2. colligat fideles invicem fide, & charitate: ac demum *ex Capite Chriſto*, inquit D. Thomas, ad fideles *influitur virtus actualiter operandi, ſive ad opus motio*, ſicque *recipimus actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis Iſai. 26.,, Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine,, & 1. Cor. 12.,, Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Hæc ibi S. Thomas, quibus nihil expreſſius dici poteſt. Ergo cùm ex Concilio Tridentino Chriſtus Ieſus influat perpetuo in fideles, tanquam caput in membra, virtutem, quæ bona eorum opera antecedit; atque ea virtus antecedens ſit ex D. Thoma ipſa Divina, & actualis motio ad operationem, quam Deus, qui omnia in omnibus operatur, facit in nobis; & quæ virtus, ac motio à Chriſto Ieſu, ut inſtrumento Divinitati coniuncto perpetuo diffunditur: etiam euidens eſt, ab ipſo Sacro Concilio Tridentino admiſſam fuiſſe prævenientem, & effectricem gratiam, quæ eadem eſt, ac Divina motio, quæ à S. Thomæ, eiuſque Scholæ Diſcipulis ſemper admiſſa eſt.

ARTICULUS VI.

Altera ex Sacri Concilii Tridentini Canone 6. Probatio pro motione efficaci, & preveniente gratia effectrice: vocationem D. Pauli propriè, & per ſe eſſe opus Dei.

PRobatur igitur altera ratione ex Canone 6. deſumpta, ubi ſic habetur: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita, ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe; adeo, ut ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudę, quàm vocatio Pauli, Anathema ſit.* Hæc ibi: vbi

Obſervandum eſt, primò apertè ſupponi à Sacro Concilio, vocationem Pauli eſſe opus Dei *proprie, & per ſe*; in eoque diſcrimen ex mente Tridentini intercedere inter proditionem Iudæ, & Pauli vocationem; quòd alteram ſolum permittat Deus, alteram verò Deus *proprie, & per ſe* efficiat: nam Sac. Concilium proſcribit Calvini errorem, qui æqualiter, & bona, & mala in vim & efficaciam Divinæ motionis refundebat. Et quidem, cur dixiſſet Tridentinum, non eſſe proprium Dei opus proditionem Iudæ, ſi nec etiam proprium Dei opus vocatio Pauli fuiſſet. Igitur Sac. Concilium ſupponit, vocationem Pauli fuiſſe opus Dei proprium, & Deum propriè, & per ſe vocationem Pauli operatum fuiſſe. Sed

Obſervandum ſecundo, ea, quæ in dicto Can.6. definiuntur, non poſſe non intelligi de operatione Dei præveniente, ſeu præveniente Dei gratia, qua ſcilicet Deus voluntatem Pauli à ſe averſam ad ſe converteret; neque enim ulla ratione veroſimili advocari huc poſſunt vel concurſus Dei ſimultaneus, vel gratia cooperans à præveniente ſeiuncta. De præveniente enim, ut pręveniens eſt, potiſſimum in eo Canone 6. agitur, cum ibi proſcribatur error Calvini, qui cum apud S.Auguſtinum lib.de gratia, & liber. arbitr. ſæpius reperiſſet cap.20. quod *Agit omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorũ, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit.* Et deinde: *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis*

ritis eorum. Cùm hæc Calvini lœva mens læsaque legeret, & nesciret, aut nollet inter ea distinguere, quę Deus efficit aut permittit; hanc horrendam blasphemiam contra summam Dei bonitatem, & infinitam sanctitatem evomere non erubuit, scilicet Deum etiam sua motione, & impulsu authorem esse peccati: nec Deum deserere dumtaxat hominem; & peccatum permittere, sed etiam verè & propriè id efficere. His igitur ita prænotatis.

Probatur hoc argumento, à Sacro Concilio Tridentino admissam esse prævenientem effectricem gratiam, seu motionem prævium, & physicam. Ex Tridentino Canone sexto Deus est *proprie & per se* causa vocationis, & conversionis Pauli, ac subindè cuiuscunque alterius operationis bonæ, & studiosæ, quæ juvat hominem ad salutem consequendam: Atqui non potest intelligi, Deum esse *proprie & per se* causam operationis bonæ, nisi quatenus voluntatem movet per modum efficientis causæ, seu motione prævia physica, & effectrice: Ergo ex Sacro Concilio Tridentino Deus voluntatem nostram movet ad operationem bonam, motione prævia, physica, & effectrice.

De Maiori, ut puto, nulla erit controversia; cum adeo expressa sint Sacri Concilii verba, neque aliter Concilium sentire potuerit; cum toties à Scriptura Sacra dictum fuerit, Deum facere, ut faciamus, facere, ut in præceptis ejus ambulemus, operari in nobis etiam præveniente gratia velle, & perficere; quæ quidem dubium non est, explicanda esse in proprio, & legitimo sensu; quod præter communissimam regulam, etiam prædicta Sacræ Scripturæ verba in proprio, & germano sensu esse explicanda, clarè & apertè ex eo Sacri Concilij Tridentini Canone colligitur, cum definit, vocationem Divi Pauli esse Dei *proprium opus*, eamque D. Pauli conversionē *propriè, & per se* Denm operatum fuisse.

Minor autem ex his omnibus quæ hactenùs à nobis dicta sunt, etiam compertissima esse videtur. Atque ut ex tanta segete, quā hactenùs collegimus, hic aliqua referamus. Probatur primò ex ipsiusmet Suaris sententia, qui 3. par. Disput. 9. sect. 2. existimat, & rectè quidem, concedendam esse Sacramentis causalitatem physicam, seu per modum causæ efficientis: quia scilicet ea, quæ à Sanctis Patribus in commendationem efficaciæ Sacramentorum dicta sunt, de vera, & proprie dicta causalitate intelligi debent: hæc autem vera, & propria causalitas non alia est, quam physica, qua *verè realiter & physicè* gratia in Sacramentis, & vi Sacramentorum producitur, ob merita scilicet Christi infinita, quæ in eis continentur. *Posita autem*, inquit, *hac effectione Sacramentorū, propriissimè intelliguntur omnes dictę locutiones: juxta alias verò sententias, non nisi valdè impropriè*. Hæc ibi Suares: quibus etiam addit, quod ea, quæ à SS. Patribus de Sacramentis dicta sunt, significant esse magnum opus Omnipotentiæ Divinæ, quod scilicet eam vim producendi gratiam Sacramentis Deus contulerit: Si autem Sacramenta essent dumtaxat causæ morales, vel solum conditiones, quibus positis Deus operatur, nullum esset speciale opus Omnipotentię Divinę. Addit etiam id videri maximè Tridentino consentaneum; sessione sexta cap. 7. à quo dicitur, Baptismum esse instrumentalem causam gratiæ; omnia autem alia genera causarum, quæ enumerat ibi Sacrum Concilium, sunt causæ proprijssimè in suo genere. Sentit igitur Tridentinum, Sacramenta esse verè, & propriè instrumenta, quod esse non potest sine prædicta efficacia. Ac demum idem probat, quia alioquin non posset Sacerdos v. g. dici verè conferre gratiam nisi illam efficeret; sicut in moralibus, inquit, cum quis alteri Chirographum exhibet, ut debitum soluat, non dicitur propriè soluisse debitum, qui Chirographum exhibet, sed alius, qui verè pecuniam numerat. Vt ergo eiusmodi locutiones in omni proprietate sint veræ, oportet, ut Ministri Sacramentorum gratiam efficiant. Hæc omnia ferè totidem verbis desumpta sunt ex Suare, omninò quidem appositè, ut probetur, causalitatem Sacramentorum esse physicam. Quæ omnia nostri etiam ante Suarem, fusè prosecuti fuerant.

Atqui hæc omnia non minus, sed multò etiam potiori jure in Divinam motionem physicam, & effectricem cadunt: cum non solum, quæ à Patribus dicta sunt, significent, aut innuant, operationem Divinæ gratię opus esse Divinæ Omnipotentiæ; sed etiam expressissimè, nec semel, sed quam sæpissimè Sanctus Augustinus differit, *Omnipotentissimam, ineluctabilem, & insuperabilem* esse Divinæ gratiæ vim, adeoque, ut existimaverit, alioquin periclitari Fidei Catholicæ primum Articulum, quo *Omnipotentem esse Deum profitemur*, ut sepius retulimus. Sed quod hic potissimum inquirimus, nobisque fauet, illud est, quòd *vera, & propriè* dicta causalitas alia esse non possit, præter efficientiam veram, & physicam, qua Deus *verè, realiter, & physicè* agit: Ergo cum à Sacro Concilio Tridentino dictum sit, Deum præveniente vtique gratia, *verè & propriè* causam esse vocationis Pauli, ac subindè cuiusque alterius operationis bonæ; etiam concedendum est, Tridentinum existimasse, Deum physicè efficienter movere voluntatem vt agat, & prævenientem Divinam gratiam, verè, & realiter, & physicè, seu per modum causæ, & gratiæ efficientis, voluntatem convertere.

Confirmatur, quia cum ex una parte, vera & proprie dicta causalitas, etiam ex Suare esse debeat causalitas physica; ex altera etiam parte causalitatem moralem impropriam esse, ac solum metaphoricam, ultro ipsemet Suarez concessit. Etenim lib. 3. de Divinis auxilijs inter cpusc. cap. 6. Num. 10. cum explicuisset causalitatem moralis causæ, *quæ consilio, precibus, aut alio simili modo movet causam liberam ad agendum*; illudque retulisset ex S. Augustino lib. de Spiritu, & littera cap. 34. *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & vt credamus, sive extrinsecùs per*

Evan-

Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonēt infirmitatis ſuę, ut ad gratiā juſtificantem, credendo, confugiat; ſivè intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid dei veniat in mentē: ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. Ac poſtea ſtatìm Suarez de ea cauſalitate ex S. Auguſtino relata judicium ferens, inquit: *Conſtat igitur, hoc totum cauſalitatis genus morale eſſe, & declaratur à ſimili. Nam homo inducens alterum ad malum, vel Dæmon tentans ad peccandum, eſt cauſa moralis peccati, quia ad illud excitat, & movet: ſic ergo Deus, multoque magis, & perfectiùs, eſt cauſa moralis boni actus ſupernaturalis; ad quem eliciendum nos excitat, noſtramq; præparat voluntatem. Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionē finis, quæ metaphorica eſt: nam per hanc gratiam excitantē, fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honeſtius, & amore dignius appareat; & quod timendum, horribilius; quod odio habendum, turpius; & ſic de cæteris: hoc autem fit, vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo diſponendo, & inclinando affectum, ex quo judicium practicū intellectus plurimùm pendet.* Hęc ibi Suarez, & veriſſimè juxtà Philoſophiæ principia. Ergo teſte ac judice Suare moralis cauſalitas eſt ſolùm impropria, & metaphorica cauſalitas. Ergo cùm econtra à S. Concilio Tridentino dictū ſit, Deum prævenientе utique gratia *verè, & propriè* cauſam eſſe vocationis Pauli, manifeſtū omninò eſt, nō ſolùm præveniente moraliter gratia, ſed etiam præveniente phyſicè, & per modum cauſæ efficientis, & phyſicè effectricis Paulum à Deo fuiſſe converſum.

Confirmatur iterùm Argumento, quo uſus eſt idem Suarez, & comparatione cauſæ moralis, quod argumentum, & comparationem anteà Soto noſter, cum de Sacramentis ageret, eleganter proſecutus fuerat. Si moraliter ſolùm Sacerdos gratiam conferret, non poſſet niſi impropriè dici hominem abſolvere, à peccato mundare, &c. quia in moralibus qui prece, vel imperio, alterum movet, ut aliquid agat, non poteſt niſi omninò impropriè dici, agere id, quod alius, vel rogatus vel juſſus agit: V. G. cùm quis alterum compellit, ut ſibi debitum ſolvat exhibito chirographo, quo eum debitorem tenet, manifeſtum eſt, quòd debitor, qui chirographum exhibet, & ſolutionem poſtulat, non dicitur debitum ſolvere, ſed dumtaxat debitor, qui pecuniam numerat. Similiter cum quis promiſſo pretio pictorem inducit ut imaginem pingat; dici propriè nulla ratione poteſt, imaginem pingere, ſed ſolus pictor, ad quem propriè, & per ſe convenit pingere. Verùm quidem eſt, quòd ad laudem, vel culpam actio etiam dumtaxat imperata jubenti tribui poſſit, ſicut Davidi tribuitur occiſio Uriæ, ſed falſa omninò eſſet propoſitio ſi quis diceret, quòd David *propriè* Uriam occiderit, & quòd ſit proprium ipſius homicidium, quo pacto enim diſtingueretur occiſio Uriæ ab occiſione Goliath. Hoc ſanè proprium Davidis egregium facinus, propriè etenim, Goliathum ictum interfecit, Uriam verò non niſi impropriè; quem ſuo imperio juſſit occidi; ſiquidem ſolùm imperium, omniſque actio moralis non eſt niſi actio *impropria, & cauſalitas metaphorica.* Atqui docet nos S. Concilium Tridentinum quòd *vocatio,* & converſio *Pauli eſt proprium Dei opus,* quòd propriè, & per ſe Deus Paulum convertit: Ergo impoſſibile eſt, quòd ea intelligantur de ſola operatione morali, ſed neceſſe eſt ea intelligi de vera, & propria operatione reali, & phyſica, quatenùs Deus gratia prævenientе, & effectrice voluntatem Sauli immutavit, & convertit.

Confirmatur, & probatur prætereà eadem Minor ex S. Thoma, ſcilicet dici non poſſe, Deum ſola prævenientе motione morali propriè, & per ſe cauſam eſſe, quod Paulus converſus ſit, aut quòd voluntas agat, quam ſolùm moraliter movet. Et quidem quàm plurima ex D. Thoma deſumi poſſunt: Sed, ne actum agamus, probationes ex eo loco repetendæ ſunt, ubi motiones morales minimè ſatis eſſe fusè ex S. Thoma probavimus. *Primò*: quia cauſa moralis, quæ agit conſilio vel imperio, eſt ſolùm cauſa diſponens: cauſa verò propriè, & per ſe agens agit per modum efficientis cauſæ, & eſt cauſa perficiens. *Secundò*: cauſa moralis movet ſolùm ex parte objecti, quod voluntati exhibet, & tot illiciis veluti undique illud induit, & ornat, ut voluntati placere poſſit, eamque alliciat; cauſa verò per ſe, & propriè movet ex parte ſubjecti, & potentiæ, quia proprium principium actus applicat voluntatem ad agendum, ſeu conjungit potentiam cum actu. *Tertiò*: iterùm cauſa moralis agit indirectè, & extrinſecè, neque intra ipſam voluntatem operatur: undè, quia Angelus ſolùm moraliter movet, etiam indirectè ſolùm, & extrinſecè voluntatem movet, minimè verò intrinſecè: Hoc enim pacto, & ſola voluntas creata, & Deus voluntatis author, & creator intra ipſam voluntatem operatur; de quo quam plurima ex S. Thoma dicta ſunt: & ut inquit etiam D. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 45. de Petro flente loquens, cùm ipſum Chriſtus reſpexiſſet. *Reſpexit eum Dominus, intùs actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt; miſericordia Domini latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia ſua viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriora lacrymas movit, & produxit affectum.* Hæc ibi S. Doctor: ubi & motionem moralem, & effectricem etiam recenſet; utraque enim motione felix illa oculorum vis, quibus Dominus Petrum reſpexit, etiam Petrum commovit: moralis, memoriam revocavit, effectrix, cor tetigit: utraque hanc tempeſtatem animi excitavit, quæ tandem in lacrymas effuſas deſiit.

Igitur ex S. Thoma, cauſa, quæ verè, & propriè cauſa eſt, quòd voluntas agat, eſt cauſa per modum cauſæ efficientis; eſt cauſa movens ex parte principii, & potentiæ; eſt cauſa demùm quæ intra ipſam hominis voluntatem operatur. His verò ita ex S. Thoma conſtitutis hac forma reſu-

resumitur Argumentum. Ex S. Tridentino Concilio conversio D. Pauli est *proprium Dei opus*, sive Deus est *propriè*, *& per se* causa conversionis Pauli, suaque præveniente gratia propriè, & per se causa est, quod Paulus conversus sit: Atqui causa propriè, & per se est ex D. Thoma, cui hæc triplex conditio coniuncta est: & ea motio, seu gratia, cui hæc triplex conditio coniuncta est, non est motio moralis, seu gratia præveniens solùm moraliter; sed est physica Divinæ gratiæ motio, & præveniens gratia per modum causæ efficientis: Ergo ex S. Concilio Tridentino præveniens gratia, qua S. Paulus conversus fuit, non est præveniens solùm moraliter, sed etiam physicè, & per modum causæ efficientis.

Dices, à S. Augustino conversionem D. Pauli tribui Divinę vocationi dumtaxat morali, in hoc celeberrimo loco ad Simplicianum q. 2. in fine ubi sic inquit, *Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca: qui tamen una voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidē.* Hæc ibi S. Augustinus. Ubi nihil nisi morale est, vox Christi, quæ auditur, splendor, quo Paulus perstringitur, cæcitas, qua percutitur &c. Et apertiùs idem S. Doctor lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 5. ubi inquit: *Ut autem de cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Ubi conversionem D. Pauli adscribit Divinæ vocationi, ipsamque vocationem gratiam etiam nuncupat: quòd non aliam præter ipsam vocationem prævenientem gratiam esse D. Augustinus existimaverit. Imo quod maioris ponderis est, non alia ex Concilio Tridentino præveniēs gratia est prę-ter ipsam vocationem; ut liquet ex cap. 5. sess. 6. ubi statim initio inquit: S. Synodus *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse: Hoc est vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adiuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorū justificationem, eidem gratię libere assentiendo, & cooperando disponantur.* Ubi expressissimè prævenientem gratiam nuncupat S. Synodus vocationem, quæ vocatio non alia esse potest, quàm gratia moralis. Atque ibidem gratiam nominat illuminationem; & inspirationem, quæ, cùm actiones dùmtaxat vitales sunt; non possunt in alio genere, quàm causę moralis reponi. Nam subdit statim Tridentinum: *Ita, ut tangere Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ille nihil omnino agat inspirationem illam recipiens: quippe qui illam, & abiicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit &c.* Unde cum ejusdem sessionis 6. Can. 4. dictum est, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum .... posse dissentire si velit Deo excitanti atque vocanti*: Divinę motionis nomine non potest non intelligi ipsa vocatio Dei; quod inde liquet quòd cum Concilium dixisset, liberum hominis arbitrium motum esse, & excitatum à Deo; deinde subdit, liberum hominis arbitrium *Deo excitanti atque vocanti.... posse dissentire si velit.* Ubi loco motionis reponit vocationem; quòd scilicet ex mente S. Concilii utraque eadem sit: Ergo à Tridentino non alia præveniens gratia admissa est; præter vocationem, quæ moraliter dumtaxat movet. Adde nihil esse in S. Conc. quod eam motionem physicā innuere possit: cùm ea sit qualitas omninò mortua, & voluntati inhęrens: quæcumque autem Concilium recenset, excitatio, vocatio, inspiratio, sint actiones vitales tùm intellectus tùm voluntatis. Adde demum quòd ex S. Augustino, ut jam à Suare observatum est, *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus.* Ergo non alia ex S. Concilio Tridentino, & D. Augustino, quàm moralis gratia præveniens admittenda est.

Hoc potissimum est quantum reperire potui adversæ sententiæ Argumentum, quo probari possit, eam cum Tridentini definitionibus convenire; præter impugnationem, quæ adversus motionem physicam, & effectricem prævenientem gratiam opponi solet, quòd ex Tridentino, præveniente gratia liberum arbitrium motum, & excitatum resistere possit, si velit, Deo excitanti atque vocanti: quod significat, inquiunt, liberum arbitrium à Deo motum posse etiam in sensu composito Divinæ motioni resistere; quod sanè nullo pacto intelligi posset, si ea motio esset physica, & effectrix gratia.

Verùm hæc omnia debilissima esse videntur: & si quis ea cum iis rationibus, quas ex S. Concilio Tridentino deducimus, conferre velit; longè inferioris momenti ea esse existimabit: Atque ea omnia, & si quæ validiora ab Adversariis erui possint Argumenta, unicum Tridentini verbum omninò evertit; scilicet conversionem D. Pauli esse *proprium* opus Dei, & Deum præveniente gratia *propriè, & per se* conversionem D. Pauli operatum esse. Sed quod ad impugnationem attinet, quòd si Dei moventis motio physica esset, liberum arbitrium non posset dissentire, & resistere, deindè erit dicendum: cætera verò hic impugnanda vel explicanda sunt. Cum verò plurima reponenda sint ea in tres partes divido: *Primò: quantum ad ipsam D. Pauli Conversionem: Secundò: quantum ad D. Augustini mentem. Tertio: quantum ad mentem Tridentini Concilii.* Igitur.

Quantum *ad ipsam D. Pauli conversionem*: Impugnatur *Primò* quòd dictum est D. Paulum sola Dei vocatione morali conversum fuisse. In primis enim, illud oppono, quod jam suprà retuli ex S. Ignatio: qui omni dubio procul prævenientem gratiam multò validiorem, & fortiorem esse significavit, quàm esse possit moralis motio. Interdum inquit, *voluntatem Divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quominùs sequatur impulsum talem, sicut legimus D. Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo accidisse.*

diſſe. Credat quiſquis voluerit, hæc à S. Ignatio dicta, moralem dumtaxat vim in illa vocatione Divina qua Paulus vocatus eſt, ſignificare: aliter ſenſiſſe S. Ignatium, in Schola D. Thomæ inſtitutum, ego non dubito. Neque enim intelligi ſatis commodè poteſt, eum impulſum animæ impreſſum à Deo, tantum eſſe, ut etiam dubitandi facultas animæ ſublata ſit, quominùs ipſum anima ſequatur, (eodem ſcilicet ſenſu quo à S. Thoma dictum anteà fuerat, quod impoſſibile ſit, illum Charitatem amittere, Deumque non diligere, quem Spiritus Sanctus ad diligendum impellit: 2.2. quæſt.24.art.11.) intelligi inquam non poteſt, hunc impulſum non eſſe motione phyſica, & effectrice impreſſum.

Impugnatur *Secundò*, quòd ut referunt Lovanienſes in Aſſertione 10.olim inter adverſæ ſententiæ Theologos quidam conſentaneè ad ea quæ ex S. Ignatio retulimus, à communi regula motionis moralis inſignes D. Pauli, D. Magdalenæ, D. Matthæi &c. converſiones excipiebant. Cùm enim Omnipotentiæ Divinæ miraculo factas eſſe ſatis conſtaret, non ægrè ij Theologi aſſentiebant, efficaciſſima præveniente gratia effectricè factas fuiſſe. *Ut faciamus*, inquiunt, *non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis, dum converterentur; ſed ſufficit multò minor, quæ pleniſſimam relinquat libertatem.* Hæc ibi. Quæ ſatis indicant, antea nunquam dubitatum ab eis fuiſſe, quin ea præveniens gratia, qua S. Paulus vocatus fuit, efficaciſſima, & effectrix fuerit: neque id ab hujus ſententiæ authoribus adhuc negabatur, ſed omninò ac ſemper neceſſariam eſſe hanc efficaciſſimam, & effectricem gratiam arbitrabantur.

Verùm hic inprimis non agitur, utrùm minor motio ſufficiat ad converſionem, nec ne: ſed utrùm eſſe poſſit illa Divina effectrix motio, quæ libertatem homini relinquat, quantùm quidem neceſſe eſt ad meritum; neque enim negari poteſt quin S. Paulus, S. Magdalena, & S. Matthæus converſionibus adeò heroicis maximè meruerint; & puto, res foret admodùm nova, ſi quis id negaret. Quod verò ab iis Theologis additur, ſufficere motionem minùs efficacem ut relinquatur pleniſſima libertas: alieniſſimum eſt à mente S. Auguſtini, à quo totiès dictum eſt, *quòd voluntas eò liberior eſt quò ſanior, eò ſanior quò Divinæ gratiæ ſubjectior.* Epiſt. 90. & Divina gratia fieri *liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem.* Lib. de corrept. & gratia cap. 8. quia, ut ibidem inquit S. Pater, *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potiùs libertatem.* Unde, & Duacenſis Academia in eam prædictorum Theologorum aſſertionem meritò reponit. *Quòd ſi*, inquiunt, *in Paulo vel Magdalena, aliiſque, dum converterentur, agnoſcitur illa efficax, & infallibiliter voluntatem determinans per gratiam excitatio, ſalva interim arbitrii libertate, ut agnoſcere videtur aſſertor; quid eſt quòd in cæteris eam negemus.*

Impugnatur *Tertiò*: ex eo quòd olim Caſſianus apud S. Proſperum cap. 9. cùm eam quæſtionem proponeret, *Utrùm, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus; an quia Deus miſereatur, conſequamur bonæ voluntatis initium?* exiſtimavit, hæc duo ita eſſe componenda, ut in quibuſdam Divina miſericordia initium bonæ voluntatis præveniret, ut in D. Paulo, & D. Matthæo: in aliis verò econtrà, ut in Zachæo, & bono Latrone; in quibus bona voluntas Divinam miſericordiam antevertit. Et quidem in his qui Divina gratia præveniuntur, auferri libertatem exiſtimabat: Unde & apud S. Proſperum cap. 15. inquit: *Hæc enim duo, id eſt vel gratia vel liberum arbitrium ſibi quidem videntur adverſa, ſed utraque concordant; & utrumque nos pariter debere ſuſcipere pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini ſubtrahentes Eccleſiaſticæ fidei regulam exceſſiſſe videamur.* At verò utrumque concordare exiſtimabat eodem ſenſu, quo ſuprà dixerat, hæc duo, & bonam hominis voluntatem, & Dei miſericordiam eſſe componenda; ut in aliis Divina miſericordia, in aliis bona voluntas inciperet: ita enim non in uno, & eodem, quòd ad initium bonæ voluntatis ſpectat, gratiam, & libertatem concordare exiſtimabat, ſed in aliis gratiam, in aliis libertatem commendari. Atque ita D. Proſper intellexit eod. cap. 15. ubi poſt relata Caſſiani verba, aliiſque additis, quibus explicuit qua ratione Eccleſiaſtica regula, ubi de initio bonæ voluntatis agitur, intelligenda ſit; addit: *Hæc regula nulli hominum aufertur voluntas, quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur, ut non ſint: ſed ut ex malis bonæ, & ex infidelibus ſint fideles.* Ac deinde: *In qua ſententia ſi author ipſius permaneret, Eccleſiaſticam regulam non excederet; neque ſimul, & libero arbitrio offenſus, & gratiæ Dei eſſet ingratus: quorum dum unum in Paulo, & Matthæo, aliud in Zachæo, & Latrone judicat operatum; non intelligit, in illis ſe liberũ arbitrium, in iſtis gratiã ſuſtuliſſe.* Ac demùm cap. 39. adhuc apertiùs in 6. definitione, cùm Caſſiani verba quæ retulimus, repetiiſſet, nimirùm, quòd *gratia, & liberum arbitrium ſibi quidem videntur adverſa, ſed utraque concordant*: ſubdit D. Proſper: *Quaſi ita utrumque recipiendum ſit, ut in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem; & non ita ut in omnibus voluntas gratiam ſubſequatur: quoniam ſecundùm ipſum, ſi aufertur liberum arbitrium cùm à gratia prævenitur, aufertur gratia, cùm à libero arbitrio prævenitur.* Hæc ibi.

Ex quibus clariſſimè conſtat, exiſtimaſſe Caſſianum, hæc duo adverſa eſſe, prævenientem ſcilicet gratiam, & liberum arbitrium: quod ſanè intelligi nunquam poterit de prævenientè ſolùm gratia morali, aut de ſola cooperante, & concurſu ſimultaneo. Neque enim unquam ita exiſtimare potuit egregium alioquin ingenium: ſed neceſſe eſt, quod majorem vim gratiæ prævenienti adſcripſerit, & tantam ut etiam liberum

arbitrium auferret. Quod etiam aliunde clarissimè constat, ex eo quòd facta illa duplici hominum portione, ut diximus, exististimaverit, ut refert S. Prosper cap. 14. quòd altera *portio reluctans, & invita compellatur*: Atqui ea verba dubio procul non moralem, & cooperantem solùm gratiam, sed effectricem & efficacissimam significant.

At verò hæc correxit D. Prosper, ubi error erat: neque tamen eam gratiæ Divinæ efficaciam inesse negavit; sed negavit, ea Divinæ gratiæ virtute libertatem hominum auferri; quia *virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur ut non sint, sed ut ex malis bonæ sint.* Ac deinde contendit, eadem Divinæ gratiæ virtute, qua D. Paulus conversus est, etiam, & Zachæum fuisse attractum. *Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani, & Pauli tunc Ecclesiam persequentis; ipse & in corde Zachæi, & in corde crucifixi Latronis cum Domino, illuxit.*

Hæc igitur cùm S. Prosper statuisset, multisque confirmasset, à nemine deinceps unquam dubitatum est, quin ea miraculosa D. Pauli conversio vi prævenientis efficacissimæ gratiæ, multòque majoris quàm sit moralis gratia aut cooperans, facta fuisset. Ita D. Ignatius, ut ex verbis quæ suprà retulimus, liquidò constat, existimavit. Ita etiam ii quos Lovanienses, & Duacenses referunt, exististimarunt: quamvis tamen dubitationem aliquam adjungere incæperint, *Qualis*, inquiunt, *fortè fuit in D. Paulo.* Ubi etiam adversæ sententiæ progressus adverti potest. Primùm enim illi dubitare dumtaxat cæperunt, cùm nemo adhuc, ut diximus, id negaret, resque omninò apud omnes certa, & comperta esset. Verùm alii, cùm inde gravissimum contra eorum sententiam Argumentum desumi posse animadverterent, tamen exertè negarunt efficacem etiam illam in D. Paulo gratiam, & in his conversionibus quæ miraculo factæ sunt. Ex quibus, ut dixi constat, semper existimatum fuisse, D. Pauli conversionem Divinæ Omnipotentiæ ac Divinæ gratiæ efficacissimæ miraculum fuisse.

Impugnatur *Quartò*: quòd Divinæ motioni, & gratiæ prævenienti, non solùm moraliter, sed verè, & propriè, & per modum efficientis causæ agenti, tribuendam esse S. Pauli conversionem non dubitaverit D. Thomas, 1. 2. quæst. 112. art. 2. ubi de præparatione, & dispositione hominis ad gratiam agitur. Cùm enim sibi opposuisset, nullam requiri dispositionem: quæ enim requiri poterat in Paulo, qui gratiam consecutus est *dum esset spirans minarũ, & cædis in discipulos Domini* actor. 9.? Respondet: ad secundum *Dicendum, quòd cùm homo ad gratiam se preparare non possit, nisi Deo eum præveniente, & movente ad bonum, non refert utrùm subitò, vel paulatim, aliquis ad perfectam præparationem perveniat: dicitur enim Eccl. 11.* „ *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.*„ *Contingit autem quandoq; quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam: sed quandoq; statim perfectè movet ipsum ad bonũ, & subitò gratiam homo accipit, secundùm illud Joan. 6.* „ *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: „ *Et ita contigit Paulo: quia subitò cùm esset in progressu peccati, perfectè motum est cor ejus à Deo, audiendo, & addiscendo, & veniendo; & ideò subitò est gratiam consecutus.*

Hæc ibi S. Thomas: quibus Divinę motionis vi, & efficaciæ tribuit quòd statim ac momento in S. Paulo Dei gratia effecerit, quod longo spatio in cœteris efficere solet, qui veluti per gradus, & post longam dispositionum seriem, conversionis gratiam consequuntur. Sed apertiùs quæ fuerit hujus motionis vis statim explicat sequenti Articulo 3. in Responsione ad 1. ubi inquit, quòd *Præparatio hominis ad gratiam est à Deo sicut à movente: à libero autem arbitrio sicut à moto. Potest igitur præparatio dupliciter considerari: uno quidem modo, secundùm quòd est à libero arbitrio: & secundùm hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ:* & quia humana voluntas propter innatam inditamque sibi à Deo libertatem, potest & aliud velle, & cuilibet motioni quantumvis efficaci potest resistere: sed *Alio modo potest considerari secundùm quòd est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quòd S. Augustinus dicit in lib. de prædestinat. sanctorum, quòd* „ *per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur.* „ *Unde si ex intentione Dei moventis est, quòd homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Joan. 6.* „ *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me* „

Hactenùs ibi S. Thomas: ubi observandum est, intelligi à D. Thoma necessitatem infallibilitatis, non qualemcumque etiam moralem, sed summam, & metaphysicam, quam alibi immutabilitatem vocat, & tantam ut ipsi etiam Divinæ intentioni infallibilitas innitatur: quia non alio pacto quàm ea motione Divina intentio executioni mandatur. *Habet*, inquit, *necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest.* Quis autem existimet, eam motionem, quæ, *ut est à Deo movente*, habet *eam necessitatem infallibilitatis*; esse motionem moralem, cui humana voluntas in omni sensu, & composito, & diviso; seu conjunctim, & divisim; omnique potentia, & antecedente, & consequente, æquè dissentire potest, ac consentire: Igitur nihil apud S. Thomam certiùs, Divinæ gratiæ motionem, qua conversus est D. Paulus, prevenientem esse, & effectricem gratiam; quæ infallibiliter, non quomodocumque, non ex præscientia usus liberi arbitrii, non ex dispositione circumstantiarum, aut ex multitudine, & varietate auxiliorum, sed vi sua, & ut erat à Deo movente,

vente, Paulum convertit. Et ſanè probabilior erat eorum ſententia qui inſignes converſiones Pauli, Magdalenæ, Matthæi &c. ab ea communi motionis moralis lege ſeponebant. Quis enim in dubium revocare poſſit, maximam, & omnipotentiſſimam, ut S. Auguſtinus loquitur, gratiam Dei neceſſariam fuiſſe, quâ Pauli ferocia momento ſiſteretur, cùm nihil niſi minas, & cædes ſpiraret; & ut ipſemet de ſe inquit Actor. 26. verſ. 5. περισσῶς ἐμμαινόμενος ſupra modum inſaniens eſſet? Quis inquam dubitet, Divinæ Omnipotentiæ miraculum fuiſſe, quòd momento, ut inquit D. Auguſtinus Serm. 13. de Sanctis. *Ex Perſecutore Prædicator, ex Lupo Ovis, ex Hoſte Miles effectus fuerit.* Hoc veriſſimè à S. Concilio Tridentino dictum eſt, *proprium Dei opus* fuiſſe, & Deum *propriè*, *& per ſe* ineffabili, ſed efficaciſſima prævenient gratia hanc converſionem effeciſſe: Ergo evidens eſt, ſaltem D. Pauli converſionem in Divinam motionem, & prævenientem gratiam effectricem referendam eſſe. Sed ad alia progrediendum eſt.

Quantùm ad ſecundum, & quod ad D. Auguſtini mentem attinet: Impugnatur quod dictum eſt, D. Auguſtinum Divi Pauli converſionem morali dumtaxàt vocationi adſcripſiſſe. Impugnatur inquam *Primò*: quòd D. Auguſtinus vocationis nomine vocationem veriſſimè effectricem intellexerit. Et dubitari quidem non poteſt, quin ſæpiſſimè prævenientem gratiam nomine vocationis D. Auguſtinus nuncupaverit. Verùm indè plurimi decepti eſſe videntur, quòd non animadverterint, quam vim Divinæ huic vocationi tribuerit, & quæ occaſio fuerit cur prævenientem gratiam vocationem appellaverit.

Obſervandum igitur eſt, quòd eo lib. 2. qu. 2. ad Simplicianum, primùm emergere cepit S. Auguſtinus ex eo errore in quem olim inciderat, initium ſcilicet Fidei eſſe ex nobis; ut ipſemet de ſe refert lib. 4. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 3. & lib. de Bono Perſever. cap. 20. Cùmque in ea quæſtione difficilem Apoſtoli locum explicare aggreſſus eſſet, ad Rom. 9. verſ. 11. *Cùm nondùm nati fuiſſent*, (Jacob, & Eſau) *aut aliquid boni egiſſent, aut mali*; (*ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret:*) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui &c.* Cùmque S. Doctor animadverteret, à Divo Paulo totius prædeſtinationis negotium in Dei vocationem referri; *non ex meritis, ſed ex vocante dictum eſt*: inde vocationis nomine gratiam omnem nominandam eſſe exiſtimavit. Et verò cùm prima omnium gratia, atque omnium beneficiorum origo, & præparatio, quæ eſt ipſa prædeſtinatio, ab Apoſtolo vocatio nuncupata fuerit; non erat cur gratia omnis, quæcumque illa ſit, vocatio nominari non poſſet. Verùm ea vocatio eſt quâ *Deus vivificat mortuos*, ut loquitur idem S. Paulus; *& vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*. ad Rom. 4. 17. quæque ſubindè non moralis dumtaxàt, ſed etiam veriſſimè, & propriiſſimè effectrix: ſicut & ipſa Dei locutio, quâ *dixit, & facta ſunt*; & ipſum Divinum imperium, quo rebus etiam inanimatis imperare dicitur; quis dubitet propriiſſimè vim habere efficiendi: cùm eâ imperiali voce, ut Tertullianus loquitur, Mundum produxerit, ſuoque imperio res omnes immutet, ut libuerit: ſicut & Lazarum ſua voce è tumulo excitavit. Tunc enim potiſſimùm *dedit voci ſuæ virtutem*. Unde & S. Auguſtinus, ut ſignificaret, quam vim ejuſmodi vocationi Divinæ tribueret, expreſsè eâdem quæſt. 2. eam vocationem nuncupat effectricem. *Sed ſi vocatio*, inquit, *ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus ſequatur; quomodò verum erit: „multi vocati, pauci verò electi„?* Ubi apertiſſimè vocationem effectricem bonæ voluntatis nuncupavit: atque inde argumentum ſibi opponit, quòd ſi ea vocatio effectrix ſit bonæ voluntatis, quo pacto intelligi poſſit, multos eſſe vocatos, qui tamen electi non ſunt, & in quibus ſubindè ea vocatio bonam voluntatem non efficit? Quem nodum ſtatim ita ſolvit S. Doctor: quòd *quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*. Ubi efficaciam vocationis effectricis Divus Auguſtinus in eo reponit, quòd voluntati contemperata ſit vocatio: non eo ſenſu quo plurimi intelligunt, qui operis, & Divinæ gratiæ determinationem voluntati relinquunt, & ſolam moralem motionem Dei admittunt; ſed eo ſenſu quòd *effectricis vocationis* vis non ſolùm moralis, ſed etiam vera, realis, propria, & phyſica ſit, (repugnat enim, moralis ſolùm vocationis vim eſſe verè, & propriè effectricem:) quòd inquam ea effectricis vocationis vis malitiam voluntatis ſuperet, eamque ſibi ſubjiciat, eamque aptet ut ſibi conſentiat: *quoniam omnia ſerviunt tibi*: ut diximus ſupra, & infra Diſſertatione 3. fuſiùs explicabimus. Et verò vocationem effectricem non ibi ſolùm admiſit S. Auguſtinus, ſed & lib. de Prædeſtinat. SS. c. 19. ubi inquit, Deum operari *in cordibus hominum, vocatione illa ſecundùm propoſitum ſuum, de qua*, inquit, *multùm locuti ſumus, ut non inaniter audiant S. Evangelium, ſed eo audito convertantur, & credant*.

Atque inde facilè intelligitur, quo pacto D. Auguſtinus converſionem B. Pauli tribuerit vocationi Divinæ, vel quam exiſtimaverit vim eſſe hujus Divinæ vocationis. Eſt enim ea vocatio, quâ Deus *vivificat mortuos*, & quâ vocat, efficitque *ea quæ non ſunt*: ſicut diximus, Chriſtum vocando Lazarum ipſum ſuſcitaſſe. Atque eo pacto conſentiunt & quæ à Sacro Concilio Tridentino, & quæ à D. Auguſtino dicta ſunt. Eſt enim ex ea vocatione Divina, facta converſio Pauli, *proprium opus* Dei; & Deus *propriè*, *& per ſe* eam converſionem Pauli operatus eſt; quia ea *vocatio* non moralis dumtaxàt fuit, ſed phyſica, & realis, ac *effectrix bonæ voluntatis* Pauli.

Impugnatur *Secundò*: quòd mirũ eſſet ſi Divus Auguſtinus non aliud quàm ea quæ ſupra enu-

merata sunt admisisset, scil. terribilem Christi Domini vocem, circumfusum splendorem quo excæcatus, & dejectus est Paulus; & alia hujusmodi, quæ ad externum apparatum magis quàm ad Divinæ vocationis, & gratiæ efficaciam pertinent; hæc enim externa solùm erant, neque quidquam effecissent, nisi Deo cor Sauli tangente intùs, ut loquitur Sac. Concilium Tridentinum, in ipsa ejus voluntate operatus esset ea infinita, & efficacissima vi quæ confringit Cedros Libani: Ergo etiam alteram seu internam gratiam, quæ in ipso Pauli corde cõversionem illius operata sit reipsà admisit. Atque eam explicat idem Augustinus in Ps. 44. ad ea verba: *Sagittæ tuæ acutæ, Populi sub te cadent in corda inimicorum Regis*; ubi transpositio verborũ obscurũ sensum efficit; ita verò jungenda sunt. *Sagittæ tuę acutę in corda inimicorum Regis; Populi sub te cadent*: ubi D. Augustin. *Sagittæ tuæ acutæ, potentissimè & transfigentes, & efficientes. Blasphemabat Saulus Christum, cecidit, prostratus est; occisus est inimicus Christi, ut vivat Discipulus Christi. De Cælo emissa est sagitta: corde percussus est Saulus: nondùm Paulus, adhuc Saulus, adhuc erectus, nondùm prostratus: accepit sagittam, cecidit in corde: non enim quo prostratus est in faciem, ibi cecidit in corde, sed ubi ait: Domine: quid me jubes facere? Modò ibas ad Christianos alligandos, & perducendos ad pœnam, modò dicis Christo: Quid me jubes facere? O sagittam acutam potentissimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, ut esset Paulus!* Hæc ibi S. Augustinus: ubi *sagittas transfigentes, & efficientes* vides. Præter enim ea externa visa quæ ad apparatum composita dici possunt; alterum fuit internum, cui vis & efficacia omnis inerat, Divina scilicet interna vocatio, seu gratia, quæ veluti sagitta electa, & è Cælo missa, cor Sauli transfixit, & ipsam ejus in Paulum, conversionem *verè, & propriè* effecit.

Impugnatur iterùm magis & *Tertiò*: quod idem idem existimandum sit, sensisse Divum Augustinum de D. Paulo, ac de Assuero, cujus mutationem momento factam sæpiùs S. Augustinus miratur: Atqui eam non externo apparatui, non motioni morali, sed efficacissimæ motioni adscribit lib. 1. contra duas Epist. Pelagianor. ubi cùm Pelagiani objicerent, cap. 18. *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere aut malum.* Hæc enim est toties recocta crambes, quam perpetuò ingerebant, hominem ad bonum cogi, si ea esset vis prævenientis gratiæ quam D. Augustinus admittendam esse contendebat. Quis verò sibi suadeat, non ignobilia alioquin ingenia, & acutissima, existimare potuisse, quòd motione dumtaxàt morali, vel sola cooperatione, quæ voluntatis determinationem supponit, voluntas ad virtutem cogeretur? Existimabant ergo postulari à D. Augustino prævenientem, & effectricem bonæ voluntatis motionem Divinam.

Huic igitur Pelagianorum argumento S. Augustinus respondet, neminem invitum cogi, sed Divina gratia ex nolentibus, & repugnantibus volentes fieri, quod inprimis exemplo D. Pauli demonstrat. Nec verò ad hujusmodi congruitatem, aut visorum opportunitatem conversionem refert, sed in Divinam gratiam effectricem, & intùs operantem. *Quàm multi* enim, inquit cap. 19. *inimici Christi quotidiè subitò Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum*: trahuntur sanè, ut aversa, & repugnans voluntas significaretur; *quis enim trahitur si jam volebat?* Nolebat igitur, sed ideò trahitur ut velit. *Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in ipsis hominum cordibus operari; non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Miris modis trahi homines dicit, dum alios timore percellit, alios autem amore allicit, ut aliàs explicuimus; sed intùs in omnibus hominum cordibus operatur, sive timorem incutiat, sive injiciat amorem: *Et hoc*, inquit deinde cap. 20. *non conjecturâ suspicamur humana, sed evidentissima Divinarum Scripturarum authoritate dignoscimus.* Atque inter plurima alia exempla illustrissimum Assueri Regis exemplum refert; *qui velut taurus in impetu indignationis suæ*, conjectis in Esther Reginam oculis, eam penè timore confecit: & tamen repentè Deus cor Regis *occultissimâ, & efficacissimâ potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est, de voluntate lędendi ad voluntatem favendi, secundùm illud Apostoli „ Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere. „*

Hìc sanè nullus externus apparatus occurrit, ut nullius meminit S. Augustinus, sed occultissimę, & efficacissimæ potestatis vi repentinam Regis Assueri immutationem adscribit: & ut magis expendit lib. de Gratia Christi cap. 24. *Quis non videat, multò majus esse, indignationem è contrario in lenitatem cõvertere atque transferre, quàm cor neutra affectione prędoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquid declinare?* Unde statim subdit cõtra Pelagianos, qui omnia ad motionem quamdam solùm moralem referebant. *Legant, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecùs, sed interna atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Ubi iterùm & ineffabili, ac mirabili Dei potestati intùs in ipso corde operanti, eam repentinam Assueri conversionem tribuit, neque sufficere revelationes quæ motionem moralem important, contendit: Nam alioquin illuminationem omnem, quæ etiam stupentem excitaret voluntatem nemo tunc temporis in Ecclesia negabat: ut constat ex eodem S. Augustino cap. 7. & 10. Sed de ea solùm controversia erat, quæ fieret *aliqua subministratione virtutis*, cap. 2. hac enim extingui hominis libertatem semper S. Augustino objiciebatur. Unde & à Cassiano, quem retulimus suprà, dictum est, quòd *Gratia & liberum arbitrium sibi videntur adversa*: verùm libertatem cum gratia, & efficacissima gratiæ potestate conjungi D. Augustinus

con-

contendebat. Unde & loco superiùs laudato respondet S.Pater: *Nunquid homines qui hæc scripserunt, immò ipse Spiritus Dei, quo authore per eos ipsa conscripta sunt, oppugnant liberum arbitriũ? absit; sed Omnipotentis in omnibus, & judicium justissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendavit.*

En igitur unde conversus est Paulus, scilicet unde immutatus est Assuerus; *occultissima scilicet, & efficacissima, mirabili, & ineffabili potestate.* Non igitur in solam vocationem moralem, vel apparens externum aliquod quantumvis ad terrorem compositum objectum Paulo signum, hujus Apostoli conversionem S. Augustinus retulit: Sed in ipsam occultissimam, & efficacissimam Dei potestatem, quâ intùs in ipso Pauli corde operatus est non solùm indeliberatos aliquos lenitatis, & humanitatis affectus; sed liberrimam voluntatem faciendi, sicut & liberrimam voluntatem lædendi compressit.

Impugnatur *quartò*, quòd ea omnia multò majorem vim habitura sint; si ad Divinam potentiam referantur. Equidem verum est quod S. Augustinus observat, prostratum fuisse Paulum, *occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sevitia retorqueretur, & corrigeretur ad Fidem.* Sed quis dubitet, etiam non occurrente tali viso potuisse Saulum converti? Hæc equidem ad apparatum esse, & quandam opportunitatem, ultrò admitto: sed quod ad efficaciam gratiæ Divinæ spectat; *ut de Cælo vocaretur* Saulus, *& tam magna, & efficacissima vocatione vocaretur, gratia Dei erat sola*, inquit idem S. Doctor lib.de Gratia, & Lib.Arbitr. cap.5. Et verò quo pacto aliter intelligi possit, quod docet idem S. Augustinus in Enchirid. cap. 95. *Neque veraciter ob aliud vocatur Omnipotens* Deus, *nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujusquam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Supponamus enim, sola Divina operatione, quâ intùs in hominis voluntate operatur, nulloque tali signo occurrente Deum velle hominem convertere, sicut interdùm repugnantibus omnibus, animum ita confirmat, ut *cum omnibus amoribus, terroribus, erroribusque suis vincatur hic Mundus*: quod nos *Sanctorum martyria docuerunt*, qui *cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia*, solâ Divinâ gratiâ intùs ipsorum animum firmante superarunt, ut fusè prosequitur S. Augustinus lib.de Correpț.& Grat. cap.12. Ubinam verò tum illa collectio, illa quæsita, & captata auxiliorum opportunitas, ille apparatus.

Sed præterea adesse semper internam illam animi dispositionem, quæ efficit ut opportunissima sint auxilia Divina, quæ homini conferuntur, etiam dubitari non potest; sed ea dispositio est, non quam consulit, aut expectat, & supponit, sed quam ipsa Divinæ gratiæ, & motionis vis efficit. *Aptat* enim nos *in omni bono* cùm voluerit Deus, & ut voluerit, ad Hebr. 13. & ut dicitur Psal.20. *Pones eos dorsum, & in reliquiis tuis*, in textu Hebraico in funibus במיתריך *præparabis vultum eorum*, id est, eos in fugam convertes, & dum etiam terga vertent facies eorum obvertes, & vultum præparabis, ut emissas ex arcu tuo sagittas excipiant: in eam scilicet veluti partem quam voluerit, animum convertit, ut opportunissimus sit vulneri infligendo locus: neque aliter intelligi potest, Deum habere *humanorum cordium quò placet inclinandorum Omnipotentissimam potestatem*, ut docet S. Augustinus lib. de Correpț. & Gratia cap. 14.

Sed præterea quandoquidem occasione conversionis D. Pauli in eam quorumdam sententiam incidimus, qui efficaciam gratiæ in certo apparatu, & opportunitate, & collectione auxiliorum reponunt, nec dubitant uti exemplo Divi Pauli, qui occurrente tali viso conversus est: quamvis eam cordis Pauli mutationem ad solam potestatem dexteræ excelsi, & efficacissimam, tum Veteres, tum D. Thomas referant: Neque ii, de quibus agunt Censura Lovanienses, & Duacenses id adhuc excogitaverant, aut ipsis venerat in mentem, ut ad illum apparatum D. Pauli conversionem revocarent. Sed quo pacto in Angelo intelligi poterit ille apparatus, illa opportunitas, aut ea Divinorum auxiliorum collectio, quorum si prima inutilia sint, & sine effectu cadunt; alia efficaciora succedant, quousque voluntas fatigata succumbat. Hæc sanè de Angelis dicta vix intelligi possunt; ac potissimùm in sententia S. Thomæ, qui existimat quòd in primo instanti ex Divina, & peculiari motione, Angelus, & mereri potuit, & peccare non potuit. Sed multò minùs intelligi potest hæc auxiliorum collectio, & varietas, si de Christo sermo sit; cui perpetuò perfectissima auxilia collata sunt, ut perfectissimos virtutum actus eliceret, ut dubitari non potest, & tamen comparat D. Thomas voluntates Sanctorum, qui Divina motione interiùs ad opera pietatis à Deo moventur, cum ea motione, & directione voluntatis Divinæ quâ voluntas Christi humana regebatur 3. par. quæst.18.artic.1. ad 2. ubi sic inquit: Dicendum, *quòd quidquid fuit in natura humana Christi movebatur nutu voluntatis Divinæ: non tamen sequitur, quòd in Christo non fuerit motus proprius voluntatis humanæ; quia etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur secundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere, ut dicitur Philipp.* 2. Neque alio modo conciliat S. Doctor libertatem Christi cum directione voluntatis Divinæ, quam eodem prorsùs, quo etiam sub Divina motione cujuslibet alterius voluntatis libertatem illæsam esse defendit. Unde satis constat, eam de vario apparatu, & de varia Divinorum auxiliorum collectione sententiam, gravibus difficultatibus, quæ in præsenti controversia occurrunt, expediendis, minimè sufficere. Et cùm ea sententia potissimùm usurpata fuerit ad conciliandam Divinæ gratiæ efficaciam cum libertate voluntatis creatæ supersunt adhuc plures, & implicatissimi nodi, quibus solvendis nec infinita auxiliorum collectio satis unquam esse poterit.

Sed

Sed prętereà *medicamenta multa habet Medicus noſter*, ut inquit S. Ambroſius in Lucam: quod libuerit Deus adhibet vulneri ſanando opportunum: ſed quodlibet illud ſit, quod adhibeat, ineſt ipſi ea vis, ex Divina Omnipotentia, quæ morbum depellat. Poteſt, *cùm voluerit ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ poteſtate perducere*, inquit S. Auguſtinus lib. de Corrept. & Gratia cap. 5. Poteſt cùm libuerit, corruptum voluptatibus inconcuſſis animum ad temperantiam, & veram animæ ſanitatem, ſcilicet ad charitatem *occultiſſima, & potentiſſima medicinæ poteſtate perducere*; & quoties uno verbo ſanatur animus, toties ex ea potentiſſima medicinæ Divinæ poteſtate ſanitas oritur, cui nulla vis morbi obſiſtere poteſt.

Et quidem interdùm, ut egregiè inquit S. Auguſtinus, Divina hæc *medicamenta ſunt non medicata*, in Pſal. 57. verſ. 5. quæ ſcilicet non omnem ad integram ſanitatem animæ conferendam vim habent. *Medicamenta erant in Prophetis: medicamenta erant in Lege. Præcepta ipſa omnia medicamenta erant. Et hoc medicamentum non erat medicatum. Adventu Domini hoc medicamentum eſt medicatum.* Eam enim vim omnem ut libuerit temperat: atque iis ego propriiſſimè ſufficientia auxilia explicari intelligo, præter quæ alia, & majora, & efficaciora medicamenta requiruntur. Ea Deus adhibet ut libuerit, penès enim ipſum eſt; *alios* enim *efficaciùs*, *alios minùs efficaciter movet*, ut aliquando dixit S. Thomas quæſt. 1. de Potent. art. 2. Sed & interdùm *medicamenta medicata* adhibet, quibus auxilia intelligo, præter quæ alia non requiruntur, & quibus etiam ſi libuerit, momento integram ſanitatem animæ reſtituit. Cęco Marc. 8. Dominus paulatìm viſum reſtituit, obſiſtente ſcilicet hominis infidelitate, ut ex Theophilacto exponit S. Thomas in Catena, quam momento Chriſtus vincere noluit: ſed Lazarum momento è tumulo excitavit, & Simonis Socrui integras vires ſtatim, ac momento reparavit. Hæc pro ſuo arbitrio Chriſtus effecit: atque ita momento, ſine ullo apparatu, ſine alia voluntatis opportunitate aut diſpoſitione, operante ſcilicet intùs gratia Divina, ubi nullus hominum videt, ipſam hominis voluntatem immutare Deum poſſe quis ambigat? Et ſanè ſi quis negaret, ut cum S. Auguſtino ibid. in Enchirid. loquar, periclitatur principium Symboli, & Fidei noſtræ, quo Deum Omnipotentem eſſe confitemur: neque enim veraciter ob aliud Deus Omnipotens vocatur, niſi quia cùm voluerit, & quomodò voluerit hominem poteſt flectere, immutare, atque convertere. Unde & S. Thomas obſervat, momento D. Paulum à Deo fuiſſe converſum, 1. 2. quæſt. 112. art. 2. Quia licèt converſio hominis libera, ſine motu liberi arbitrii, ac ſine voluntatis libertate fieri non poſſit; attamen in Dei poteſtate eſt eodem momento, & formam, & diſpoſitiones inducere.

Igitur in eo poſita eſt vera difficultas hujus controverſiæ, quæ omnia ingenia exercet; an ſcilicet in ſingulari ad quemlibet actum Deus vi ſuæ gratiæ poſſit hominem inflectere, immutare, convertere; an cùm homo vel terrore à peccato retrahitur, vel amore ad Deum rapitur; ea ſit efficacia Divinæ motionis, ſeu gratiæ, quæ vel timorem injicit, vel amorem impertit. Unde & S. Thomas parùm de ea opportunitate, vel collectione Divinorum auxiliorum fuit ſollicitus, quamvis tamen non eam prætermiſerit, ut aliàs oſtendemus fusè, ſed eam collectionem ad ordinem Divinæ providentiæ ſervandum dumtaxàt pertinere, eamque opportunitatem ab ipſa gratia Divina effici exiſtimavit: cùm tamen perpetuò illam Divinam motionem inculcaverit, & ad omnes actus à voluntate elicitos advocaverit, ut etiam poſt alia S. Concilia Tridentinum. Hinc enim efficacia gratiæ omninò repetenda eſt; cætera enim quæ junguntur, non ad efficaciam Divinæ voluntatis, & potentiæ, ſed ad ordinem Divinæ ſapientiæ, & providentiæ, & ut illud uſurpem, ad apparatum dumtaxàt pertinent, ut aliquando expreſſiſſimis S. Thomæ locis demonſtrabimus. Hæc enim duo ſemper jungenda ſunt, fortiter ſcilicet, & ſuaviter omnia à Deo diſponi.

Unde & hìc etiam reperiri dixerim quòd à S. Auguſtino obſervatum eſt lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. *Solo vomere terra proſcinditur: ſed ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria. Et ſoli nervi in citharis atque ejuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum; ſed ut aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, ſed ea quæ percuſſa reſonant, his connectuntur*: qua comparatione explicat quòd etiam in ipſa Scriptura, *& in prophetica hiſtoria dicuntur aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant, & quodammodò religentur.* Servandus enim eſt in rebus omnibus quidam ordo; non omnia eundem uſum habent: quædam ad ſolum ornatum, & quandam decentiam pertinent, quædam verò vim agendi habent, & rem omnem conficiunt. Ita igitur in hominum converſione contingit, ſolius Divinæ gratiæ, & motionis efficacia veluti vomere cor durum ſcinditur, & ſciſſum eſt cor Pauli: cætera ad ordinem ſapientiæ, & providentiæ Divinæ, & veluti quemdam apparatum ſeu ornatum jungũtur. Neque enim ſemper à Deo miracula fiunt, neque repugnantibus, & obſiſtentibus omnibus ſemper homines convertuntur: quis tamen ita fieri poſſe ambigat, intùs in ſola voluntate operante Deo timorem v. g. vel amorem ipſiuſmet Dei, ut ipſi Deo placuerit? Sed de his alibi plura. Hæc enim ſolùm occaſione converſionis D. Pauli dicta ſunt, quam *verè*, & *propriè* opus Dei eſſe Tridentinum definivit.

Quantùm ad tertium, ſcil. quantùm ad mentem Tridentini Concilii: impugnatur quod dictum eſt, ad ſolam vocationem, & converſionem Divi Pauli, & adultorum juſtificationem referri: impugnatur inquam *Primò*: quòd vocationem, ut jam ex D. Auguſtino dictum eſt, *effectricem bona volun-*

voluntatis,intellexit, cui liberum arbitrium ita cooperatur, ut *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum,nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atq; vocanti, Anathema ſit.*Hæc enim verba, ut expendimus ſuprà, omninò indicant,eam vocationem eſſe,quæ *inſuperabiliter*,ut loquitur S.Auguſtinus,*& immutabiliter*,ut addit S.Thomas,propter vim,& efficaciam motionis & moventis,effectum obtinet.Atque ea vocatio eſt, à qua juſtificatio ſumit exordium, quæ ſcilicet non expectat conſenſum voluntatis, ſed efficit; quæ præcedit non ſubſequitur; quæque non ſubjungitur obedientiæ humanæ; ſed quæ obedientes efficit. Hæc enim omnia ſimul jungenda ſunt, & clariſſimè vocationem effectricem bonæ voluntatis ſignificant.

Impugnatur *ſecundò*: quòd equidem verum ſit S.Conc.Trident. prævenientem gratiam,& vocationem,& illuminationem,& inſpirationem vocaſſe, quæ actiones reipsâ vitales ſunt: ſed falſum eſt, non aliis etiam nominibus eam nuncupaſſe, quæ veram efficientiam ipſius ſignificent. Nuncupat enim 1. *Motionem cui liberum arbitrium cooperatur* ſeſſ.6.Can.4.An verò cooperatur moraliter, & non phyſicè, id eſt, in genere efficientis cauſæ: Atqui & eadem gratia eſt à qua voluntas prævenitur,& cui cooperatur, ut toties inſtrumentorum exemplo ex D.Thoma comprobavimus: Unde nuncupat iterum: *Divinum adjutorium ſine quo nemo credere,ſperare,vel diligere, aut pœnitere poteſt,ſicut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur*,ibid.Can.3.NuncupatDivinum contactum, quo *Deus tangit cor hominis*, ibidem cap.5.*Virtutem,quæ bona opera antecedit*,cap. 16. Divinum influxum in animam ſicut *influxum capitis in membra,& vitis in palmites*,ibid.*Spiritus Sancti impulſum,non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis*,ſeſſ.14. cap.4. His omnibus nominibus Tridentinum Divinam motionem vocat, præter commune nomen *prævenientis gratiæ*; quæ ſanè nomina non actiones vitales ſignificant, ſed motum quendam,ſeu impulſum animæ impreſſum, aut influxum; quibus nominibus quid expreſſiùs ad ſignificandam Divinam motionem, & qualem admiſit S. Auguſtinus, & S. Thomas, dici poſſit, non video.

Impugnatur *tertiò*:quòdcùm Tridentinum cæteraque Eccleſiæ Concilia D. Auguſtinum tanquam optimum Magiſtrum perpetuò conſuluerint; quam plurima in eo ab ipſis reperta ſunt, quibus Divinam illam motionem ſignificarunt. Neque enim præclariſſimo, vaſtiſſimoque S.Doctoris ingenio vocabula deeſſe poterant, quibus, eum in omnem partem quæſtionem illam verſaret, Divinæ motionis vim, & efficaciam explicaret. Ridetur enim chorda qui ſemper oberrat eadem. Et ut pauca, quæ occurrent referamus; nominat equidem gratiam vocationem, ut ſuprà diximus,ſed *Efficaciſſimam vocationem*,de gratia, & libero arbitr. cap. 5. qua vocatione Saulus converſus à Deo eſt.Nominat *Alteram & ſecretam vocationem, quæ ſic agit ſenſum ut accomodet aſſenſum*;Epiſt.107. *Vocationem ſecundùm propoſitum*: de correpț. & gr.cap.7.*Qua vocatione fit* credens, lib.de prædeſtinat.SS.cap. 16. Qua Deus *operatur in corde hominum*:lib.de prædeſtinat. SS.cap. 19. *Qua veniunt* ad cœnam, qui vocantur: lib. 1. ad Simplicianum,quæſt.2.Nominat præterea,*Inſpirationem flagrantiſſimæ,& luminoſiſſimæ charitatis*:lib.de gratia Chriſti c.35. *Inſpirationem bonæ voluntatis,& operis*;lib.de correpț.& grat.cap.2. *Occultam inſpirationem qua Deus intrinſecus operatur velle & perficere*, ſtrepitu correptionis ſonante forinſecùs cap.6.Quin etiam gratiam S.Doctor non renuit vocare doctrinam;ſed cum ſuavitate infuſa conjunctam.Hæc gratia,inquit,*ſi Doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur ut altiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere*: de gratia Chriſti cap.13.Nec immeritò ſanè, cum etiam Joan.6.dictum ſit,*Omnis qui audivit à Patre,& didicit,venit ad me*:quæ verba ſic expendit S.Auguſtinus,lib.de prædeſtinat.SS.cap.8.*Quid eſt ,, Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me ,, niſi nullus eſt qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me: ſi enim omnis qui audivit à Patre, & didicit,venit; profectò omnis qui non venit,non audivit à Patre,nec didicit;nam ſi audiſſet,& didiciſſet, veniret; neque ullus audivit ac didicit, & non venit; ,, ſed omnis, ut ait veritas, ,, qui audivit à Patre, & didicit, venit. ,, Valdè remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola,in qua Pater auditur, & docet.*

Hæc ſanè efficax doctrina, quam Spiritus Sancti unctio, & inſpiratio cum ſuavitate infundit: *Nimirùm*, inquit S.Auguſtinus infrà. *Gratia iſta ſecreta eſt:gratiam verò eſſe quis ambigat?hæc itaque gratia,quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur,à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippè tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur.*Hoc ſenſu nec vocationẽ,nec illuminationẽ,nec doctrinã vocare prævenientem gratiam, renuit D.Auguſtinus;ſed vocationem,vel inſpirationem, ſeu illuminationem, & doctrinam, quæ omnem cordis duritiam aufert, & quæ nunquam à duro etiam corde reſpuitur.Nam alioquin quid efficit ſine ſuavitate doctrina? Unde inquit idem S. Doctor Epiſt. 107. *Non gratiam dicamus eſſe doctrinam,ſed agnoſcamus gratiam,quæ facit prodeſſe doctrinam; quæ gratia ſi deſit,videmus etiam obeſſe doctrinam.* Hæc igitur ſola prodeſt, & utilis eſt, quæ cordis duritiam aufert, & quæ licet reſpui poſſit, potentia ab actu diviſa, ut loquitur S. Thomas; repugnat tamen eam reſpui, potentia cum actu conjuncta: aliàs enim falſum eſſet quod ipſa veritas inquit, *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*; audiret enim aliquis, & diſceret, & tamen non veniret.

Sed præter hæc nomina,quæ vitales actiones ſignificant, prævenientem gratiam vocat etiam *Subminiſtrationem Spiritus,qua voluntas & actio adjuvatur*: lib. de gratia Chriſti cap.2.&34. Vocat iterum *Efficaciſſimas vires quibus facit Deus, ut faciamus*; ibid. cap.16. Vocat benedictionem ex alto, & ut ipſemet legit ex pſal. 83. ibidem

cap.18.

cap. 18. *Etenim dabit benedictionem qui dedit legem*: ubi sanè, & moralis, & effectrix motio apertè significantur. Vocat *Occultissimam, & potentissimam medicinæ* Divinæ *potestatem*: lib. de corrept. & gratia cap. 5. Vocat potestatem, qua *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum*: lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 21. *Mirabilem, & ineffabilem potestatem, qua* Deus *operatur in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*: lib. de gratia Christi cap. 24. *Omnipotentissimam potestatem, quam* Deus *habet humanorum cordium quò placet inclinandorum*: lib. de Corrept. & gratia cap. 14. Gratiam denique vocat idem Sanctus Augustinus *Adjutorium quo* firmatur ipsa voluntatis nostræ infirmitas; & gratiam qua invincibiliter agitur: *Subventum enim est*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*. ibid. cap. 12.

Hæc pauca ex sexcentis aliis quæ referre promptum esset, & quæ significant non actiones vitales, sed vim aliquam impressam voluntati humanæ; quæ in eodem omni ordine quo ipsa voluntas agit, & physico, & libero, significant ipsam voluntatem moveri, & inclinari à Deo.

Et mirum est, posse objici, quòd non aliundè quàm motione morali, & actionibus vitalibus, voluntas roborari, & adjuvari possit, & vires acquirere, non verò ex physica motione, quæ est, inquiunt, qualitas mortua. Ex falsa notione physicæ motionis Divinæ objectio oritur, de qua aliàs. Sed quo loco vel infusi, vel acquisiti habitus recenseri poterunt? an inter vivos, an inter mortuos? & tamen verissimè qualitates sunt, quibus tamen potentiæ instruuntur, roborantur, & *vigorantur*, ut loquitur Divus Thomas alibi adductus; & quibus firmitas, facilitas, & summa operandi, & in operando delectatio confertur, ut post Sanctum Thomam 1.2. docent omnes Theologi. Sed prætereà nunquid ipsa motio qua artifex movet, & versat instrumentum, virtutem agendi ei imprimit? & tamen, ut ex S. Thoma aliàs toties dictum est, non alia est *virtus artis* impressa instrumentis, præter ipsum motum, quo artifex secundùm regulas artis instrumentum ducit: Atqui non alia est Divina motio, præter eum motum impressum, seu impulsum, quo Deus summus rerum omnium artifex, quamvis nondùm per sanctificantem gratiam inhabitans, inexistens tamen voluntati sua operatione, eam movet, & ad agendum impellit.

Ex his igitur liquet, in primis quo sensu Sacrosancta Synodus Tridentina, cæteraque etiam S. Concilia, & Divus Augustinus, prevenientem gratiam, & vocationem, & illuminationem, & inspirationem appellaverint: ac insuper liquet, quòd aliis etiam nominibus eam expresserint, quæ vim illam impressam, & Divinam motionem significant, qualem Sanctus Thomas etiam intellexit.

Impugnatur demùm, quòd debilissima conjectura sit ad probandum, non aliam præter motionem moralem, seu gratiam moraliter prevenientem à S. Synodo Tridentina admissam fuisse; ex eo quòd eam gratiam, & vocationem, & inspirationem vocaverit, quæ actiones vitales sunt, cùm etiam plurimi qui gratiam per se efficacem admittunt, eam existiment esse solùm delectationem victricem; quos inter eminet ipso gradu ut, & Doctrina *Eminentissimus Cardinalis de Laurea*, insigni aureoque opusculo de gratia actuali, in quo purissimam S. Augustini doctrinæ medullam omnem expressit. Nam cap. 7. aliisque, efficaciam gratiæ qua Deus in nobis operatur, sibique voluntatem subjicit, in ea potentissima, & efficacissima suavitate, dulcedine, & delectatione reponit: & hac egregia enumeratione demonstrat. Hæc enim delectatio cælitùs immissa Martyres Christi Jesu inter ipsa tormenta firmat, & invictos efficit: hæc ipsos interdùm Turcas rejectis erroribus ad defensionem Evangelii, etiam usque ad sanguinis effusionem accendit. Hæc fœdo immersas voluptatum cæno meretrices educit. Et sanè verissimè dictum: Unde enim oritur quòd, ut inquit Sanctus Bernardus Serm. 61. in cantica, *Stat martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem*? scilicet *non facit hoc stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur*. Unde vel hæreticus, vel etiam infidelis, & Turca ad fidem Jesu Christi trahitur? nisi *Quia delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita*, quę promittitur, *quod totum Christus est*, ex S. Augustino Tract. 26. in Joan: Unde & olim immundæ meretrices nunc conversæ pejus angue voluptates etiam concessas aversantur? nisi quia, ut inquit idem Sanctus Doctor lib. 6. de Contin. cap. 3. *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectet amplius continentia.*

Et quidem nihil faciliùs efficaciam gratiæ Divinæ ac motionis probat, aut ejus cum humana libertate concordiam explicat, quàm quòd ea motio suavitatem summam efficiat. Quis enim dubitet, quòd liber animus faciat quod facit lubens, ut inquit Sanctus Augustinus. Atque illud idem est quod nos aliàs ex D. Thoma explicuimus. Ideò liberrimè voluntatem semper agere, quia præit ratio, quæ magis conveniens objectum proponit. Ex quo manifestissimum est nullam vim habere hoc argumentum: non aliam admissam fuisse à Sacro Concilio Tridentino Divinam motionem præter moralem, & quantùm ad usum subditam voluntati; quia Sacrum Concilium gratiam Divinam reponit in illuminatione, & vocatione quæ actus vitales sunt: cùm etiam ea vitalis delectatio victrix esse possit; sibique, cùm major est noxia delectatione, animum vi sua subjiciat.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Altera ex Sacro Tridentino Concilio Probatio. De prævia,& efficaci Divina motione intellexisse Sacrum Concilium, Liberum hominis arbitrium moveri: & negasse consequentiam, scilicet illa motione auferri hominis libertatem. Idem Probatur ex Conciliis Tridentino posterioribus.

OStendimus jam suprà, quòd etsi Sacrum Concilium Tridentinum de prævia, & efficaci motione minimè intellexisset prælaudatum Canonem, quo dicitur, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit; potuisset tamen sine ullo veritatis, fideique dispendio, eo sensu ipsum intelligere, & ita definire: cùm etiam de Deo, gratiæ, ac motionis omnis Authore, concedendum sit, quòd cùm aliquid agendum decernit, & quod decernit, necesse est fieri, & ut ait Propheta Isai.14.*Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare*? Attamen tunc etiam concedendum est, quòd aliud, si vellet, agere posset, quàm quod decreverit, de quo jam satis multa dicta sunt.

Nunc verò præterea ostendendum est, tantùm abesse ut motionem prævium Tridentinum citato Canone ulla censura notaverit, ac prævium motionem proscripserit; ut econtrà Sacrum Concilium tanquàm rem omninò certam, & de qua inter omnes conveniebat, suppositisse videatur; scilicet hominis arbitrium prævia, & efficacissima motione moveri, eaque motione prævia, & efficaci, libertatem arbitrii minimè extingui. Unde sic formari hæc ratio potest, inter postremas sanè non reponenda. Tridentinum supponit, reipsa liberum hominis arbitrium moveri ea motione, cui dicit, ipsum liberum arbitrium cooperari, & cui etiam asserit posse dissentire, si velit; eamque motionem ita supponit, ut etiam eam admittat, vel saltem, ne quis inficiari possit, eam existimet esse possibilem: Atqui ea motio, cui Tridentinum dicit, voluntatem simul & cooperari, & simul posse dissentire, si velit, est ipsa motio prævia physica, & per se efficax: Ergo physicam, ac prævium Dei motionem efficacem Sacrum Concilium ita supponit, ut eam vel omninò admittat, vel saltem eam existimet ut possibilem, quæ scilicet prævia sit, & per se efficax, & tamen libertatem non lædat. Quid ex illo argumento negari possit, aut etiam in dubium revocari, planè non video.

De majori enim in primis, quòd scilicet Tridentinum Divinam hanc motionem supponat, vel saltem eam possibilem esse existimet, eamque eo sensu admittat, cùm dicit, hominis liberum arbitrium Deo excitanti, atque vocanti posse dissentire, si velit: quis ire possit inficias? quis enim intelligat, aut sibi unquam persuadeat, voluisse Sacrum Concilium definire, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum motione, quam ipsummet Concilium impossibilem esse existimaret, *cooperari Deo excitanti, atque vocanti*, & moventi motione impossibili, & eidem *posse dissentire, si velit.* Gravissimam dubio procul præstantissimis Tridentini Patribus injuriam faceret quisquis existimaret, rem adeò absurdam in eorum mentem venire potuisse. Sed hanc Majorem propositionem Minoris probatio magis etiam stabiliet, ac confirmabit.

Minor itaque probatur, eam scilicet motionem, de qua locutum est Tridentinum præfato Canone quarto, esse motionem, & prævium, & physicam, & per se efficacem. Ac in primis observationem Suaris suprà positam huc revocari velim, quam ut magno judicio factam libentissimè amplector. Et sanè in dubium revocari non posse videtur: cùm certum sit, Tridentinum eo Canone loqui de ea Divina motione, qua Lutherani, & Calvinistæ everti hominis libertatem contendebant. Quam enim vim habuisset Sacri Concilii definitio, nisi eadem motione, qua Lutherani, & Calvinistæ ipsam libertatem lædi existimabant, Tridentinum econtrà libertatem non lædi definiisset. Sanè cùm jam in ea gravissima causa, ubi de Divina gratia, & ejus efficaciæ cum hominis libertate concordia, Ecclesia Catholica totoque Orbe diffusa à Sacro Concilio Tridentino scisciteretur, ecquæ esset hujus Divinæ gratiæ motionis vis, quove pacto cùm libertate conciliari posset: Quis existimaverit, Tridentinum de alia motione fuisse locutum? perinde enim esset ac si juxta vetus adagium, cùm ego de Alliis loquor, tu de cepis respondeas. De eadem igitur motione Tridentinum definit, libertatem non lædi, de qua Lutherus, & Calvinus libertatem extingui, ac profligari existimabat.

Atque id etiam ex ipsis Canonis quarti verbis clarissimè liquet, cùm utrumque errorem in eo confodiat, Lutheranorum scilicet, & Calvinistarum. Cùm enim Anathema dicit in eos, qui dixerit, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non posse dissentire, si velit*; dubio procul errorem Calvini configere voluit, à quo dictum fuerat lib. 2.Institut. cap.3. §. 10. *Voluntatem Deus movet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari.* Quo loco, præter alia, contendebat Calvinus, non esse positum in nostra potestate ipsi motioni Divinæ, vel obtemperare, vel refragari; cui errori hanc fidei regulam Sacrum Concilium Tridentinum directè opponit, scilicet Divinæ motioni liberum arbitrium posse dissentire, si velit. Cùm autem iterum eos Tridentinum Anathemate percellit, qui dixerint, *Liberum hominis arbitrium veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere*: Lutheri absurdum commentum

ferire voluit, voluntatem humanam inſtar ſtipitis emortui nihil agere. Et ſanè eos hæreticos perſenſiſſe iis Tridentini fulminibus ſe perculſos fuiſſe, de eoque anathemate in eos conjecto fuiſſe conqueſtos, libri ab hæreticis conſcripti ſatis manifeſtant: & nemo eſt unquam inter hæreticos verſatus, qui eorum querelas non audierit.

Confirmatur egregio diſcurſu ſapientiſſimi Viri P. Thomæ de Lemos, cujus opus magno eruditorum omnium, qui Sancti Auguſtini ſententiam ſequuntur, applauſu exceptum eſt. Sic igitur diſcurrit præclariſſimus Theologus Tom. 1. Tract. 4. de ſenſu compoſito, & diviſo cap. 17. verſus finem; Probatque ea verba Canonis, cui explicando incumbimus, *poſſe diſſentire, ſi velit*: in ſenſu diviſo, non compoſito explicari debere. Idque probat à fine ſicut à cauſa prima, & potiſſima, quæ coegit convocari Concilium. Certum enim eſt, eo fine coactam fuiſſe Tridentinam Synodum, ut Lutheri, & Calvini errores proſcriberentur. At neminem latet erraſſe Calvinum, quòd efficacem Dei gratiam, & motionem exiſtimaret ob ſuam efficacem, ſeu effectricem vim auferre libertatem humanam: Ergo debuit Sacrum Concilium errori huic proſcribendo oppoſitum defuire; ac reipſa definivit, Dei ſcilicet efficacem motionem, quæ fit per prævenientem, & adjuvantem gratiam, minimè vi ſua libertatem extinguere. Atque, ut hoc capitale fidei dogma contra Calvini errorem Sacrum Concilium ſtatuat, totam Seſſionem ordinat, variis capitibus, & fidei regulis comprehenſam. At verò ſi Tridentinum ſenſiſſet, nullam dari ex parte Dei prævenientem efficacem gratiam, qua efficeretur, ut liberum arbitrium conſentiret, ſed exiſtimaſſet, excitationem illam, ſeu inſpirationem indeliberatam movere tantùm moraliter, & objectivè ad voluntatis actum, & conſenſum liberum; & hujus conditionis eſſe eam excitationem, & gratiam, ut poſſet arbitrium eam pro libito efficacem, vel inefficacem reddere, conſentiendo, vel diſſentiendo: quid opus fuiſſet tot inter doctiſſimos Viros diſputationibus? cùm unico verbo quæſtionem omnem dirimere, & nodum ſolvere Sacrum Concilium Tridentinum potuiſſet, definiendo, voluntatem à Deo objective ſolùm, moraliter, ſeu inefficaciter moveri: & voluntatem, dum ſua libertate conſentit, efficacem eam motionem efficere. Neque enim opus fuerat tanto labore, tot capita, tot regulas fidei, Canoneſque conſtituere, totque Theologos ad habendas Congregationes advocare. Res enim fuiſſet patentiſſima, quam nec Calvinus, nec quivis, quantumlibet perfrictæ frontis, aut cervicoſus, auſus fuiſſet negare. Luce etenim clarius eſt, poſita tantùm excitatione prævenient, & moraliter ſolùm attrahente, non lædi, vel impediri uſum libertatis arbitrii; nec eò unquam ullius hæretici dementia devenit, ut ſola ſuaſione auferri libertatem exiſtimaret: ſicut æquè compertum eſt, & erat inter Sacri Concilii Tridentini Patres, ſola cooperatione, & ſimultaneo concurſu, qui jam natura priorem liberam determinationem voluntatis ſupponit, non poſſe extingui, aut impediri libertatem.

Itaque ſi ſacrum Concilium, cui non poterat non eſſe compertiſſima Calvini mens, animadvertiſſet, Calvinum erraſſe in fundamento, id eſt, in eo quòd aſſereret, & doceret, Deum ſuæ gratiæ efficacis motione prævenient, efficaciter, & in genere effectricis cauſæ liberũ hominis arbitrium movere; unico verbo potuiſſet, & debuiſſet ſanè litem omnem dirimere, negando, quod à Calvino pro fundamento, & principio ſupponebatur: everſo enim eo fundamento, penitùs finita lis erat, neque per horam etiam, aut olim cum Pelagianis, aut deindè cum Calviniſtis decertandum fuiſſet; cùm tamen per longiſſimum tempus, ut hæretici debellarentur, Eccleſiæ fuerint dimicandum. Cur enim cũ Patribus olim Pelagiani pugnare voluiſſent, ea de cauſa, quòd Patres eam gratiam prævenientem admitterent, qua extingui libertatem Pelagiani arbitrabantur. Poſitum enim fuiſſet Pelagianis, non aliam à Patribus admitti motionem Dei prævenientem, præter eam, quæ objectivè, ac moraliter ſolùm, & blandè allicit voluntatem: quo vel unico verbo veluti pulveris exigui jactu, aut Pelagianorum, aut Maſſilienſiũ agmina omnia compoſita quieviſſent. Neque enim Maſſilienſes potiſſimùm Viri aliundè præclariſſimi, tantùm deſipere poterant, ut blanda voluntatis excitatione auferri libertatem exiſtimarent. Neque ſanè vulgus ipſum Eccleſiæ eam temeritatem Pelagianorum ferre potuiſſet, quòd tot in Eccleſia diſcordias intuliſſent de re captu facillima, quam vulgus ipſum capere poterat; ſola inſpiratione, & perſuaſione interiori, & motione morali libertatem non auferri. Neque igitur vel per horam cum Pelagianis oportuiſſet manus conferre; nec dubium, quin projectis armis, potiſſimùm Maſſilienſes qui non malo animo decertabant, dexteteras porrexiſſent in mutui fœderis argumentum.

Idem in cauſa Calvini dicendum. Potuiſſet enim Calvino reponi, temerè ab ipſo, & pro re nihili turbari Eccleſiam, ac vim, & agendi poteſtatem à Patribus, potiſſimùm Sancto Auguſtino, Divinæ gratiæ motioni tributam, non majorem eſſe, quam moralem: nec potuiſſet hæreticus quantumvis cervicoſus, & contentionibus aſſuetus, non fateri, ea motione morali non extingui libertatem. Et ſanè mirum omninò fuiſſet, ſi pro re omnibus obvia, quam nemo quantumvis rudis negare potuiſſet, quæque vel intra horam explicari poterat, olim à Viris alioquin acutiſſimis, etiam & ſanctitate conſpicuis, (ut à SS. Auguſtino, Proſpero, & Hilario Maſſilienſes nuncupantur) per plura ſæcula adversùs Eccleſiam dimicatum fuiſſet, & Andabatarum more obvelato capite Divus Auguſtinus, & Pelagiani, ac Maſſilienſes, in arenam invicem pugnaturi deſcendiſſent, cùm minimè inter ipſos de difficultatis puncto conſtaret. Pelagiani enim exiſtimaſſent, admiſſam fuiſſe à Divo Auguſtino eam

gra-

gratiam, & motionem Divinam, de qua timeri poterat, ne læderetur libertas; cùm tamen non aliam quàm moralem excitationem Sanctus Doctor admisisset. Et econtrà ipse Sanctus Augustinus reprehendisset Pelagium, alioſque, quòd non satis efficacem vim Divinæ gratiæ tribuissent, cùm tamen eandem reipsâ concederent, quam ipse S. Doctor defendisset.

Idem de Concilio Tridentino aliqua proportione, & forsitàn potiori ratione dicendum est. Et quamvis verum esset, quod de Pelagianis, aut Massilienſibus quidam respondent; eos non intellexisse, Deum posse quoquomodo, etiam solo concursu simultaneo, & sola cooperatione in ipsa voluntate hominis operari, nisi libertatem extingueret: quamvis, & illud à vero alieniſſimum sit, cùm nec ea potuerit esse inscitia, & tarditas præsertim Massilienſium, quos, ut præclarissimo ingenio præditos Divus Prosper, ipseque Divus Augustinus sæpiùs commendant: & aliunde certum sit, non de cooperatione, sed de gratia ipsa præveniente, aut omnem, aut præcipuam saltem, ne quis ea, inficias, fuisset & cum Massilienſibus, & cum Adrumentinis concertationes, ut ex SS. Augustino, & Prospero, ac cæteris omnibus Conciliis, quæ retulimus, apertissimum est. Attamen, ut ut sit de ea falsò suppoſita illius sæculi hominum tarditate, nulla verosimili ratione existimari potest, quemquam tempore Sacri Concilii Tridentini, & inter eos Tridentinos Patres ea inscitia laborasse. Unde nulla etiam umbra apud eos difficultatis esse poterat, utrùm vel sola cooperatione, & concursu simultaneo, vel præveniente solùm moraliter gratia libertas humana læderetur? Quare multò potiori ratione, quod in causa Massilienſium dictum est, in causa Calvini est dicendum. Quid enim, nisi umbras in Calvino persecutum fuisset Tridentinum, si definiisset, ea motione libertatem non extingui, de qua nunquam Calvinus locutus fuisset.

Igitur cùm hæc concordia motionis gratiæ Divinæ cum humana libertate, Theologis omnibus difficillima semper visa fuerit; cùm Patres, ut eam concordiam explicarent, & stabilirent, tamdiu desudaverint; evidens est, existimatum semper ab iis fuisse, Divinæ motioni majorem vim agendi inesse, quàm moralem, & objectivam; eamque motionem veriſſimè, & propriiſſimè effectricem esse consensus voluntatis, de qua solùm dubitari potuit, an cohæreret cum libertate: quam difficultatem illucente prævia fide, & facem ubique præferente Sancto Augustino, ejusque fideliſſimo Discipulo S. Thoma, Ecclesiæ Theologi hucusque superarunt, ad eamque veluti ad scopulum hæretici omnes alliſi sunt, ac in posterùm perpetuò allidentur. Hucusque præclariſſimi Theologi Thomę de Lemos discursus, cui pauca addidimus.

Igitur supponit, & admittit Sacrum Concilium Tridentinum illud, quod pro fundamento statuebat Calvinus, moveri scilicet liberum hominis arbitrium propria, & efficaci Dei motione per modum causæ efficientis: neque quidquam est, quod veliſſimè significet, eam unquam à Concilio fuisse negatam. Quod enim dicitur, admissam esse ab ipso Tridentino motionem, cui resisti possit; pertinet ad Consequentiam, quam Tridentinum opponit alteri spuriæ consequentiæ, quam ex veriſſimo Antecedente Calvinus falsò inferebat, eo delusus argumento, quod nobis etiam ab Adversariis jam objici solet: nimirum quòd si motio Divina sua ipsa vi efficaciter moveret humanam voluntatem, ipsi à voluntate resisti non posset. Unde instaurari potest argumentum, quod apodecticum esse videtur. Admittit S. Concilium, ac supponit, reipsa moveri hominis voluntatem ea motione, qua Calvinus existimabat auferri libertatem: Atqui ea est prævia, & physica motio, seu præveniens gratia per modum causæ efficientis: Ergo Concilium admittit, reipsâ voluntatem moveri prævia, & physica Dei motione: eaque admissa Sacrum Concilium negat id, quòd inde Calvinus inferebant, scilicet auferri libertatem. Sed.

Dices: nihil concludi hoc argumento, quia illud simile est alteri, si quis ita argueret: admittit Concilium eandem motionem, quæ à Calvino admissa est: Atqui Calvinus admisit motionem irresistibilem: Ergo Concilium irresistibilem motionem etiam admisit, & de ea definit, non auferre libertatem, quòd planè absurdum foret.

Verùm, si scapham scapham nominare liceat, absurda dicenda foret ea solutio, atque, ut minimùm dicam, parum appoſita est, nec quidquam efficit, nisi ut majorem vim inesse argumento demonstret, quod nulla solutione possit infringi. Qua nova enim ratiocinandi arte, & Antecedens, & Consequens confunduntur, & integrum argumentum, ac si unica solùm propoſitio esset, assumitur. Hæc enim duo omnino diversa sunt, motionem esse vi sua efficacem, & ipsi resisti non posse. Primum Antecedens est, alterum Consequens, & quidem non rectè illatum. Ergo etiam non rectè hæc duo pro uno, & eodem sumuntur, & dicitur barbarè satis motio irresistibilis. Unde impugnatur quàm facillimè ea solutio, quòd, ut diximus, duo confundat, quæ omninò sejungi debeant. *Primò*, motionem Divinam esse per se efficacem; & *Secundò* eam esse motionem, cui ab humana voluntate resisti non possit. Enim verò unde probari possit, & probari contendunt adversæ sententiæ authores, prævenienti, & physicæ motioni resisti non posse? nimirùm quia per se se efficax est, & vi sua infert assensum voluntatis. Ergo ex eo quòd per se se efficax à nobis statuitur, ipsimet tanquam ex Antecedente inferunt, etsi non rectè, quòd ipsi resisti non possit: Ergo hæc duo, ipsis etiam judicibus, distincta sunt, quorum alterum est Antecedens, scilicet Divina motio sua ipsa vi, ut est Divinæ potentiæ virtus, movet, & applicat voluntatem, & facit, ut ipsa voluntas agat. Alterum verò est Consequens, quod inferri possit, scilicet eam Divinam motionem esse vim, cui resisti non possit: Ergo non rectè ista

confunduntur contra omnem Dialecticæ, & veræ argumentationis regulam, quæ exigit, utrumque distingui : Ergo iterum nihil habet hoc confusum, & contra regulas omnes compactum argumentum, simile superiùs posito argumento, quo dilucidè hæc duo distincta proponuntur.

Et verò apertissimum est, quòd in ea propositione, scilicet: Deus voluntatem hominis movet ea motione, quæ sua ipsa vi flectit, & immutat voluntatem, non includi, quòd ipsi resisti à voluntate non possit: stultum enim esset de ea motione dubitare, utrum ipsi resisti possit, & an auferat libertatem. Et tamen dubitari etiam non immeritò potest, utrum ea motio, quæ vi sua efficit consensum voluntatis, vel auferat, vel relinquat illæsam libertatem. Unde & Sanctus Thomas clarissimè hæc duo distinguit 1. 2. quæst. 10. artic. 4. ad 3. *Dicendum, quòd si Deus movet voluntatē ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quòd voluntas ad illud non moveatur.* En apertè Divinæ motionis summam hanc efficaciam, quæ infallibiliter infert effectum, seu nostræ voluntatis consensum, & de qua dubitari posset, utrum auferat libertatem. Et tamen subjicit Sanctus Thomas: *Non tamen est impossibile simpliciter; Unde non sequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.* En etiam apertissimè ex Antecedente distinctum Consequens, quod inferri posset, scilicet, quòd quia infallibiliter voluntas movetur ad illud, ad quòd Deus eam movet, ideò voluntas ex necessitate moveatur: Ergo hæc duo distinctissima sunt, & alterum est Antecedens, quod cum Ecclesia admittebat Calvinus, & admittit, aut supponit Tridentinum, & admisso eo Antecedente negat Consequens, quod Calvinus inde inferebat, scilicet auferri libertatem.

Confirmari potest hæc impugnatio, quòd apertissimè ea etiam S. Concilium Tridentinū distinxerit: cum enim inquit, *Liberū hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti,* subindeque, & moventi: hæc dubio procul prima Canonis quarti Tridentini propositio est, quæ efficaciam Divinę motionis apertissimè significat, ut suprà expendimus: cùm verò addit, ipsummet liberum hominis arbitrium moventi Deo *posse dissentire, si velit*; hęc altera ejusdem Canonis propositio est clarissimè à prima propositione sejuncta: neque aliter etiam fingi potest, nisi vis apertissimè huic Canoni inferatur: Ergo supponit, aut verius asserit, ac definit Tridentinum, eam Divinam motionem esse, cui semper cooperatur liberum hominis arbitrium motum, & excitatum à Deo. Atque ea est motio, quam Scriptura Sacra, & SS. Patres docent. Neque in hoc errabat Calvinus, sed ex eo verissimo principio errorem inferebat, ut solent hæretici, qui veris falsa admiscent, & ut inquit Regius Vates, *In multis erant mecum* psal. 54. v. 19. ut legit S. Augustinus: & ut ibidem addit, *In paucis non mecum, sed in his paucis, in quibus non mecū, non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Neque enim omni ex parte hęretici desipiunt, neque ea rejicienda sunt, in quibus conveniunt cum Catholicis, quia iis plures errores admiscent, quibus à nobis sejunguntur. Quod Argumentum prosequitur D. Augustinus lib. 5. contra Julia. c. 30. operis ultimi. *Nunquid propterea dicere non debemus, quòd bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus. Sed cùm quæritur, unde fecerit, inde discernimur.* Ac postea altero exemplo usus, inquit: *De ipsa quoque Trinitate interrogati, utrique dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū, unius ejusdemque esse naturæ; nec ideò tamen, vel nos sumus Manichæi, vel illi sunt Catholici: dicunt enim alia de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, in quibus ab eis diversissimi, eisque adversissimi sumus.* Idem planè in ea, quæ versatur controversia, dicendum est. Nunquid propterea dicere non licet, humanam voluntatem prævia motione moveri, quia illud, & Calvinus dixit? In eo quidem mecum, sed alia adjunxit, in quibus non mecum. Ille præviam motionem Dei admittit, & quidem rectè mecum; sed inde libertatem nostram auferri colligit, & hoc hæreticè non mecum.

Impugnatur demùm, quòd ea responsio supponat, quod est in quæstione positum, & quod dubio procul alieniissimum est à SS. Augustini, & Thomæ sententia. Supponit enim, quòd motio Divina vi sua, & infallibiliter inferat effectum, & quòd ipsi resisti non possit. Unde hęc duo confundit, quę dubio procul diversissima sunt, infallibilitatem, & immutabilitatē effectus ex vi motionis Divinæ, & necessitatem absolutam ejusdem effectus, quæ veram auferat libertatem: si enim hæc duo distincta sunt, cur confunduntur, diciturque motio irresistibilis. Et verò hæc duo distincta esse ex iis, quæ jam ex D. Thoma diximus compertissimum est. Quibus adde, quod inquit 1. 2. quæst. 112. art. 3. quòd *Præparatio ad gratiam secundùm quòd est à Deo movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non potest.* Et quæst. 6. de malo ad 3. *Quòd Deus movet immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed remanet libertas.* Remanet ergo libertas, seu potentia dissentiendi, etiam cum ea immutabilitate Divinæ motionis. Unde, & S. Thomas, ut suprà retulimus, duplicem distinguit necessitatem; aliam absolutam, quæ aufert libertatem, aliam secundùm quid, quę cum libertate conjungitur: & ea est, quę, ut inquit, à Theologis vocatur *necessitas immutabilitatis*, cui etiam resisti potest. Vide quodlibet. 1. art. 7.

Unde instauratur superius Argumentum, quod, cùm non alia, quàm ità parùm apposita responsione excipi possit, verissimam demonstrationem esse, non immeritò existimari potest. Supponit reipsà SS. Tridentinum Concilium, liberum arbitrium moveri ea motione, cui ipsum liberum arbitrium cooperatur, & cui po-

test dissentire : Atqui ea motio non alia est , nisi & prævia , & physica , & effectrix : Ergo & præviam, & physicam , & effectricem motionem Sacrum Concilium admittit. Enim verò cui veniat in mentem Concilium definire , quòd liberum arbitrium cooperatur motioni,quę nulla est, & potest motioni resistere , quæ neque fuit unquam. Egregia sanè foret militis commendatio , si quis singularem ejus fortitudinem extolleret , quòd resistat hosti, qui nec est , nec fuit unquam , neque esse potest; aut qui,si esse possit , nunquam tamen reipsà fuit. Quæ igitur esset ea humanæ libertatis commendatio , quòd possit resistere motioni, quæ nunquam reipsà fuit ? Et prętera negari non potest quin S. Concilium admittat eam motionem , cui inquit, liberum hominis arbitrium reipsà cooperari: Atqui & illa motio physica est , & eadem etiam est , cui definit posse resisti : Ergo admittit Concilium , reipsà moveri liberum arbitrium prævia, & effectrice motione. Ac deinde eandem supponit Concilium , quam admittebat Calvinus , quem Concilium Tridentinum eo Canone percellit;& quam admittebant etiam cæteri cum Calvino hæretici , qui se ea censura perstrictos persenserunt ; ac demum de qua dumtaxat dubitari potest , utrùm ipsi resisti possit , & de qua tunc erat in Ecclesia , aut esse poterat cõtroversia , & quam diximus esse verissimè , & propriè effectricem. Neque enim ea erat Tridentinorum Patrum insscitia , ut nescirent , aliam esse motionem ex parte objecti , alteram ex parte principii ; aliam, quę moveret per modum finis , alteram , quæ moveret per modum causę efficientis : & ea est, quam nos modò physicam nuncupamus , & de qua dumtaxat propriè intelligi potest , quòd ipsi voluntas cooperatur. Igitur cùm falsò Calvinus argueret , auferri libertatem ex eo quòd ea motio verè esset effectrix ; negat Consequentiam S.Concilium, & definit, quòd liberum hominis arbitrium etiam ea motione motum , potest tamen huic motioni dissentire. Non igitur erravit in Antecedente Calvinus, neque illud minùs verum est,quamvis Calvini ore prolatum ; quàm illud verissimum oraculum fuerit,etsi prolatum oreCaiphæ,oportuisse Christum mori pro populo. Neque terrebatur olim S. Augustinus ea accusatione Manichæismi. *Manichæos* , inquit lib. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 2. *vocat Catholicos.* Sed neque etiam , quidquid Calvino adversatur , verum ideò esse existimandum est , cùm etiam , & id falsum esse possit ; & duo errores oppositi esse possint , sicut inquit D. Augustin. serm. 11. de verb.Domini *Spiritus Junonis, & spiritus Herculis divisi sunt adversùm se*;de quo multa dici possunt ex D. Tho.2,2.q.173. art. 6. & D.Augustino præsertim lib. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 2. & lib. 5. operis ult. contra Julian. cap. 25. & 30. & ut inquit D.Prosper contra collatorem, *Unum verum duo falsa non faciunt.* Et falsum arbitramur , effectrice motione liberum arbitrium non moveri;& falsum item,effectrice motione libertatem auferri : neutrum recipimus , neque ut alterum effugiamus , in alterum nos conjicimus.

Unde etiam , & refelli facilè potest ea calumnia , qua quidam nos gravant ; scilicet Thomistas equidem meliores esse Calvino Catholicos , quòd admittant sub Divina motione illæsam servari libertatem : sed Calvinistas meliores esse Thomistis Dialecticos , quòd ex ea motione rectè inferant , destrui libertatem. Ita enim olim Julianus D. Augustinum accusabat , Manichæum *cum Augustini ingenio compositum peracutũ videri*, lib. 5. oper. ult. cap. 30. & jam perfrictę frontis hęreticus D. Augustino objecerat : *Non tu hic religiosior, sed ille prudentior* ; scilicet Manichæus. cap. 25. cùm enim S. Augustinum inter , & Manichæum conveniret , naturam humanam esse vitiatam, concupiscentiam malam , naturale esse,sive à nativitate peccatum; contendebat Julianus meliùs argumentatum Manichæum , quòd naturam ipsam malam esse dixisset, ideoque Manichæum Augustino compositum peracutum fuisse. Hæc fusè impugnat S. Augustinus , & plura esse ostendit,quæ, & Manichæus vera cum cæteris ex ipsa communi fide desumpsisset , quęque nec quisquam ideò negare poterat , ut ea in re fugeret Manichæi consortium. *Sed nec timemus* , inquit, *ne Manichæos nos appellent ; & se inde præferant nobis, quia cum Manichæis dicimus, quòd ipsi quoniam nolunt dicere , redarguuntur à nobis &c. Quod enim dicit etiam ille* (scilicet Manichæus) *non ita dicimus sicut ille.* Et alia plura , quibus Manichęos non minùs rationi,quàm fidei repugnare demonstrari poterat. Idem & nobis nec minùs verè usurpare licet,ubi de Calvino agitur. *Quod enim dicit ille, nos non dicimus sicut ille*: multoque majus à nobis Ecclesiæ obsequium defertur , ac multò validiùs fides defenditur ; cùm errasse Calvinum nedum contra fidem , sed & contra rationem demonstramus. Non timemus igitur , ne nos Calvinistas appellent , & se inde nobis præferant ; quia quod Calvinus dixit , efficacem esse Divinam motionem , cum D. Augustino , & D. Thoma asserimus : sed prætereà cum ea illæsam remanere libertatẽ contẽdimus , quod non admisit Calvinus.Unde caput omnium controversiarum, quæ unquam de Divina gratia excitatę sunt, uno velut ictu præcidimus. Quod enim ex Cassiano retulimus , *Gratiam , & liberum hominis arbitrium adversari* , prima velut origo est , unde lites omnes ortæ sunt. Et si,quod Schola S. Thomæ defendit, obtineat, & admittatur, posse scilicet voluntatem etiam immutabiliter à Deo moveri propter efficaciam virtutis moventis,& tamen integram servari libertatem, quòd ad gratiam attinet , nulla controversia unquam futura est.

Confirmatur demum ex aliis Conciliis,quæ ultimo sæculo, vel ante , vel post Tridentinum celebrata sunt : quæ, quamvis longè inferioris authoritatis sint ; ex iis tamen satis colligi potest , quæ tunc esset , & Patrum Tridentinorum, & totius subindè Ecclesiæ mens. Atque ex his plurima

ma colligi possunt, quæ legitimam esse allatam à nobis Tridentini Canonis interpretationem, & verissimam S. Thomæ, ejusque Scholæ Discipulorum de efficaci gratia præveniente, Divinaque motione sententiam, apertissimè significant. Aliqua solùm tamen hìc delibamus: neque enim iis expendendis diutiùs immorandum est, cùm ex superioribus satis intelligi possint.

Inprimis Senonense Concilium in Galliis celebratum anno 1528. sub Clemen. 7. in Præfatione, dum medium tenendum esse inquit, inter Manichæorum hæresim, qui libertatem negabant, & Pelagianorum, qui libertati omnia tribuebant; ita habet: *Accedentem siquidem ad Deum oportet primùm Divinæ gratiæ adjutū credere, deinde bonis operibus intendere: in quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur, & gratia: primò tamen, & principaliùs gratia. Quapropter qui hominem bene operari, & salutem consequi arbitratur absque gratia; aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est. Qui verò salvari hominem existimat neglectis bonis operibus à libero arbitrio procedentibus, hic Manichæus est, & Lutheranus; nam in errorem Manichæi incidit Lutherus; dum nimis anxiè, & scrupulosè devitat Pelagium.*

Hæc ibi Senonense Concilium, quę aliàs magis expendemus: nulla enim ratione intelligi posse videtur, gratiam prævenientem esse principalem causam actionis voluntatis, nisi eam moveat, & applicet; cùm ea sit primæ, & principalis causæ conditio, quòd inferiorem sibi causam subjiciat, eamque moveat, & applicet; & quidem, quod semper præ oculis habendum est, in eodem etiam ordine, quo voluntas ipsa operatur, id est, physico, & per modum causæ efficientis. Neque enim ulla, vel etiam levissima suspicandi ratio est, aliter intellexisse Concilium Senonense, cæteraque Concilia, quàm de vera, & propriè dicta causalitate; quam dumtaxat causæ efficienti propriam, & eximiam esse aliàs ostendimus. Quod verò observat Concilium Senonense, in errorem Manichæi incidisse Lutherum, inducta necessitate, & libertate prostrata, ut Pelagium fugeret; & Pelagium etiam in errorem incidisse, cùm Manichæos fugeret; observat D. Augustinus quàm sæpissimè de nuptiis, & concupiscentia lib. 2. cap. 3. & 23. quem locum repetit posteriori opere contra Julianum lib. 5. cap. 25. lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. *Damnabilia dogmata*, inquit, *quisquis mente catholica exhorret, inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium; rursusque ita se sejungat à Pelagianis, ne se conjungat Manichæis .... Sic asseret liberum arbitrium, ut non ex natura nescio qua semper mala quæ nulla est, sed ex ipso libero arbitrio cepisse dicat, & Angeli, & hominis malum; quod evertit hæresim Manichæam: nec ideò tamen posse captivā voluntatem nisi de Dei gratia respirare in salubrem libertatem, quod evertit hæresim Pelagianam.* Hæc enim infelix est hæreticorum sors, qui vertigine acti, dum unum extremum vitant, in aliud incidunt, & , ut dicunt, ex sartagine in ignem insiliunt; cùm medium tenendum sit: in quo sanè medio S. Thomæ sententia versatur, quæ statuit, moveri equidem à Deo voluntatem humanam, sed sub ipsa Divina motione ipsammet etiam voluntatem se se movere; quia hoc efficit Divina motio, non ut voluntas nihil agat, sed ut agat, & ut inquit Celestinus Papa Epist. Synodica cap. 20. *Dignè utrumque tenetur, si rectus ordo servetur Divinæ misericordiæ, & voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur.* Atque eo pacto, ut inquit D. Thomas in simili, cùm de Ario, & Sabellio loquitur, *Simul, & à Charibdi, & à Scilla liberamur*, in Joa. 10. lect. 5. in fine.

Item ex eodem Concilio Senonensi admissam fuisse veram, & effectricem motionem probari potest ex his, quæ habet in decretis fidei cap. 15. de libero arbitrio, ubi inquit, quòd *Voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, interiori quadā, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta se se convertit in Deum, neque tale hujusmodi auxilium est, cui resisti non possit.* Quod deinde multis probat, ac postea inquit: *Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi non unco raptamur.* Hæc ibi: ubi propriissimam Divinæ motionis, & gratiæ notionem explicat, in Divino contactu positam. Duplex enim est, ut inquit S. Thomas 1. par. quæst. 105. art. 2. ad 1. Contactus, corporalis scilicet, & virtualis: *Secundùm autem virtualem contactum Deus tangit movendo creaturas.* Positus enim est hic contactus in ipsa Divina operatione etiam physica, qua Deus cor hominis tangit, ut 1. Reg. 10. v. 26. dicitur, iviſſe cum Saule partem exercitus *quorum tetigerat Deus corda*, & ut inquit D. Aug. de gratia Christi. cap. 45. ubi illud explicat, quòd Christus Petrum respexit: *Intus*, inquit, *actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit.* Hic enim contactus ad Deum dumtaxat pertinet, quamvis, & improprius ad creaturam pertinere possit: ut enim inquit ibid. S. Thomas, *Contristans dicitur aliquem tangere*: sed impropriè. sed deinde explicat præfatum Concilium, cum illo etiam Divino contactu, & gratia præveniente, servari illæsam libertatem, quia ejusmodi *auxilium est, cui resisti potest.* Et mirum est hæc verba à quibusdam nobis objici, ac si modus esset loquendi in nostra Schola insolitus, aut nostræ sententię adversaretur: cùm tamen jam à quadringentis annis, à quibus Schola instituta est, cum S. Thoma, à nobis dictum sit, quòd *Quia virtus rationalis se habet ad oppositа; ideò Deus sic movet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere.* Quodlibet 1. art. 7. Utrumque enim, ut centies diximus, admittendum est, quòd infallibiliter, insuperabiliter, & immutabiliter à Deo voluntas hominis moveatur: & tamen huic motioni possit voluntas resistere. Sed demùm, & efficaciam, & suavitatem motionis Divinæ explicat idem Concilium, cùm

addit:

addit: *Trahit nos quidem, ſed in odorem ejus currimus, non unco raptamur.* Efficacia enim Divinæ motionis, ejuſque vis ea tractione ſignificatur; ſed quæ tamen cum ſumma ſuavitate conjuncta ſit: quia in odorem ejus currimus, & delectatione pertrahimur, non unco raptamur, aut vinculis conſtricti pertrahimur.

Secundò: Apertius loquitur Concilium Colonienſe ann. 1536. ſub Paulo III. in Enchiridio, Tract. de pœnitentia, ubi præter plurima, hæc decretoria eſſe videntur: *Hanc*, inquit, *gratiam juſtificantem voluntas noſtra comitatur, ac veluti pediſſequa ſubſequitur, non quidē tempore, ſed cauſa tantùm, & natura.* Nihil ſanè apertiùs dici poteſt ad veram cauſalitatem per modum efficientis cauſæ ſignificandam. Voluntas humana pediſſequa eſt gratiæ Divinæ in eo ordine, quo ipſa voluntas agit, & præeuntem, ac efficientem gratiam ſequitur: ſed præeuntem ſolùm cauſa, & natura, non verò tempore. Quę autem hæc præveniens gratia, priorque cauſa, & natura eſſe poſſit præter ipſam Divinam motionem effectricem; Et ſanè ea ſimillima ſunt iis quæ S. Thomas inquit, aliàs laudatus, quòd Dei *moventis motio antecedit motū* voluntatis *mobilis ratione, & cauſa*: 3. contra Gen. cap. 249. ex communi conditione motionis, quam neceſſe eſt antecedere motum mobilis. At verò quòd noſtram voluntatem pediſſequam gratię vocat prędictum Colonienſe Concilii, iis opponere voluiſſe videtur, quę olim S. Auguſtini temporibus à quibuſdam jactabantur, & quæ D. Proſper Epiſt. ad Auguſtinum, his verbis rejicit: *Nec conſiderant, ſe gratiam Dei, quam comitem, non prævium humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negat eſſe præventas.* Voluntatem enim gratia Divina præveniri non negabant Pelagiani: negabant tamen, gratiam eſſe prævium, & eam prævenientem gratiam humanę voluntati ſubjiciant. Quo verò ſenſu intelligi, jungique hæc tria poſſint dubium eſſe poteſt; dicta tamen fuiſſe extra controverſiam eſt: ſed quocumq; modo his ſui intellecta fuerint, his opponit Concilium Colonienſe, præeuntem eſſe gratiam, & voluntatem eſſe gratiæ pediſſequam: & quidem cauſa, & natura, gratiam prævenire voluntatem: quo ſanè nihil D. Thomæ, ejuſq; Scholæ principiis conformiùs dici poteſt.

Tertiò. Nec minùs etiam apertè Concilium Moguntinum celebratum anno 1549. tempore Pauli III. P. M. cap. 8. ubi de charitate, & bonis operibus, & merito eorum ita decernit. *Non ſecundùm humanas vires æſtimanda ſunt juſtificatorum opera, ſed ſecundùm eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus: ex qua deinde bona ipſorum opera promanant, & ſecundùm eam dignitatem, quam de Spiritu Sancto, velut omnis boni operis motore, & operatore ſumunt. Sic enim extenuandę vires humanæ ſunt, ut non ſimul gratia Dei vilis reputetur: ſic in bono opere faciendo deprimenda eſt facultas hominis, ut interim cogitemus, Spiritus Sancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, ac pretioſum eſſe.* Hactenùs Concilium Moguntinum, quibus iterùm nihil magis conſonum principiis ſuprà ex S. Thoma conſtitutis intelligi poteſt: *Spiritum Sanctum boni operis, & motorem, & operatorem eſſe*, inquit, & quis verò propriè dictam cauſalitatem, & per modum efficientis, ac prędevenientis cauſæ expreſſam his verbis non intelligat? ſed quid aliud ſignificari poſſit, cùm iterùm addit, *Spiritus Sancti motum in nobis efficacem* eſſe. Sed nolim in his explicandis immorari, cùm eadem verba, quibus uti ſolet D. Thomas, ab eo Moguntino Concilio uſurpata fuiſſe nemo non videat.

Quartò: Confirmari iterùm poteſt argumento, quòd hìc efficaciſſimum eſſe arbitror. Controverſia enim inter nos verſatur, quia Sacri Concilii Tridentini verus ſit ſenſus, de quo non ſatis inter nos convenit; ſi enim conveniret, nihil dubium, quin finita lis eſſet. Igitur uſquedum Eccleſia judicium tulerit, neceſſe eſt alios veluti teſtes conſtituti, qui referant, quę mens Sacri Concilii fuerit. Qui autem magis idonei conſtitui poſſint, quàm hi, qui huic Concilio intererant, qui conſulebantur, & quorum etiam opera Sac. Concilium utebatur? Atqui hujuſmodi Theologi ſcriptis à ſe relictis non aliam ſuſtinent de gratia Divina ſententiam, quàm prędię, & effectricis motionis Divinę, ſeu gratię prędevenientis, quę à S. Auguſtini temporibus hucuſque in Eccleſia obtinuerat. In primis etenim hi, à quibus Catechiſmus Romanus juſſu Sacri Concilii editus eſt, ſanè cujus Catechiſmi authoritas longè cujuſque alterius Theologi authoritatem ſuperat; expreſſiſſimè prędeviam motionem admittunt, & explicant; de quo videnda ſunt, quę diximus diſſertat. 1. quęſt. 3. art. 18. pag. 69. Atqui intelligi non poteſt, aliam fuiſſe Sacri Concilii mentem, prędeter eam, quam Catechiſmus expreſſit. Quis enim ſibi unquam ſuadeat, eos Concilii Tridentini Patres, à quibus Catechiſmus compoſitus eſt, aliam voluiſſe doctrinam docere, prędeter eam, quę ab ipſo Concilio Tridentino probata fuerat.

Quintò: Idem quoque de aliis Sacri Concilii Tridentini Patribus judicium ferendum eſt, de quo etiam vide eodem loco pag. 71. & ſequentibus, ubi ultra triginta retulimus, qui Tridentino interfuerant, & qui pro efficaci, & effectrice Divina motione ſteterunt. Quis enim unquam v. g. credat ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Biſuntino Cornelio Muſſo ex ordine Sancti Franciſci, Viro non minùs doctrina, quàm dignitate conſpicuo, à quo ipſa Seſſio 6. de juſtificatione, non ſine Divina ope, & ſingulari Spiritus Sancti illuſtratione adornata eſt; neſciiſſe quę fuerit Concilii Tridentini mens, & verus ſenſus hujus Canonis 4. de quo potiſſimùm hìc quęſtio verſatur? aut quis credat aliam ſuis ſcriptis doctrinam tradidiſſe, prędeter eam, quam ipſe in eo Canone, ac in tota Seſſione 6. vel expreſſit, vel pro fundamento ſuppoſuit? Atqui apertiſſimè doctrinam de prævia

motio-

motione Cornelius Muſſus lib. 2. de Divina hiſtoria cap. 10. tradidit. Ubi inquit, *Quòd moventur à Deo omnia tanquam à primo movente, & quòd niſi moveat priùs, neceſſe eſt, quòd nihil moveat in natura.* Hæc ſanè niſi demonſtratio ſit, quænam in re morali eſſe unquam poſſit, non ſatis intelligo.

Sextò: Sed cæteris omnibus prætermiſſis, hi duo in teſtes non poſſunt non advocari Dominicus Soto, & Andreas à Vega. Utriuſque enim teſtimoniũ eo ſecuriùs adduci poteſt, quòd uterque dum Sac. Concilium Tridentinum haberetur, & dum ejuſmodi controverſiæ de gratia, liberoque arbitrio agitarentur, ſuum opus edidit: quin etiam Dominici Soto opus egregium ab ipſomet Concilio probatum eſt; atque ut Concilium ſignificaret, quo in honore hujus operis Authorem haberet, præclaro ſtemmate ipſum Dominicum Soto inſignivit, quo duę manus junctæ referebantur ex quibus flamma evolabat, cum hac Epigraphe, *Fides quæ per Charitatem operatur.*

Quis verò credat, utrumque prælaudatum Theologum latuiſſe Concilii Tridentini mentem, aut doctrinam ſuis ſcriptis tradidiſſe, quæ cum ipſius Tridentini definitionibus non conſentiret? Atqui dubitari non poteſt, quin apertiſſimè uterque prævenientis gratię vi ſua efficientis ſententiam docuerit. Neque in hujus rei probatione immorandum eſt, cum Molina in Concord. quæſt. 14. diſp. 37. ingenuè fateatur, ſententiam ab utroque defenſam ſuæ omninò adverſam eſſe: Etenim tria ex utroque authore refert: *Primò*, liberum hominis arbitrium à Deo peculiari auxilio moveri, quod nunquam caſſum, irritumque evadit: *Secundò*, beneficio diſtinctionis ſenſus compoſiti, & diviſi, explicari concordiam libertatis cum eo peculiari auxilio: Ac *Tertiò*, pro ratione intenſionis hujus peculiaris auxilii accipiendam eſſe quantitatem intenſionis actus à libero arbitrio producti: quæ tria ad noſtram ſententiam pertinere certum eſt. Atque ea prædictus Author tota hac diſputatione impugnanda ſuſcipit, ut ſuæ ſententiæ adverſa: nos verò ut D. Thomæ noſtręq; & ipſius Scholæ principiis maximè conſentanea eſſe agnoſcimus, & amplectimur: Ergo &c. Hoc ſanè unicum argumentum, ſi quis ſatis expendat, quamvis cætera deeſſent, in hac controverſia dirimenda ſatis eſſe poſſet. Diſceptatur inter nos, quis fuerit SS. Cõcilii Tridentini ſenſus. Teſtes quærendi ſunt, qui ſcire potuerint, & nobis referant. Magis idonei eſſe non poſſunt, quàm qui eidem Concilio intererant, & quorum ſententia à Concilio probata eſt: Atqui fatetur ipſe Molina, & Andreæ à Vega, & Dominici Soto, qui Concilio interfuerant, & quorum doctrina à Concilio probata eſt, ſententiam quæ noſtra eſt, ſuæ ſententiæ omninò adverſam eſſe. Ergo incredibile eſt, D. Thomæ, ejuſque Scholæ ſententiam, quam Dominicus Soto, & Andreas à Vega amplexi ſunt, quam Molina ſuæ ſententiæ adverſam eſſe fatetur, non eſſe conformem S. Concilii Tridentini definitionibus: cùm noſtram hi Theologi ſententiam docuerint, quos tamen vera Tridentini doctrina, ejuſque mens latere non poterat, cum nedùm ſpectante, ſed & approbante ipſomet S. Concilio eandem ſententiam ſcriptis tradiderint.

Quamplures etiam alii ex Tridentinis Patribus longo numero, ordineque recenſeri poſſent, & forſitan alii hanc aliquando Provinciam ſibi aſſument. Sed ſatis eſſe adhibitos teſtes exiſtimavimus, cùm ex his, nec dubium quidem eſſe poſſit, quin D. Auguſtini ſententiam, quæ eadem eſt cum D. Thomæ, & ejus Scholæ ſententia, tenuerint.

Septimò: Confirmari ſuperiora poſſunt, quòd cùm duplex ſententia ſit in materia de Divinis auxiliis; altera, quæ auxilia efficacia conſtituit, neque aliundè, quàm ex ipſa eorum efficacia concordiam gratiæ, & libertatis repetit: altera verò, quæ eorum efficaciam, aut cum libertate concordiam beneficio ſcientiæ mediæ explicari poſſe, contendit; impoſſibile enim eſt, ullum eſſe inter hæc duo extrema, & oppoſita medium; moveri à ſe, moveri ab alio in genere efficientis cauſæ; voluntatẽ hominis in eo genere in quo agit, primò aut determinari à Deo, aut determinari à ſeipſa: quantumcumque enim ingenia etiam præclara ſe torqueant, nullum inter hęc duo mediũ reperient: ad hoc enim veluti punctum controverſiam omnem reſtringimus; ſcilicet unde in genere efficientis cauſæ ille noſtræ voluntatis motus, & actus oriatur, ſeu unde oriatur determinatio voluntatis, ut à voluntate emanat; utrum ſcilicet à Deo, an verò ab ipſamet voluntate; inter hæc duo, cum immediatè, & directè opponantur, impoſſibile eſt, medium reperiri. Igitur cum inter hæc duo oppoſita nullum medium relictum ſit, neceſſe eſt, in alteram ex hac utraque præfata ſententia, Tridentini Patres conceſſerint: Atqui hanc poſtremam, quæ pro fundamento ſcientiam mediam conſtituit, amplecti non poterant, cùm nondùm ſcientiæ mediæ ſententia reperta fuiſſet; ſiquidem certum eſt, quod eam poſt Tridentinum Molina in lucem eduxit, nec pateretur hanc ſibi laudem ab altero eripi: Ergo neceſſe eſt, quòd Tridentini Patres alteram SS. Auguſtini, & Thomæ ſententiam de gratia tenuerint.

Explicatur magis hæc ratio ex ea obſervatione, qua quidam ſcientiã mediam commendant. Durior eſt, inquiunt, ea ſententia, quæ ſalutis negotium in dominantem prævenientem gratiam effectricem refundit: ferri non poteſt Pelagii error, qui omnia arbitrio ſolius libertatis committebat: tutior via eſt, qua beneficio ſcientiæ mediæ, & efficacia Divinę gratiæ, & infallibilitas effectus explicatur. Obſervationem præfatam quantùm ad primam partem non admitto, neque admittendam eſſe ſatis ſuperiora demonſtrant: ſed quantùm ad alteram partem; eam ultrò amplector, ſcilicet eam unicam lineam eſſe, qua recentiorum Theologorum ſententia, qui extrà S. Thomæ Scholam verſantur, à veteribus erroribus ſejungi poſſit; nimirùm quòd beneficio

ſcien-

ſcientiæ mediæ,aut,ut volunt,legitimo illius uſu controverſiam omnem de Divinæ gratiæ efficacia, & cum libertate concordia dirimat: Ergo neceſſe eſt,eos, quibus incognitus eſt ſcientiæ mediæ uſus,vel in eorum ſententiam concedere,qui prævenientem effectricem gratiam agnoſcunt; vel in aliud extremum,aut verius præcipitium,& Pelagii errorem labi: Atqui compertũ eſſe videtur, vel incognitam fuiſſe omninò ſcientiam mediam,vel ſaltem legitimum illius uſum nondùm Tridentini temporibus fuiſſe repertum; cùm, ut ſuprà diximus,hanc ſibi laudem ipſemet Molina tribuerit, quòd ejus primus Author fuerit: Ergo neceſſe eſt, Patres omnes Tridentinos, aut defendiſſe SS.Auguſtini, & Thomæ de gratia ſeipſa efficaci ſententiam, aut Pelagianorum erroribus irretitos fuiſſe. Cùm verò hoc poſtremum ſine graviſſima injuria etiam Religioni, & Eccleſiæ illata dici non poſſit, ſupereſt, ab iis SS. Auguſtini, & Thomæ ſententiam fuiſſe defenſam.

ARTICULUS VIII.

Solvitur alterum argumentũ exCan. 4. SS.Conc.Trid.deſumptũ,quo ſenſu poſſit voluntas reſiſtere motioni Divinæ.

OBjici quædam poſſunt, quibus probetur, præmotionis ſententiam cum Sac. Tridentinæ Synodi Canone non ſatis conſentire, quæ omnia ad hoc unum revolvuntur; quod ſi ſemel everſum fuerit, cætera ſpontè concident. Definit Sac. Concilium, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum,poſſe diſſentire, ſi velit.* Atqui, ſi ea motio eſſet prævia, phyſica, & effectrix,ipſi voluntas diſſentire non poſſet:Ergo,inquiunt,Tridentinum *definit virtualiter,eam gratiam non eſſe prædeterminantẽ.* Difficultas in ſola Minori poſita eſt, & probatur. *Primò*$_{ar}$ quia reſiſtere motioni facit ſenſum compoſitu$_{ap}$; quia ille reſiſtit dumtaxat alicui virtuti,qui facit,ut illa non vincat,ſed irrita maneat,ſicut reſiſtere hoſti,ne in Urbem prorumpat, cùm jam habet muros,eſt impedire, ne in Urbẽ intret: Atqui id non poteſt efficere liberum arbitrium motum à Deo prævia motione prędeterminante,quia hoc planè eſſet poſſe chimęram facere.*Secundò*: quia definit Sac. Concilium ſeſſ. 6. cap. 5. hominem diſponi ad juſtificationem, liberè aſſentiendo, & cooperando gratiæ prævenienti, loquitur autẽ de gratia efficaci: Ergo virtualiter definit, quòd homo conjungit conſenſum cum entitate gratiæ: Ergo virtualiter definit, quòd poteſt conjungere, vel diſſenſum,vel non aſſenſum cum eadem entitate gratiæ, quia utrumque ad libertatem pertinet: Ergo iterùm, inquiunt, Tridentinum virtualiter definit gratiam illam prevenientem efficacem non eſſe prædeterminantem. Probatur hęc ultima conſequentia; quia liberum arbitrium gratiæ prædeterminanti,non liberè,ſed cum omnimoda neceſſitate conjungit aſſenſum; quia ita conjungit, ut nullam habeat poteſtatem ſejungendi conſenſum; ſiquidem ipſa motio eſſentialiter connexum habet conſenſum: at verò ſeparare aſſenſum à motione, quæ eſſentialiter eſt cum aſſenſu conjuncta, eſt à parte rei facere chimæram. *Tertiò*: ex eodem Tridentino ſeſs. 6. cap. 4. Definit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe abjicere Divinam inſpirationem: quod ſanè non ita intelligtndum eſt, ut ſenſus ſit,hominem poſſe ipſam entitatem inſpirationis Divinæ à ſe repellere, id enim non eſt in noſtra poteſtate, cùm Deus, ut ipſi libet, eam infundat, nec impediri poſſit ab homine, quin ea in ipſo recipiatur; ſed ſenſus eſt, quòd poſſit ea inſpiratio ſine effectu relinqui. Ergo Concilium virtualiter definit, quòd liberum arbitrium poteſt eam inſpirationẽ Dei relinquere ſine effectu: Ergo Tridentinum virtualiter definit, gratiam illam non eſſe prædeterminantem. Probatur conſequentia, quia arbitrium non habet poteſtatem ad relinquendum ſine effectu prædeterminationem, quia hoc eſſet habere poteſtatem ad chimęram. *Quartò*: quia aliud eſt error Calvini, aliud verò occaſio erroris. Error Calvini eſt, quòd negaverit, voluntatem efficaci gratia motam retinere libertatem indifferentiæ: ejus autem erroris occaſio duplex intelligi poteſt, prima, quòd ex gratia prædeterminante auferri hominis libertatem intulerit, ut Thomiſtæ contendunt: altera verò,quòd eam gratiam prædeterminantem admiſerit, ut Recentiores exiſtimant: Atqui dici non poteſt, errorem eſſe, quòd ex prædeterminãte gratia intulerit,auferri libertatem: id enim rectè conſequitur, neque contra Dialecticam peccavit: Ergo cauſa ejus erroris fuit,quòd prædeterminantem gratiam admiſerit. Ergo,cum à Tridentino damnatus eſt Calvini error, exiſtimandum eſt quoque,voluiſſe Tridentinum amovere cauſam ipſius erroris, ac ſubinde, *gratiam phyſicè prædeterminantem fuiſſe virtualiter damnatam in Tridentino.*

Plurima ejuſmodi objici poſſunt: quæ cùm centies ſoluta fuerint, otioſi eſſet hominis ea referre, vel iis refellendis tempus impendere. Verùm diſſimulare non licet, vix ferendam eſſe nimiam quorundam licentiam, qui privata poteſtate eam communi D. Thomæ, & ejus Scholæ ſententiæ cenſuram inurunt, virtualiter ſcilicet definitum à Sacro Concilio Tridentino, prævenientem gratiam Divinam non eſſe prędeterminantem: gratiam quoque prædeterminantem fuiſſe virtualiter damnatam in Tridentino: quo quid gravius dici poſſit, non video. Nec ſanè iſtud Chimera eſt, aut leve malum, nullam prohibitionum tot SS. Pontificum rationem habere. Sed præterea, quod etiam initio præmiſimus, quid unquam ad explicandam Divinæ motionis vim à nobis dictum eſt, quod magis in ſpeciem cum definitione Tridentini collidi videatur, quàm quod à S. Ignatio dictum eſt, nec dubium,

quin sæpius ipse persensisset, eam esse vim,& impulsum Divinæ motionis, qua Deus interdum animam movet,ut etiam *facultas omnis sublata sit*, ambigendi quominùs sequatur talem impulsum. An verò dicendum est, quod Vir Sanctus in libro Exercitiorum scripsit, virtualiter esse in Tridentino damnatum: aut ipsum existimasse non aliam sub eo sacro impulsu relictam esse voluntati potestatem, quàm ad faciendam Chimæram? sed rursus ad lineas.

Respondeo, multis modis argumentum hoc peccare, & excipi posse. Et *Primò* quidem communi solutione, quæ planè radicem omnem difficultatis excindat, & argumenta omnia quæcumque objici hic possunt, ita enervet, ut nihil planè reponendum supersit. Ad hoc enim ea omnia argumenta revolvuntur: quòd scilicet ad explicandum in germano sensu Canonem, & servandam vim hujus locutionis,*potest resistere*,concedendum sit, posse vel dissensum vel actum oppositum cum ipsa entitate motionis & gratiæ Divinę conjungi: Ergo si à nobis id concessum fuerit,omninò nihil supereſt,quod in æternum reponant. Atqui id etiam à nobis ultrò admittitur, posse scilicet, & dissensum, & actum oppositum cum ipsa entitate Divinæ motionis conjungi. Ergo &c. Et verò, cùm adversa sententia prævenientis gratiæ efficaciam, vel ex circumstantiis, vel ex contemperatione ad cujuslibet hominis genium derivet; non negat tamen, quin efficax gratia, ut efficax est, infallibiliter habitura sit effectum; & tamen existimat, libertatem illæsam servari, quia cum entitate Divinæ gratiæ secundùm se, potest conjungi dissensus; quamvis non possit reduplicativè cum ipsa efficaci gratia,ut efficax est, dissensus conjungi. Ita enim plurimi respondere solent,ut aliquam saltem efficaciam admittere videantur. Quæ solutio utrùm satis sit, imò, & eo sensu, quo adversa sententia explicat, admitti debeat, non est hujus loci expendere. Ut ut sit,satis est ita existiment ad servandam ex una parte gratiæ Divinæ efficaciam, & ex altera libertatem arbitrii,sufficere,ut cum entitate gratię secundùm se dissensus possit conjungi: Atqui ita etiam de Divina motione nos ipsi admittimus. Dupliciter enim considerari posse ultro admittimus: scil. Quantùm ad entitatem; & ut est vis quædam Omnipotentiæ Divinæ, seu ut est virtus Divinæ artis, qua hominis voluntas ad actum applicatur:sub prima quidem ratione,non repugnat,actum oppositum cum Divina motione conjungi: repugnat tamen, conjungi cum motione, si secundo modo consideretur: Ergo si illæsa libertas maneat sub ipsa gratiaDivina,sive ex congruitate, sive ex contemperatione, sive quocumque alio modo efficaci, & quæ effectum infallibiliter infert;quia potest, vel dissensus, vel actus oppositus, cum entitate illius gratiæ conjungi: poterit eadem ratione sub Divina motione serta tectaque manere libertas, quia potest dissensus cum entitate Divinæ motionis conjungi.

Nec verò nova est hæc solutio, quam nobis argumentorũ vis extorserit. Jam enim olim Alvarez,cùm ea controversia primùm agitari cæpta est, illam solutionem, ut Scholæ S. Thomę communem adhibuit. Disputatione enim 93. de auxiliis observat, quòd „ Auxilium efficax potest „ dupliciter considerari. Primò secundùm suam „ entitatem præcisè, quatenùs videlicet est quę„ dam realis motio,seu entitas creata in intelle„ ctu, & voluntate recepta; & secundùm istam „ rationem, inquit, nulla est controversia inter „ Authores utriusque sententiæ; cùm omnes fa„ teantur, liberũ arbitrium resistere posse auxi„ lio efficaci, si secundùm suam entitatem præ„ cisè consideretur. Alio modo motio considerari potest secundùm omnem realẽ virtutem, „ quam habet, ut venit à Deo, & ut est instru„ mentum voluntatis Dei volentis efficaciter „ hominem, cujus cor movet, ad se convertere: „ secundùm istam rationem dicendum est, in„ quit, arbitrium creatum resistere non posse „ auxilio efficaci, propriè loquendo de resisten„ tia, sicut non potest resistere Deo, aut ejus vo„ luntati. „ Hæc ibi Alvarez: quibus constat, referri eam solutionem, ut in Schola S. Thomæ communem. Et verò etiam communissimis Philosophię principiis omninò consentanea est; cùm nunquàm motus ad unum terminum, si secundùm se præcisè, ut motus est, consideretur, villi termino adversetur, sed solùm ratione termini, ad quem tendit, qui terminus si sejungeretur à motu, non minùs ad quemlibet alterum terminum, motus ferri posset.

Sed quod caput est, expressa est D. Thomæ ea solutio, eaque doctrina quam fusiùs aliàs explicuimus q.24.de verit.art.8.ad 6.ubi inquit,Divinã gratiam,ut & quodlibet accidens, dupliciter considerari posse;vel ut res, vel ut ratio est;id est, vel secundùm suam entitatem, vel ut est agendi vis. Primo modo, ut res est,dependet à subjecto: Secundo autem modo ut est ratio,seu vis agendi, evehit subjectum: v.g. lux recepta in aëre,ut res est, secundùm communem rationem accidentis,à subjecto deprimitur, ab eoque dependet. At verò ut ratio est agendi, ac prima qualitas, perficit aërem, & confert ultimam perfectionem, quam habere unquam possit: Atqui de gratia, & Divina motione idem dicendum est. Etenim ex una parte à subjecto deprimitur, ab eoque dependet, & similes cum subjecto conditiones induit; at verò ex altera parte,gratia subjectum evehit,perficitque. Ita verò habet D. Thomas: gratia *secũdùm esse suũ est in libero arbitrio per modũ ejus, sicut accidẽs in subjecto*,scil.in volũtate,vel libero arbitrio,quod,ut inquit in argumento cui respondet, *secundùm naturam suam est mutabile.* Unde necesse est, ex ea parte motionem Divinæ gratiæ,veluti deprimi,& veluti mutabilem fieri, aut indifferentem esse, ut cum actu oppositio jungi possit.Sed tamẽ altera ex parte, scilicet ut ipsa gratia est *ratio*, sive ut habet vim agendi ratione suæ originis omnipotentissimam, ut loquitur S. Augustinus,*Ad rationẽ suæ immutabilitatis*, inquit

quit D. Thomas, *liberũ arbitrium pertrahit, ipſum Deo conjungens.* Atque eo pacto hæc duo invicem junguntur, quæ jungenda eſſe perpetuò docuit S. Thomas; quòd ſcilicet immutabiliter movetur hominis voluntas *propter efficaciam virtutis moventis*, Dei ſcilicet, & Divinæ gratiæ: quamvis ex altera parte propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non induatur neceſſitas, ſed remaneat libertas.

Igitur quàm libentiſſimè aſſentimur gratiæ Divinæ motioni, ſi ſolum ipſius gratiæ entitatis, ut hominis voluntati ineſt, ratio habeatur, poſſe diſſenſum, poſſe alterum actum conjungi, etſi potentia ſolùm antecedente, ſeu poſſibilitatis dumtaxat, non autem potentia conſequente, ſeu potentia futuritionis. Quòd ſi ex adverſa ſententia libertas hominis integra ſervetur cum efficaci gratia præveniente, quæ ex circumſtantiis, vel contemperatione efficaciam deſumit; quia poteſt voluntas entitati hujus gratiæ reſiſtere, quamvis tamen reipſa ipſi non reſiſtat; ſiquidem efficax gratia reduplicativè ſumpta, & ut efficax eſt, cum ſuo effectu conjungitur: non eſt, cur ultrà objiciant Adverſarii, Divina præmotione auferri libertatem, ſiquidem etiam cum entitate Divinæ motionis nihil vetat poſſe conjungi diſſenſum. Unde, ut aliàs advertimus, quotiès de ſola libertatis humanæ, ac Divinæ gratiæ motionis concordia agitur, quidquid fermè ab Adverſariis dictum fuerit, poteſt quàm facillimè, & ſine noſtræ cauſæ diſpendio à nobis etiam uſurpari.

Diſcrimen unicum eſt, & ingens quidem, quo noſtra ſententia ab adverſa ſejungitur; nimirùm quòd Divinam motionem vi ſua eſſe efficacem, & actus effectricem exiſtimemus, ut Sacræ Scripturæ verba in germano ſenſu explicentur; ut primæ cauſę ſua jura ſerventur; ut Deus propriè cauſa ſit, cur agamus; ut converſio hominis ſit proprium opus Dei; ut principium ſalutis non homini, ſed Deo tribuatur, & alia ejuſmodi, quæ aliàs proſecuti ſumus. Sed quòd ad libertatis concordiam attinet, nullum planè diſcrimen eſt, cujus aliqua ratio habenda ſit. In aliorum ſententia, gratia efficax eſt ex circumſtantiis, vel congruitate; ſuppoſita ea congruitate infallibiliter ea gratia habet effectum, & ſub directione ſcientiæ mediæ infallibilitatem habet etiam omnimodam, & Metaphyſicam. Nihil tamen ea infallibilitas officit libertati voluntatis; quia ſi ſpectetur ea gratia quantùm ad entitatem, poteſt ipſi voluntas diſſentire, etiam in ſenſu compoſito; quamvis tamen nunquam reipſa ipſi diſſentiat, cùm, ut efficax eſt, effectum conjunctum habeat. Idem à nobis dictum puta, & fortè etiam apertiùs, ac ſolidiùs explicamus diſtinctione duplicis potentiæ. Habet enim in primis Divinæ gratiæ motio infallibiliter ſuum effectum; non ex congruitate, aut altero quopiam adminiculo; ſed ex vi ſua, & ut eſt participatio virtutis Divinæ: ſed tamen poteſt nihilominùs liberum hominis arbitrium motum, & excitatum ea prævia, & effectrice motione, reſiſtere in ſenſu compoſito, ſeu poteſt conjungere diſſenſum cum Divina motione; ſed potentia ſolùm antecedente, id eſt potentia ab actu diviſa, aut potentia ſolius poſſibilitatis, non verò potentia conſequente conjuncta cum actu, ſeu potentia futuritionis. Et ratio eſt ex D. Thoma, quòd potentia conſequens, & conjuncta cum actu, etiam cum omnibus circumſtantiis conjungi debeat; quia actus ſunt in ſingularibus, ubi circumſtantiæ omnes concurrunt. Unde ſi potentia conſequente voluntas humana cum efficacis gratiæ Divinæ motione conjungeretur; etiam cum ipſa gratiæ motione, non ſolùm quomodocumque, & ſecundùm ſuam entitatem ſpectata, & *ut res eſt*; ſed jungeretur etiam cum ipſa gratiæ motione efficaci, ut efficaci ſeu *ut ratio eſt*, & ut eſt virtus agendi; quod planè repugnat. At verò ſola potentia ab actu diviſa, ut ita dixerim, præciſiva eſt: poteſt reſpicere motionem Divinæ gratiæ ſub præciſa ratione entitatis, & ut dumtaxat *res eſt*: unde nihil vetat, liberum arbitrium à Deo motum poſſe Divinæ gratiæ motioni reſiſtere; Id eſt, poteſt conjungere diſſenſum cum gratiæ Divinæ motione; potentia ſolùm antecedente, ſeu ſolius poſſibilitatis; non autem potentia conſequente, ſeu potentia futuritionis. Unde animadverti facilè poteſt, hanc ſolutionem omninò recidere cum altera, quæ negat, poſſe reſiſtere in ſenſu compoſito. Sed de hoc poſteà agendum eſt.

Certum igitur fixumque ſemel ſit, quòd ſi aliorum etiam ſolutio obtinere poſſit, & ſolvendo argumento ſufficiat; omninò nihil adverſæ ſententiæ Authoribus ultrà relictum eſt, quòd nobis objiciant, opponantque Canonem 4. Sacri Concilii Tridentini, quaſi cum D. Thomæ, ejuſque Diſcipulorum ſententia collidatur: ſiquidem ſine ullo planè cauſæ noſtræ diſpendio, eodem planè modo, & quo ab ipſis intelligitur, etiam à nobis explicari poteſt.

Nec verò objici poteſt, parùm conſentire hanc ſolutionem cum Divinæ præmotionis phyſicæ principiis; quia hæc motio, ut eſt ex intentione Dei moventis, & ut eſt virtus Divinæ artis, & Divinæ potentiæ, eſt eſſentialiter connexa cum actu, ad quem movet: Atqui repugnat, voluntatem humanam poſſe conjungere diſſenſum cum Divina motione, quæ eſſentialiter connexa eſt cum actu. Ergo &c.

Facilè enim hæc omnia, & ſi quæ alia ſint, ſolvuntur eadem diſtinctione: repugnat, conjungi diſſenſum cum motione, quæ eſſentialiter cùm conſenſu conjuncta eſt, Diſtinguo: cum motione eſſentialiter cum conſenſu, ſeu actu, connexa, reduplicativè, ut connexa eſt, ſive ut ratio eſt, & virtus agendi; Concedendum eſt: cum motione connexa, ut ſpecificativè ſolùm connexa, ſive ſecundùm ſuam entitatem, & ut res eſt dumtaxat; Negandum: & perpetuò retorqueri idem argumentum à nobis poterit. Certum eſt, ut volunt, repugnare, quòd voluntatis humanæ diſſenſus cum gratiæ efficacis motione conjungatur, quæ ſub directione ſcientiæ mediæ tantam connexionem

habet cum effectu; ut etiam infallibilitatem metaphysicam habeat, ut arbitrantur: quæ enim major connexio esse possit? Habeat etiam physica motio ex ipsa rei natura connexionem cum effectu; majorem tamen esse, quàm metaphysicam planè repugnat: Et tamen cum ea gratia prævenient, quæ hic, & nunc metaphysicam cum assensu connexionem habet, potest conjungi dissensus: quidni etiam possit conjungi dissensus cum motione, quæ ex ipsa rei natura connexionem cum assensu habet.

Vide quę aliàs à nobis dicenda sunt; neq; enim eam solutionem iis verbis expressam, & quæ ex parte Divinæ gratiæ motionem deprimit, necessariam esse arbitramur. Unde nec aliis in locis à D. Thoma adhibita est, ubi ex professo hoc argumentum solvit, Divina motione videri lædi libertatem creatam. Ubique enim alibi Divinam motionem adæquatè sumptam, & ut reipsà est quædam vis Divinę Omnipotentiæ impressa voluntati inspicit; & cum ea ut hìc, & nunc ipsi voluntati confertur, & secum involvit vim illam Divinæ artis, cum libertate conjungendam esse contendit. Unde.

Respondeo *Secundò*. Sigillatim communi solutione, quæ nulla ex parte deprimit vim Divinę motionis, sed magis eam commendat. Et observari hìc potest, quod etiam à S. Thoma observatum est 1. cont. gent. cap. 68. quòd *In his, & in omnibus similibus, quæ scientiam circa contingentiam*, & Divinam motionem, *oppugnantes argumentantur secundùm compositionem, & divisionem, falluntur*. Facilè enim ab uno ad aliud transitus fit, nisi quis sibi caveat; & unus alterius loco supponitur; sed facilè detegi fallacia potest, & frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Unde.

Ad *Primum* exactè, & presse ita Respondeo; Resistere motioni facit sensum compositum, quia tunc motio Divinæ gratiæ non vincit, sed irrita est; Concedo Majorem: Atqui non potest liberum hominis arbitrium motum Divina motione prævia, & physica efficere sensum compositum, & efficere, ut motio irrita sit; Id enim esset posse facere Chimæram; Concedo Minorem: Ergo non potest Divinæ motioni resistere liberum arbitrium, si velit; Nego consequentiam. Hæc enim verissimè Chimæra est: aut ea fallacia ex sensu composito ad divisum. Et mirum est, ista, quæ clarissima sunt, non adverti. Major enim, & Minor compositæ sunt, & nedùm implicitè, sed expressissimè sensum compositum explicant: & inde infertur consequentia divisa, & absoluta, scilicet: Ergo non potest resistere, nec dissentire: addatur quod addi debet; Ergo non potest resistere, nec dissentire in sensu composito; & argumentum rectè concludet, & omnes argumenti partes concedendæ sunt. Unde prima pars Majoris, si absolutè sumatur, scilicet, resistere Divinæ motioni facit sensum compositum, omnino neganda est.

Dices, ipsum resistendi vel dissentiendi nomen sensum compositum significare: Ergo cùm concluditur, non potest liberum hominis arbitrium Divinæ motioni dissentire, superflua est distinctio in sensu composito, vel diviso, cùm de sola resistentia in sensu composito intelligi possit.

Verùm gravis æquivocatio hæc est, & ignoratio veri sensus compositi, & divisi. Quoties in sola potentia sistitur, nullus sensus compositus esse potest; quia sensus compositus jungit non potentiam cum actu, vel forma opposita; sed conjungit actum cum actu, vel cum opposita forma. V.G. cùm dicitur; prædestinatus potest damnari; ubi intra potentiam sistitur, propositio verissima est, & sensus divisus. Sed si quis dicat; prædestinatus damnatur, & conjungit damnationem cum prædestinatione; tunc sensus est compositus, & propositio falsa. Ita planè si quis dicat; liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum resistit Divinæ motioni, seu resistentiam cum Divina motione conjungit; sensus compositus est, & falsus: sed cùm solius potentiæ ratio habetur, & dicitur; liberum arbitrium motum resistere potest motioni Divinæ, sensus dumtaxat divisus est, & verus, certusque.

Et verò scire velim, an non alia sit resistentia actualis, ac reipsà posita, alia verò resistentia solùm in potentia? Igitur ubi de resistentia actuali sermo est, liberum hominis arbitrium actu motioni Divinæ resistere negamus: si autem de possibili resistentia sensus sit, ultrò concedimus, & ita intellectum à S. Concilio Tridentino ostendimus. Unde in forma Respondeo: ipsum resistendi nomen sensum compositum significat, distinguo: Resistendi actu, Concedo: Resistendi solùm potentia; Nego. Sensus enim compositus est, si tribuatur potentiæ actus; & cum eo actu, seu cum potentia in actu constituta conjungatur actus oppositus, vel forma opposita. V. G. ut diximus, prędestinatus potest damnari; sensus compositus est, si potentiæ, qua dicitur posse damnari, tribuatur actus, scilicet ipsa damnatio: tum enim illa potentia cum actu conjuncta repugnat prædestinationi. Eodem modo si potentiæ dissentiendi tribuatur dissensus, tum ea potentia repugnat Divinæ motioni. Si verò potentia nullum actum habeat, eaque potentia comparetur cum motione, aut actu motionis; nulla repugnantia est. Neque enim, vel motio, vel actus, quem efficit, destruit potentiam voluntatis, ut dixit D. Thomas, quæ capax est alterius actus, quo motioni resistat. Atque hæc omnia ex D. Thoma deducimus quæst. 23. de Verit. artic. 5. ubi inquirit, utrum Divina voluntas rebus volitis necessitatem imponat. Cùm enim sibi objecisset, quòd *Non esse ejus quod est volitum à Deo, non potest stare cum Divina voluntate; hæc enim duo incompossibilia sunt, quòd Deus velit aliquid esse, & non sit*: unde consequi videtur, rebus volitis necessitatem imponi. Respondet quòd *quamvis non esse effectus Divinæ voluntatis non possit simul stare cum Divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum Divinæ voluntatis simul stat cum Divina voluntate*

luntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia,Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia,Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur; quia compoſita eſt, & conjungit actum cum actu. Hæc S. Thomas.

Igitur hæc vera ſenſus compoſiti notio eſt, quòd conjungat actum cum actu. Quandiu verò intra ſolã potentiam ſiſtitur,nullus eſt compoſitus ſenſus, ſed ſolùm diviſus. Quia, ut diximus, comparatur vel actus oppoſitus, vel forma oppoſita cum ipſa potẽtia,quæ ſemper integra manet, & ſub forma oppoſita,& ſub eo actu, quem reipſa producit. Unde & ſub eo actu, potentia aliorum actuum capax eſt, quia majorem amplitudinem potentia habet, quàm ut unico actu impleatur, niſi conjungat cum ultimo fine.

Unde & à D.Thoma 1.p.q.23.art.3.dictum eſt; quòd *Reprobatio Dei nihil ſubtrahit de potentia reprobati. Unde cùm dicitur,quòd reprobatus non poteſt gratiam adipiſci,non eſt hoc intelligendũ ſecundùm impoſſibilitatem abſolutã; ſed ſecundùm impoſſibilitatem conditionalẽ: ſicut*, inquit, *ſuprà dictum eſt,quòd prædeſtinatum neceſſe eſt ſalvari neceſſitate conditionata,quæ non tollit libertatem arbitrii.* Hæc ibi Sanctus Thomas.Quibus exiſtimo exhauſtam eſſe omninò difficultatem. Neque prædeſtinatio, neque reprobatio, neque motioDivina quidquam ſubtrahit de potentia liberi arbitrii. Unde & prædeſtinatus poteſt damnari, & reprobatus poteſt ſalvari, & liberũ arbitrium hominis à Deo motum poteſt diſſentire, ſi velit. Quare ſi de reſiſtentia ſolùm poſſibili ſermo ſit, pleniſſimo ore concedendum eſt, liberum hominis arbitrium à Deo motum poſſe ſi velit diſſentire Deo moventi, ſeu Divinæ motioni.

Dices. Diſcrimen eſſe quod, nec prædeſtinatio, nec reprobatio quidquam ponat in prędeſtinato, & reprobato; cùm tamen ipſa Divina motio poſita ſit in ipſo libero arbitrio,quod huic motioni reniti deberet.Et præterea ſi ſolutio data obtineret, ſequeretur quòd etiam prædeſtinatio cum ſuo actu, & collatione gloriæ poſſet conjungi cum potentia diſſentiendi; nihil enim ſubtrahit de potentia reprobati: quod tamen dubio procul abſurdiſſimum eſt.

Sed contrà, & ut ab ultimo incipiam, palam eſt, quòd prædeſtinatio conjuncta cum ſuo ultimo actu, etiam conjungit ultimo fini, quo veluti forma ultimò completur potentia, & tota capacitas clauditur, ne vel alium actum ejuſdem rationis habere poſſit, aut velit, vel ab eo,quem habet, ſe ſe expedire, quia nihil eſt quod commutari poſſit. Quæ ſolutio ex S. Thoma 2. 2.qu. 24. art. 11.ſumitur, ubi charitatem patriæ cum formis cælorum confert: de quo ſuprà dictum eſt ſatis.Et præterea etiam prædeſtinatio conjuncta cum ultimo fine; ponit extra ſtatum viæ, ſicut & ipſa reprobatio conjuncta cum actu. Tum enim etſi non ſit repleta potentia, clauſa tamen eſt, & cum ſuo actu ita colligata, ut nulli alteri actui locus pateat. At verò ſi prædeſtinatio non cum ultimo actu, ſed cum aliis; id eſt, non cum gloriæ collatione, ſed cum collatione ſolius gratiæ conjungatur; idem erit dicendum,ac de ipſa gratia, & Divina motione.

Unde impugnari etiam facilẽ alterum poteſt: quia non minùs ea diſtinctio locum haberet, ſi prædeſtinatio aliquid efficeret in prædeſtinato. Nam etiam ea propoſitio, juſtus peccare poteſt, eodem duplici ſenſu intelligi poteſt, & compoſitè,& diviſè:unde & dictum eſt 1.Joan.3.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit... & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: quod compoſitè intelligendum eſt,&*ſecundùm poteſtatem Spiritus Sancti*: ut explicat D. Thomas 2.2. quæſt.24. art.11.Et tamen quis dubitet,quin dicendum ſit diviſè poſſe peccare. Unde utroque modo intelligi neceſſe eſt: & tamen juſtum eſſe, juſtitiam in homine inhærentem ſignificat.Ac ut alterum exemplum ex S. Thoma adjungam q. 1. de potentia art. 5. ubi de vera ratione potẽtiæ in Deo agit: quis dubitet, liberum Dei decretum in Deo aliquid, noſtro quidem loquendi modo, & ut Theologi ſatis intelligunt, ponere; & tamen ipſo Dei decreto poſito, quo ſe aliquid facturum ſtatuit,nihilominus poteſt oppoſitum illius,quod ſtatuit facere. Unde cum ſibi objeciſſet S. Thomas: *Deus non poteſt facere,niſi quod præſcit*, vel ſtatuit *ſe facturum*: (præſcientia enim futuri & abſoluti effectus ex Decreto Dei oritur:) *Sed non præſcit*,neque ſtatuit *ſe facturum,niſi quod facit: Ergo Deus non poteſt facere, niſi quod facit.* Reſpondet,*quod hæc locutio, Deus non poteſt facere, niſi quod præſcit* (vel ſtatuit) *ſe facturum,eſt duplex;quia exceptio poteſt referri ad potentiam, quæ importatur per hoc verbum, poteſt; vel ad actum,qui importatur per hoc verbum,facere. Si primo modo, tunc locutio eſt falſa; plura enim poteſt facere quàm præſciat*, vel ſtatuerit, *ſe facturum,& in hoc ſenſu ratio procedebat: ſi autem ſecundo modo, ſic locutio eſt vera; & eſt ſenſus,quòd non poteſt eſſe, quòd aliquid fiat à Deo, & non ſit à Deo præſcitum*, & conſtitutum.

Hæc ibi S. Thomas: Ergo etiam ex Angelico Præceptore cùm aliqua forma poſita eſt, cui effectus aliquis repugnare videtur, effectus ille, quantumvis huic poſitioni repugnare videatur, fieri tamen poteſt,*Si referatur ad potentiam,quæ importatur per hoc verbum poteſt*: quamvis non poſſit fieri,*ſi referatur ad actum,qui importatur per verbum, facere*,vel fieri: Ergo etiam,cùm dicitur,liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo, poteſt reſiſtere ac diſſentire motioni Divinæ;poteſt,inquam, *ſi referatur ad potentiam, quæ importatur per hoc verbum,POTEST;quamvis non poſſit,ſi referatur ad actum, qui importatur per verbum, DISSENTIRE.* Unde

Reſpondeo præterea: & ut apertior ſolutio ſit, ſuppono,quod,ut puto, nemo negabit, ac ex ſuperioribus evidens eſt: eundem eſſe ſenſum duplicis diſtinctionis ſenſus compoſiti, & diviſi; & potentiæ antecedentis, ac conſequentis: Concurrit enim potentia antecedens, quæ ſolùm potentiam ſignificat, cum ſenſu diviſo; & potentia

con-

consequens, quæ actum conjunctum habet cum sensu composito. Hac vero observatione suppositâ, ad quamlibet propositionem sigillatim Respondeo: & quidem ad Majorem, resistere actu, & potentia consequente Divinæ motioni, facit sensum compositum; Concedo: posse solùm potentia antecedente resistere; Nego. Ille resistit actu, & potentia consequente alicui virtuti, qui revera facit, ut ea non vincat; Concedo: ille solùm potest virtuti resistere potentia antecedente, qui facit, ut ea non vincat: Nego. Si enim ille actu efficiat, ut ea virtus non vincat, non solùm potest resistere, sed etiam actu resistit. Ad Minorem: Atqui liberum arbitrium motum prævia motione, non potest efficere, ut ea motionis Divinæ virtus non vincat, distinguo; non potest potentia consequente, seu in sensu composito efficere, ut ea non vincat; Concedo: non potest potentia solum antecedente, seu in sensu diviso, Nego. Unde ad consequentiam. Ergo non potest resistere, & dissentire potentia consequente conjuncta cum actu, & in sensu composito: Concedo: non potest potentia antecedente, seu potentia solius possibilitatis divisa ab actu, seu in sensu diviso, nego.

Atque ex his ut existimo, omninò solutum, ac planè contritum manet primum Argumentũ supra propositum. Altera tamen D. Thomæ solutio adhiberi potest, quæ mirùm in modum superiora illustrare poterit: Sed eam distincto Articulo explicabimus infra: priùs enim resolvenda sunt alia Argumenta ex eodem Sacro Concilio Tridentino desumpta; & quibus idem semper lapis volvitur, scilicet debere hominis voluntatem posse cum entitate gratiæ dissensum conjungere, quod tamen non potest, quia hoc esset posse facere Chimæram. Nusquam alias tot fabricatas Chimæras repereram; sed hæ non admodùm feroces sunt, facilè enim veluti una voce repulsæ, territæque recedent.

Ad secundum igitur Adversariorum argumentum ita Respondeo. Definit Tridentinum, nos liberè assentiri gratiæ Dei, & loquitur de gratia efficaci: quin imò etiam loquitur de vera motione physica, & gratia præveniente, ac effectrice: & huic nos liberè assentiri; concedimus: Ergo etiam definit, quòd possumus conjungere assensum, vel dissensum cum entitate gratiæ; quin imò nedùm cum nuda entitate gratiæ, sed etiam cum tota ipsius efficacia, & omnibus ejus viribus simul junctis. Et velim hìc adverti, quantùm torquere verba S. Concilii cogantur, qui ista objiciunt. Ubinam enim, vel in toto Concilio unicum verbum de entitate gratiæ veluti sejuncta ab ea vi, quam habet, ut est à Deo movente. Expressè enim Concilium definit, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum.... cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti*; & tamen ipsi *Deo excitanti, atque vocanti*, hominem *posse dissentire, si velit*: ubinam ea nuda, & sola entitas veluti inermis, & debilis gratiæ, & sine viribus, quas habet ut est motio Dei. Capite equidem quinto Tridentinum de præveniente gratia Divina loquitur: Sed qua Deus tangit cor, quæque est per Spiritum Sanctum. An verò in eo Divino contactu, & Spiritus Sancti operatione, sola entitas veluti mortua, & non ipsius gratiæ moventis vires omnes intelliguntur?

Sed dices, ita intelligendum esse S. Concilium, ut illud stare possit, quod inquit, hominem posse resistere Deo moventi, & vocanti; quia non Deo moventi, sicut nec ejus voluntati resistere possumus, sed dumtaxat entitati gratiæ, & motioni Divinæ: Atqui & illa apertissimè detorta interpretatio est. Loquitur expressè Tridentinum de Deo movente, & excitante liberum hominis arbitrium, seu etiam de ipsa Divina motione, non quomodocumque, sed etiam ut effectrice, seu ut est à Deo movente, cum ea omni vi, quæ possit ipsi inesse: & de ea definit Tridentinum, quòd *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum* ipsi *potest dissentire si velit*. Fateor equidem, ea nunquam satis intelligi posse; nisi D. Thomę principia admittantur: sed inde etiam apertè demonstratur, ea etiam admittenda esse. Alioquin necesse est entitatem, & efficaciam gratiæ distinguere, de qua ne verbum quidem in Tridentino Concilio reperire licet. Et

Observari hìc iterùm potest, quantùm hæc S. Concilii verba adversam sententiam torqueant; cùm enim negari non posset, quin Tridentinum de præveniente, & effectrice gratia loquatur contra Calvinum, ut etiam suprà advertimus; & tamen nolint Adversarii eam effectricem motionem admittere, quòd ea non alia sit præter physicam motionem; coacti sunt alterius generis efficacem gratiam quærere ex prævisione futuri consensus, vel ex circumstantiis, vel ex contemperatione ad genium. Et prætereà cùm SS. Concilium expressè definiat, quòd Deo moventi, & excitanti potest liberum hominis arbitrium dissentire, si velit, neque tamen D. Thomæ principia, & veram libertatis notionem admittant, quam S. Doctor constituit; iterùm coacti sunt novam illam distinctionem admittere gratiæ secundùm entitatem, & secundùm efficaciam; ut scilicet explicari aliquo sensu possit, quod à Tridentino dictum est; quòd possumus dissentire Deo moventi; id est, possumus, inquiunt, resistere motioni, & gratiæ secundùm entitatem, non secundùm efficaciam: Atqui, & ejusmodi interpretationes apertissimè Tridentini verba in alium omninò sensum detorquent. Cùm apertissimum sit; loqui Tridentinum non de efficaci gratia quomodocumque, sed de efficaci, & effectrice gratia vi sua; seu de prævia motione, qua Calvinus existimavit, extingui libertatem: & de ea effectrice gratia definit S. Concilium, quòd ejusmodi motioni, non solùm secundùm entitatem, & materialiter sumptæ, sed etiam motioni adæquatè sumptæ, ut reipsa confertur, scilicet effectrici formaliter; seu apertiùs, ut est à Deo movente, potest dissentire liberum arbitrium, si velit: Ergo necesse est, vel assumi S. Thomæ principia, vel

planè

planè impossibile videtur, Tridentini verba in vero, & germano sensu explicari. At verò iis omnibus, quæ à Tridentino definita sunt, mirum in modum D. Thomæ principia conveniunt. Etenim præter ea, quæ hucusque ex ipso retulimus: *Potest*, inquit, *considerari præparatio* liberi arbitrii *secundùm quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest.* 1.2. quæst. 112.art.3. Unde etiam hæc necessitas non aufert libertatem, quia neque coactionis est, neque absolutæ necessitatis, sed dumtaxat infallibilitatis.

Quid conformius dici potuit his, quæ Tridentinum definit, scilicet quòd liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperatur, & tamen potest dissentire, si velit? quid enim aliud est, *præparatio liberi arbitrii, ut est à Deo movente, habet necessitatem*, nisi motum, & excitatum à Deo cooperatur? quid verò est, *habet necessitatem, non quidem coactionis, sed infallibilitatis*; nisi potest dissentire, si velit? Plura alia jam ex S. Thoma retulimus, quæ exactissimè cum Tridentina definitione conveniunt, sine ulla planè distinctione entitatis gratiæ materialis, aut formalis, fortis vel invalidæ, vivæ, vel mortuæ; ut vix ovum sit ovosimilius: nec sanè hac in parte adversa unquam sententia paria faciet cum D. Tho. sententia.

Igitur, ut ad superiora redeamus; concedimus, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, posse dissentire Deo vocanti, & excitanti; si locutio referatur ad potentiam, non verò si referatur ad actum. Concedimus etiam, posse voluntatem conjungere, vel dissensum, vel assensum cum Divina motione, sed longè diverso modo: potest enim conjungere assensum potentia consequente, & cum actu conjuncta; reipsà enim actum conjungit; quia quoties liberum arbitrium à Deo movetur, toties ipsum liberum arbitrium Deo moventi cooperatur: sed potest conjungere dissensum, potentia solùm antecedente, sive potentia divisa ab actu, non cum actu conjuncta; quia jam potentia altero actu occupata est, quo reipsà Deo moventi cooperatur. Unde hæc consequentia neganda est, scilicet virtualiter esse definitum à SS. Concilio Tridentino, eam gratiam non esse prædeterminantem: tantùm enim abest, ut nisi magis nos Summorum Pontificum decreta moverent, omninò oppositum inferendum esse contenderemus. Ad probationem verò: gratia prædeterminans conjungit assensum cum omnimoda necessitate; falsum est, & jam Respondit S. Thomas, eam necessitatem esse, non simpliciter, nec coactionis, sed solùm secundùm quid, & infallibilitatis.

Ad alteram autem probationem: motio prævia, & physica habet essentialiter connexum assensum, & concedendum est: Ergo non potest humana voluntas separare hunc assensum à Divina motione, & hoc negamus.

At inquies. Separare consensum à gratia essentialiter secum afferente consensum, est facere chimæram; Mirum quàm agiles hujusmodi chimæræ sint. Hic alius hujus chimæræ saltus à sensu diviso ad compositum. Dictum est, non posse voluntatem separare assensum à motione, & hic sensus divisus est: at verò nunc dicitur, actu separare consensum à motione, res est impossibilis: Atqui apertissimè sensus est compositus; cùm non dicatur posse separare, sed reipsa separare, quod ipsum actum explicat, ac subinde sensum compositum efficit: Solutionem jam satis explicuimus: neque tanti momenti sunt ejusmodi chimęræ, & figmenta, ut his refellendis diutiùs immorari debeamus.

Sed tamen etiam hìc retorqueri potest idem Argumentum. Nam ex adversa sententia potest conjungi dissensus cum entitate ipsius gratiæ efficacis; supponamus igitur reipsà conjungi; potest etenim: quid verò tunc accideret, an non etiam chimęra fieret? nam, ut reipsà est, ea entitas gratiæ, etiam & efficaciam habet: quamvis enim ea entitas, & efficacia gratiæ Divinæ mente, seu intellectu sejungi possint, in re tamen, & de facto, sejungi non possunt, quia res est cum circumstantiis posita: Ergo jam dissensus reipsa conjungeretur, & cum entitate, & cum efficacia gratiæ. Quid verò aliud nisi chimęra est, conjungere actu dissensum cum entitate Divinæ gratiæ, quæ, ut reipsà est, cùm sit efficax, etiam consensum includit? eodem quoque modo retorqueri omnia possunt ut in adversam sententiam ejusmodi omnes chimęræ resiliant.

Ad *Tertium*. Admitto quidem ex parte explicationem S. Concilii Tridentini: scilicet cùm dicit, voluntatem posse Divinam inspirationem abjicere, non intellexisse, quòd possit voluntas entitatẽ inspirationis repellere; verùm addimus, non de entitate solùm inspirationis, & Divinę motionis, sed de Divinæ gratiæ motione adæquatè sumpta, cum tota scilicet vi sua, & efficacia, quam habet, Tridentinum loqui, & de ea etiam assentimur, non posse voluntatem eam à se excutere: sunt enim hi *stimuli, & clavi in altum defixi*; Eccl.ult. sed posse solùm, vel impediri, vel sine effectu relinqui, eo modo, quo diximus, potentia scilicet ab actu divisa, non cum actu conjuncta. Ad illud autem quod opponitur: voluntatem non habere potestatem ad relinquendam sine effectu prędeterminationem, quia hoc esset habere potestatem ad chimęram; hæc certè chimęra est, & merum figmentum. Potest enim voluntas potentia antecedente, & ab actu divisa, motionem Divinam sine effectu relinquere, etsi non possit potentia cum actu conjuncta, ut dictum est sæpius.

Ad *Quartum*: ultro concedimus, distingui debere, & errorem Calvini, & ipsius erroris causam: & Calvini quidem errorem fuisse, quòd negaverit veram libertatem indifferentiæ; causam verò erroris fuisse, quòd ex Divinæ gratiæ phy-

sica

ſica motione malè intulerit, auferri hominis libertatem: & hæc duo ſcilicet efficaciam gratiæ, & libertatis indifferentiam ſimul cohærere non poſſe falsò exiſtimaverit: duplici ſcilicet errore, & contra fidem, & contra rationem. Et hæc quidem concedimus, ut etiam advertimus ſuprà, falsò exiſtimaſſe Caſſianum, quòd *gratia, & liberum arbitrium ſibi invicem ſunt adverſa*: unde, & contra fidem, & contra rectam rationem inferebat, *quòd auferatur liberum arbitrium, cùm à gratia prævenitur*: ut refert D. Proſp. contra Collat. cap. 15. & 39. Sed qua ratione colligi inde poteſt, gratiam phyſicè prædeterminantem eſſe virtualiter damnatam in S. Concilio Tridentino? Quia, inquiunt, admiſit Calvinus Antecedens falſum, ſcilicet dari motionem prædeterminantem, ex quo deinde Conſequens quidem legitimum, ſed tamen hæreticum deduxit, nempe auferri hominis arbitrii libertatem; Atqui & hoc, ne quid amplius dicam, perperam dictum eſt. Si enim ex Antecedente, legitima illatione hæreticum Conſequens deducatur: erit ergo & Antecedens hæreticum. Sed quis error hoc in Antecedente eſſe poteſt: Deus *per modum efficientis cauſæ voluntatem movet immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt.* Neque enim aliud ſentiunt, qui prædeterminantem gratiam admittunt præter ea, quæ ſenſit S. Thomas, à quo ipſiſſima verba, quæ retulimus dicta ſunt. Sed.

Dices: hoc ipſo ponitur hæc motio irreſiſtibilis: Atqui & hæc tam falſa propoſitio eſt, quàm barbara locutio. Quis enim affirmat, non poſſe reſiſti Divinæ motioni, aut liberum hominis arbitrium non poſſe Deo moventi diſſentire, ſi velit? Quoties enim jam diximus ex S. Thoma: quòd quamvis ea motio Divina *immutabiliter moveat* hominis voluntatem, attamen *propter naturam voluntatis, quæ indifferens eſt ad multa, non inducìtur neceſſitas, ſed remanet libertas.* Nec certè chimæras ſomniabat D. Thomas, nec chimærarum fabricator fuit. Nullus igitur eſt, nec fuit error in Antecedente: ſed in falſo Conſequente, & illegitima conſecutione, & quòd gratiam, & liberum arbitrium ſibi adverſari exiſtimaverit Calvinus: quod, ut diximus, omnium errorum in hac de Divina gratia controverſia, origo fuit.

Advertendum eſt, quod fuſiùs ſuprà explicuimus, in eo hæreſes omnes poſitas eſſe, quòd ea, quæ jungenda ſimul erant, diviſa fuerint. Cùm enim in eo potiſſimum Majeſtas myſteriorum fidei eluceat, quòd diverſis, ſibique in ſpeciem oppoſitis partibus conſtare videantur; inde hæreſes omnes ortæ ſunt, quòd hæretici, quorum commune malum eſt, quòd omnia velint ſua ratione, ac intellectu metiri; cùm partium quæ humanæ, & corruptæ rationi invicem ſibi adverſari videntur, concordiam ſatis intelligere non poſſent, nec vellent ſubjici fidei, quæ docet, utrumque credendum eſſe; maluerunt alterutram partem pro ſuo arbitrio eligere, & adverſam negare. Unde communi principio conjuncti, & veluti colligati, in quo hæreſis virus repoſitum eſt, deinde conſequentiis ſejunguntur: quæ ratio cauſa fuit, ut hæretici à SS. Patribus conferri ſoleant cum Samſonis vulpibus, quæ caudis colligatæ varias in partes ferebantur, & refertur in Concil. Lateranen. ſub Inno. III. cap. 3. de hæreticis. Atque hic hæreticorum genius in omnibus fidei Myſteriis animadverti poteſt. Nam v. g. docet fides, unitatem naturæ cum Trinitate Perſonarum credendam eſſe: hanc concordiam cùm nec Ariani, nec Sabelliani intelligerent, communi quidem principio conveniebant, utrumque ſcilicet jungi non poſſe. Unde alii, admiſſa unitate eſſentiæ, Trinitatem Perſonarum confundebant: alii conceſſa Trinitate Perſonarum, unitatem Divinæ naturæ diſcindebant. Idem in Myſterio Incarnationis Divinæ. Docet fides eſſe in Chriſto, & veram Divinitatem, & veram humanitatem: In Matre Virgine, & Virginitatis florem, & Maternitatis fructum conjungi. Unde verò hìc ortæ hæreſes? quòd ſcilicet, quæ jungi debuerant, ſejuncta fuerint. Alii in Chriſto ſolam Divinitatem, alii ſolam humanitatem agnoſcebant: alii in Deipara Virgine ſolam maternitatem, alii ſolam Virginitatem admittebant. Atque ea diviſione diſciſſa eſt unitas, & læſa veritas utriuſque myſterii fidei; quæ dubio procul integra, & immaculata fuiſſet, ſi hoc unum principium fuiſſet ſemper creditum, quantumvis ratio repugnet; jungenda ſcilicet eſſe, quæ ſpecie tenùs repugnare videntur, unitas ſcilicet, ac Trinitas; Deus, & homo; Virgo, & Mater. Atque idem accidit, ubi de gratia actum eſt. Fides enim docet, cum Divina gratia libertatem junctam eſſe; & ſi ſemper hoc principium ab omnibus creditum fuiſſet; auſim aſſerere, nullam unquam circa gratiam, & libertatem hæreſim in Eccleſia ortam fuiſſe. Sed in hac quæſt. unicum malum eſt, & eſſe poteſt, quòd gratiam, & liberum arbitrium ſibi invicem adverſari exiſtimentur. Hinc erravit olim Pelagius: hinc etiam erravit Calvinus communi hæreticorum vertigine actus; quòd dùm hæc duo, gratiam, & libertatem, quæ ſibi adverſæ eſſe videbantur, non poſſet jungere, aut junctas nollet credere hæc duo ſejunxit, & admiſſa efficacia gratiæ Divinæ, libertatem humanam ſuſtulit: Ergo tantùm abeſt quòd in eo Antecedente, quo phyſica motio admittitur, ullus error ſit, ut econtrà gratiæ, & libertatis dignitas exigat, utrumque conjungi, neque iſta dividenda ſunt, ne chimæræ fiant; ſed utrumque jungi neceſſe eſt, ut ſanctiſſima gratiæ liberatrcis imago efformetur. Et

Adverti poteſt, idipſum fermè olim S. Auguſtino fuiſſe objectum, ſcilicet ab ipſo chimæram fictam eſſe, & relicta facie, aut larva libertatis deforme neceſſitatis monſtrum eſſe ab eo ſuppoſitum. Etenim, cùm S. Doctor in ea perpetuò eſſet ſententia, præveniente efficaci gratia immu-

tari

tari hominis voluntatem ; nec ferre posset eam statui libertatem quæ ex se, & incorrupta natura pro suo libito in utramque partem verti posset ; Objicit ipsi Julianus lib. 3. operis postremi. cap. 120. *Sed quæro quibus Poetis in talem incurreris Hippocrenem, ut bimembrem bestiam fingeres, non quidem criminando, sed blasphemando, cujus corpus de mala necessitudine formares, & solam faciem nomine libertatis obduceres*. En chimæram D. Augustino à Juliano objectam, & bimembrem bestiam quæ blandam dumtaxàt libertatis faciem præferret, & velut hispido corpore necessitatis constaret.

Sed Juliano Respondit S. Augustinus, *Pingis tibi ipse quod placet, cui vacat inani corde inania volutare phantasmata. Cur enim tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati, cùm voluntas mala nullo innitatur adminiculo ut mala sit, vel mala esse persistat ? An hìc libra tua conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, voluntas quantùm est ad malum, tantùm etiam sit ad bonum libera ? Vergendo te in unam partem te judicat delirantem*. Hæc verissima solidaque solutio D. Augustini *Viri excellentissimæ authoritatis*, ut eum vocat D. Prosper Epist. ad Rufin. *& quem Christi gratia cornu uberiore rigans* lumen mundo dedit : Carmi. de ingra. qua solutione inane Juliani figmentum procul depellit. Si enim gratia non supponatur voluntati, necesse est quòd gratia præveniat voluntatem, & quidem in eo genere, & ordine quo voluntas agit ; neque unquam, cùm ad hoc velutì punctum deventum est, libertatis, & Indifferentiæ voluntatis, qua agere, & non agere potest ; existimandum est, appensam libram esse per æqualia momenta, & eodem modo in utramque partem propendentem. Ad malum sibi sufficit, suoque pondere deorsùm vergit, & inclinatur : sed ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono, & ab ipso sursùm erigatur. Nec certè eo pacto aufertur, ut ita dixerim, corpus libertatis, sed è contrà roboratur, & solidatur, ne *per inania feratur*, ut inquit D. August. Epist. 105. *sed in Domino, tanquam petra stabili collocetur*. Unde *si verè volumus defendere liberum arbitrium*, ut inquit Epist. 107. *non oppugnemus, unde fit liberum*. Atque eo pacto ea semper junguntur quæ diximus, solidissima illa firmitas ex Divina gratia, & integerrima libertas ex voluntate ; seu veriùs libertas firmissima : ut enim aliàs ex S. Thoma dictum est. *Providentia Divina, Divinaque motio, per se est causa, quòd hic effectus contingenter proveniat ; & hoc cassari non potest*. 3. contr. gent. cap. 94. legesis fabulam Pegasi ubi Ipocrenem reperies, & chimæram debellatam.

ARTICULUS IX.

Altera ex S. Thoma solutio quo pacto voluntas creata Divinæ motioni, aut voluntati Divinæ resistere possit ?

EX his dubio procul satìs superque solutum est commune illud Argumentum, in quo quidam magnam vim positam esse existimant. Verùm quia veritas multis abundat, cùm error in angusto sit, altera ex D. Thoma solutio addenda est, eò sanè opportunior, quòd ea explicetur quo pacto intelligi, & exponi possit, voluntatem creatam posse resistere voluntati Divinæ. Quidam enim maximè reprehendunt aliquos ex Sancti Thomæ Discipulis, ac inter eos præcipuè Sapientissimum P. Gonetum olim præceptorem meum, quem honoris causa nomino Virum humanitate, modestia, & virtute magìs quàm Doctrina conspicuum ; eum inquam aliqui reprehendunt, quasi rem absurdissimam alicubi dixisset, posse scilicèt causam liberam resistere seu dissentire Divino decreto, & ejus motioni, potentìa antecedente, & in sensu diviso, non tamen potentia consequente, & in sensu composito : non enim absurda Goneti solutio est, sed parùm urbana reprehensio, ut ex his quæ hìc ex S. Thoma dicemus, erit compertissimum. Quamvis enim discrimen aliquod statui possit inter Divinam motionem, & Decretum Divinum ; attamen cùm ipsa Divina motio, sit virtus, qua Decretum Dei executioni mandatur, eandem utriusque rationem esse necesse est ; sicut dubio procul eadem est ratio, & artificis, & instrumenti, quod artifex versat, quodque nihil agit nisi impulsu accepto ab ipso artifice : tribuitur enim, ut inquit S. Thomas, actio instrumenti, non ipsi instrumento, sed causæ principali, & artifici. Unde, & à SS. Conciliis, & à SS. Patribus bonæ voluntatis operatio indiscriminatim aut Divinæ gratiæ, aut Deo, tribuitur ; quòd infinitis propemodùm exemplis probari posset : sed de his statim. Priùs enim referenda est D. Thomæ solutio, qua Argumentum superiori Articulo propositum soluatur, & explicetur, quo pacto voluntas creata, seu Divinæ motioni, seu Decreto Divino, seu Divinæ voluntati resistere possit.

Respondeo igitur ex S. Thoma in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ubi cùm de Divina mutatione, quæ in Sacramento Venerabilis Eucharistiæ accidit, inquireret : Utrùm sit omnium maxima ? explicat quæ resistentia fieri possit operationi Divinæ, unde maior difficultas in mutatione accidat. Quare quæstiuncula 3. ad 2. sic habet. *Dicendum, quòd aliqua potest esse resistentia dupliciter : uno modo ex parte agentis, quandò scilicèt ex contrario agente virtus ipsius debilitatur : alio modo ex parte ipsius effectus, quandò ex contraria dispositione impeditur effectus. In omni actione ubi agens non pa-*

titur, prima resistentia non habet locum, sed secunda solùm. Unde in operationibus Divinis non attenditur difficultas secundùm resistentiam ad agentem, sed secundùm impedimentum effectus.

Hæc omninò egregiè ac profundissimè Sanctus Thomas, & quibus tota hæc controversia, ubi de concordia gratiæ cùm libertate agitur, dirimi potest, quo sensu voluntas creata Divinæ voluntati resistere possit: & quo pacto plura jungi possint, quæ in speciem adversa esse videntur? Certum enim est in primis, neminem posse Divinæ voluntati resistere: *Voluntati enim eius quis* resistit? Certum tamen est, nullam à Divina voluntate necessitatem creatæ voluntati imponi, ac posse voluntatem creatam nolle, quod vult voluntas Divina, & aliud velle quàm Divina voluntas velit. Volenti enim Deo v.g. Paulum convertere, quis dubitet potuisse Paulum velle non conuerti, cùm libera potestate conversus sit. An verò aliud est, volenti Deo Paulum convertere, ipsum Paulum resistere potuisse, quàm ipsum potuisse non converti? Quo pacto igitur hæc duo jungi possint, scilicèt, neminem posse Divinæ voluntati resistere, & tamen voluntatem creatam posse, & nolle quod Deus vult, & velle quod Deus non vult? Facilè verò hæc junguntur observatione quam suprà ex S. Thoma attulimus. Longè enim alio sensu creatum agens alteri creato, velut civis hosti; & voluntas Creata Deo, & voluntati Divinæ resistit. Nam agens creatum potest alteri resistere, quia potest ejus vires infringere, vel eum debilitare. At verò quis habet brachium sicut Deus, aut voce simili tonat, inquit Job, ut velit cum eo contendere, & cum eo luctari? Alio igitur modo potest voluntas creata Divinæ voluntati resistere: quia cùm Divina voluntas nullam voluntati creatæ necessitatem imponat, quantumvis Divina voluntas creatam moveat, & impellat; potest tamen creata voluntas aliud velle: & eo *sensu* potest impedire effectum voluntatis Divinæ. Unde potest resistere Divinæ voluntati, *non secundùm resistentiam ad agentem, sed secundùm impedimentum effectus.*

Atque ex his facilè responderi potest argumento sæpiùs posito. Resistere & dissentire Divinæ motioni, facit sensum compositum, quia ille dumtaxàt resistit alicui virtuti, qui facit ut illa non vincat. Respondeo, distinguendo ex S. Thoma: resistere *resistentia*, quæ est *ad agentem*; Concedo Majorem: *resistentia* quæ solùm *est per impedimentum effectus*; Nego. Cùm enim *resistentia* est *ad ipsum agentem*, ea fit per potestatem supra virtutem ipsius agentis, quæ retardatur, debilitatur, & infringitur; ut exemplo suprapositio manifestum est; cùm hostis v. g. in urbem irrumpit, ipsumque civis sistit, ipsius impetum retardat, aut superat. At verò resistentia, quæ est *secundùm impedimentum effectus*, potestatem dicit dumtaxàt supra ipsum effectum qui producitur, & non suprà virtutem qua producitur. Et hoc singulare est *in operationibus Divinis*, vt rectè monet Sanctus Thomas. Alio enim modo de Divina operatione, Divinaque voluntate, & Divina motione loquendum est, quam de virtute causæ singularis. Potest enim causæ singularis virtus majori virtute vinci, potest etiam æquali retardari: at verò quæ major, vel par virtuti Divinæ creata virtus esse posset, quæ Divinam aut vinceret, aut retardaret? Non igitur aut supra ipsam Divinam virtutem, aut ipsam Divinam motionem, quæ eadem cum ipsa Divina virtute censenda est, voluntas creata potestatem ullam habere potest; sed dumtaxàt supra effectum, vel actum, quem ex triplici amplitudine, quam explicuimus aliàs; elicere, suspendere, mutare potest ut libuerit.

Confirmatur *Primò*, quòd eadem sit ratio Divinæ motionis, ac ipsius Divinæ virtutis: & mirum est, illud potuisse in dubium revocari, cùm id expressè SS. Concilium Tridentinum nos doceat, cùm inquit: *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, Deo excitanti atque vocanti dissentire posse, si velit.* Neque enim dumtaxàt dixit, posse dissentire motioni aut gratiæ prævenienti; sed *Deo moventi seu excitanti atque vocanti*: ut intelligeremus idē de Divina motione, ac de Deo, aut Divina voluntate, liberum arbitrium movente, sentiendum est. Atque idem sensus est etiam & Concilij Senonensis, cùm inquit: *Neque tale esse ejusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Neque enim ulla entitatis hujus auxilii ratio habenda est, sed auxilii, ut est Dei moventis, & trahentis: ut meritò de motione Divina, ac de Deo movente, idem judicium ferendum sit. Unde non magis supra ipsam Divinam motionem, quàm suprà ipsam Divinam virtutem, voluntas creata potestatem ullam habere potest. Habet igitur potestatem dumtaxàt supra actum quem sibi subjicit, ea ratione quam aliàs ex S. Thoma retulimus; quod scilicèt actus singularis universalissimæ, ac propemodùm infinitæ potentiæ, capacitatem implere non possit.

Confirmatur *Secundò*, ex eò quòd, eo pacto facillimè jungantur quæ jungenda esse quàm sæpiùs ex S. Thoma diximus, summam infallibilitatem cum contingentia, vel libertate effectus. Et sanè si quis paululùm animum intendat, mirari non immeritò poterit, quàm sibi D. Thomæ principia omnia consentiant: cùm enim voluntas creata nullam suprà ipsam virtutem Divinam aut Divinam motionem, ut est Divina virtus, habere possit, vincit ea Divina virtus resistentiam voluntatis creatæ, eamque sibi subjicit; atque inde oritur ipsa certitudo, & infallibilitas effectus, aut immutabilitas, propter virtutem Dei moventis. Sed præterea cùm ipsa creata voluntas nihilominùs potestatem habeat suprà suum actum, quem potest elicere vel non elicere, & quem sibi subjicit, cùm sit ipso superior; eaque ratione eum velut minimam partem respiciat sui dominii, quod suprà infinitos propemodùm actus exercere potest; ideò potest Divinæ virtutis effectui impedimentum objicere: atque inde oritur summa illa creatæ voluntatis libertas, & libertatis

tatis indifferentia, quæ ſemper integra remanet ex natura, & conditione ipſius voluntatis creatæ.

Confirmatur *Tertiò*, altera obſervatione Sancti Thomæ, & diſcrimine quod ſtatuit 1.par. qu.22. inter univerſalem cauſam, & particularem. Univerſalis enim cauſa, cùm rebus providere debeat juxta conditionem cujuſque; ita contingentem, vel liberam cauſam movet, quòd contingentiam, & libertatem in ipſa nedùm relinquat, ſed etiam efficiat: cùm enim *neceſſarium, & contingens propriè conſequantur ens, inquantùm ens: modus contingentiæ, & neceſſitatis, cadit ſub proviſione Dei, qui eſt univerſalis proviſor totius entis, non autem ſub proviſione aliquorum particularium.* Artic. 4. ad 3. Unde fit quòd cùm Divina voluntas, aut Divina virtus, ex ſumma efficacia, quam nulla alia virtus ſuperare, aut retardare poteſt, liberum hominis arbitrium movet, v.g. ad actum virtutis; ita illud Divina voluntas, virtuſque movet, quòd efficiat, ut liberum arbitrium cum ſumma indifferentia, eum virtutis actum exerceat; ac ſubindè, vel alterum, vel oppoſitum actum elicere poſſit, vel ſe ipſum impedire, nè actum illum virtutis eliciat. Ex quo fit, ut tunc etiam, cùm poteſt impedire actum quem elicit; non ideò tamen impedire poteſt aut Divinam voluntatem, aut virtutem Divinam, ut eſt virtus efficaciſſimæ cauſæ; quia hoc ipſum & intendit, & efficit Divina virtus, ut cum ipſa liberum arbitrium ad unum actum movet; poſſit tamen liberum arbitrium elicere alterum actum, & ipſi obicem opponere. Aliud eſt enim impedire effectum productum, aliud poſſe impedire virtutem quâ producitur. Nihil eſt quod impedire poſſit virtutem agentis cauſæ infinitæ; ſed tamen hujus effectus impediri poteſt. Neque enim productus effectus immutabilis eſt, cùm contingens aut liber ſit. Atque ita reſpondet Sanctus Thomas 1. par. qu. 19. art. 8. cùm enim ſibi objeciſſet, quòd nihil Divinæ voluntati reſiſtit: Reſpondet, quòd ex *hoc ipſo, quòd nihil voluntati Divinæ reſiſtit, ſequitur quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter* (& liberè) *vel neceſſariò quæ ſic fieri vult.* Igitur cùm ex ea infinita virtute, cui ſi nihil reſiſtit, Deus voluntatem hominis movet, eam movet liberè, id eſt, ita movet, ut tamen poſſit alterum, & oppoſitum actum elicere, ſive poſſit actui quem ponit, impedimentum objicere. Unde dum ea virtus nunquam impediri poteſt, ipſa efficit, ut effectus, quem ponit, poſſit impediri. Unde etiam claritatis gratia dici poſſet, quòd ex una parte nunquam impediri poteſt ea virtus Divina, ſcilicet *ex parte agentis, aut ſecundùm reſiſtentiam quæ eſt ad* cauſam *agentem*: nulla enim creata virtus illam Divinam virtutem ſuperare poteſt; & tamen impediri poteſt, ſcilicet *ſecundùm impedimentum effectûs*, ſive quatenùs impediri poteſt effectus mutabilis, contingens, & liber. Ac ita neceſſe eſt convenire primæ cauſæ, ut ſuperat cauſas omnes particulares: cujus curæ & providentiæ ſubjacet totum ens, & omnes ejus differentiæ; non autem providentiæ cujuslibet particularis cauſæ, quæ ſub eo ordine, vel ea ſerie cauſarum contingentium continetur.

Confirmatur *Quartò*, alia Divi Thomæ obſervatione, & altero diſcrimine quod intercedit inter cauſam univerſalem, & particularem. Particularis cujuslibet cauſæ effectus impediri poteſt: eſt enim contingens, & mutabilis; ſed effectus univerſaliſſimæ cauſæ, aut etiam effectus cujuslibet cauſæ particularis, ut eſt ſub ordine cauſæ univerſaliſſimæ, nulla ratione impediri poteſt. Ut enim inquit Sanctus Thomas ibidem 1.par.qu.22. artic. 2. ad 1. *Aliter eſt de cauſa univerſali, & de cauſa particulari. Ordinem enim cauſæ particularis aliquid poteſt exire, non autem ordinem cauſæ univerſalis; non enim ſubducitur aliquid ab ordine cauſæ particularis, niſi per aliam cauſam particularem impedientem: ſicut lignum impeditur à combuſtione per actionem aquæ. Unde cùm omnes cauſæ particulares concludantur ſub univerſali cauſa; impoſſibile eſt, aliquem effectum ordinem cauſæ univerſalis effugere.* Rectè hæc quidem, & quæ aliàs fuſiùs, & majori otio explicanda ſunt. Atque inde fit, cauſam equidem particularem, ſupra effectum alterius cauſæ, poſſe habere poteſtatem, ſicut aqua ignem extinguit: ſed tamen nulla particularis cauſa ſupra ordinem univerſalis cauſæ, poteſtatem habere poteſt, aut eam immutare, vel inflectere, nec ſubindè alteram ſibi ſubjicere cauſam, ut ſtat ſub ordine cauſæ univerſalis; fortior enim ex illo ordine, hæc altera particularis cauſa evadit. Unde iterùm hęc duo conjunguntur, ſumma immutabilitas effectûs, ut ſtat ſub ordine univerſalis cauſæ, & tamen ſumma contingentia effectûs, ut dependet à cauſa particulari. Ex quo liquet, veriſſimè dictum eſſe à S. Thoma, quòd *in operationibus Divinis* nulla poteſt eſſe difficultas, nulla diſſentiendi, aut aliud efficiendi poteſtas *ſecundùm reſiſtentiam ad agentem*, & cauſam quæ univerſalem ordinem ſtatuit, ipſique ſervando præſidet; quamvis tamen eſſe poſſit *ſecundùm impedimentum effectûs*, qui à cauſa particulari oritur, & qui cùm contingens, aut liber ſit, facilè poteſt ab altera cauſa particulari impediri.

Confirmari *Quintò* poteſt comparatione alterius ſententiæ. Quod enim alii de gratia Divina ſecundùm entitatem dicunt, nos de gratiæ Divinæ effectu, & quidem multò opportuniùs affirmamus. Poteſt in aliorum ſententia voluntas creata prævenienti gratiæ reſiſtere, ſi ſecundùm entitatem ſpectetur; non reſiſtit tamen ſi intelligatur, ut eſt efficax, ex quocumque capite efficacia oriatur, ſive ex circumſtantiis, ſive ex attemperatione ad genium: Atqui id multò opportuniùs de effectu gratiæ Divinæ, Divinæque motionis dici poteſt: Ergo &c. Poteſt impedire creata voluntas effectum motionis Divinæ, & cauſæ primæ, non quidem ut ſubjicitur efficaciæ cauſæ infinitæ, vel ut clauditur ordine cauſæ univerſaliſſimæ; hoc enim pacto immutabilitatẽ habet, nec ulla cauſa particularis poteſt eum effe-

ctum ab illo immobili ordine, eripere ; potest tamen impedire voluntas creata effectum Divinæ motionis, ut est præcisè à causa particulari, quia sub ea ratione effectus contingens est. Atque ea distinctio quæ duplicem veluti rationem in effectu distinguit, inprimis, eandem utilitatem habet ad tuendam creatam libertatem, quam habere possit altera, quæ duplicem in ipsa præveniente gratia rationem distinguit, ut diximus. Ac præterea multò opportunior est : tum quia nulla parte efficaciam Divinæ motionis minuit, sed è contra magis stabilit ; cùm ex ipsa hujus efficacia sit, quòd effectus liberè fiat, id est, cum potentia ad oppositum : tum demùm, quia longè dispar est utriusque conditio, scilicet Divinæ motionis, & ipsius effectus. Motio enim infinitæ virtutis motio est, cui nulla virtus creata par esse potest, ut eam aut superet, aut retardet, vel impediat effectum, ut stat sub ea motione Divina. At verò effectus ipse, id est, creatæ voluntatis actus, secundùm se est finitus, & omninò contingens, & liber ; neque superat virtutem causæ particularis, id est, ipsius voluntatis : quinimò ipsi subjicitur tanquam minima ejus Dominii, ac exercitii pars. Et hoc pacto verissimum est quod habet Sanctus Thomas, eam potentiam dissentiendi, non attendi secundùm resistentiam ad agentem, nec oriri ex potestate supra virtutem ipsius agentis ; sed attendi secundùm impedimentum effectûs, & oriri ex potestate supra ipsum dumtaxàt effectum : cùm tamen juxta aliorum sententiam concedendum foret, eam dissentiendi potentiam oriri ex potestate, quam habet creata voluntas supra ipsam motionem Divinam, & gratiam prævenientem ; quòd sanè parùm ipsius gratiæ Divinæ dignitatem decet, & apertissimè principiis SS. Augustini, & Thomæ repugnat.

Atque ex his facillimè, argumenta omnia, quæ objici possunt, ad hujus S. Thomæ solutionis veluti petram solidissimam alliduntur.

Objicies itaque primò. Si Concilium Tridentinum dixisset solum liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, manere liberum, & posse, si velit, agere oppositum ; colorem forsitan aliquem, habere posset ea solutio de potentia dissentiendi in sensu diviso : Atqui Concilium longè aliud definit, scilicet liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, manere liberum, quia potest, si velit, dissentire entitati illius auxilii, quo efficaciter movetur, & excitatur ; atque idem sensus est Concilii Senonensis, à quo dictum est, *Neque enim tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit* : Ergo nullum colorem habet ea solutio, neque cum Tridentini definitione jungi potest. Sed

Respondeo ex dictis, splendidissimum etiam colorem habere eam communem Scholæ D. Thomæ solutionem de potentia dissentiendi motioni gratiæ Divinæ. Et inprimis scire velim, ubinam definit Concilium Tridentinum, posse liberum hominis à Deo motum, & excitatum *dissentire entitati Divini auxilii* : id enim omninò falsum est, & expediret cautiorem esse in referendis SS. Conciliorum definitionibus. Definit Tridentinum posse liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, *Deo excitanti atque vocanti dissentire, si velit*. Ubinam de ea entitate auxilii ulla mentio est ? Definit etiam Senonense, Dei trahentis auxilio posse à voluntate resisti ; ubinam iterùm ea entitas auxilii ? Si quem sanè colorem ea distinctio entitatis, & efficaciæ habeat, non potest non esse obscurissimus.

At inquies, ita necessariò explicandum esse utrumque Concilium, quia aliter quod utrumque asserit, intelligi non potest. Sed esto, explicatio admittenda foret, falsum tamen est, ita definiisse alterutrum Sac. Conc. magna semper cautio, curaque adhibenda est, ubi de definitionibus SS. Conciliorum agitur. Religio enim esse debet, nè vel unicus apex immutetur. Sed præterea fateor equidem, non aliter eas dictorum Conciliorum definitiones intelligi posse ab iis, qui Divi Thomæ principia non admittunt : sed inde conjici satis potest, quàm necesse sit ea admitti ; cùm alioquin definitiones SS. Conciliorum intelligi satis commodè nunquam possint, nisi omnia invertantur. Verùm hæc nos facilè intelligimus, scilicet liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, Deo excitanti atque vocanti dissentire posse : ac Dei trahentis auxilio resistere posse ; non *resistentia, quæ est ad agentem*, aut potestate, quæ sit supra agentis, scilicet Dei, virtutem : *sed secundùm impedimentum effectus*, & secundùm potestatem quæ est supra eundem effectum. Nec nobis quisquam objiciet eam distinctionem sine fundamento confictam esse, cum iisdem etiam terminis à D. Thoma expressa sit, ab eoque accepta. Unde in forma

Respondeo, quòd quamvis Tridentinum non dixerit dumtaxàt, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum posse non agere, aut posse aliud agere ; sed dixerit etiam quòd potest dissentire Deo excitanti atque vocanti, aut juxta Senonense, posse resistere Dei trahentis auxilio : idem tamen sensus est, nec aliter intelligendum est, posse liberum arbitrium Deo excitanti atque vocanti dissentiri, nisi quia potest aliud agere ; nimirùm ea ratione, quia non intelligitur, quòd ea potentia dissentiendi, aut resistendi, sit secundùm resistentiam ad agentem ; sive sit potestas liberi hominis arbitrii supra ipsam Divinam motionem, ut eam, potentia consequente, & cum actu conjuncta, sine effectu relinquat, sed est resistentia secundùm appositionem impedimenti, sive est potestas liberi arbitrii supra ipsum actum à motione productum, quem, potentia antecedente, & ab actu divisa, liberum arbitrium potest non producere. Unde liquet, hanc solutionem eamdem esse cum altera quam ex S. Thoma aliàs explicuimus.

Objicies secundò, absurdissimè dictum esse à P. Gonet, causas liberas posse resistere, seu dissentire Divino Decreto, & ejus motioni, potentia antecedente, seu in sensu diviso. Quamvis enim

verissi-

veriſſima propoſitio ſit, poſſe nos reſiſtere motioni gratiæ prævenientis: attamen abſurdiſſimum eſt, poſſe nos reſiſtere Divino decreto, aut Divinæ voluntati. Id enim etiam impugnant apertiſſimè cæteri Thomiſtæ, tum Bannez 1. 2.. quæſt. 10. artic. 1. cap. 5. tum etiam Alvarez diſputat. 31. de Auxiliis num. 27. tum etiam quod majoris ponderis eſt, ipſe Sanctus Auguſtinus in Enchirid. cap. 95. Unde, inquiunt, validiſſimum confici poteſt hoc pacto argumentum. Si gratia prædeterminans eſſet eſſentialiter connexa cum exiſtentia actus prædeterminati; eodem modo loquendum eſſet, & de ipſa gratia prædeterminante, & de ipſo Divino decreto, Divinaque voluntate: Atqui falſum eſt, poſſe nos reſiſtere quacumque potentia, & quocumque ſenſu Divino decreto Divinæque voluntati: Ergo etiam gratiæ prædeterminanti nulla potentia liberi hominis arbitrii reſiſti poteſt.

Reſpondeo, nihil à P. Goneto dictum fuiſſe, quod cum S. Thomæ, ejuſque Scholæ communibus principiis rectiſſimè non conſentiat, quæ principia ab his ignorari neceſſe eſt, qui abſurdam Goneti ſolutionem exiſtimarunt. Etenim cùm in operationibus Divinis, ut inquit S. Thomas, neceſſe eſt enim ea ſæpiùs inculcari, ut ſaltem ſemel obſerventur. Cùm inquam, *in operationibus Divinis*, Divino decreto, Divina voluntate, & Divina motione *non attendatur difficultas*, aut potentia diſſentiendi, *ſecundùm reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundùm impedimentum effectûs*; & Divino decreto, & Divinæ voluntati, uno ſenſu reſiſti non poteſt, & alio ſenſu poteſt. Et quidem *ſecundùm reſiſtentiam ad agentem*, nemo reſiſtere poteſt. Quis enim brachium habet ut Deus, & velit aut poſſit cum eo contendere? ſed *ſecundùm impedimentum effectûs*, quiſquis liberè actum efficit, ad quem Divina voluntas ſuo decreto movere decernit, ſeu reipsà gratiâ ſuâ movet, poteſt reſiſtere eâ potentiâ, quæ ad libertatem pertinet, ſcilicet potentia antecedente, & ab actu diviſa. Quamvis & hìc multiplex diſcrimen eſſe poſſit, quod neceſſe eſt diſtingui, ut æquivocationis anſa omnis amoveatur: aliud enim de Divina voluntate in communi, aliud de Divina voluntate, aliquid ſingulare decernenti, ſentiendum eſt. Unde

Obſervandum primò, quòd ſi diceretur in communi, nulloque addito, Divinæ voluntati poſſe quemquam reſiſtere; ſtulta eſſet propoſitio: quis enim ut Deus? & ut inquit S. Thomas 1. Parte quæſt. 19. artic. 6. *Cùm voluntas Dei ſit univerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd Divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à Divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium; ſicut Peccator, qui quantùm eſt in ſe, recedit à Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.* Unde ut egregiè advertit quæſt. 23. de Voluntate artic. 7. ad 12. & ex Avicenna refert: *Sicut quod eſt intrà corpus ſphæricum, quo magis ab una parte circumferentiæ ſe elongat, eo magis ad alteram appropinquat; ita quod ex una parte à Dei voluntate diſcedit, eo alia parte Divinam voluntatem implet.* Sicut quiſquis ab uno polo recedit, ad alterum accedere neceſſe eſt. Ac prætereà cùm de Divina voluntate in communi ſermo eſt, nullaque facta ad actum, aliaque in particulari determinatione, nullum etiam diſtinctioni locum eſſe poſſe ſatis intelligitur. At verò cùm determinatio fit, & dicitur, voluntatem decernere, jubere, movere ad actum aliquem in ſingulari; ſi liberè actus fiat, neceſſe eſt jam diſtinctioni locum relinqui; & creatam voluntatem Divinæ voluntati, non abſolutè, ſed talem actum decernenti poſſe reſiſtere, eodem ſenſu, vel eâdem potentiâ quâ poteſt aliud agere. Neque hoc ſenſu, aut Bannes, aut Alvarez, aut ullus unquam ex S. Thomæ Diſcipulis aliud ſenſit, aut ſentire potuit. Et expreſsè Gonetus de Divino decreto actum ſingularem decernente locutus eſt. Sed prætereà

Obſervandum eſt ſecundò ex ſuperioribus, quòd cùm, ut expreſsè inquit S. Thomas, *Divina voluntas efficaciſſima ſit; non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed, & quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult.* 1. par. quæſt. 19. art. 8. ſcilicet neceſſariò, vel liberè. Unde cùm etiam efficaciſſimè voluit Deus, Paulum v. g. converti, ita id voluit, ut tamen Paulum liberè converti voluerit; id eſt, cum ea potentia quâ poterat velle non converti, ac ſubindè quâ poterat reſiſtere huic Divinæ voluntati, quâ ſcilicet, Deus volebat ipſum Paulum converti. Poterat inquam non ſecundùm reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundùm impedimentum ad effectum. Unde tunc etiam cùm poterat, eo ultimo ſenſu, Divinæ voluntati reſiſtere, etiam non poterat, alio præcedenti ſenſu, reſiſtere, quia hoc ipſum Divina voluntas, & volebat, & efficiebat, ut Paulus poſſet non converti, & poſſet converſioni, & Deo ejus converſionem volenti reſiſtere. Unde ibidem, ut jam diximus ad ſecundum, inquit S. Thomas, quòd *ex hoc ipſo quòd nihil voluntati Divinæ reſiſtit, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult*: id eſt, fiant cum potentia reſiſtendi ſecundùm impedimentum effectus.

Ex quibus manifeſtum eſt, ſublata omni æquivocatione, concidere planè nedùm Argumentum propoſitum, ſed etiam argumenta omnia, quæ efficaciæ voluntatis Divinæ, Divini decreti, ac Divinæ gratiæ motioni, opponi unquam poſſunt.

Confirmatur hæc ſolutio ex ipſo S. Concilio Tridentino. Quid enim mali habere poteſt ea propoſitio, quòd Deo aliquid decernenti, creata voluntas diſſentire poteſt, ſi nihil mali habeat ea ſimillima propoſitio, quòd *moventi Deo & excitanti* atque vocanti liberum hominis arbitrium *poteſt diſſentire ſi velit*. An verò minùs aliquid deceat Deum moventem quàm Deum decernentem:

tem : & vice versa ? cùm semper nos S. Thomas docuerit, in quacumque Divina operatione dissentiendi aut resistendi potentiam, non secundùm resistentiam ad agentem, sed secundùm impedimentum effectûs intelligenda esse.

At inquies, aliud sentiendum esse de motione Divina ; aliud autem de Divino decreto : quia Divina motio virtus creata est, & quæ secundùm entitatem indifferens esse potest : in Divino autem Decreto nihil nisi Divinum, & efficax intelligitur.

Sed inprimis ea Adversariorum Responsio, Tridentino violenta est, cùm expressè S. Concilium dixerit, non quòd Divinæ motioni secundùm entitatem voluntas dissentire possit, sed quòd *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, Deo excitanti*, atque adeò etiam moventi, *dissentire potest*. An verò, ut diximus minùs deceat, Deo decernenti, quàm Deo moventi, voluntatem creatam posse dissentire si velit, cùm ad eumdem actum, ut supponimus, & Decretum Dei decernentis, & motio Dei moventis referatur. Ac prætereà longissimè abest à nostris principiis ea indifferens motio, eoque modo sumpta, quo ab Adversariis intelligitur : unde nihil mirum si ab eis dissentiamus. Et facilè quidem intelligo, ab ipsis discrimen statui posse inter Divinam motionem, & Divinum decretum ; quòd solam indifferentem gratiam prævenientem agnoscant : sed hujusmodi indifferentiæ nè umbram quidem in S. Thoma reperio, nisi eo modo quo aliàs explicuimus, Divinam motionem secundùm gradum communem accidentis, ut in hominis voluntate recipitur, similem cum ipsa voluntate modum induere ; qui tamen modus non impedit, quin reipsà efficacissima sit, suaque vi efficiat actum voluntatis. Unde ex S. Thoma contendimus, eodem sensu, eademque potentiâ, Deo decernenti, & Deo moventi, liberum arbitrium dissentire posse, si velit : quia *in operationibus Divinis* non attenditur potentia dissentiendi *secundùm resistentiam ad agentem, sed secundùm impedimentum effectûs*.

Hinc verò ad Argumentum superiùs positum in forma respondeo. Si gratia prædeterminans sit essentialiter connexa cum existentia actûs prædeterminati, eodem modo loquendum est de ipso decreto, & de ipsa Divina voluntate : Neganda est inprimis hæc Major Propositio ; quia in Divina voluntate major amplitudo quàm in decreto divino intelligitur, ut explicuimus. Quod si intelligatur de Divina voluntate, ut versatur circa singularem actum, sicut & de Divino decreto, etiam singularem actum decernente ; Concedenda erit Major : & ad Minorem respondendum : Atqui falsum est, nos posse resistere quacumque potentia, & Divino decreto, & voluntati Divinæ ; revocanda est S. Thomæ solutio, & distinguendum, *secundùm resistentiam ad agentem*, Concedenda est Minor, *secundùm impedimentum effectûs*, qui liberè producitur ; neganda est Minor. Neque enim Fides aliud sentire patitur, quisquis liberè agit, agit cum potentia resistendi, non solùm Divino auxilio, sed etiam *Deo excitanti atque vocanti*, subindèque & moventi, ut definit S. Concilium Tridentinum ; atque adeò, & Deo decernenti, si ad eumdem actum, & Divinum decretum, & Divina motio referantur.

Et hæc satis de hac duplici prima Dissertatione, cui si quid deesse existimetur, altero Tomo explicari poterit. *Hic igitur sit hujus voluminis terminus*, ut Divi Augustini verba usurpem de Prædest. Sanctor. cap. ult. *nè offendat nimia longitudo. Sufficienter enim, ut arbitror, demonstratum est*, ut eorum quæ de S. Augustino à Divo Prospero dicta sunt, aliqua in D. Thomam meque ipsum referam. *Sufficienter* inquam, *demonstratum esse arbitror*, eos à quibus dictum est, communem in S. Thomæ Schola de Divina Motione, & Libertate Creata sententiam, Angelico Præceptori adversari, debilia nobis *objicere, & recta impugnare*, & Divi Thomæ sententiæ adversa *defendere*. Sed ipse cui hac in re libera voluntas est, relictaque integra optandi potestas, fortissimam, & efficacissimam Divinæ gratiæ vim, meæ infirmitatis conscius opto, quæ ipsam voluntatem etiam rebellem compellat, *Ut in omnibus cogitationibus, sermonibus, atque actionibus, ipse teneat principium, quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula*.

Collaudetur Christus Rex Gloriæ,
Qui per Thomam lumen Ecclesiæ
Mundum replet Doctrina gratiæ.
Ex Breviar. Prædicator.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Tomo continentur.

A

ACTIO omnis procedit à principio in actu secundo constituto. pag. 118. col. 1.

Actiones secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis. pagina 97. col. 2.

Actio superioris agentis est per virtutem omnium superiorum agentium. pag. 126. col. 1.

Actus continetur completè in suo ordine in potentia instructa sufficienti auxilio, sicut fructus in arbore. pag. 194. col. 1.

Actus singularis non adæquat universalitatem potentiæ: unde voluntas, dum unum actum producit, aliorum capax est. p. 135. 368. & 370.

Actus sunt in singularibus, vnde nullus adæquat uniuersalitatem potentiæ. pag. 270. col. 1.

Adamus gratiam habuit per se efficacem in statu innocentiæ. pag. 107. col. 2.

Adami peccati prima radix, quòd voluerit esse primum determinans, & primum eligens. pag. 329. col. 2.

Adiutorii nomen præscribit, Deum vires agendi conferre. pag. 336. col. 2.

Aër illuminatus, cur recedente Sole non retineat lumen, & aqua calefacta retineat. pag. 79. col. 2.

Æstimativæ vis in animali. pag. 65. pag. 1.

Æternitas comparatur ad tempus, sicut immobile ad mobile. pag. 255. col. 1.

Affirmatio causa affirmationis, negatio causa negationis explicatur. pag 204. & 205.

Agens inferius à Deo movetur, vel accepta forma, vel per solum motum. pag. 124. col. 1.

Agens, quo magis immediatum, virtus ejus magis mediata & è contra. pag. 37. col. 1.

Agens, quò magis uniuersale est, tantò virtus ejus est immediatior. pag. 40. col 1.

Agens inferius recepit à superiori complementum suæ virtutis. pag. 14. col. 2.

Agens in quantùm agit motum ab alio recipit virtutem agendi. pag. 59. col. 2.

Agenti per naturam prædeterminatur finis à superiori intellectu. pag. 15. col. 2.

Agi plus est quàm regi. pag. 147. col. 2.

Amori non admiscetur fel. pag. 242. col. 1.

Amor boni in anima indelebilis. pag. 259. col. 1.

Amore aliquo omnia in Deum feruntur. pag. 260. col. 1.

Angelus movere potest voluntatem ex parte objecti, non ex parte principii. pag. 150. col. 2.

Angelus adest animæ, Deus inest, scil. per illap. sum. pag. 44. col. 1.

Angeli peccati prima radix, quòd sine Dei auxilio beatitudinem consequi voluerit. pag. 330. col. 1.

Angeli boni prælationem habent super malos. pag. 99. col. 2.

Angeli circa bonum circulariter moventur, choreas agentes. pag. 256. col. 2.

Angeli, substantiæ, & formæ sine materia sunt causæ formarum quę sunt in materia. p. 97. c. 1.

Angeli speciebus rerum præficiuntur. p. 125. col. 1.

Angeli movent moraliter, non physicè voluntatem. pag. 147. col. 1.

Angelos habuisse tenuia corpora, sententia quorundam Patrum. pag. 282. col. 2.

Angelorum cognitio uniformis, immobilis, indefectibilis: Ideoque regula intellectus hominis. pag. 136. col. 2.

Anima nostra Dei instrumentum. pag. 26. col. 2.

Anima creata in umbra intelligentiæ. p. 93. col. 2.

Anima beatificari non potest nisi ab ipsa substantia Dei. pag. 310. col. 2.

Anima framea in Dei manu, qua pùgnat. p. 108. col. 2.

Anima horizon est æternitatis, & temporis. pag. 93. col. 2.

Animæ exemplo Divinæ motionis dotes explicantur. pag. 49. col. 1.

Animæ in corpore operatio, imago operationis Divinæ in rebus. pag. 369. col. 2.

Animarum patria, & locus, Deus est. p. 43. col. 1.

Animarum fons igneus Deus. ibid. col. 2.

Anima mundi Deus est; & motu & ratione gubernans. pag. 49. col. 1.

Animalia non agunt nisi instinctu, unde quæ sunt ejusdem speciei eadem operantur. p. 243. col. 2. pag. 22.

Animalia habent umbram prudentiæ. p. 94. col. 1.

Animalia moventur visis, & aguntur passionibus. pag. 288. col. 2.

Animalia ratione æstimativæ conjunguntur homini. pag. 49.

Animalia habent operandi modum medium inter formas naturales, & rationem. pag. 244. col. 2.

Appetitus sensitivus perfectior in homine, ut obedit rationi. pag. 65. col. 1.

Apes non habent industriam nisi ad construendos favos. pag. 244. col. 1.

Applicari voluntatem à Deo, multis probatur. pag. 26. col. 1.

Applicatio passiva est ipsa motio agentis in instrumento recepta, pag.126. col.1.
Applicatione virtutis agentis intelligitur Divina motio. pag.26.col.1.
Aqua movetur à Luna, non per formam superadditam, sed per solum motum. p.124. col.2.
Aqua calefacta, cur aliquandiu retineat calorem, non aër illuminatus lumen. pag.79. col.2.
Aqua, à qua veluti omnia ortum habeant. pag. 365. col.2.
Aristoteles Divinam motionem cum Dei immensitate conjungit. pag.42.
Aratri partes multæ necessariæ sunt, solo tamen vomere scinditur terra. Idem de efficaci gratia. pag.438. col.2.
Aristoteles probat, quòd Deus est in Universo, & quòd omnia moventur ab inexistente in eis numine. pag.133. col.2.
Aristoteles quædam dixit, non ad asserendum, sed quia erant suo tempore apud quosdam probabilia. pag. 83. col.1.
Aristoteles prodigium, & miraculum in natura. ibid. col.2.
Arminiani efficaciam Divinæ motionis negant, ut libertatem tueantur. Semipelagianismum revocarunt. pag.410.
Ars ad quam pertinet finis, semper movet alias artes. pag.123. col.1.
Artificium motionis, quòd suavitatem immittat. pag.65. col.1.
Artificium gratiæ, quòd ita voluntatem moveat, ut possit dissentire. ibid.
Assueri immutatio facta ex vi efficacis gratiæ. pag.436. col.2.
S. Augustinus ex operatione naturæ probat operationem gratiæ. pag.100. col.2.
D. Augustinus de gratia, quæ solùm confert *posse*, parùm sollicitus. pag.189. col.2.
D. Augustinus probat subordinationem causarum. pag.26. col. & 96.
D. Augustinus ait: Deus movet tangendo modificando. pag.51. col.1.
D. Aug. docet, Lunaribus incrementis, & decrementis quædam augeri, & minui: afflatus sydereos valere in rebus inferioribus. pag.96.col.2.
D. Augustinus non asserendo, sed ex aliorum sententia inquit, Angelos habere aërea corpora. pag.283. col.1.
D. Augustinus Juliani interpretationem in mendosum Codicem rejicit. pag.34. col.1.
D. Augustinus meliùs interprete S. Thoma explicatur. pag.354. col.2.
D. Augustinus quædam retractasse falsò creditus. pag.76. col.1.
Authoritas rationi conjuncta esse debet. pag.1. col.1.
Auxilia varia conferuntur homini à Deo pro diverso statu. pag.182. col.1.
Auxilia actualia non semper homini conferuntur. ibid. col.2. sed cùm necesse est.
Auxilii nomine aliquando gratia habitualis intelligitur. pag.191. col.2.
Auxilii sufficientis parùm sollicitus fuit S. Augustinus. pag.189. col.2.
Auxilium sufficiens aliquod majus, vel minus omnibus à Deo conceditur. pag.190. col.2.
Auxilium sufficiens correspondet potentiis in ordine naturæ. pag.193. col.2.
Auxilium sufficiens quisquis habet, potest habere efficax. pag.194. col.2.
Auxilium sufficiens ordinatur ad efficax, nec habenti sufficiens, efficax denegatur nisi propter culpam. pag.197. col.1.
Auxilium efficax continet virtute sufficiens. pag. 186. col.1.
Auxilium efficax si desit, dicimus uno sensu posse, & alio sensu non posse agere. pag.193. col.1.

B

Baptismo non auferri omnem reatum pœnæ, ideòque post Baptismum posse in pœnam peccati originalis gratiam denegari. p.207.c.2.
Beatificus amor liber esse non potest.p.275.col.1.
Beatitudo Divina includit quidquid desiderabile est etiam in falsa felicitate. pag.319. col.2.
Beatitudinis amore voluntas necessariò movetur, sed non quantùm ad determinationem actûs. pag.245. col.2.
Boëtius duplicem admittit necessitatem, alteram naturæ, alteram conditionis. pag.162. col.1.
Boëtius radicem libertatis in ratione reponit. pagina 243. col.2.
Bruta quandam similitudinem libertatis habent. pag.288. col.2.
Beatorum perfectior quàm viatorum libertas. pagina 318. col.2.
Bellarminus sententiam de prævia motione ut ex S. Thoma refert. pag.6. col.2.
Bellarminus sententiam S. Augustini, & S. Thomæ de efficaci gratia Lovanii docuit. ibid.
Bellarminus impugnat eos, qui volunt semper adesse sufficientis gratiæ actualem excitationem, sed non percipi. pag.188.
D. Bernardus Divinam motionem cum immensitate Divina conjungit. pag.42.
D. Bernardus Divinam motionem, & applicationem admittit. pag.271.
D. Bernardus ait, quòd Angelus non illabitur animæ: adest, non inest. pag.44. col.1.
D. Bernardus Divinæ motionis virtutem explicat exemplo animæ, quæ eadem diversa operatur. pag.49. col.1.
D. Bernardus inquit ex motu cordis Dei moventis præsentiam cognosci. pag.183. col.2.
D.Bern. Deus substantiali fortitudine universa docet, quòd potentissimè movet. pag.60. col.1.

C

Cæli motu cessante nihil moveretur. pag.91. col.1.
Cæli motus, ut motus cordis in animali.p.97.c.1.

Cælum Empyreum influit per qualitatem, ut est primum corpus & jungitur spiritibus. pag.92. c.2.
Cælum Empyreum si non influeret, non contineretur sub unitate Universi. pag.92. col.2.
Cæli utrùm animati: parva in re differentia ex D. Thoma. pag.93. col.1.
Cæli motus vitæ expers producit animalia, quia continet virtutē substantiæ separatæ. p.62.c.2.
Cælorum virtus in inferioribus est sicut virtus Motoris in Mundo. pag.63. col.1.
Cæli motus si cessaret, omnia inferiora essent sine motu. pag.91. col.1.
Cæli motus est in Universo, sicut motus cordis in animali. pag.92. col.2.
Cælorum motus continet intentiones Motoris, sicut motus instrumentorum virtutem artis. pag.63. col.2.
Caietani observatio egregia de efficacia Divinæ voluntatis. Aliquid altiùs oriri quàm evitabile, & inevitabile, & ex negatione unius non sequi positionem alterius. pag.170. col.1.
Caietani sententia à falsa interpretatione vindicatur pag.229.
Calor triplex, elementaris, animæ, & Cælestis in semine. pag.63. col.1.
Calvini circa libertatem omnes errores recensentur. pag.408. col.1.
Calvini inconstantia, plura sæpè mutasse. p.410.
Calvini error, gratiâ libertatem extingui. pag.356. col.1.
Calvini error contra rationem, & Fidem, quòd ex legitimo antecedente, dari Divinam motionem, falsum consequens intulerit, auferri libertatem. pag.441. col.2.
Calvinus non semper erravit, multa habet communia cum Catholicis, ut & alii Hæretici. pagina 444. col.1.
Calvini erroris principium, ut & Cassiani, quòd gratia cum libertate conjungi non posset. pag.433. col.2.
Canonicorum Scriptorum genio se se Deus, cùm eos movet, accommodat. pag.368. col.1.
Cartesius dignitatem Philosophiæ deprimit. p.97.
Cassiani error, D. Paulum efficaci gratia fuisse conversum, & non servasse libertatē. p.433. c.2.
Cassiani error, gratiam, & libertatem simul jungi non posse. pag.433. col.2.
Catechismi Romani authoritas pro prævia motione. pag.69. col.2.
Catonem gloriam invidisse Cæsari. p.371. col.1.
Causas creatas nihil agere, error aliquorum Philosophorum. pag.24. col.1.
Causæ æquivocæ effectus dependet in facto esse. pag.79. col.1.
Causa directè actus est qui principium ad agendum movet. pag.26. col.1.
Causa omnis particularis, ut attingat in effectu rationem entis, moveri debet. pag.29. col.2.
Causa totius alicujus speciei, est causa aliqua Cælestis. pag.30. col.2.
Causa partialis non producit effectum, ut est ab altera causa. pag.45. col.2.
Causa actionis est quod illius principium movet ad agendum. pag.59. col.1.
Causa & necessitatis, & contingentiæ est sola voluntas Divina pag.157. col.1.
Causa nulla per se effectum producit secundùm eandem rationem quâ in ipsa continetur. p.79. & 81. col.2.
Causis naturalibus vim agendi quidam negaverunt. pag.89. col.1.
Causa secunda licèt in suo ordine principalis, est Dei instrumentum. pag.11. col.2.
Causæ, partiales duæ, cùm simul agunt, una non movet alteram. pag.12. col.1.
Causa ad utrumlibet debet ab altero determinari. pag.134. col.2.
Causarum ordo in effectibus. pag.97. col.2.
Causalitas propria est physica, & non solùm moralis. pag.147. col.1.
Causa propriè dicta non est causa disponens, sed perficiens. pag.148. col.2.
Causa vera, & perficiens ea est ad quam ex necessitate sequitur effectus. pag.149. col.1.
Causalitas propriè dicta est solùm causalitas physica. pag.430. col.1.
Causalitas moralis est impropriè causalitas. p.431. col.1.
Censura Lovanienſis refert, quosdam Divi Pauli conversionem excepisse, & admisisse, ex efficaci gratia ortam fuisse. pag.433. col.2.
Charybdis, & Scyllæ Scopuli fugiendi sunt. pagina 446. col.2.
Charitas potest amitti, quia non implet totam capacitatem subjecti. pag.338. col.1.
Charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur. pag.342. col.1.
Charitas ex parte Spiritus Sancti non potest amitti. pag.167. col.1.
Charitas, cùm contendit possessionem, tendit ad faciendam præscriptionem. pag.321. col.2.
Cherub plenitudo scientiæ ignem mensurat, quia cognitione amor mensuratur. pag.337. col.1.
Christus non potest esse Filius adoptivus, quia est causa gratiæ adoptionis.
Connexio partium Universi explicatur. p.27.c.2.
Christus animorum incantator. pag.67. col.2.
Christi liberum arbitrium erat determinatum ad bonum secundùm genus, non secundùm numerum. pag.281. col.1.
Christus fuit liber ad diligendum Deum, ut ea dilectio terminabatur ad creaturas. p.283.col.2.
Christus eadem Charitate fruebatur, & merebatur, quo sensu. pag.284. col.1.
Christus præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ. pag.387. col.1.
Christo fuisse impositum moriendi præceptum: potuisse non mori, fuisse liberum. pag.389. c.2.
Christi voluntas habuit determinatum modum agendi ex unione hypostatica. pag.390.col.1.
Christus non potuit, etiam physicè, habere ullam imperfectionem. pag.392. col.2.
Christo humanam voluntatem, quàm Divinam

motionem quidam negare maluerunt. pag. 395. col.2.
Christi humana natura regitur à divina, sicut corpus ab anima. pag.396. col.1.
Christi humana voluntas regebatur à Verbo, sicut Sanctorum Voluntas movetur à Deo. pag.397. col.2.
Christum fuisse moriendo liberum. pag.400.col.1.
Christus in fideles, ut caput in membra influit. pag.429. col.1.
Cicero, ut faceret liberos, fecit sacrilegos, dum divina providentia auferri libertatem putat. pag. 102. col.2.
Ciceronis error, quòd ex causarum serie, primam causam submoverit. pag.102. col.2.
Ciceronis, & Stoicorum error. pag.291.
Circino Charitatis est circumagendum. pag.247. col.1.
Circulatio quædam est in rebus à bono in bonum. pag.260. col.2.
Circulatio perfecta est in sola creatura intellectuali. pag.260. col.2.
Claudicationis exemplum, quo utitur S. Thomas acceptum à S.Augustino. pag.188. col.2.
Cloto Jovem à fuso pendentem ferebat. pag. 298. col.1.
Coactionis nomine intelligitur etiam necessitas. pag.262.col.1.
Coactionis & necessitatis, apud Græcos idem nomen. pag.276. col.1.
Coactio duplex, propria ex subjecto, impropria ex objecto. pag.286. col.1.
Cognoscens Mundum mente gerit. pag.243.
Cognoscens omnium perfectiones veluti flores decerpit. pag.243. col.1.
Collegium Conimbricense sententiam de divina motione esse D.Thomæ fatetur. pag.7. col.2.
Complementum esse aliquod agentis secundi, negat Suarez: docet tamen S.Thomas. pag.118.col.1.
Complementum agentis secundi est ex virtute primi agentis. pag.14. & pag.118. col.2.
Compositus sensus est, cum duo actus conjunguntur simul. pag. 164. col.1.
Conchilia sunt inter animalia, & plantas. pag.94. col.2.
Conchilia augentur, vel minuuntur juxtà incrementa Lunæ. pag.95. col.2.
Concilium Arausicanum: Deum Voluntatem non expectare. pag.425. col.1.
Concilium Colonense: Gratiam voluntas pedisequa subsequitur, non tempore, sed causa, & natura. pag.447. col.1.
Concilium Moguntinum: Bona opera Spiritu Sancto motore, & operatore fieri. pagina 447. col.1.
Concilium Senonense: In bonis operibus primò, & principaliùs gratia operatur. pag.446.
Concilium Senonense inquit, voluntatem inspirationis afflatu trahi, non verò unco raptari. pag. 351. col.1.
Concilii Tridentini Can.4.sess.6. Vera explicatio. pag.411. col.2.
Concilium Tridentinum loquitur de eadem motione de qua loquebatur Calvinus. pag.414.
Concilium Tridentinum. Vocationem S. Pauli propriè, & per se esse effectum gratiæ prævenientis. pag.419. col.2.
Concilium Tridentinum pro efficaci gratia. pag. 424. col.2.
Concilium Tridentinum multis modis explicat efficacem gratiam. pag.439. col.1.
Concilium Tridentinum de eadem motione loquitur qua Calvinus, & negat Consequentiam Calvini. pag.441. col.1.
Concilii Tridentini Patres pro efficaci gratia. pag. 458. col.1.
Conciliabulum Dordracenum errorem Calvini temperavit. pag.410. col.2.
Concordia gratiæ cum libertate difficilis. pag.354. col.1.
Concordia Gratiæ non est difficilior in sententia S.Thomæ, quàm in aliorum sententia. pag.370. col.1.
Concordia præscientiæ, & libertatis, quia præscientia est effectrix. pag.103. col.1.
Concursus duplex, prævius, & simultaneus ex Divo Thoma. pag.13. col.2.
Concursus Dei utrùm in causis, vel effectibus recipiatur. pag.14. col.1.
Concursus simultaneus loco prævii male supponitur. pag.14. col.1.
Concursum duplicem explicat Sanctus Thomas. pag.56. col.1.
Concursus prævius similis gratiæ operanti, & simultaneus similis gratiæ cooperanti. pag.83.
Concursus simultaneus duplex ex parte causæ, & ex parte effectus. pag.85. col.2.
Concursus simultaneus, sicut cum duo ferunt idem pondus, rejicitur à Divo Thoma, pagina 142. col.1.
Concursus simultaneus satis non est, ut Deus habeat rationem causæ primæ. pag.141. col.1.
Concursum simultaneum non sufficere, probatur multis rationibus. pag.144. col.2.
Confirmati in gratia perfectiorem habent libertatem. pag.318. col.2.
Connaturalitas quædam ad divina fit per Charitatem. pag.32. col.2.
Contemplativus homo est supra Angelum. pag.93. col.2.
Contingentia rerum, & libertas originantur à divina voluntate, ut prima causa. pag.345.
Connexio partium omnium Universi. pagina 93. col.1.
Cordis compositio cognata est actioni dilectionis. pag.2.
Corpora inferiora multiformia & mutabilia, moveri debent à Corpore uniformi, & immutabili. pag.136. col.2.
Creaturam esse ex nihilo, Deus directè causa non est. pag.307. col.1.
Culpa est malum actionis, & pœna malum agentis. pag.196. col.1.
Culpa est voluntaria, pœna involuntaria, inde

idem non potest esse secundùm idem culpa, & pœna. pag.208. col.1.
Cupiditati cogenti potest resisti, licèt cum difficultate. pag.195. col.1.
Curvitas animæ peccatum est. pag.202. col.1.

D

Divus Damascenus prædeterminationes admittit. pag.13. col.1. & pag.15. col.1.
Dæmon potestatem aliquam habet in homine, eo quòd subjicitur peccato originali. pagina 200. col.1.
Dæmones possunt movere moraliter, non physicè voluntatem. pag.140. col.1. & 148.
Dæmones animalia animo passiva, mente rationalia, tempore æterna, natura fallacia, ex Platonicis. pag.281. col.2.
Democritus hæredem stultitiæ Epicurum reliquit, ex Lactantio. pag.97. col.1.
Democriti error, actionem fieri per effluxionem Atomorum. pag.74. col.1.
Delitiæ virtutis plurimæ. pag.67. col.1.
Delectationes narraverunt peccatores, sed non ut divina lex. pag.68. col.1.
Determinatio, & prædeterminatio, idem ex Sancto Thoma. pag.13. col.1.
Determinatio voluntatis, & à Deo est, & à voluntate. pag.225. col.2.
Dei immensitas cum motione conjuncta. pag.14. col.1.
Dei eminentia in tribus consistit, universalitate, plenitudine, & unitate. pag.170. col.2.
Dei operatio immediata in rebus conjuncta est cum divina motione. pag.35. col.1.
Deo ut causæ respondent prima, & ultima ratio rerum, ens & existentia. pag.113. col.1.
Deus est circulus omnium potestatum. pag.170. col.2.
Deus substantiali præsentia omnia movet. pag.60. col.1.
Deus potest voluntatis inclinationem de uno in Daliud transferre. pag.297. col.2.
Deus quatuor modis est rebus causa agendi. p.89. col.1.
Deus immutat voluntatem dupliciter, vel imprimendo aliquam formam, vel solùm inclinando. pag.297. col.2.
Deus solus potest in voluntatem creatam imprimere. pag.14. col.2.
Deus multis modis trahit voluntatem amore, timore &c. pag.33. col.2.
Deus tribus modis in rebus operatur. pagina 25. col.2.
Deus habet inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem. pag.374. col.1.
Deus immediatè, & mediatè in rebus operatur. pag.38. col.2.
Deus solus est verum ens. pag.119. col.2.
Deus in rebus est sicut anima in corpore. pag.49. col.1.
Deus est causa operandi causis omnibus operantibus. cap.120. col.1.
Deus specie, & pulchritudine regnat. pagina 242. col.1.
Deus omnia movet conformiter ad eorum naturam, levia sursum &c. pag.167. col.2.
Deus per cuncta diffusus, ut substantia creatrix, pag.100. col.1.
Deus principaliùs causa cuiuslibet actionis, quàm causa secunda. pag.122. col.2.
Deus & causa secunda sunt partiales causæ ex Molina. pag.45. col.2.
Deus non potest facere nisi quod præscit se facturum coniunctim, potest tamen divisim. pag.166. col.1.
Deus inest, Angelus adest. pag.44. col.1.
Deus potest prædestinare non prædestinatum in sensu diviso, non composito. pag.166. col.1.
Deus fons est igneus animarum. pagina 43. col.2.
Deus vocatur locus rerum. pag.43. col.1.
Deus est circulus intelligibilis, cuius centrum ubique est, & nullibi circumferentia. pag.256. col.1.
Deus est sphæra intelligibilis. pag.43. col.1.
Deum negare videntur qui motionem negant. pag.28. col.1.
Deus nunquam deserit, nisi prius deseratur. pag.198. col.2.
Deus operatur, quia voluntas operatur, non econtrà: seu prius natura voluntas operatur quàm Deus: falsa opinio. pag.427. col.1.
Deus amat seipsum liberè libertate voluntatis. pag.267. col.2.
Delectatio victrix perficit libertatem. pag.348. col.2.
Delectatio perficit operationem, ut quædam superfloritio. pag.349. col.2.
Delectationis victricis efficacia explicatur. pag.440. col.2.
D. Dionysius causarum omnium connexionem explicat. pag.94. col.2.
D. Dionysius prædefinitiones prædeterminativas admittit, pag.16. col.2.
Dilectio Dei quantum ad effectum quem imprimit. non interrumpitur, nisi quia ab eo deficimus, pag.198. col.2.
Divisus sensus est, quando comparatur actus cum potentia. pag.164. col.2.
Dominici Soto probatum, & commendatum à Tridentino opus, quo efficacem per se gratiam admittit. pag.448. col.1.
Dominium actus convenit voluntati, sed non sicut primo agenti. pag.328. col.2.
Dominium voluntatis non excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari. pag. ibid.

E

Ecclesiæ sensus, & traditio de efficaci gratia. pag. 424. col. 2.

Effectus quinam dependeant à causa in fieri, & facto esse. pag. 79. col. 1.

Effectus producitur totus à Deo, & totus à causa secunda. pag. 127. col. 1.

Efficaciam agendi Deus voluntati confert. p. 224. col. 1.

Efficacia agendi à Deo voluntati confertur. p. 336. col. 2.

Efficacius Deus quædam movet, & alia minus efficaciter. pag. 364. col. 1.

Efficax gratia ex concursu causarum in Christo, & Angelis non potest intelligi. pagina 437. col. 2.

Efficax gratia medicamentum est medicatum. pag. 438. col. 1.

Efficacia divinæ voluntatis efficit, quòd voluntas liberè agat. pag. 157. col. 1.

Electio dilectionis exigit, ut omnes voces desideriorum concordent. pag. 338. col. 2.

Electio pertinet formaliter ad voluntatem, originem habet in intellectu. pag. 248. col. 2.

Electio est proprius actus libertatis. pagina 252. col. 1.

Empyreum Cœlum influit per quietem ut primum corpus proximum Spiritibus. pag. 94. col. 1.

Entis differentiæ sunt possibile, & necessarium. pag. 66. col. 2.

Ens communissimus effectus Deo causæ universalissimæ attribuitur. pag. 112. col. 1.

Ens quia primum substratum superiori omnium causæ correspondet. pag. 113. col. 2.

Epicuro sano nemo æger ineptiùs deliravit. pag. 64. col. 1.

Epicuro relicta à Democrito stultitia hæreditas. pag. 97. col. 1.

Epicureus qui non est victa voluptate non fiat Stoicus victoriam sibi tribuendo. pag. 336. col. 1.

Equinæ speciei causa est in causis superioribus. pag. 95. col. 1.

Esse, & entis ratio non potest produci à creatura nisi ex virtute superaddita. pag. 30. col. 1.

Esse nunquàm producitur nisi virtute divina. pag. 118. col. 2.

Esse actualitas omnium actualitatum, & perfectio omnium perfectionum. pag. 118. col. 2.

Esse est nobilius quàm vivere, quamvis viventia sint meliora, quàm non viventia. pag. 119. col. 2.

Exorcismi in Baptismo ad expellendum diabolum, quia habet specialem potestatem propter peccatum originale. pag. 200. col. 1.

F

FAto omnia agi Stoicorum error. pagina 16. col. 2.

Fati definitio ex Boëtio. pag. 16. col. 2.

Fatum non aliud præter divinam voluntatem ex Augustino. pag. 29. col. 1.

Fatum, & vis fati, ad divinam providentiam reducitur. pag. 107. col. 2.

Fatalis series non alia est quàm causarum subordinatio. pag. 109. col. 1.

Facilitas duplex per remotionem impedimenti, & appositionem adjutorii. pag. 176. col. 2.

Facultas dicitur quasi facilis potestas. pagina 251. col. 2.

Facultas est potestas: unde quæ sunt sub potestate dicuntur propriè facultates. pag. 251. col. 2.

Fati nomen usurpari non debet. pag. 134. col. 2.

Fati series compararur ad divinam providentiam, sicut circumferentia ad centrum. pagina 255. col. 2.

Ferrarienſis pro divina motione. pag. 34. col. 1.

Ferrarienſis Banne antiquior motionem prævium docet. pag. 127. col. 2.

Fides est fortitudo intellectus. pag. 358. col. 1.

Fides Catholica media via incedit, nec gratiam, nec libertatem negat. pag. 356. col. 2.

Finis appetitus est semper sine termino. pag. 252. col. 2.

Finis non cadit sub electione. pag. 252. col. 2.

Firmamentum in quo sunt stellæ, dominatur elemento terræ unde varietas oritur generationum. pag. 95. col. 2.

Formæ naturales descendunt ex formis cælestibus. pag. 63. col. 2.

Formæ specificæ sunt à substantiis separatis. pag. 94. col. 2.

Formæ aliæ aliis sunt perfectiores. pag. 94. col. 2.

Formæ quæ sunt ex materia descendunt à formis quæ sunt sine materia. pag. 100. col. 1.

Forma intellecta est universalis sub qua multa possunt comprehendi. pag. 270. col. 1.

Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. pag. 352. col. 1.

Fortuna omnium principium pro Deo sumitur. pag. 133. col. 1.

Fortuna rebus omnibus dominatur. pagina 133. col. 2.

Convitiis colitur. ibidem.

Fortuna Dea adversam habuit fortunam ex Augustino. ibidem.

Fortunati principium habent ratione melius à quo reguntur. pag. 134. col. 1.

Fortunatus est, quando divina operatione inclinatur ad aliquid cujus rationem ignorat. pag. 134. col. 1.

Fortunæ, & fati nomine Christiani uti non debent. pag. 134 col. 2.

Futuræ res sunt quia Deus eas novit, & non è contra. pag. 106. col. 2.

G

Gloriæ ſtatus eget etiam divina motione. pag. 109. col. 1.

Gommariſtæ rigidiores Calviniſtæ libertatem ex efficacia gratiæ extingui dicunt. pagina 410. col. 1.

Gratiæ divinæ opitulatio ſtabilimentum eſt voluntatis. pag. 174. col. 2.

Gratia divina non impedit libertatem ſed expedit, uſum ſui ipſius dat. pag. 175. col. 2.

Gratiæ divinæ myſterium eſt cur Deus alium trahat, alium non trahat: eandem in omnium ſententia hæc quæſtio difficultatem habet. pag. 178. col. 1.

De gratia quæ ſolùm poſſe tribuit, parùm ſolicitus fuit Auguſtinus, cum eam nemo negaret. pag. 189. col. 1.

Gratia efficax virtute continet ſufficientem, & cum efficax tribuitur non eſt neceſſe ut ſufficiens actualis tribuatur. pag. 186. col. 1.

Gratiæ nomine propriè intelligitur gratia ſanctificans. pag. 191. col. 2.

Gratiæ impedimentum non afferri oritur ex ipſa gratia. ibid.

Gratia hominem carere contingit ex eo quòd ipſe non vult accipere, non quia Deus non vult dare. pag. 196. col. 1.

Gratiæ ſubtractio propter præſens peccatum propriè non eſt pœna, quia conſequitur ex ipſo peccato. pag. 209. col. 2.

Gratiæ efficacia ſimul, & artificium efficit ut voluntas agat, & poſſit non agere. pagina 242. col. 1.

Gratia phyltrum animæ voluptatem immittit qua ipſam pertrahat. pag. 172. 242. col. 1.

Gratia conſequimur libertatem, non libertate gratiam. pag. 242. col. 2.

De gratia efficaci præcipua ſemper fuit in Eccleſia controverſia non de ſufficiente aut cooperante. pag. 304. col. 2.

Gratiæ divinæ homo receptionem impedire poteſt, & impedit, ideòque culpabilis eſt. pag. 180. col. 2.

Gratia denegatur propter præſens, & concomitans impedimentum. pag. 203. col. 1.

Gratiæ privationis prima cauſa in nobis eſt, collationis Deus. pag. 203. col. 2.

Gratia denegatur propter præſens impedimentum, etiam in primo peccato, ſeu primi hominis, ſeu Angeli. pag. 207. col. 2.

Gratia triplici ratione denegatur propter peccatum etiam præſens. pag. 207. col. 2.

Gratia perſeveraturis non aufert mutabilitatem voluntatis: unde cùm agunt poſſunt non agere. pag. 322. col. 2.

Gratia confert non ſolùm facultatem agendi, ſed etiam ipſam agendi efficaciam. pagina 336. col. 2.

Gratia divina transfert non aufert libertatem, pagina 347. columna 1.

Gratia perficit libertatem, quia immittit delectationem virtutis. pag. 348. col. 2.

Gratia in Scriptura ſuavitas, & dulcedo nominatur. pag. 350. col. 2.

Gratia non eſt in ſola delectatione victrice poſita, ſed interdùm trahit timor &c. pag. 354. col. 1.

Gratia virtualiter multiplex omnia modificat, & juxta cujuſque diſpoſitionem efficit. pag. 355. col 1.

Gratia poteſt conſiderari ut res, & ratio: ut res dependet à voluntate, ut ratio eam evehit. p. 386. col. 1.

Gratia efficax medicamentum eſt medicatum, nec altero eget. pag. 438. col. 1.

Gratia ſufficiens medicamentum eſt non medicatum, & altero eget. ibid.

Gratia eſt adæquata ratio agendi. pagina 421. col. 2.

H

Hæretici contradictiones non latenter ſolum ut Philoſophi, ſed etiam apertè admiſerunt admiſſo judicio rationis, & negata libertate. pag. 298. col. 2.

Hæretici in craſſos errores, & contradictiones ſunt lapſi. pag. 299. col. 1.

Hæretici plurima habent, in quibus non errant, ſed cum fidelibus conveniunt. pag. 444. col. 1.

S. Hieronymus inquit, eos eſſe maledicendos qui dicunt præcepta non poſſe impleri: perfecta Deus jubet non impoſſibilia. pag. 180. col. 1.

S. Hieronymum aliquando aliorum ſententia fuiſſe uſum. pag. 283. col. 1.

Homo in quantùm contemplativus, eſt ſupra hominem, & participat modum operandi Angeli ſimplici intuitu. pag. 63. & 256. col. 2.

Homo non peccat quia deeſt gratia, ſed ex pravitate ſua quia peccare vult. pag. 196. col. 1.

Hominem carere gratia ex eo contingit quòd ipſe non vult accipere, non quia Deus non vult dare. pag. 196. col. 2.

Homo quia ex nihilo mutabilis. pag. 202. col. 2.

Homini ut bene ſit ſolùm dari à Deo poteſt, à quo datum eſt ut ſit. pag. 236. col. 1.

Homo libertate redempta, fit libertus Chriſti. ibid.

Homo ſecundùm Deum non ſolùm ſecundùm rationem debet vivere. pag. 235.

Homo ſecundùm corpus movetur à Cælis, ſecundùm intellectum ab Angelis, ſecundùm voluntatem ſolùm à Deo. pag. 134. & 136. col. 1.

Homini non imputari ſi non agat objicit Celeſtius D. Auguſtino. pag. 179. col. 1.

Homo divinis quaſi connutritus habet divina quaſi naturalia. pag. 321. col. 1.

Humiliat Deus homines in loco Sirenum, ut à voluptate animum avocet. pag. 62. col. 1.

I

JAcob disciplinarum fons: scholis præerat: habitabat in domo doctrinæ. pagina 240. columna 2.

Jansenius male efficaciam gratiæ ex ratione subordinationis negat. pag.98. col.1.

Jansenius male dividit quæ jungenda sunt: efficax gratia requiritur ob infirmitatem, non ideò negandum requiri ex alio capite. pagina 181. col.1.

Jansenius falsam habuit sufficientis auxilii notionem. pag.197. col.2.

D.Ignatius efficacem gratiam, & sensit, & docuit: voluntatem divina vis sic impellit, ut interdùm dubitandi facultas sublata sit &c. pag. 406. col.1.

Ignis naturalis,ut instrumentum regulatum animæ habet specialem virtutem. pag.63. col.1.

Ignis ex virtute animæ generat carnes. pagina 64. col.2.

Illapsus Dei in rebus cum motione conjunctus est operatio primordialis quæ nihil supponit. pag. 43. col.2.

Immediatior est primi agentis virtus in rebus quam virtus inferioris agentis. pag.36. col.1.

Immediata, & mediata operatione Deus rebus, omnibus adest. pag.38. col.1.

Immediata Dei operatio in nobis omnia efficit. pag.113. col.1. & 121.

Immensitas divina cum divina operatione, & divina motione conjuncta. pag.41. col.2.

Immobile principium esse debet omnis motus sicut multitudo oritur ab unitate, & circumferentia à centro. pag.254. col.1.2.

Impedimentum gratiæ objectum causa est cur gratia negetur, & quia homo peccat privatur gratia. pag.180. col.2.

Impedimentum gratiæ, ut afferatur non est necessaria gratia: quia homo peccat ex sua malitia: sed ut non apponatur impedimentum necessaria est. pag.195. col.2.

Imperium rationis perfectum conjunctum est cum actu voluntatis. pag.251. col.1.

Imperium practicum aliquam necessitatem imponit agendi salva libertate. pag.371. col.1.

Impossibile aliquid Deo est non ex parte potentiæ sed solùm ex parte voluntatis: non quia non potest sed quia non vult. pag.387.

Impotentia pravè agendi ex perfectione,& bonitate non tollit libertatem ut in Beatis, sed auget. pag.278. col.2.

Impressio fit à Deo in voluntate, ab Angelis in intellectu,in corpore à Cælis. pag.14.col.2.& pag. 137. col.1.

Imputari homini si præcepta divina non impleat ex multis capitibus. pag.179.

Inclinatio omnis sequitur aliquam formam. p.289. col.1.

Inclinatio omnis est impressio à primo movente sicut inclinatio sagittæ est impressio à sagittante. pag.346. col.1.

Inclinatio rebus impressa à Deo est instar legis. pag.123. col.2.

Indeterminatio voluntatis est respectu trium,objecti, actus,& finis. pag.301. col.1.

Indifferentia voluntatis exigit ut à Deo moveatur, ut est rationalis potentia ad opposita. pag.132. col.1.

Indifferentia activa pertinet ad libertatem: eam negare hæreticum est. pag.269. col.1.

Indifferentia judicii,& rationis radix est libertatis. pag.288. col.1.

Indifferentia stante judicii potest moveri voluntas salva libertate,si possit stante eadem indifferentia auferri libertas de potentia Dei absoluta. pag.193. col.1.

Indifferentia quantum ad actum, seu agendi vel non agendi ad libertatem pertinet. pagina 302. col.1.

Indifferentiam contrarietatis quæ est potentia peccandi non pertinere ad libertatem. pagina 303. col.1.

Infidelium nomina à fidelibus usurpari Deus prohibet *non vocabis me ultra Baali.* pag.134. col.2.

Infidelibus,si quod in ipsis est agerent,Deus provideret mittendo prædicatorem, ut Petrum misit Cornelio. pag.184. col.2.

Infidelitas negativa magis habet rationem pœnæ quam culpæ: nemo propter eam solam damnatur. pag.184. col.1.

Influentia primæ causæ prius recipitur in causa quam effectu: in quo posita est ratio divinæ prę-motionis. pag.13. col.1.

Influentia prioris agentis in causis secundis recepta est divina motio. pag.140. col.1.

Influxuum Cælestium mira vis in Magnete Selenite, virga indagatrice aquarum. pag.96. col.1.

Innocentiæ status gratiam habuit efficacem. pag. 107. col.1.

Instrumentum Dei tota natura est quam ad omnes operationes movet. pag.11. col.2.

Instrumenta ut variè moventur varios habent effectus. pag.61. col.1.

Instrumentum vt agat debet priùs virtutem artis per modum intentionis recipere, pagina 129. col.2.

Instrumenti duplex genus, alterum quod se movet, & in suo ordine est causa principalis. pag.129. col.2.

Instrumentum ita factum est ut deserviat actioni principalis agentis. pag.110. col.1. & pag.333. col.2.

Instrumento non repugnat quod moveatur à causa principali. pag.110. col.1.

Instrumentum liberum seipsum movet. pag.100. col.2.

Intellectus est instrumentum sub Deo principali agente. pag.59. col.2.

Intellectus multiformis, variabilis, & defectibilis debet moveri ab intelligentia simplici

varia-

variabili, & indefectibili. pag. 136. col. 2.
Intellectus velutì duplex pars, ſimplex intelligentiæ,& ratio,per primam homo jungitur Angelis. pag.239. col.1.
Intellectus immixtus habet quandam infinitatem, quia non limitatur à materia. pagina 244. col.2.
Intellectus ſit omnia, & puriſſimas totius univerſi perfectiones decerpit ac delibat, ut in eo deſcribatur ordo totius univerſi. pag.243. col.1.
Intellectus verſatur circa principia, ratio circa conclusiones. pag.246. col.1.
Intelligentiæ ſpeciebus rerum præficiuntur,& corporibus Cæleſtibus tanquam inſtrumentis utuntur. pag.97. col.2.
Intelligentia non dat eſſe,niſi virtute divina accepta pag.115.& 117. col.1.& 119.
Intelligentiæ opus, eſt opus naturæ.pag.26. col.1. pag.109. col.1.
Intentio,& intentionis virtus in quo poſita ſit: cognoſcitur in harmonia,vocis energia, virtute artis. pag.60. col.2.
Jovem è ſuſo pendentem ferebat Clotho,ex Stoicis qui fato omnia ſubjiciebant. pag.298. col.2.
Joſephus à Vita impugnatur, quòd exiſtimaverit, Deum cauſas inferiores ſolùm movere mediis ſuperioribus. pag.121. col.2.
Iraſci non eſt ſemper peccatum,quamvìs rationem impediat. pag.182.
Iſaac Philoſophus inquit, animam eſſe in umbra intelligentiæ. pag.93. col.2.
Judicium practicum & ultimum rationis infert actum voluntatis. pag.250. col.1.
Julianus objicit D. Auguſtino, divina gratia impediri libertatem ſicut viſus objecto obice. pag. 175. col.2.
Jupiter ſtator dicitur, quòd omnia Dei beneficio ſint. pag.25. col.2.
Juſtificatio varias diſpoſitiones requirit,quas diverſa auxilia ſufficientia efficiunt. pag. 197.

L

LApidis caſus exemplo peccati cauſa demonſtratur: quòd cadat,ſua gravitate habet, quòd ſurſum evehatur,externa vi. pag.212. col.1.
Leſſii ſententia,liberum arbitrium eſſe directè cauſam cur Deus influat in opus,non è contra. pag. 426. col.2.
Lex naturalis, eſt impreſſa rebus à Deo inclinatio. pag.123. col.2.
Lex nova juſtificat, quia auxilium ſufficiens confert. pag.190. col.1.
Lex vetus docet morbum, non ſanat; eſt inſtar Pædagogi. pag.191. col.1.
Lex vetus homini data ne ſuperbiat, monſtrata infirmitate naturæ. ibid.
Liber facit qui libens facit, quia cum delectatione agit. pag.342. col.1. 346.1.
Liber de ratione ſtudiorum Societatis, motionem præviam eſſe ſententiam S. Thomæ concedit. pag.2. col.2.
Liber eſt qui vivit ut vult,quo ſenſu. pag.243.
Liber nemo ita ut ſit manumiſſus,& mancipatus à Deo. pag.236.
Liber eſt omnis ſapiens vera libertate cum virtute conjuncta. pag.240. col.1.
Liberi arbitrii poteſtas ad bonum, & malum per accidens ſe habet,& reperitur ſolùm in natura, quæ deficere poteſt. pag.305. col.1.
Liberos verè non eſſe niſi qui liberati ſunt, vigilantiſſimè Apoſtolus dixit. pag.343. col.1.
Liberi non adeò eſſe homines velint, ut Deum non habeant Dominum. pag.238. col.2.
Liberi arbitrii non eſt, quòd indeterminatè ſe habeat ad bonum, & malum. pag.303. col.2.
Libero arbitrio Deus miniſtrat virtutem agendi, nec ſolùm ipſum applicat. pag.328. col.2.
Libero arbitrio remanet dominium ſui actus, ſed non ſicut primo agenti. ibid.
Libertatis vera definitio, quòd ſit vis electiva mediorum ſervato non prætermiſſo ordine finis. pag.25. col.1.
Libertatem motio non aufert, ſed facit, tangendo, & modificando. pag.51. col.1.
Libertati influxus animę non officit, igitur neque gratiæ. ibid.
Libertatis cum Divina Providentia concordia,quia Deus utrumque voluit, voluntates operari, & liberè operari. pag.104. col.1.
Libertatis concordia cum motione, quia omnis inclinatio eſt impreſſio primi moventis. pag.124. col.1.
Libertas eſt agi frænis divinę gratiæ, & divinum dominium pati. pag.128.
Libertas nunquàm major,quàm ſub Rege pio. pag. 128. col.1.
Libertas à ratione ut origine pendet, & ut regula temperatur. pag.145. col.2.
Libertas à Deo inſtituta eſt,ut àDeo moveri poſſit, nec lædatur. pag.156. col.1.
Libertatis exercitio non poteſt auferri libertas: hoc exercitium divina motio efficit.pagina 160. col.1.
Liberum arbitrium nominat facilitatem per remotionem impedimenti. pag.176. col.1.
Liberum arbitrium impeditur per corruptionem peccati, & expeditur per gratiam. pagina 176. col.2.
Libertatem vagandi cupiditas cruci affixa non habeat,& tum perfectior eſt. pag.195. col.1.
Libertatis eſt propriè, poſſe diverſa eligere ſervato ordine finis. pag.305. col.3.
Libertatis eſt ut poſſit in utrumque contradictorium. pag.308. col.1.
Libertas indifferentiæ contrarietatis non eſt requiſita ad meritum. pag.309. col.2.
Libertatis partem eſſe potentiam peccandi, volebat Julianus. pag.310. col.1.
Libertas præfulgens quiddam in anima ut gemma in auro. pag.311. col.1.
Libertas perfectior eſt in Deo quàm in Angelo, in Angelo quàm in homine. pag.312. col.2.
Libertas à neceſſitate poteſt eſſe major, & minor.

nor. pagina 314. columna 1.
Libertas major in Angelis, quia peccare non possunt. pag.315. col.1.
Libertas vera ex eminentia, & summa independentia à rebus creatis, & adhæsione ad Deum oritur. pag.315. col.2.
Libertas arbitrii per peccatum, sicut alia naturalia, corrupta est, & ex parte perdita amissa libertate à peccato, quæ est vera libertas. p.316. col.2.
Libertatis veræ, & impotentiæ peccandi eadem radix est unio ad Deum: hujus unionis varii gradus varios efficiunt gradus libertatis. p.319. col.2.
Libertatis quatuor gradus, ante peccatum, post peccatum, post reparationem, post confirmationem. pag.318. col.1.
Libertas, & potestas benè agendi augetur, ac perficitur ex gratia. pag.320. col.2.
Libertatis non esse, quòd sit primum eligens, & primum determinans. pag.325.
Libertatem pari libramento ad bonum, & malum ferri, in Juliano reprehendit S. Augustinus. pag.331. col.1.
Ad libertatem hominis pertinet potentia peccandi, sicut ad naturam potentia moriendi, quæ si desit perfectior natura est. pag.341. col.2.
Libri de Causis Author est Proculus. p.32. col.1.
Lilith fabula fuisse alteram Adami uxorem, ex qua species dæmonum ortæ sunt. p.220. col.2.
Lilith in Scriptura Lamia vocatur. p.200. col.2.
Lucretia pudore victa, & laudis cupida se interemit. pag.371. col.2.
Luna quasi luminum una, omnium Planetarum vires recipit. pag.366. col.1.
Lunæ dominio subjacent conchilia, arborum medullæ &c. pag.95. col.2.
Lunatici Luna decrescente magis patiuntur, quâ dispositione naturali dæmones usi, eos magis vexare possunt. pag.96. col.1.
Lutherus negavit, & admisit liberum arbitrium, vertigine actus. pag.299. col.1.
Libertate reparata homo Libertus Christi efficitur. pag.236.
Libertatis creatæ notio conjuncta esse debet cum servitute Dei. pag.237.
Libertatis amor omniū malorum origo. p.238.c2.
Libertas liberior quò sanior, eò sanior quò Divinæ gratiæ subjectior. pag.238.
Libertatis radix, ratio, quæ varias objecti rationes expendit, & monstrat voluntati. pag.239. col.1.
Libertate majus aliquid charitas confert, cùm efficit Dei amicum. pag.240.
Libertas cordis latitudinem efficit, cùm reddit à rebus independentem. pag.240. col.1.
Libertas summa, parere Deo. ibid.
Libertatem prædicat genus humanum, Pastores in Montibus, in Theatris Poetæ &c. pag.241. col.1.
Libertas libripens, quo sensu dicta sit, pag.241. col.1.
Libertatem voluntas gratiâ consequitur, non gratiam libertate. pag.242. col.2. & 343. 2.
Libertatis triplex radix, universalitas naturæ, rationis, & voluntatis. pag.243. col.2.
Libertatis prima radix voluntatis capacitas. pagina 243. col.1.
Libertatis secunda radix universalitas in judicando. pag.243. col.2.
Libertatis proxima radix adhæsio ad summum bonum, unde fit independens à rebus creatis. pag.244. col.2.
Liberum arbitrium definitur, quo bonum eligitur assistente gratia. pag.247. col.2.
Libertatis definitio, quâ dicitur facultas agendi vel non agendi positis prærequisitis omnibus, nisi rectè explicetur, prava est. pag.249. col.2.
Libertatis non est neque natura, neque pars, posse peccare. pag.258. col.1.
Libertas à peccato est propriè dicta libertas. pagina 262. col.1. & 311. 1.
Libertas voluntatis non excludit necessitatem naturalis inclinationis. pag.265. col.2.
Libertas arbitrii excludit necessitatem. pag.266. col.1.
Libertate velle dominari ultimo fini perversitas esset: circa Deum versari non potest. pag.273. col.2.
Libertas, motus animi cogente nullo, dicitur à S. Augustino contra Manichæos. pag.275. col.2.
Libertas voluntatis, & libertas actionis explicantur; prima non excludit necessitatem, sed secunda. pag.277. col.1.
Libertas arbitrii non se extendit ad finem, sed solùm ad media. pag.280. col.1.
Libertas ex modo cognitionis dependet. pag.288. col.1.
Libertatem non aufert, sed transfert de malo in bonum Divina motio. pag.297. col.1.
Libertas quantùm ad tria consideratur, quantùm ad actum, quantùm ad objectum, quantùm ad ordinem finis. pag.301.
Libertas est perfectio simpliciter simplex, propriè in Deo, Christo, & Beatis reperitur. pag.304. col.1.

M

MAchina Parisiis visa, quæ Democritum loquentem referebat. pag.369. col.2.
S. Magdalenæ conversionem quidam excipiebant; fatebantur, vi efficacis gratiæ factam fuisse. pag.433. col.1.
Magnetis virtus ex corpore Cælesti non ex elementorum qualitatibus. pag.65. col.1.
Magnetis vim miratus Augustinus, de quo plura refert. pag.65. col.2.
Magnetis vis descriptio ex Claudiano. pag.65. col.2.
Malum actionis in naturalibus oritur ex malo agentis, sed in ordine gratiæ malum agentis,

quod

quod est pœna, oritur ex malo actionis, scilicet culpa. pag.196. col.1.
Manichæismus sæpiùs D. Augustino objectus à Pelagianis. pag.444. col.2.
Medicamenta multa habet Cælestis Medicus medicata, & non medicata. pag.438. col.1.
Medicamentum medicatum quod altero non eget, est gratia efficax: non medicatum gratia sufficiens, quæ eget altera. pag.438. col.1.
Melanchon negavit, & admisit liberum arbitrium aperta contradictione. pag.299. col.1.
Melancholici magis voluptates quærunt tanquã remedium, quia corpus pravo humore corroditur. pag.350. col.1.
Melodiæ diversæ varios effectus producunt: hujus energiæ exemplo explicatur vis Divinæ motionis. pag.60. col.2.
Melodiarum variæ species, Lydia, Dorica, Phrygia. ibid.
Merita cùm Deus coronat, coronat sua dona, quia ex ejus gratia principaliter fiunt. p.333. col.2.
Merita in Deum referenda, sicut actio instrumenti ad causam principalem. pag.111.col.1.
Modificat Deus omnia dum juxta eorum conditionem omnia movet. pag.51. col.1.
Modificatio Divinæ gratiæ explicatur comparatione aquæ quæ dealbat in lilio, rubricat in rosa &c. pag.365. col.1.
Molina negat in effectum, ut est à causa, dependere à Deo &c. pag.45. col.2.
Molina admittit, Deum, & causas secundas solùm concurrere per modum causarum partialium. pag.45. col.2.
Molina admittit, aliquam esse in voluntate perfectionem, & realitatem quæ non dependet à Deo, nisi ut voluntatis Authore. pag. ibid. & 326. col.2.
Molina fatetur, sententiam de prævia motione esse S. Thomæ. pag.4. col.2.
Molinæ opinio, usum liberi arbitrii non esse effectum prævenientis gratiæ. pag.425.col.2.
Molina fatetur, se à S. Thomæ sententia de Divina prædestinatione, & Divinis auxiliis recedere. pag.428. col.1.
Moralis motio non sufficit, ut Deus dicatur habere rationem causæ primæ. pag.145. col.2.
Moralis motio necessaria ad libertatem. pag.145. col.2.
Motionis physicæ nomen defenditur. pag.92.
Motio moventis præcedit motum mobilis ratione, & causâ. pag.12. col.1.
Motio non impedit quin Deus immediatè operetur, nec ponit in numero. pag.39. col.1.
Motio Divina multiplex virtute, sicut spiritus sapientiæ unius veluti generis, & multarum partium. pag.49. col.1.
Motio distincta est ab actione causæ secundæ, & est ipsius causa. pag.58. col.2.
Motio est ipsa applicatio passiva, veluti inflexio voluntatis. pag.60. col.1.
Motio vix à voluntate distinguitur. pag.60. col.2.
Motio est virtus artis Divinæ, aut motus virtuosus causis à Deo impressus. pag.60. col.2.
Motio non est qualitas aut forma completa adigens voluntatem. pag.61. col.1.
Motio est quid incompletum, sicut motus impressus instrumentis ab artifice. pag.62. col.1.
Motio est per modum intentionis, sicut colores in aëre, & virtus in Sacramentis. pag.62. col.1.
Motio neque virtus propriè est, neque corporea, neque incorporea, sed virtus ad incorporeum. pag.65. col.2.
Motio per se non est in genere, sicut nec motus. pag.66. col.1.
Motionis Divinæ artificium cum efficacia conjunctum. pag.66. col.2.
Motio efficacior est in intellectualibus substantiis, quæ Deo propinquiores sunt. pag. 130. col.2.
Motio Divina vinculis perperàm comparata. pag.173. col.2.
Motio Divina non impedit libertatem, sed eam magis expedit. pag.175. col.2.
Motio Divina libertatem non aufert, sed transfert de malo in bonum. pag.297. col.1.
Motio Divina efficit, ut voluntas seipsam moveat. pag.325, col.2.
Motio Divina non aufert, quòd voluntas liberè operetur, sed hoc in ea facit. pag.330. col.2.
Motionem prœviam negare, est Philosophiæ principia invertere. pag.12. col.2.
Motionum omnium prima causa est voluntas Dei ex Augustino. pag.26. col.2.
Motionis Divinæ cum immensitate Dei connexio. pag.41. col.2.
Motionem nemo negaret, nisi veritus periculum amittendæ libertatis, cùm Divinam virtutem commendet. pag.128. col.2.
Motione Divina nisi causæ moverentur, omninò non agerent. pag.333. col.1.
Motus est in eo quod movetur, ideòque Divina motio in causa, non in effectu recipitur. pagina 14. col.2.
Motus Cæli ut est virtus Motoris, est causa vitæ materialis. pag.63. col.2.
Motus omnis tria requirit, motionem moventis, motum mobilis, & perventionem ad terminum. pag.191.
Motus omnis fundatur in immobili: multis exemplis probatur. pag.239. col.2.245.254.
Motu in quolibet primùm est motio moventis. pag.13. col.1.
Movens ex necessitate causat motum, quando superat potestatem mobilis. pag.244. col.1.
Movens continuat motum, quousque mobile finem sortiatur. pag.197. col.1.
Moventur quædam à Deo minùs efficaciter, & quædam efficaciùs. pag.130. col.2.
Movere se ipsum non excludit quin moveatur ab alio: liberumque arbitrium, & movetur à Deo, & se ipsum movet. pag.327. col.2.
Multitudo omnis oritur ab unitate, sicut motus à principio immobili. pag.27. col.2.

Mundus à quibuſdam magnus homo dicitur, ſicut homo parvus Mundus eſt. pagina 93. col.1.
Mundus gravidus eſt cauſis naſcentium, ſicut matres gravidæ ſunt fœtibus. pag.366. col.1.
Mythologia Leporis, & Cephali canis explicatur pro concordia libertatis, & gratiæ. pagina 173. col.2.

N

NAtura eſt inſtrumentum Dei, quam ad operationes movet, pag.11. col.2.
Natura & Deus idem operantur ordine quodam ſecundùm prius, & poſterius. pag.14. col.1.
Natura non eſt inconnexa, ut vitioſa tragœdia: Univerſum eſt unum unitate ordinis. pag.93.
Natura eſt inſtrumentum intelligentiæ, à qua movetur, & virtutem recipit. pag.110.col.2.
Natura fixa eſt, & mutari neſcia, ut principium immobile, ex quo cætera oriuntur. pag.253. col.2.
Navis ad rupem alliſæ exemplo peccati cauſa explicatur. pag.211. col.2.
Nauta poteſt eſſe cauſa ſubmerſionis Navis, ſed nunquam Deus peccati. pag.204. col.1.
Neceſſarium abſolutum ex connexione terminorum. pag.161. col.1.
Neceſſarium illud eſt, ſine quo aliquid eſſe non poteſt. pag.193.
Neceſſitas multiplex, abſoluta quæ oritur ex principio intrinſeco conſtituente: conditionalis quæ oritur ex altero. pag.160. col.2.
Neceſſitas conditionata vocatur neceſſitas immutabilitatis. pag.161. col.1.
Neceſſitas conditionata ex efficacia voluntatis Divinæ, non aufert libertatem, pagina 161. col.2.
Neceſſitates duæ ex jure Canonico, allegationis, & conditionis. pag.162. col.2.
Neceſſitas naturalis inclinationis non repugnat libertati voluntatis, ſed libertati arbitrii. pag.265. & 270. col.2.
Neceſſitatis perfectio jungitur libertati ex Divina motione. pag.171.
Neceſſitas felix quæ ad meliora impellit. pagina 303. col.2.
Neceſſitas firmatæ voluntatis in bono non diminuit libertatem, qualis oritur ex votis. p.303. col.2.
Neceſſitati nulla dominatur neceſſitas; ergo ubi ſumma neceſſitas, ibi ſumma libertas: quo ſenſu. pag.315. col.2.
Neceſſitas quædam peccandi ex peccato: quæ non excuſat. pag.323. col.2.
Neceſſitas conſequentiæ ſeu infallibilitatis. pagina 363. col.2.
Neceſſitas quædam ex judicio practico oriri poteſt. pag.371. col.1.
o minum diſtinctionem expreſſit utilitas. pagina 147. col.1.
Nomina non quærenda, cùm de re ipſa convenit. pag. 181.
P. Nicolai de Divina motione ſententia. p.226. col.2.
Nihilum patria hominis, in quam perpetuò revertitur. pag.216. col.2.

O

OBdurati privantur in pœnam ſufficientibus auxiliis. pag.18. col.2.
Omnipotentiâ ſuâ Deus facit, ut voluntas ſe ipſam liberè moveat. pag.745. col.2.
Omnipotentiæ Divinæ non eſt negandum, quòd poſſit efficaciam gratiæ cum libertate conjungere. pag.359. col.1.
Ordo rerum eſt, quòd quæ in inferioribus ſunt deficienter, partialiter, & multipliciter; in ſuperioribus ſint univerſaliter, totaliter, & unitè. pag.171. col.1.
Originalis, & actualis peccati comparatione probatur, Deum non eſſe cauſam malitiæ peccati. pag.220. col.2.
Operatio naturæ eſt operatio virtutis Divinæ ex concurſu ſimultaneo. pag.13. col.2.
Operatio quâ Deus in rebus præſens conſtituitur eſt cum Divina motione conjuncta. pag.35. col.1.
Operatio immediata, & mediata Dei in rebus, pag.38. col. 2.
Oppoſitorum eſt eadem ratio, cùm principia eadem utrinque, & eodem modo concurrunt, pag. 205. col.1.
Opus naturæ opus intelligentiæ. pag.16. col.1.
Ordo cauſarum cùm effectus producunt: gradus corporis ex Cælis, gradus vitæ ex intelligentiis, gradus entis ex virtute Divina. pag.97. col.2.
Ordo rerum in eo poſitus eſt, quòd quædam agunt, & quædam patiuntur; ſeu in ſubordinatione cauſarum. pag.24. col.2.
Origenes liberum arbitrium contra gratiam defendit. pag.120.
Origenis error, motum volũtatis non eſſe à Deo, niſi ut Deus cauſa eſt liberi arbitrii. Ibid.
Origenis error, liberum arbitrium ſemper eſſe vertibile in bonum, & malum; ideòque poſſe damnatos reſipiſcere, & Beatos aliquando poſſe deficere. pag.304. col.1.
Originale peccatum cauſa eſt denegationis gratiæ. pag.199. col.2.
Originali peccato ſecundùm rigorem juſtitiæ deberetur annihilatio. pag. 200. col.1.
Ex originali peccato diabolus ſpecialem poteſtatem habet in hominem. pag.200, col.1.
Originalis peccati quidam effectus etiam poſt Baptiſmum remanet, ſcilicet corruptio naturæ, propter quam poteſt gratia homini à Deo denegari. pag.201. col.1.
Originali peccato remiſſo in Parente, transfunditur originale peccatum filio: ita poteſt de-

negari

negari gratia, etiam remisso peccato originali. pag.202. col.1.

P

PArtialis causa non producit effectum sub ea speciali ratione quâ est ab altera causa. pagina 45. col.2.

S. Paulus miraculo, & momento conversus, simul dispositiones, & gratiam recipit. pagina 197. col.2.

S. Pauli vocationem non solùm visorum suasionibus factam esse, sed efficacissimâ gratiâ tangente cor. pag.433. col.1.

S. Pauli vocationem propriè, & per se esse opus Dei. pag.429. col.2.

D. Pauli conversionem miraculosam vi Divinæ vocationis effectricis factam. pag.434.

D. Paulus eâdem efficaci gratiâ conversus, quâ Assuerus immutatus. pag.436. col.2.

S. Paulus Divino Spiritu alligatus, & veluti constrictus erat ut non posset non prædicare Evangelium. pag.174. col.2.

Peccatum est instar corruptionis simpliciter, & impedit libertatem. pag.340. col.2.

Peccatum impedimentum est, & corruptivum libertatis, gratia verò est hujus perfectio. pagina 343. col.1. & 321.

Peccati radix est, quia bonum vel latet, vel non delectat. pag.349. col.1.

Peccandi potentia non est libertas, nec pars libertatis. pag.303. col.2. & 308. col.1.

Peccandi potentia pertinet ad libertatem in aliqua natura. pag.301. col.1.

Peccandi potentia, sicut inordinatio passionum, si auferatur, libertas est perfectior. pag.306.

Peccandi potentia non est à Deo, sicut nec esse ex nihilo, sed convenit naturæ secundùm se. pagina 307. col.1.

Peccandi potentia diminuit libertatem: inde perfectior est libertas in Christo, & Beatis qui peccare non possunt. pag.308. col.1.

Peccandi impotentiæ, & veræ libertatis eadem radix est, scilicet adhæsio ad ultimum finem. pag.319. col.2.

Peccatum accidit ex eo quòd voluntas ab eo quod est naturale, ad illud quod est innaturale pertrahitur. pag.307. col.2.

Peccatum quamvis contra naturam, fit quasi naturale creaturæ intellectuali, quæ potest fieri omnia. pag.320. col.2.

Peccatum efficit animam minùs habilem ad gratiæ susceptionem. pag.324. col.1.

Peccandi quædam necessitas ex peccato, quæ voluntatem non excusat, quia ipsa eam sibi facit. Ibid. col.2.

Peccato fit quædam unio cum ipso peccato, quæ fit veluti naturalis. pag.324. col.2.

Peccatum nullum est de quo homo pœnitere non possit. pag.187. col.1.

Peccato originali tribuitur aliqua potestas dæmoni in hominem; ideò in Baptismo usurpatur exsufflatio. pag.200. col.1.

Peccatum est curvitas animæ ex S. Augustino. pag.202.

Peccati non alia causa quærenda, nisi quia homo ex nihilo est. pag.202. col.2. 204. col.2.

Peccati efficientem causam quærere, est velle tenebras videre, & silentium audire. pag.206. col.2.

Peccatum habet libertatis quandam umbram: agendo quod libet. pag.260. col.2.

Peccator imitari Deum vult tenebrosa omnipotentiæ similitudine. pag.ibid. col.2.

Pelagianus est qui primatum boni operis libero arbitrio adscribit. pag.446. col.1.

Philosophi latenter duo contradictoria admiserunt, admittendo, Deum movere necessariò, & esse contingentiam in rebus. pag.298. col.2. & 230. col.1.

Philosophi Patriarchæ Hæreticorum. pagina 355. col.2.

Philosophi novi dignitatem Philosophiæ deprimunt, cùm omnia ad corpuscula referunt, nihilque de ordine naturæ, & partium universi connexione, & subordinatione statuunt. pagina 97. col.1.

Philosophi novi secuti Democritum repuerascunt, dum ea revocant quæ docuerant Philosophi, cùm esset Philosophia in cunabulis. pagina 24. col.1.

Philosophia Christiana debet ab his quæ Fidei sunt inchoare, ut certam veritatem assequatur. pagina 125. col.1.

Philosophia Peripatetica cæteras antecellit: ex lege Mosaica derivatur. pag.25. col.1.

Philosophia Græcos Pędagogi more docebat, sicut Lex Hebræos: est præparatio ad Evangelium. pag.115. col.2.

Philosophorum quorundam error, causas secundas non agere, sed Deum omnia in omnibus efficere. pag.24. col.1.

Philosophorum vanitas, quòd proximas, non supremam rerum causam quærerent. pagina 98. col.1.

Physicæ motionis nomen, & ratio defenditur. pag.9. col.1.

Physicæ motionis nomen quâ occasione ad elevandas æquivocationes usurpata. pagina 73. col.1.

Physicæ prædeterminationis nomen, si de re ipsa constet, rectè juventum, & usurpatum Adversarii consentiunt. pag.74. col.1.

Picus Mirandulanus ait, quòd homo est parvus Mundus, & Mundus est magnus homo. pagina 93. col.1.

Planetarum in elementa dominium variis exemplis demonstratur. pag.95. col.2.

Plantæ aliqua suî operatione junguntur animalibus ad constituendam rerum connexionem. pag.94. col.1.

Plato ponit species separatas, ut sint causæ specierum. pag.30. col.1.

Platonici admittunt idæam ſeparatam veluti formam artis. pag.95. col.1.
Plectro, & Sceptro Regnum eſſe adminiſtrandum. pag.242. col.1.
Pœna eſt malum agentis, & culpa malum actionis. pag.196. col.1.
Poſſe aliquid dupliciter dicimur ex potentia intrinſeca, & extrinſeca. pag.186. col.2.
Potentia peccandi diminuit libertatem. pag.308. col.1.
Potentia rationalis eſt ad diverſa, non tamen æqualiter: ad bonum per ſe, ad malum ex defectu. pag.308. col.2.
Potentiæ appetitivæ ſunt proportionatæ apprehenſivis. pag.246. col.1.
Potentia ſimultatis in voluntate nulla eſſe poteſt, ſed ſolùm ſimultas potentiarum. pagina 380. col.2.
Potentia non eſt principium actionis niſi moveatur ab altero quod ſit in actu. pagina 135. col.1.
Præcepta Divina impleri poſſunt, quia poſſumus habere gratiam quâ ea impleamus. pag. 180. & 186.
Prædeterminatio duplex,& æterna, & temporaria. Hæc eſt executio alterius. pag.26. col.1.
Prædeterminationis nomen quandonam primò uſurpatum ſit? pag.74. col.1.
Prædeterminationis phyſicæ nomen, & res. pagina 14. col.1.
Prædeterminationes, & prędefinitiones ex S. Dionyſio. pag.26. col.2.
Præſcientiæ effectricis cum libertate concordia. pag.105. col.2.
Prævius concurſus, & ſimultaneus ex S. Thoma ſtatuuntur. pag.15. col.2.
Principium eſt quod agit ſine influentia prioris agentis. pag.139. col.2.
Priùs movere nihil aliud eſt quàm præmovere. pag.13. col.2.
Proculus Author eſt libri de Cauſis. pag.32.
Providentiæ Divinæ eſt, omnibus neceſſaria providere ad ſalutem. pag.190. col.
Providentia Divina fatum eſt rerum. pagina 101. col.1.
Providentia Divina movet voluntatem juxta ſuam conditionem; ideò ſervat libertatem. pag.158. col.2.
Providentia Divina conjungit quod eſt perfectionis in neceſſitate, & libertate, ſcilicet infallibilitatem, & indifferentiam. pagina 179. col.1.
Providentiæ Divinæ executio fatum. pagina 16. col.2.
Providentiæ Divinæ Lex omnia juxta cujuſque naturam movere. pag.51. col.1.

Q

Qualitates, & virtutes occultæ ex Cæleſtium corporum impreſſionibus oriuntur. pagina 64. col.1.
Qualitates, & vires occultæ in Torpedine, Magnete, & ſeminibus, neque ex qualitatibus elementaribus, neque ex vario atomorum concurſu oriri poſſunt. pag.64. col.2.
Qualitates occultæ ſunt ipſæ virtutes, & rationes ſeminales quibus gravidus eſt Mundus ſicut matres gravidæ ſunt fœtibus. pag.366. col.1.
Qualitatis occultæ egregium exemplum in aqua concepto calore ex Cariophyllo. pagina 375. col.2.
Quieſcit Cælum Empyreum, & per quietem influit, cùm ſit ſupremum corporum, & modum habeat operandi Spirituum.

R

Ratio habet quòd erret, ex phantaſia cui conjungitur, & ex principiis quòd veritatem cognoſcat. Sicut voluntas ex fine rectè agit, & ex corruptione virium inferiorum peccat. pag.309. col.1.
Ratio inferior reſpectu ſimplicis intelligentiæ eſt mens obumbrata. pag.239. col.1.
Ratio eſt ut circulus, intelligentia ut centrum: ratio diffundit principia quæ in ſimplici intelligentia continentur. Ibid.
Ratio authoritati conjuncta eſſe debet. pag.1. col.1.
Rationes rerum mutabilium ſunt immutabiles, ſicut & principia ſcientiarum: quia omnis motus principium eſt immobile. pagina 255. col.1.
Ratio comparatur ad intellectum, ſicut tempus ad æternitatem, & circulus ad centrum. Ibid.
Ratio comparatur ad intellectum, ſicut numerus ad unitatem, tempus ad æternitatem &c. pagina 239. col.1.
Ratio in umbra intelligentiæ. pag.93. col.2.
Ratio ſuperior appetitum inferiorem regit politico, non deſpotico principatu. pag.65. col.2.
Ratiocinatio eſt curſus cauſæ ad cauſatum. pagina 256.
Retractare quædam non dedecet, ut habeat ſecundas partes modeſtiæ qui non habet primas ſapientiæ. pag.75. col.2.
Retractari quædam à S. Auguſtino exiſtimata ſunt, quæ non ſunt retractata. Ibid.
Retractatio S. Thomæ de Divina motione, ficta demonſtratur. pag.90. col.1.
Reſiſti poſſe Divinæ gratiæ modus ſolitus loquendi in Schola S. Thomæ. pag.446. col.2.
Reliquiarum tactu morbi pelluntur; quòd Deus his veluti inſtrumentis utatur. pag.124. col.1.

Reprobatio nihil tollit à potentia; unde reprobatus poteſt abſolutè ſalvari. pag.161.

S

SAcramentorum cauſalitas phyſica eſſe debet, quia illa ſolùm propriè cauſalitas eſt. pag.137. col.2.
Sagittæ exemplo explicatur Divinæ Providentiæ vis, & operatio. pag.152. col.1. & 109.1.
Sapiens omnis liber eſt vera libertate cum ſapientia conjuncta. pag.240. col.1.
Saluſtius ait: in re omni fortunam dominari: explicatur. pag.133. col.2.
Saturno ſupremo planetarum tribuitur permanentia in rebus. pag.95. col.1.
Scientia media obſcura eſt, nec ſine Fidei adjutorio ei credi poteſt ex Suare. pag.316. col.1.
Scoti de Divina motione ſententia: cauſa non movet niſi moveatur à prima. p.230. col.1.
Stellæ ſecundùm varios aſpectus imprimunt ad diverſas ſpecies efficiendas. pag.95. col.1.
Selenites lapis Lunæ motum ſequitur. pagina 96. col.1.
Seminum occulta ſemina vim habent efficiendi, pag.24. col.2.
Seminum ſemina, & ſeminales rationes variæ ſunt in rebus. pag.62. col.2.
Seminis virtus motio quædam eſt, & impreſſio animæ generantis. pag.62. col.2.
Semini unitur motio animæ ut motor Orbi Cęlesti. pag.63. col.1.
Semini unitur triplex calor, elementi, animæ, Cæli. pag.63. col.1.
Senſualitati per mortem ſilentium imponitur. pag.338. col.2.
Senſualitas quia lite indebita fatigat rationem in electione, & dilectione Dei, condemnatur ad opera pœnitentiæ. pag.338. col.2.
Senſus compoſiti, & diviſi vera explicatio ex Sancto Thoma pag.164. col.1.
Senſus compoſiti, & diviſi diſtinctio neceſſaria ad explicandam Scripturam Sacram. pag.168. col.2.
Senſus compoſiti, & diviſi diſtinctionem diverſam eſſe à diſtinctione Calvini ex Theologo Societatis. pag.177. col.1.
Sepulchra, quæ aquâ implentur ſecundùm Lunæ curſum. pag.96. col.1.
Seraphini tertiæ Perſonę Trinitatis, quę amor eſt, immediatè conjunguntur unde incipit connexio partium Univerſi. pag.93. col.2.
Servitus vera ex ſolo peccato ſicut libertas ex gratia. pag.240. col.1.
Simultas eſt potentiarum in voluntate, ſed non potentia ſimultatis ad actus oppoſitos. pag.380. col.2.
Sineſius: Mundus ut lyra contrariorum modulamen eſt. pag.93. col.2.
Sirenes cantu ſeducunt; ſymbolum voluptatis, pag.67. col.2.
Sirenes uſque in exitum dulces, blanda pericula, pag.98. col.2. & 69.1.
Sirenes inter Deus humiliat ad arcendum periculum voluptatis, pag.69. col.1.
Solis comparatio cum Deo, & gratia: nulli deeſt niſi opponat impedimentum. pag.199. col.1.
Solis lux efficax eſt, prçſens, & evidens: ita Divina gratia. pag.199. col.1.
Sortis nomine gratia intelligitur, quia ſine meritis datur. pag.134. col.1.
Specifica ratio cauſam habet ſuperiorem in corporibus Cęleſtibus. pag.95. col.1.
Specificum eſſe Divinum dicitur, non cauſatur niſi ex cauſa ſuperiori. pag.63. col.2.
Sphęra intelligibilis cujus centrum ubique eſt, & circumferentia nullibi, Deus eſt. pagina 43. col.1.
Spirituum locus, & manſio, & patria Deus. p.43. col.1.
Spiritûs & gratię vis ſicut ſpiritus ſapientię unicus, & multiplex: idem plura efficit. pag.366. col.1.
Stella quęlibet habet determinatam virtutem ad producendas virtutes in inferioribus. pag.96.
Striges mali hominis aves dicebantur quę pueris inſidiarentur. pag.200. col.2.
Stoici omnia ſubjiciebant fato, & Deum ipſum. pag.298. col.2.
Strepitos dicta uva cum Sole circumagitur. pagina 96. col.1.
Suarez ſententiam de Divina motione eſſe S. Thomæ fatetur. pag.5. col.1.
Suarez non rectè explicat D. Auguſtinum quęſt. 2. ad Simplicianum. pag.27. col.1.
Suarez diſcurſum D. Thomę dicit non eſſe efficacem: impugnatur. pag.31. col.1.
Suarez immutat locum S. Thomę, reſtituitur. pag.33. col.1.
Suarez negat complementum agentis primi eſſe ex virtute agentis primi. pag.118. col.1.
Suarez admittit cauſalitatem moralem eſſe impropriam, & ſolam phyſicam eſſe propriè dictam cauſalitatem. pag.147. col.1.
Subordinatio cauſarum Univerſi explicatur. pagina 27. col.2. & 40. 2.
Subordinatio, & connexio inferiorum ex virtutibus Cęleſtibus. pag.63. col.1.
Subordinatio non ſolùm in dignitate, & gradu rerum, ſed etiam ex cauſalitate. pag.95. col.1.
Subordinatio cauſarum probatur, & explicatur ex S. Auguſtino. pag.98. col.1.
Subtractio actualis gratię fit propter peccatum triplici de cauſa, pag.207.
Subtractio gratię propriè non eſt pœna, quia conſequitur ex natura rei ex peccato. pag.209.
Sufficiens auxilium adeò neceſſarium eſt, ut niſi prçcedat, efficax non confertur. pag.197.
Sufficiens auxilium quiſquis habet, poteſt habere efficax ad quod ſufficiens, & natura ſua, & Divina ordinatione tendit. pag.194. col.1.
Sufficiens auxilium gratię correſpondet potentiis in ordine naturæ. pag.193. col.2.

Sufficiens aliquando sumitur præter quod non requiritur aliud . pag.192. col.2.
Sufficiens in suo ordine, præter quod requiritur aliud . pag.192. col.1.
Sufficiens prima gratia est habitualis quæ efficit primam proportionem cum actu eliciendo. pagina 199. col.2.
Sufficiens auxilium omnibus à Deo confertur. pag.190. col.2.
Sufficientis auxilii parùm solicitus fuit S. Augustinus, cùm à nemine negaretur. pag.189.c.2.
Suppositio quæ non aufert libertatem,est suppositio efficaciæ Divinæ voluntatis, & Divinæ operationis. pag.192. col.1.
Syndereſis scintilla rationis dicitur, quia semper avolat, & significatur per Aquilam. pag.248. col.1.
Syndereſis in damnatis est actus naturæ, nec quidquam juvat. pag.320. col.1.
Syndereſis murmur non percipitur ab anima inebriata passione. pag.323. col.2.

T

TActus sensûs est fundamentum aliorum sensuum. pag.254. col.1.
S. Thomas quædam expresè retractat, quæ recensentur, in quibus nihil de prævia motione retractatur. pag.75. col.1.
S. Thomæ locus immutatus,ut probetur retractasse sententiam de præmotione restituitur, & ex eo prævia motionis sententia magis stabilitur. pag.33. col.1.
D. Thomæ retractationis de Divina motione prævia leviſſima conjectura rejicitur. pagina 119. col.2.
D. Thomæ erga SS. Patres observantia, dum utitur eorum sententiis, eosque explicat. pagina 282. col.2.
S. Thomæ commendatio: quot verba,tot sententiæ. Vide Præfationem ad Lectorem, & p.237. col.1.
Torpedinis virtus describitur, & explicatur. pag.64.
Trimegistus Deum vocat sphæram intelligibilem, cujus centrum ubique est. pag.43. col.1.

V

VArro, Deum esse animam Mundi, quâ movetur, & regulatur existimavit. pag.49. col.1.
Venus dolosa est, & Zona ejus varia: voluptas prudentiam corrumpit. pag.350. col.1.
Verborum adinventores Patres falso dicti Habæreticis. pag.9. col.2.
Verba nova rebus novis aptare semper licuit. pag.9. col.2.
Verum non esse vero contrarium ex Lateranensi Concilio. pag.422. col.1.
Vinculis Divina motio non rectè comparata. pagina 173. col.2.
Vincula sapientiæ, & Divinæ gratiæ, & dulciſſima, & firmiſſima. pag.175. col.1.
Vindicta irato homini vita videtur esse jucundior; pag.326. col.1.
Virgæ indagatricis aquarum mira vis. pag.96. col.1.
Virtus inferioris causæ non conjungitur effectui, nisi per virtutem causæ superioris. pag.36. col.2.
Virtus superioris causæ immediatior est effectui quàm virtus inferioris. pag.36. col.1.
Virtus per modum intentionis quæ: variis exemplis explicatur. pag.61. col.1.
Virtus in Sacramentis est quid incompletum. pagina 61. col.2.
Virtus per modum transeuntis potest esse in re corporea. pag.62. col.2.
Virtutibus Cæleſtibus elementa sunt plena. p.63. col.1.
Virtus superaddita ex corpore Cæleſti præter virtutem elementi. pag.64. col.1.
Virtus secundi agentis non conjungitur nisi per virtutem superioris. pag.1 6. col.1.
Virtus primi agentis est immediata ad producendum effectum causæ secundæ. pagina 126. col.2.
Vitæ sensibilis causa est corpus Cæleste, ut movetur ab intelligentia. pag.97. col.2.
Unitas principium multitudinis sicut immobile est principium motûs. pag.27. col.2.
Universum est unum non unitate unius animæ, sed unitate ordinis. pag.93. col.1.
Universales effectus in causas universales reducuntur. pag.113. col.1.
Univoca causa nunquam potest esse causa totius speciei. pag.30. col.1.
Vocatio effectrix est efficax gratia, & per modum efficientis causæ operans. pag.27. col.1.
Vocationis nomine D. Augustinus gratiam omnem intellexit, quia D. Paulus prædestinationem omnis gratiæ originem ad Dei vocationem refert. pag.435. col.1.
Vocatio altera effectrix est quâ Deus vivificat mortuos. pag.435. col.2.
Vocatio dicitur contemperata quæ superat resistentiam voluntatis. pag.445. col.2.
Vocationis nomine intelligitur efficax, & effectrix gratia. pag.439. col.2.
Voluntatem inclinare non potest nisi Deus, & ipsa voluntas. pag.26. col.1.
Voluntates Deus flectit, & inclinat ex Augustino. pag.27. col.1.
Voluntatem à Deo applicari, multis probatur ex Augustino. pag.27. col.1.
Voluntas est instrumentum sub Deo principali agente. pag.59. & 64. & 110.
Voluntas in manu Dei veluti framea quâ utitur. pag.110. col.1.
Voluntas Dei mihi necessitas est, quo sensu. pagina 104. col.2.

Voluntates hominum tantùm valent quantùm Deus valere voluit. pag. 104. col. 1.
Voluntas efficaciùs movetur à Deo, quàm causa naturalis. pag. 130. col. 1.
Voluntas ob suam indifferentiam moveri debet. pag. 132. col. 2.
Voluntas Divina uniformis, immutabilis, indeficiens, ideò regula voluntatis humanæ. p. 136. col. 1.
Voluntati imprimere solus Deus potest. p. 137. col. 2.
Voluntas est propinquissima Deo, & propinquior intellectu, ideò Deus solus imprimit in voluntate. pag. 137. col. 1.
Voluntas esset primum principium, nisi priùs à Deo moveretur. pag. 139. col. 1.
Voluntas non agit sine influentia prioris agentis. pag. 139. col. 2.
Voluntatis duplex indeterminatio, ex parte objecti, & ex parte principii: prima solvitur motione morali, altera motione physica. pagina 149. col. 2.
Voluntas immutatur à Deo per modum causæ efficientis. pag. 152.
Voluntas Divina quia efficacissima, efficit libertatem in voluntate creata. pag. 157. col. 2.
Voluntas, cùm agit, habet infallibilitatem ex Divina motione, & libertatem ex propria natura. pag. 158. col. 1.
Voluntas ita instituta, ut Deo ad liberè volendum deserviat. Ibidem.
Voluntas determinatur à Deo, & determinat se ipsam. pag. 225. col. 2.
Voluntas ut natura, & ut libera; ut natura regitur intelligentiâ, ut libera regitur ratione. pag. 239. col. 2.
Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem. pag. 242. col. 2.
Voluntas non movetur necessariò, nisi à bono infinito. pag. 243. col. 1.
Voluntas ut natura, versatur circa ultimum finem, ut libera, circa media. pag. 246. col. 2.
Voluntatem asserere, necessariò agere, est hæreticum, pag. 269. col. 2.
Voluntas stante indifferentia judicii necessariò moveri non potest. pag. 285. col. 2.
Voluntas neque ex subjecto coactione propriè dicta, neque ex objecto impropria coactione potest compelli. pag. 287. col. 2.
Voluntas potest immutare actum suum, ita & multò ampliùs Deus. pag. 297. col. 1. & pagina 369. col. 1.
Voluntas dupliciter immutari potest, vel impressione alicujus formæ, vel sola motione. pag. 297. col. 2.
Voluntas ad bonum, non ad malum ordinatur. pag. 303. col. 2.
Voluntas si moveretur per modum efficientis, & non etiam per modum finis, violentiam pateretur. pag. 338. col. 2.
Voluntati solus Deus imprimere potest. p. 328.
Voluntatem pari libramento posse in bonum, & malum Juliani error. pag. 330. col. 2.
Voluntas Divina intelligenda est extra ordinem rerum profundens totum ens. pag. 344. col. 2.
Voluntas sub motione se movet quasi solùm suâ sponte, & quasi à Deo non moveretur, adeò suavis motio est. pag. 346. col. 2.
Voluntas quasi Dea Volumna esset, si primæ suę determinationis causa foret. pag. 368. col. 2.
Voluntas semper eligit quod convenientiùs, & meliùs ab intellectu proponitur. pagina 370. col. 1.
Voluntas Divina causa omnium motionum. pag. 370. col. 2.
Voluntas, & compulsa, & compellens se ipsam, ubi amittere videtur libertatem, eam recipit. pag. 372.
Voluntatis consensum Deus non expectat, sed efficit. pag. 427. col. 1.
Voluptas fascinat mentem. *pag. 67. col. 2.*
Vomere solo scinditur terra, plura tamen alia requiruntur: ita de sola efficaci gratia: alia ad apparatum pertinent. pag. 438. col. 2.
Vota quibus voluntas firmatur, non diminuunt, sed augent libertatem. pag. 342. col. 2.
Vox sensibilis vim, & energiam ab anima habet. pag. 61. col. 1.
Usus rei importat applicationem. pag. 108. c. 2.
Usus formæ non est ab ipsa forma. pagina 109. col. 1. & pag. 130.
Usus voluntatis non est peccare, sed est abusus, quia voluntas per se ordinatur ad bonum non ad malum. pag. 308. col. 1. & pag. 340. col. 2.
Usus liberi arbitrii ex Molina non est effectus prævenientis gratiæ. pag. 425. col. 2.
Usum liberi arbitrii esse à gratia. pag. 428. col. 1.
Utitur Deus animâ veluti instrumento. pag. 26. col. 1. & 2.

Z

Zoophyta media inter animalia, & plantas. pag. 49. col. 1.
Zodiaci motus causa est diversitatis quæ est secundùm generationem, & corruptionem. pagina 95. col. 1.
Zona Veneris varia est, & dolosa: voluptas fascinat mentem. pag. 250. col. 1.

LAUS DEO.

REGESTUM.

† †† †††

ABCDEFGHIKLMNOPQRS TV
XYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk
Lll Mmm Nnn Ooo.

Omnes ſunt Duerniones.

ROMÆ,
Typis Komarek MDCCVII.

SUPERIORUM LICENTIA.